4. 18. J. 24

Proibito

9
18 I
24

Digitized by Google


A. 18. T. 24

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

FUNICULI NODI
INDISSOLUBILIS
De conceptu mentis, & conceptu ventris.

HOC EST:

Inter immunitatem ab omni defectu, & errore Angelicæ doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis, & ejus excluſionem ab illis univerſalibus regulis: *Omnis homo mendax*: Omnes *erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa: Omnes declinaverunt, &c.* Et præſervationem ab omni culpa, & macula puriſſimæ animæ Virginis Dei Matris MARIÆ, & ipſius exceptionem ab iſtis: *Omnes in Adam peccaverunt: Omnes nos quaſi oves erravimus: Omnes enim peccaverunt, &c.* Ac de utriuſque approbationibus Apoſtolicis, Eccleſiaſticis, atque revelatis

Ab ALEXANDRO MAGNO VII. Pontifice Noſtro Maximo ſolvendi, aut ſcindendi.

Ex Cortice, Virga, Nodo, Doctrina, atque Puritate ligati à Reverendo Admodum P. Fr. PETRO DE ALVA ET ASTORGA, Lectore Jubilato, Supremæ Inquiſitionis Qualificatore, totius Religionis Minorum Patre, & ex-Procuratore Generali in Romana Curia, Provinciæ Limenſis filio, &c.

Editio ſecunda multò auctior, & triplici Indice ornata.

BRUXELLIS,
Typis PHILIPPI VLEUGAERT, Typographi jurati, retro Fontem cæruleum. Anno M. DC. LXIII.


1663

Cum Gratiâ & Privilegio.

Digitized by Google

Omnis autem turba, quæ erat cum Ioab, moliebatur deſtruere muros. Et exclamavit mulier ſapiens de civitate: Audite, audite, &c. Sermo dicebatur in veteri Proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & ſic perficiebant. Nónne ego ſum qui reſpondeo veritatem in Iſraël, & tu quæris ſubvertere civitatem, & evertere Matrem in Iſraël? Quare præcipitas hereditatem Domini? Reſpondenſque Ioab, ait: Abſit, abſit hoc à me, non præcipito, neque demolior, &c. Ex lib. Regum c. 20. verſ. 16.

Digitized by Google



SANCTISSIMO D.D.N.

MAGNO, AC MAXIMO

ALEXANDRO VII.

Summo Eccleſiæ Pontifici.

SANCTISSIME PATER,

Sicut nullo impellente motore, ſuâ innatâ virtute directa aſcendunt levia ſursùm, deſcenduntque gravia deorsùm, ut præfixum ſibi à ſupremo

Digitized by Google

Artifice tandem aſſequantur finem: ita anno præcedente meus ille SOL VERITATIS, utporè mole magnus, ad Veſtræ Sanctitatis Beatiſsimos pedes ſuos direxit greſſus, quaſi Solem ſupremum infallibilis veritatis repeteret centrum. Jamque revoluto anno ſui curſûs, iterùm parvulus hic Libellus, ſub titulo: NODUS INDISSOLUBILIS, ad Veſtras clavigeras cœli manus, tamquam ad connaturalem ſphæram, celeri properat curſu, ut ab ipſis recipiat à tot ſæculis deſideratam ſolutionem controverſia illa de Immaculata Virginis Conceptione: cujus innocentiæ vehiculum, atque puritatis currûs quaſi ligatus, & conſtrictus quodam inextricabili Nodo inter conceptum mentis puræ doctrinæ Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis, & conceptum ventris puriſsimæ Virginis MARIÆ à peccato originis detinetur. Pro cujus præſervationis ſententia Nodum ex ſeptendecim Funiculis inter ſeſe ſtrictiſsimè complicatis compaginatum, tibi ALEXANDRO Magno, omni majori Maximo, ut aut ſolvas, aut ſcindas, hîc humiliter offero.

Siquidem notiſsima hiſtoria eſt, quæ in commune tranſivit proverbium, de Nodo Gordio, quam inter alios ſic refert Quintus Curtius: De rebus geſtis ab Alexandro Magno, libro 3. in principio dicens: *Alexander, urbe in ſuam ditionem redactâ, Iovis templum intrat: vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum eſſe conſtabat, aſpexit, cultu haud ſanè à vilioribus, vulgatiſque uſu abhorrens. Notabile erat vinculum adſtrictum compluribus Nodis in ſemetipſos implicatis, &*

elan-

celantibus nexus. Incolis deindè affirmantibus, editam eſſe Oraculo ſortem, Aſiæ potiturum, qui inexplicabile vinculum ſolviſſet. Cupido inceſſit animo ſortis ejus explendæ. Circa Regem erat Phrygum turba, & Macedonum: illa explanatione ſuſpenſa; hæc ſollicita ex temeraria Regis fiducia. Quippè ſeries vinculorum erat ita adſtricta, ut undè nexus inciperet, quove ſe conderet, nec ratione, nec viſu percipi poſſet. Solvere aggreſſus injecerat curam, ne in omnem verteretur irritum inceptum. Ille, nequicquam diù luctatus cum latentibus Nodis: Nihil, inquit, intereſt quomodò ſolvatur: gladioque ruptis omnibus loris, Oraculi ſortem vel illuſit, vel implevit, &c. Hiſtoria hæc eſt: & Sanctitas Veſtra ALEXANDER nomine, & re, ex quo Urbem ad ſuam ditionem redêgit, ac ſummi Dei templum ingreſſus ſupremam ligandi, atque ſolvendi in terris eſt adepta poteſtatem; Nodum inexplicabilem præ manibus habet varijs adſtrictum vinculis, qui nec ratione, nec viſu percipi poteſt, quo curſus ſententiæ piæ ligatus manet, ſolidæ doctrinæ Thomiſticæ, ne cum alijs rotet in Fidei throno. Sanctitas Veſtra omnes audit clamantes pro hujus antiqui Nodi diſſolutione: Phrygum turba expectat ſuſpenſa: Macedonum familia avidè deſiderat difficultationis ultimum ictum, cùm gladium Petri ad radicem poſitum cernat. Sumat ergò illum ALEXANDER: & inceptum à Sede Apoſtolica, tamquam irritum, & ne toties vertatur in dubium, ac diutiùs luctetur Eccleſia cum tot latentibus ſophiſticis Nodis; ora, ſeu lora, & funes protinùs ſcindat, uti in doctiſsimo quodam ana-

anagrammate præauguratum eſt, ſoluto Nodo non Aſia ſolùm, nec noſtra anhelans Europa, ſed Mundus univerſus potiatur pace, regnetque cum gloria in tota Eccleſia Sancta Dei verè Magnus, ac Maximus ALEXANDER in ſæcula.

B^me. PATER,

Ad Veſtræ Sanctitatis pedes,

Frater PETRUS DE ALVA
ET ASTORGA, Ordinis
Minorum Reg. Obſervantiæ.

EX-

EXCELLENTISSIMO,

ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMOQUE

DOMINO

LUDOVICO

A CRESPI, ET BORJA,

iliario Regio, Epiſcopo Placentino, & in Romana Curia ratori extraordinario à Noſtro Catholico Hiſpaniarum Rege HILIPPO IV. *ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum* ALEXANDRUM VII. *Summum Eccleſiæ Pontificem, pro auſâ Immaculatæ Conceptionis B. Virginis* MARIÆ, *&c.*

EXCELLENTISSIME DOMINE,

CUm non ſit hominum, nec Angelorum tranſitus de extremo ad extremum, impertranſito medio; & iſte noſter exiguus Libellus ab uno extremo ſuæ parvitatis tranſire debeat ad ſummum magnitudinis apicem, ſcilicet, Apoſtolicæ Sedis ſupremum Caput, Pontificem Noſtrum, ac D. D. ALEXANDRUM VII. Te excelſimum Principem Eccleſiæ eligit ut medium; cùm ab utroarticipes extremo. Tuus ſum, quia Religioſus, & à multis ſervus adjectiſſimus: meus es, quia ſcriptor acerrimus pro iculatâ Virginis Conceptione: Summi Pontificis Frater es, piſcopus; & ALEXANDER tuus eſt, utpotè ad ipſum Oraxtraordinarius in Romanâ Curiâ pro Myſterio Immaculatæ Con-

Digitized by Google

Conceptionis Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ incumbens. Ergò tamquàm ad medium conſtitutum inter ALEXANDRUM, & PHILIPPUM; inter Patrem, & Filium; inter Sedem Apoſtolicam, & Hiſpaniarum Regnum; inter puritatis Myſterium, & Chriſtianitatis devotionem, iterum ad V. Ex. recurro, ſicuti olim cum VERITATIS SOLE, ut te duce, protegente, ac patrocinante perveniat Nodus iſte ad Smas. ALEXANDRI manus, ut illum ſolvat, aut ſcindat; dùm alij libri de eadem materia, jam aut prælo dati, aut ad prælum parati lucem vident ſub ſequentibus titulis:

1. RADIJ SOLIS VERITATIS jam ſudantes ſub prælo; in quo per duodecim ſigna Zodiaci, ſeu anni menſes illuſtrantur omnes Auctores citati pro opinione contraria: in folio.

2. *Militia Immaculatæ Conceptionis* jam impreſſa, ubi adducuntur ſex mille ſcriptores ſecundùm Alphabeti ordinem, ſuſtinentes magis piam ſententiam: in folio.

3. *Monumenta antiqua Conceptionis*; ex viginti tractatibus, & ſermonibus antiquis, repertis in diverſis Bibliothecis orbis: primus tomus impreſſus in 4. ſecundus ſub prælo eſt.

4. *Monumenta ſingularia Conceptionis*; ex viginti quinque libris excuſis, ſed jam rariſſimè repertis, unde ipſorum memoria perijt: in 4.

5. *Monumenta Seraphica antiqua Conceptionis*: in folio.

6. *Allegationes*, & *Aviſamenta* D. Joannis de Segovia Canonici Toletani pro Concilio Baſilëenſi jam impreſſa: in folio.

7. *Memento homo, quia pulvis es*, pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis, ubi refertur quidquid contra ipſum actum eſt ab aliquibus ſcriptoribus, in 4.

8. *Tramontana diſſipans nubes* ab aliquibus fabricatas ſine fundamento, & veritate contra SOLEM VERITATIS: in 8.&c. Et hi duo ultimi prodibunt juxta temporum opportunitatem. Vale.

V. E. obſequentiſſimus Servus

F. PETRUS DE ALVA ET ASTORGA.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA ORDINARIJ.

NOdus *hîc* Indiſſolubilis, *Auctore R. Admodum & ſapientiſſimo* P. F. PETRO DE ALVA ET ASTORGA, *Lectore Jubilato, Supremæ Inquiſitionis Qualificatore, totius Religionis Minorum Patre, & ex-Procuratore Generali, &c. nihil continet repugnans Fidei Catholicæ, vel Chriſtianis moribus; ſed ex* Cortice, *&* Virga (*quæ per Allegoriam dicta ſunt*) *velut præmiſſis, æquè ſolerti ingenio, quàm magno ſtudio, & accenſo erga Sanctiſſimum* (Immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ) *Myſterium amore concificit* Nodum *quemdam, ſeu concluſionem admodum validam ad diffinitionem illius Myſterij à Sancta Sede obtinendam. Cùm autem is jam fuerit anteà in lucem editus, & à Primarijs Eccleſiæ Prælatis, non uno orbis Chriſtiani loco, lectus, laudatus, probatus, & nunc poſterioribus curis à ſuo Auctore recognitus & auctior factus, poterit iterum prodire in lucem, in orbem & Urbem, ac ibi in oculis, & manibus Sanctiſſimi D. N.* ALEXANDRI *Papæ VII. cui dedicatur, fieri* Nodus Solubilis. ***Datum** Lovanij anno à parta ſalute* 1663. *die* 11. *Aprilis.*

ANTONIUS DAVE' Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor primarius in Univerſitate Lovanienſi, Protonotarius, Librorum Cenſor Apoſtolicus, nec non Archiepiſcopi Mechlinienſis.

CENSURA ALTERIUS ORDINARIJ

UT incontaminatus & nunquàm ſatis promovendus honor Virginis Immaculatæ, Matris Omnipotentis Dei, Angelorum, Dæmonum, hominumque Reginæ (adverſariorum fractis ac devictis inſultibus, ejus innocentiæ ac gloriæ, tum publicè, tum privatim invidentium reſiſtentiumque) ut honor, inquam, puriſſimæ illius Conceptionis perſonalis in primo animationis inſtanti indies, tum claritate notitiæ, tum fidelium devotione ſine fine inceſſanter accreſcat, magis magiſque promoveatur: NODUM INDISSOLUBILEM incomparabilis viri R. Admodum Patris PETRI DE ALVA ET ASTORGA Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Lectoris Jubilati, Sanctæ ac Supremæ Inquiſitionis Qualificatoris, ex-Procuratoris Generalis, & totius Ordinis Seraphici Patris ex Cortice & Virga mirabili cum induſtria, ſolertia, ac acumine ingenioſè deductum, Funiculis jam denuò exornatum, doctè ac utiliter adauctum, omnibus & ſingulis pro Virginis rectitudine, innocentia, juſtitia, puritate, immunitate, & Sanctitate zelantibus volvendum ac revolvendum ſedulò ac ſeriò commendamus. Tantum que abſit ut quidquam, quod Fidei, Sacris Canonibus, Eccleſiæ decretis, aut morum puritati repugnet, in accurato hoc opere deprehenderim, quod digniſſimum putem, ut ad honorem Sanctiſſimæ Deiparæ, ac Catholicæ Eccleſiæ lumen meritò reimprimi poſſit. Ita ſentio Bruxellæ die 12. Octobris anno 1663.

ANTONIUS SANDERUS *Presbyter S.Theol.Licentiatus, Canonicus, &c. Librorum Cenſor.*

Approbatio ejuſdem Cenſoris primæ editionis.

Cum probatiſſima mihi ſint, & ad confirmandam piorum de omnimoda Virginis Matris puritate ſententiam (quæ nunc per Eccleſiam Dei majore indies fidelium applauſu excipitur, ejuſque ſequacium acceſſione roboratur) prorsùs idonea videantur, quæ non abſque ſingulari doctrina, accuratoque ſtudio, & indefeſſo labore, congeſſit in hoc volumen, cui titulum fecit: Nodus Indiſſolubilis inter approbationem conceptus Sancti Thomæ Aquinatis, & conceptum ventris Beatæ Mariæ Virginis, &c. *Reverendus Admodum Pater Frater* Petrus de Alva et Astorga, *Lector Jubilatus, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, totiuſque Ordinis Minorum ex-Procurator Generalis, & Pater, &c. ut per ea potiori lumine, ad majorem Divini Nominis gloriam, ejuſdemque Virginis honorem eadem ſententia inclareſcat magis, digniſſima judico, quæ typis evulgentur, fructuoſaque publicæ lectionis uſurâ fruantur. Bruxellæ anno & menſe, ut ſuprâ.*

Ita eſt. Antonius Sanderus Presbyter,
S.Theol.Lic.Canon.&c.Libror.Cenſor.

Approbationes diverſorum.

Nodum hunc *Indiſſolubilem* mirificis ac celeberrimis elogijs, & laudum præconijs extulerunt (eſſe nimirum opus ſingulariſſimum, luce præloque digniſſimum, eruditiſſimum, &c.) vel vivâ voce, vel in litteris ſuis originaliter apud auctorem exiſtentibus infra-ſcripti teſtes omni exceptione majores: Imprimis.

Sanctiſſimus Dominus Noſter, ac Pater Alexander *Papa VII. commendavit eruditionem libri, ac modeſtiam Auctoris, &c.*

Eminentiſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Balthaſar Moſcoſo de Roſas & Sandoval *S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus, & Decanus totius ſacri Collegij.*

Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus D.D.F.Petrus de Urbina, *pluries Epiſcopus, Archiepiſcopus, ac pro-Rex Valentiæ, ac tandem Archiepiſcopus Hiſpalenſis.*

Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus D.D. Ludovicus Creſpi à Borja *Epiſcopus Placentinus, & ad Sanctiſſimum* D.N. Alexandrum VII. *pro Rege noſtro Philippo IV. in cauſa Immaculatæ Concept. Legatus extraordinarius.*

Illu-

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. D. Eugenius Albertus D'allamont *Epiſcopus Ruremundenſis, inſignis Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis Canonicus, Baro de Buſſi, Toparcha in Allamont & Malandrij, Dominus temporalis in Sart, Blaigny, &c.*

Reverendiſſimus P. Michaël Angelus à Sambuca, *totius noſtri Ordinis Minorum Generalis cum ſuis Secretarijs R. Admodum Patre* Chriſtophoro de Chaves, & *R. Admodum Patre Fratre* Joanne Slenan, *Lectore Jubilato, ac Supremæ Inquiſitionis Cenſore, qui latiſſimam, & ſpecialem approbationem fecit.*

Reverendiſſimus Pater Joannes Munieſa *Lector Jubilatus, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, Regius Concionator, ac Familiæ Ciſmontanæ Commiſſarius Generalis.*

Reverendiſſimus Pater Andres à Guadalupe *Lector Jubilatus, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, Commiſſarius Generalis Indiarum, ac Sereniſſimæ Infantis Hiſpaniarum Confeſſarius.*

Reverendiſſimus Pater Frater Ildefonſus Vazquez *Lector Iubilatus, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, Chriſtianiſſimæ Reginæ Galliarum Confeſſarius, ac electus Epiſcopus Gaditanus.*

Reverendus Admodum Pater Frater Petrus Roche *Lector Jubilatus, Supremæ Inquiſitionis Cenſor, ac in Romana Curia Commiſſarius Generalis.*

Reverendus Admodum Pater Frater Antonius de Rivera, *Lector Iubilatus, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, ac totius Ordinis Pater.*

Reverendus Admodum Pater Frater Antonius del Caſtillo, *Commiſſarius Generalis Terræ Sanctæ.*

Reverendus Admodum Pater Frater Gregorius Santillan *Lector Iubilatus, Supremæ Inquiſitionis Qualificator, Regius Concionator, & Ordinis Pater.*

Reverendus Admodum Pater Frater Blaſius à Caſtro *Lector Iubilatus, Supremæ Inquiſitionis Cenſor, ac Provinciæ Granatenſis ſecundò Provincialis.*

Reverendus Admodum Pater Frater Joſephus Ximenez *Lector Iubilatus, & Miniſter Provincialis Provinciæ Burgenſis.*

Reverendus Admodum Pater Frater Michaël Gutierrez *Lector Iubilatus, S. Inquiſitionis Qualificator, & ejuſdem Provinciæ bis Provincialis.*

Reverendus Admodum Pater Frater Didacus de Echaburu *Lector Iubilatus, ac Provinciæ Cantabriæ Pater.*

Reverendus Admodum Pater Frater Guilielmus Herincx *Lector Iubilatus, Provinciæ inferioris Germaniæ Provincialis, eruditione, ac Religione præclarus.*

Reverendus Pater Frater Franciſcus de Ameyngo *Lector Iubilatus, ac Provinciæ Burgenſis Cuſtos.*

Reverendiſſimus Pater Joannes Paulus Oliva *Societatis Ieſu Vicarius Generalis, &c.*

Reverendus Admodum Pater Franciſcus de Salinas, *Supremæ Inquiſitionis Qualificator, ejuſdem Societatis.*

Reverendus Admodum Pater Hieronymus de Layana, *S. Theologiæ Profeſſor, & S. Inquiſitionis Cenſor, ejuſdem Societatis.*

Reverendus Admodum Pater Joannes Bolandus *ejuſdem Societ. & plures alij ex illa Societate præclari.*

Reverendus Pater Frater Franciſcus Lezana, *Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum, &c.*

Reverendus Admodum Pater Hippolytus Maraccius, *Sanctæ Mariæ in Campitelio Clericorum Regularium Matris Dei Superior.*

Cenſura Doctorum Pariſienſium.

NOs infra-ſcripti Doctores ſacræ Facultatis Pariſienſis Ordinis Minorum teſtamur perlegiſſe Librum, cui titulus eſt: *Nodus Indiſſolubilis inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, & ſententiam Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis* MARIÆ, *&c.* per R. Admodum Patrem Fratrem PETRUM DE ALVA ET ASTORGA, Lectorem Jubilatum, Supremæ Inquiſitionis in Hiſpania Qualificatorem, ejuſdem Ordinis Patrem, & ex-Procuratorem Generalem, ſolerti diligentiâ compoſitum, qui peragratis Regionibus longinquis, ſcrutatiſque Bibliothecarum famoſiſſimarum manu-ſcriptis, & ventilatis, mirabili tandem ſagacitate, & authenticis inſtrumentis, atque diplomatibus tales conſequentias deduxit, ut adverſarios Immaculatæ Conceptionis Virginis Matris Dei ſtrenuè confutaverit. Quare ut prælo mandetur digniſſimum judicamus, ſi ita Superioribus viſum ſit. Actum Pariſijs in magno Conventu die 8. Novembris 1661.

F. Leodegarius Soyer Doctor Pariſienſis. F. B. Brun Doctor & primus Lector Generalis. F. Andreas Houbereau Doctor Min. Prov. Turoniæ. F. I. Chaillon Doctor Pariſienſis, & ſuper Provinciam S. Bonaventuræ Commiſſarius Generalis. F. P. Le Normand Doctor, & Lector in Theologia. F. Du Creux Doctor, & Guardianus Pariſienſis. F. Guilielmus le Goupil Doctor Pariſienſis. F. Carolus Magnien Doctor Pariſienſis. Frater C. Fourre Doctor Pariſienſis.

Licen-

Digitized by Google

Licentia & Approbatio ſpecialis Ordinis.

R*Everendiſſimus Pater Frater Iacobus de Riddere Ordinis Fratrum Minorum ſacræ Theologiæ Lector Iubilatus, ſuper Provincias Superioris Germaniæ, Hyberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, cum plenitudine poteſtatis in utroque foro Commiſſarius Generalis, approbavit libellum iſtum, & ſuam dedit facultatem, ut typis mandaretur : cujus clauſula principalis eſt hæc : Liber cui titulus,* Nodus Indiſſolubilis, *incredibili ſtudio, ſtupendâ diligentiâ, ac magnâ ſynceritate à multis menſibus elaboratus à R. Admodum Patre Fratre* PETRO DE ALVA ET ASTORGA, *totius Ordinis Fratrum Minorum Patre, Supremæ Inquiſitionis Qualificatore, Lectore Iubilato, & in Romana Curia quondam Procuratore Generali, &c. à diverſis Ordinis noſtri Theologis examinatus, approbatus, & multùm laudatus, accedente conſenſu eorum quorum intereſt, typis mandari poterit, ut omnes in funiculis Adam attracti, firmiſſimo veritatis, ac charitatis* Nodo *conſtricti, coadunari poſſint in devotione erga Virginem ſemper Immaculatam, & Virgam illam de radice Ieſſe, in qua nec* Nodus *originalis, nec Cortex actualis culpæ fuit,*

F. JACOBUS DE RIDDERE ſuper Provincias Germaniæ, Belgij, & annexas Commiſſarius Generalis.

ALIA.

EGo infra-ſcriptus F. Felix Cueillens Concionator Regis Chriſtianiſſimi, & totius Ordinis Seraphici Diffinitor Generalis fidem facio perlegiſſe Librum, cui titulus eſt : *Nodus Indiſſolubilis inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, & ſententiam Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis* MARIÆ, per Reverendum Admodum Patrem Fratrem PETRUM DE ALVA ET ASTORGA, Lectorem Jubilatum, Supremæ Inquiſitionis in Hiſpania Qualificatorem, ejuſdem Ordinis Patrem, & ex-Procuratorem Generalem, cum immenſo labore, diligenti ſolertiâ compoſitum, qui quidem liber mihi non ſolùm prælo mandandus, peritis legendus; ſed & ab omnibus, & laudandus, & approbandus mihi videtur, utpotè qui antiquos Auctores bonæ notæ juſtificet probando efficaciter, quòd omnes benè ſenſerint de Immaculata Conceptione Sacratiſſimæ Virginis; illius adverſarios, ſi qui ſuperſint, omninò confundat, retorquendo contra ipſos illorum argumenta, immò nitidè oſtendendo ex ipſorum dictis contraria quæ intendunt : ac denique ita illam quæſtionem elucidet, ut non niſi protervis ſuperſit impoſterum aliquis refragandi locus. Legant attenti, & fient dociles. Hæc mea mens, & ſenſus. Datum Pariſijs die 10. Novembris anni 1661.

F. FELIX CUEILLENS *Diffinitor Gen. & Conc. Regis Chriſt.*

Digitized by Google

ALIA.

NOdus *hic* Indiſſolubilis *eſt opuſculum, comparativè ad majora opera ejuſdem R. Patris Noſtri* DE ALVA *ſub illis intitulati, in quoddam ſpecimen devotionis ejus eximiæ erga Conceptionem Immaculatam Deiparæ Virginis; diligentiæ ejus infatigabilis, in ſcrutandis deſuper totius orbis Chriſtiani Bibliothecis; memoriæ incomparabilis, in illis omnibus capiendis, & inter ſe conferendis; ingenij mirabilis, in omnibus præconijs doctrinæ Sancti Thomæ, quaſi contrarijs, ad eamdem Immaculatam Conceptionem paſſivam Deiparæ Virginis, tamquam à minori ad incomparabiliter majus, retorquendis. Leodio hâc 2. Octobris 1662.*

F. MATTHIAS HAUZEUR Sacræ Theologiæ Lector bis Jubilatus, & Provinciæ Flandriæ FF. Minorum Recollectorum quartò Provincialis.
F. BARTHOLOMEUS d'ASTROY S. Theologiæ Lector Jubilatus, & Miſſionarius Trajectenſis.
F. PHILIPPUS SALLENGRE S. Theologiæ Lector.
F. BERNARDUS PERSAN S. Theologiæ Lector.

ALIA.

UT impleatur illud Pſalmi 8. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, &c. nempè, qui à defenſione majoris gloriæ Dei, ejuſque Immaculatiſſimæ Virginis Matris MARIÆ magnorum, ac in Pontificali dignitate ſcientiaque Theologica excellentium virorum egregium, ac ſingulare laudis teſtimonium conſecutus eſt, etiam habeat à puſillo & minore; de Libro Reverendi plurimùm & eruditiſſimi Patris PETRI DE ALVA ET ASTORGA, cujus titulus, *Nodus Indiſſolubilis*, accommodè enuntio illud Eccleſiaſtici 43. *Vas admirabile, opus excelſum*: quia Domini Matrem verè vas admirabile, verè opus excelſum in ſua creatione, ſive primo Conceptionis perſonalis inſtanti puriſſimum, argumento hactenus inaudito & ſolidiſſimo clariſſimè demonſtrat, & altum ſapientes reprimit, ſuiſque telis confodit. *Vas caſtrorum in excelſis*, quia Liber ille verè vas caſtrorum, & acies benè ordinata, & firmiſſimè ſtabilita *in excelſis*, hoc eſt, in auctoritatibus Summorum Pontificum, & Patrum Concilij Tridentini, quibus aſſertiones ſuas fundat, ſolidatque. *Et in firmamento cœli glorioſè reſplendens*; hoc eſt, in Eccleſia, quam Apoſtolus vocat: *Columnam, & firmamentum veritatis*, in cujus ſola fide, & obſervantia diſciplinæ patet iter ad cœlum. His Reverendus plurimùm Pater DE ALVA optimè imbutus omni conatu laborat, non tantùm pios & doctos optimis ratiocinationibus illuſtrare, verùm etiam adverſarios; ſi tamen ſint docibiles Dei, ac cum Patribus Conc. Trident. totaque ferme Eccleſia Catholica ſapere velint

ſint ad ſobrietatem. Credendum quippe ſpiritum veritatis Capiti Eccleſiæ & Patribus Tridentini certiùs infuſum fuiſſe, atque ſecundùm eum locutos, quàm adverſarios. Sanè fautores contrariæ opinionis texuerunt ſibi *Nodum Gordium Indiſſolubilem*, dum puritatem doctrinæ Sancti Thomæ ab auctoritate Summorum Pontificum firmant & extollunt, Scripturis Sacris generaliter loquentibus nihil obſtantibus, atque eamdem auctoritatem pro primæva innocentia Reginæ Sanctorum Deique Matris valere nolunt, Scripturas Sacras generaliter loquentes pro libitu ſuo interpretantes. Reverende plurimùm Pater DE ALVA, PETRI nomen ſortitus es à petra Chriſto, lapide angulari; item à Petro, Chriſti Vicario, qui & petra eſt ſuper quam ille ædificavit Eccleſiam ſuam. Age quod agis, & perfice: Operi enim tuo erit merces magna nimis. Sic exopto, precor, & teſtor 11. Junij 1663.

F. FRANC. VAN HONDEGHEM *M. Recollectus, Presb. prov. S. Ioſeph in Comit. Flandr. Conv. Iprenſis Senior.*

Ordo Minorum Ordini Prædicatorum.

Ne, quæſo, ſit jurgium inter me & te, Fratres enim ſumus.
Gen. 13. 8.

NOnne ſumus Fratres? Menſtrarunt talia Patres,
Qui nos fundarunt, & nomine ſanctificarunt.
Si vos velletis tantum concedere Matri,
Quantum vel fratri, ceſſarent jurgia fratrum.
Abſque ergò macula conceptam dicite Matrem,
Qui ſine labe tuum vultis conſcribere fratrem.
Tunc erimus fratres: junget concordia fratres:
Et calamus tractus; nuſquam prodibit in actus.
Eximitur frater maculâ maculatur at illâ
Sancta Dei Mater; quam tu benedicere frater,
Et laudare mones, quam ſanctam prædicat Ordo.
Hinc frater juſtè fratris ſurrexit in auſus
Aurorâ clauſus, Matris conſcribere plauſus
Immaculatum ortum in tutum perducere portum
Hoc voluit congeſto: tu pie Lector adeſto.

Fr.

Digitized by Google

Funiculi & Nodi præcipui, ſeu Index approbationum, de quibus ex profeſſo agitur in hoc Libello.

Operis introductio Nodi Indiſſolubilis.

Funiculus I.

De approbatione doctrinarum, atque de approbatione Angelicæ doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis in communi. pag. 1

Funiculus II.

De operibus Sancti Thomæ Aquinatis impreſſis, & manu-ſcriptis ſecundùm antiquas, & modernas editiones aliqua breviter proponuntur. 22

Funiculus III.

Ubi demonſtratur qualiter approbationes doctrinæ Sancti Thomæ fuerint extractæ in lucem adversùs defenſores piæ ſententiæ de Immaculata Conceptione. 57

Nodus primus principalis.

In quo agitur univerſaliter, & in communi de conceptu mentis Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis, & de Conceptu ventris Sacratiſſimæ Virginis Dei Matris Mariæ, ex comparatione ſapientiæ, & doctrinæ unius cum immunitate, ac puritate alterius; atque de utriuſque approbatione. 81

Nodus secundus principalis.

Inter condemnationem certam aliquorum articulorum doctrinæ S. Thomæ, & abſolutionem eorumdem factam à Stephano Epiſcopo Pariſienſi; ubi conſequenter agitur de prohibitione Feſtivitatis Conceptionis factâ à Mauritio Epiſcopo Pariſienſi, & receptione ejuſdem Feſtivitatis ab altero Epiſcopo, vocato Ranulpho. 180

Nodus tertius principalis.

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis fictam ſub nomine Urbani Papæ V. in quadam epiſtola ad Archiepiſcopum, Univerſitatem, & ſcholaſticos Toloſanos; & ſententiam veram Immaculatæ Conceptionis promulgatam à Sixto IV. Summo Pontifice, in ſuis Extra-vagantibus, confirmatis à ſacro Concilio Tridentino, & Summis Pontificibus. 251

No-

Nodus quartus principalis.

Inter auctoritatem Innocentij Papæ editam à quodam incognito auctore Dominicano pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, prosùs fictam: & alteram ab ipſomet extractam ex eodemmet originali manu-ſcripto contra ſententiam Immaculatæ Conceptionis, etiam totaliter vitiatam. 330

Nodus quintus principalis.

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ fictam à quodam ſcriptore Anonymo Ordinis Prædicatorum, & falsò adſcriptam Univerſitati Pariſienſi: & veram defenſionem ſententiæ Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ ejuſdem Academiæ Pariſienſis. 415

Nodus sextus principalis.

Inter doctrinam Sancti Thomæ approbatam à Chriſto Domino Crucifixo dicente: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*: & alteram revelationem factam à Domino pro Feſtivitate, & Myſterio Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ. 462

Nodus septimus principalis,

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ factam à Sancto Paulo Apoſtolo: & ſententiam immunitatis Virginis Mariæ à peccato originali, ac expoſitionis Angelici Doctoris ſuper eaſdem epiſtolas Pauli. 492

Nodus octavus principalis.

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ ſparſam ſub nomine Sacratiſſimæ Virginis Matris Dei Mariæ: & alias revelationes ejuſdem Dei Matris, præcipuè ex illis Sanctæ Brigittæ pro ipſius immunitate à peccato originali. 510

Nodus nonus principalis.

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ ex Concilio Tridentino fabricatam: & exemptionem ejuſdem Concilij in Decreto de peccato originali pro immunitate Virginis Mariæ. 519

Nodus decimus principalis.

Inter approbationem, ſeu approbationes doctrinæ Sancti Thomæ adſcriptas Summo Pontifici Pio V. Ordinis Prædicatorum, & ejuſdem acta pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis. 550

Nodus undecimus principalis.

Inter approbationem doctrinę Sancti Thomę factam à Clemente VIII. Pontifice Maximo in quibuſdam reſcriptis directis ad civitatem Neapolitanam;

nam; & aliquas ejuſdem Pontificis Bullas expeditas pro Conceptione, & Immunitate Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ. 573

NODUS DUODECIMUS PRINCIPALIS.

Inter quamdam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, divulgatam ſub nomine Pauli V. Pontificis Maximi, atque ejuſdem Decreta, & Bullas conceſſas pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis. 605

NODUS DECIMUS-TERTIUS PRINCIPALIS

Inter duas revelationes S. P. N. Franciſci, approbantes doctrinam Sancti Thomæ, fictas: & alias duas ejuſdem Seraphici Patris veras pro ſententia Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ. 621

NODUS DECIMUS-QUARTUS PRINCIPALIS.

Inter quatuor Officia Eccleſiaſtica Sancti Thomæ Aquinatis, & alia quatuor edita, & approbata à Summis Pontificibus pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis. 633

NODUS DECIMUS-QUINTUS PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ prætenſam ex quodam juramento, ſeu voto emiſſo ab Academia Salmanticenſi, & ſtatim annullato; atque votum ejuſdem Univerſitatis ſubſiſtens pro Immunitate Virginis MARIÆ à peccato originali. 675

NODUS DECIMUS-SEXTUS PRINCIPALIS.

Inter approbationem expeditam à Joanne XXII. Pontifice Maximo in Bulla Canonizationis Angelici Doctoris: & ejuſdem Summi Pontificis declarationem factam pro Myſterio ac Feſtivitate Immaculatæ Conceptionis. 688

NODUS DECIMUS-SEPTIMUS PRINCIPALIS.

Concinnatus ex quodam Brevi, ſeu epiſtolâ Sanctiſſimi Domini N. ALEXANDRI VII. directâ ad Univerſitatem Lovanienſem; ac ejuſdem Conſtitutione Apoſtolicâ modò expeditâ pro tota Eccleſia circa Myſterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Dei Matris MARIÆ. 721

AD

Digitized by Google

AD

LECTOREM

De Nodo Gordio.

INter alias diverſas contexturas, variaſque diſpoſitiones de Nodi Gordij artificioſâ ſtructurâ, aptior idea, ac clarior demonſtratio eſt iſta,quam extraximus ex libro Quinti Curtij Rufi: De rebus ab Alexandro Magno geſtis, impreſſionis Colonienſis anno 1630. à R. P. Matthæo Radero Societatis Jeſu recognitæ, fol. 10.



Ex qua mathematicè, & ocularitèr percipere poteris quatuor ſignatos præcipuos Funiculos præſentem contexentes Nodum. Non enim agimus hîc de ſummuliſticis contradictorijs; quia tunc non eſſet Nodus,ſed argumentum: nec æquiparamus conceptum mentis Sancti Thomæ cum conceptu mentis Sacratiſſimæ Virgi-

Digitized by Google

nis M a r i æ ; quià qui hoc vellet ad controverſiam vocare eſſet ſtultus, & inſanus: neque comparamus conceptum ventris,ſeu in utero Angelici Doctoris, cum conceptu ventris, id eſt, cum prima formatione Sacratiſſimæ Dei Matris; quia Sanctus Thomas non fuit præſervatus, nec ſanctificatus in utero; unde omnes iſtæ immediatæ contra-poſitiones, ac Logicales formalitates non ſunt ad rem pro hîc, & nunc, immò eſſent frivolæ; ſed tantùm illæ duæ propoſitiones, una affirmativa pro ſua doctrina, & negativa altera contra noſtram ſententiam pendentes ex verbo iſto generico, *Conceptus*, quæ æqualiter recipiuntur, & hodie maximè vigent apud Auctores Ordinis Prædicatorum. Prima affirmativa eſt iſta: *Conceptus mentis*, id eſt, *doctrina Sancti Thomæ*, *intellectio, ſapientia, vel ſcripta* (appella ut volueris) *activè, & paſſivè eſt approbatus ab Eccleſia, ut Sanctus, purus, ſine ullo prorsùs errore, ac defectu, &c.* Secunda negativa eſt hæc: *Conceptus ventris*, id eſt, *formatio, animatio, Conceptio* (voca ut tibi placuerit) *Virginis* M a r i æ *eſt improbatus ab Eccleſia ut maculatus, quia fuit impurus, ſine Sanctitate, cum ſorde, & errore peccati originalis, &c.* Ex his duobus Funiculis reſultat quidam Nodus Indissolubilis: qui quantum boni ligant in doctrina ſua, tantum ſolvunt mali ex ſententia noſtra: & vice versâ, quando volunt involvere defectibus ſententiam noſtram, eiſdem innodant erroribus ſuam doctrinam. Undè ſemper manet iſte Indissolubilis Nodus: Si conceptus Sancti Thomæ fuit purus, conceptus Virginis non fuit impurus: & ſi volunt quòd iſte fuerit maculatus, ille etiam maculatus fuit. Et ſemper obductæ conferuntur tenebræ & lux, veritas & falſitas, affirmatio & negatio, &c. ut in particulari in toto iſto libello demonſtrabitur.

In hac brevi præfatione ad Lectorem expreſſi meam mentem in prima impreſſione; ſed lucem iſtam non cernentes, vel videre nolentes Patres Lovanienſes, poſt ſcommata, contumelias, & opprobria ſine numero, atque menſura in publico ſuggeſtu coram tota Univerſitate, & populo in Feſtivitatibus S. Thomę, ac S.P.N. Dominici declamata contra libri Auctorem, jam à ſex menſibus publicarunt per totum Belgium omnia in hoc libro contenta eſſe

aper-

Digitized by Google

aperta mendacia, ac teſtimonia execrabilia, ut apertè, & clarè ex ipſis originalibus authenticis repertis in diverſis Bibliothecis oſtendebant in quodam libello typis mandato Lovanij. Et quantum ad Libelli impreſſionem verum eſt: nam ut didici à fide dignis perſonis ſunt excuſæ octo plus minùs chartæ; ſed factâ omni diligentiâ excogitabili uſque modò non potuimus ſaltem unicum invenire originale. Ratio autem quare prædictum non ſpargunt libellum, ut dicitur, eſt, quia nec à Lovanienſibus, Antverpienſibus, aut Leodienſibus Cenſoribus potuerunt impetrare approbationem: undè colligere poſſumus quàm religiosè, ac modeſtè in ipſo loquantur.

Totum ſupra-poſitum confirmatur ex rei eventu: nam finitâ hac impreſſione quidam Pater Franciſcanus ex gravioribus Provinciæ Colonienſis ſcripſit Reverendiſſimo Patri noſtro Commiſſario Generali Nationali proponens ipſi qualiter Patres Dominicani curarent totis viribus apud Cenſores Colonienſes acquirere ſibi approbationẽ cujuſdam Libelli contra Patrem Alva. Utinam impetrarent, ut ejuſmodi Libellum oculis meis cernerem hìc in Belgio! Extraxerat Pater ille initium; & remiſit prædicto ſuperiori Commiſſario Generali unum parvum folium, in quo continebantur, ſub hoc titulo: *Catalogus, ſeu collectio contentorum in frontiſpicio Nodi Indiſſolubilis, & ipſius ad Lectorem præfatione, quam R. P. de Alva vocat introductionem operis*, duæ objectiones contra NODUM INDISSOLUBILEM primæ impreſſionis: quæ cùm fuerint extractæ ex introductione operis, hìc decrevi illas examinare ante ipſam introductionem, quia illa jam typis mandata eſt, ut conſtet omnibus quo fundamento, ac veritate procedant in ſuis objectionibus. Et ſanè ſi aliæ, (quas tam libenter viderem) ſunt ſicut iſtæ, in vanum laboraverunt tot doctiſſimi Patres, qui per integrum annum ſudarunt in ipſis.

Prima objectio ſic ſe habet: *In ipſo titulo libri falſicavit S. Scripturam Pſal. 57. citans hæc verba: Omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa, ut haberet univerſalem, ex qua componeret hunc Nodum: Thomiſtæ benè inveniunt exceptionem ab univerſalibus Fidei pro Sancto Thoma, & nolunt admittere exceptionem ab univerſalibus Fidei pro*

Digitized by Google

*Matre Dei. Falſificat,inquam, Scripturam; cùm Scriptura, ſive in textu Hebraico, ſive Chaldaico, Græco, ſeu Latino, & in hoc ultimo quidem, tam ſecundùm verſionem vulgatam quàm ipſius Hieronymi dicat: Alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa: Undè ly, Omnes, addidit de proprio. Et quaſi non ſuffeciſſet ſemel in titulo libri hanc ſuam falſificationem impoſuiſſe, eamdem repetit fol.*8.*& *9.*introductionis operis,ſicut & fol.*706. *ubi expreſsè fatetur (& hoc notet Lector ne detur excuſationi locus) Dicit enim Scriptura: Omnes nos quaſi oves erravimus, omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa. Nec excuſabilis eſt, quòd etiam duas alias univerſales in titulo inducat, quæ reipſa habentur in Scriptura, hanc, videlicet: Omnis homo mendax, ex Pſal.* 115. *& alteram ex Pſal.*13. *Omnes declinaverunt; hoc enim non obſtat, quin verſus ille ex Pſal.* 57. *nefariè maneat falſificatus. Et quidem quoad alias duas inductas univerſales, & quaſcumque ſimiles Scripturæ, manifeſtum eſt ex omnibus, tam Sanctis, quàm non Sanctis Scripturæ Interpretibus, & patet ex ipſiſmet textibus, illic non fieri, vel minimam mentionem de errore doctrinæ, ſed de errore peccati, à quo Sanctum Thomam non excipimus; præterquam quòd non loquantur de quibuſcumque peccatis, ſed ut in plurimùm de peccatis graviſſimis, ut patet præcipuè ex illo verſu Pſal.*13. *Omnes declinaverunt: immediatè enim poſt illa verba in eodem ſenſu ſequitur: Simul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum; quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, &c. Undè ſi Pater de Alva univerſales illas de generalitate hominum velit intelligi; involvit Sanctum Thomam per blaſphemiam impijſſimis peccatoribus: nec S. Thomam tantùm, ſed etiam quemlibet Sanctorum.* Objectio iſta clariſſima eſt.

Verùm-tamen peccat in multis. Primò, quia falſum eſt illud de falſificatione Pſal. 57. nam libri titulus primæ impreſſionis ſic ſe habet: *Nodus Indiſſolubilis de conceptu mentis, & conceptu ventris. Hoc eſt: Inter immunitatem ab omni defectu, & errore Angelicæ doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis, & ejus excluſionem ab illis univerſalibus regulis*: Omnis homo mendax: Omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa: Omnes declinaverunt, &c. *Et præſervationem ab*

omni

omni culpa, & macula puriſſimæ animæ Virginis Dei Matris MARIÆ, *& ipſius exceptionem ab iſtis :* Omnes in Adam peccaverunt : Omnes nos quaſi oves erravimus, &c. *Ac de utriuſque, &c.* Ubi ergò in hoc titulo citatur Pſalmus 57. vel ubi ſaltem nominatur Sacra Scriptura? Solùm enim dicit eſſe regulas, & propoſitiones univerſales, & ut tales illas adducit : in objectione ſupponitur, vel exprimitur ſub nomine, & ſubſcriptione Pſalmi, vel Sacræ Scripturæ. Et ex hac parte objectio eſt impoſtura ; quia non eſt idem dicere, hæc eſt regula generalis, & propoſitio univerſalis : *Omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa*, ac dicere aſſertivè, iſta verba ſunt ex Pſalmo 57. vel ſunt ad litteram extracta ex Sacra Scriptura. Impugnent quòd non ſit propoſitio univerſalis, aut generalis regula, quod ibi aſſeritur clarè, & expreſsè ; nam recurrere ad Scripturam, cùm in titulo nec verbum habeatur de Scriptura, eſt quærere Nodum in ſcirpo.

Secundò: Conantur probare, quòd in titulo loquatur de Scriptura, quia folio 8. & 9. introductionis operis, ſicut & fol. 706. habet hæc verba : *Dicit enim Scriptura : Omnes nos quaſi oves erravimus, Omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa.* Ergò hìc jam nominat Scripturam, & falſificavit illam *nefariè*, addendo illud, *omnes*. Pater Alva reſpondet ad hanc objectionem, dicens : Ex illa conſtare impoſturam de titulo ; quia ſi fol. 706. nullam habet excuſationem Pater Alva (ut ipſimet dicunt, *ſed hoc notet Lector, ne detur excuſationi locus*) igitur cùm in titulo non nominet Scripturam, nullus remanet excuſationis locus illis, qui abſque ullo titulo hanc impoſturam fabricarunt pro titulo, ut condemnarent titulum ut adulterum. Fol. 706 adduxerunt Scripturam, & tamen dicunt, quòd in fragranti delicto apprehenderint ipſum ; aufùgit ergò titulus, ſicut dixerunt peſſimi illi Judices condemnantes Suſannam.

Tertiò : Dato quòd in titulo diceretur expreſsè ſicut fol. 706. *Dicit enim Scriptura : Omnes nos quaſi oves erravimus, Omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa*, in nullo iſtorum locorum adulteraretur Scriptura ; quia illud, ſuper quod cadit citatio Scripturæ, primum & immediatum eſt verum, & legitimè extractum : *Omnes*

nos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

nos quaſi oves erravimus, & cùm iſto primo ſalvatur integritas Scripturæ. Dicunt, quòd ſecundus locus non ſit legitimus ſicut primus: parvuli (ne dicam cœci) Si Scriptura dicit: *Omnes erravimus;* quomodò eſt contra Scripturam dicere, *Omnes erraverunt?* Si erravimus *omnes* ſecundùm Scripturam; ergò *omnes* erraverum ſecundùm eamdem Scripturam.

Quartò: In titulo, ut vidimus, neque eſt Scriptura, neque Pſalmus; & ſic à dextrîs, & à ſiniſtris manet titulus liber ab illa *nefariâ* impoſtura, ut ipſorum loquamur terminis modeſtiſſimis; folium verò 706. remanet ſub veſtro *nefario* flagello. Cùm ibi nominetur Scriptura, & cùm in iſta deſit illa univerſalis, *omnis*, fuit ſine remiſſione *nefaria* adulteratio. Hoc objectare non dico eſſe nefas magnum, ſed eſt parva ſimplicitas; quia in citationibus textûs ſacri eſt duplex modus citandi. Primus eſt in communi, quando dicitur verb. gra. *Sic dicitur in Scriptura: Hoc habetur in Scriptura: Hæc continentur in Scriptura*, &c. & tunc attenditur ad ſenſum Scripturæ, & non ad verba formalia: de quo in Sancto Auguſtino, & Ambroſio, Bernardo, & alijs Sanctis ſunt innumerabilia exempla; & ſuper omnes in operibus Sancti Thomæ Aquinatis, præcipuè antiquis (nam in modernioribus multa correxerunt) in quibus non decem, nec viginti, aut centum loca, ſed quingenta poſſunt aſſignari, ubi citando Sacram Scripturam, vel ademit, vel addidit aliquod verbum, & verba: & ſi hoc fuit *nefariè* adulterare Scripturam, videant quid reſpondebunt ad quingenta ſui Angelici Doctoris loca, & hoc dicam ego pro uno verbo *nefariè* invento in meo libro.

Quintò: Alius modus allegandi textum ſacrum eſt particularis, quando dicitur: *Hoc habetur in Scriptura Sacra Pſalmo ...... verſiculo .... vel in Geneſi capite .... verſiculo ....* quia tunc debent tranſcribi verba ad litteram nullo mutato apice; ſed cùm neque in titulo, nec in præfatione, aut in folio illo 706. citetur locus determinatus Scripturæ, dicendo Pſalmo tali verſiculo tali; unde erit iſta *nefaria* adulteratio? *Nefaria* adulteratio, & ut talis damnanda eſt illa ſcriptorum Ord. Prædicatorum Eymerici, Turrecrematæ, Anonymi, & Bandelli, &c. qui, ut conſtituerent peccatum

Digitized by Google

catum originale in Dei Matre dixerunt hoc conſtare ex Sacra Scriptura, & aſſignabant loca v. g. ad Romanos cap. 3. & quando adducebant Scripturam aliqua verba omittebant, addebant alia, alia permutabant, de quibus non pauca exempla videre licet in *Radijs Solis Veritatis* Signo 1. Radio 1. Et pro nunc do unicum exemplum: Joannes de Turrecremata parte 3. dicit, quòd ex illo loco Lev. c. 12. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit, &c.* comprobetur Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali: & tamen adducendo textum, cùm vidiſſet Virginem MARIAM non fuiſſe maſculum, abſtulit à textu ſacro illud verbum, *maſculum*. Et quamvis in *Sole Veritatis*, & in *Radijs* notaverim iſtas, & alias falſitates, numquàm vocavi illas *nefarias*.

Sextò: Dicunt Patres Lovanienſes, quòd hoc fecerit Pater Alva, *ut haberet univerſalem, ex qua componeret hunc Nodum: Thomiſtæ benè inveniunt exceptionem ab univerſalibus Fidei pro Sancto Thoma, & nolunt admittere exceptionem ab univerſalibus Fidei pro Matre Dei.* Igitur Pater Alva ſecundùm vos ideò fecit hanc *nefariam* falſitatem, ut auctoritatem illam, ſeu textum Sacræ Scripturæ faceret univerſalem. Sed textus ipſe per ſe clarè, & explicitè eſt univerſalis; igitur non erat opus illum adulterare; immò ſi non adduceret illum ut univerſalem, *nefariè* falſificaret Scripturam. Diſcurſus eſt evidens oſtenſâ minori de univerſalitate textûs ſecundùm ſenſum litteralem. Scriptura loquitur de peccatoribus alienatis à Deo, & aberrantibus ab utero, & vulvâ; iſti autem ſunt infantes alienati à Deo, & errantes propter peccatum originale; hoc conſtat ex littera, & etiam ex Doctoribus exponentibus verſiculum iſtum. Undè Pater Lorinus, qui recollegit omnium antiquorum dicta ſuper Pſalmos, tomo 2. fol. 81. inquit: *Sunt etiam qui de originali peccato accipiant alienationem ab utero, errorem à vulva.* Et infrà: *Non obeſſet expoſitioni de originali peccato, ut objicit Janſenius, quod in utero contrahatur; nam ab utero idem poteſt eſſe, quod jam indè ex quo formatus eſt in utero.* Et paulò inferiùs: *Hunc explicant locum ita, ut nonnullos hìc putent ſignificari ab ipſa Conceptione, & Nativitate ſecundùm fatalem, naturalemve quamdam neceſſitatem ad vitia deſtinatos, &c.* Et proſequitur explicando omnia iſta. Si ergò Scriptu-

Digitized by Google

ra ſecundùm litteram, & interpretationes Doctorum loquatur de peccato originali; & ſecundùm veſtram opinionem hoc ſit tam univerſale, quòd ab illo peccato, & ab illa univerſalitate nec Virginem Dei Matrem volueritis per quingentos annos excipere; ergò nihil *nefariè* fuit adulteratum, cùm fuerit intellectus & poſitus textus ſecundùm veſtram opinionem, ut Nodus ſecundùm illam, & non juxta noſtram ſententiam ligaretur.

Septimò: Demus quòd nulla ratio ex præpoſitis concludat; ſaltem iſta à paritate non habet ſolutionem: nam cùm S. Paulus ad Rom. cap. 5. dicat: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt*: tamen omnes paſsim antiqui Sancti, ac cæteri Eccleſiæ Doctores, & præcipuè ſcriptores Ordin. Prædicatorum adducunt, vel citant verba iſta Pauli dicentes: *Secundùm Sanctum Paulum ad Romanos cap. 5. Omnes in Adam peccaverunt*, cùm tamen verbum illud *Adam* non ſit in textu citato; quia ſolùm dicit Apoſtolus: *In quo omnes peccaverunt*. Ergò omnes qui loco, *in quo*, appoſuerunt, *Adam* adulteraruntne *nefariè* Scripturam. Sanè id ridiculum foret, quia illud, *in quo*, ſupponit pro *Adam*, ſicut in caſu noſtro *Peccatores* pro *omnes*, quia omnes erraverunt ab utero. At ut non ſiſtamus in unico exemplo: Sanctus Paulus ad Hebræos, cap. 1. inquit: *Et rurſum: Ego ero illi in Patrem*; & tamen in lib. 2. Regum c.7. undè Apoſtolus tranſcripſit hæc verba, dicitur ſic: *Ego ero ei in Patrem*; adulteravitne Paulus *nefariè* Scripturam, mutando relativum *ei* in *illi*? Sanctus Matthæus c. 1. hæc dixit: *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium*, tamen in Iſaia, ex quo Evangeliſta deſumpſit locum c. 7. ſic habentur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Quia Matthæus tranſmutavit ly, *in utero habebit*, in ly, *concipiet*, adulteravitne *nefariè* Scripturam? Denique, ne detineamur in iſtis exemplis, quia ſunt innumerabilia: Idem Sanctus Matthæus cap. 2. dicit: *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Betlhëem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* & tamen in Propheta Michæa cap. 5. undè extracta ſunt iſta verba, ſic extant: *Et tu Betlhëem Ephrata parvulus es in millibus Juda,*

ex.

Digitized by Google

ex te mihi egredietur, *qui ſit Dominator in Iſraël.* Numeret qui voluerit, quanta hic fuerint mutata, & tamen non fuit Matthæus *nefarius* corruptor Scripturæ; quia quoad ſubſtantiam rei ſervavit legalitatem, licet quoad modum verborum aliqua mutaverit. Et ſic in propoſito noſtro.

Octavò: Stringamus Nodum, & alligemus ipſum collo Patris de Alva, ita ut ne vel ullus ei relinquatur halitus ad præpoſitas excuſationes, & fateatur quòd fecerit peſſimè, & *nefariè* falſificando Sacram Scripturam propter additionem illius univerſalis, *omnis;* quia in ſacro textu, nec littera, aut apex debet alterari, & ſic Patres Lovanienſes optimè dicunt Patrem de Alva fuiſſe *nefarium* corruptorem illius auctoritatis Sacræ Scripturæ; adeoque corrigatur ſtatim, quia Pater Alva proteſtatur ſe ſolùm deſiderare quòd veritas vivat, & mendacium pereat. Omnia benè. Verum enim verò antequàm deleant illud, *omnes*, debent ſolvere parvum hunc ac minutiſſimum Nodum, & ut laborent in ipſo etiam *omnes*. Pater Alva in ſuo *Sole Veritatis* invênit ſcriptores Ordinis Prædicatorum in ſexcentis quadraginta auctoritatibus, adductis contra Immaculatam Conceptionem ex Scriptura, Concilijs, ac Sanctis Patribus trecentis quindecim, commiſiſſe falſitates, adulterationes, & vitia capitalia triginta tria millia, minora verò ferè centum millia, de quibus nunc non curamus: & ſtatim ſurrexerunt tres diſtincti Patres Dominicani: primus ſub nomine cujuſdam Doctoris Complutenſis in una epiſtola ad alterum Doctorem Salmanticenſem: ſecundus R. Pater Joannes Martinez del Prado etiam Lector primarius Complutenſis, in ſuis Notitijs veridicis: & tertius noviſſimè Pater ille Cordubenſis in ſuo dialogo intitulato hiſpanicè: *Sñ oro al Ceſar*. §. 5. fol. 11. ſub hoc titulo: *Deſvaneceſe la calumnia opueſta al modo de citar que obſervo enſu Catena el Angelico Dotor*, & unuſquiſque ex his tribus relatis Patribus per viam ſuam conantur oſtendere Patrem de Alva fuiſſe calumniatorem peſſimum, impoſtorem, hallucinatum, Servum Nequam, Athilam Bibliothecarum, & Antechriſtum librorum, &c. quia impoſuerat ſuis Auctoribus vitia, ſeu falſificationes illas, quæ benè inſpectæ nec ſunt falſificationes, nec vitia, quia

mutationes illas in auctoritatibus fecerant ſui ex deſtinato animo, ut meliùs exprimerent ſenſum contentum in auctoritatibus, & excuterent ab illis paleam, quę nullius erat momenti, & supplerent defectus exornando ſententias; circa quod dicunt mirabilia, ut ex ipſorum verbis alibi ſæpè datis videri poterit.

Nodus ergò ſolvendus talis eſt: Patres Lovanienſes dicunt eſſe *nefariam* falſitatem, quòd Pater Alva in una auctoritate univerſali addiderit ly *omnes*. Patres Complutenſes ex altera affirmant Patrem Alva habuiſſe indiſciplinatum genium dicendo illas eſſe falſitates, vitia, ſeu fictiones; quia ſui ſcriptores, & Sanctus Thomas cum ipſis reſpiciebant ſenſum, non verba, &c. & Pater Alva Hiſpanus, ſed in civitate Lovanienſi hæret innodatus, inter Patres Lovanienſes Belgas, & Patres Complutenſes Hiſpanos, neſciens quo ſe vertat. Secundùm Lovanienſes addere *omnes* in quadam propoſitione univerſali fuit *nefaria* falſitas, & ſecundùm Complutenſes triginta tres mille capitales corrumpentes totaliter ſenſum, & vitiantes penitùs ſententias Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum non ſunt vitia, ſed virtutes. Eſt ne hoc genus hypocriſeos, vel calumniæ? Quid eſt? Iſta feſtucula *omnes*, contra Patrem de Alva eſt trabs, & triginta tres mille trabes poſitæ ad oculos veſtros ne quidem ſunt feſtuculæ, ſed radij ſolares & lucis emiſſi à calamis veſtris ad illuminandum aliorum oculos. Componantur priùs res iſtæ inter vos. Quia ſi cum Lovanienſibus eſt *nefaria* falſitas, alterare unum verbulum in auctoritatibus; Pater Alva corriget à vobis notatum: & Patres Lovanienſes corrigent ſimul in ſuis ſcriptoribus triginta illa tria mille vitia *nefaria*, ſignata in *Sole Veritatis*; quia ut ſeveriſſimi judices, ac recti dicunt: *Et hoc notet Lector, ut non detur excuſationi locus*. Et ſi cum Complutenſibus illæ triginta tres mille falſitates non ſunt *nefariæ*, quia inveniunt pro ipſis triginta tria mille effugia, & excuſationes; omnes illas excuſationes, effugia, & ſolutiones habet Pater Alva pro ſuo verbo, *omnes*: & ſic maneat quouſque convenientes *omnes* Patres Lovanienſes, & Complutenſes *omnes* determinent aliquid, in quo *omnes* conveniant.

Nonò: Progrediendo ulteriùs cum cenſura Patrum Lovanienſium

Digitized by Google

ſum dicunt, quòd in præpoſitis propoſitionibus univerſalibus, & in aliјs ſimilibus, ſecundùm Sanctos, & Interpretes, non loquatur Scriptura, nec fiat minima mentio de errore doctrinæ, ſed de errore peccati; & non peccatis quibuſcumque, ſed graviſſimis, à quibus non excipiunt Sanctum Thomam. Et cùm hac reſponſione transferunt ſtrictiſſimam rem facti ad latiſſimas altercationes ſcholaſticorum: & hoc eſt quod ipſi deſiderant. Patres mei relinquamus interpretes Sacræ Scripturæ, quorum ſententiæ in hac parte ſunt ſine numero. Relinquamus ſcholaſticas quæſtiones, an error intellectus ſit peccatum, quia iſta non ſunt ad rem; & pro, & contra unuſquiſque habebit ſuos Patronos, & loquamur in propriјs terminis: Propoſitio hæc: *Omnis homo mendax*, eſt univerſalis, vel particularis? loquitur de peccatis graviſſimis, vel de doctrina, & verbis? *Omnis homo mendax*, quomodò loquitur de peccatis graviſſimis? *Alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa*, eſt regula univerſalis, vel particularis? *Et locuti ſunt falſa*, quo latere agit de peccatis graviſſimis? Alienati ſunt homines à Deo à vulva, & utero per peccatum originale? & tunc quæ peccata graviſſima ſunt in parvulo? Et ſi originale eſt graviſſimum, ergò eſt majus quàm veniale; quia hoc per vos non eſt, nec vocatur graviſſimum, ſed leviſſimum.

Decimò: Quòd in illis univerſalibus non loquatur Scriptura de erroribus doctrinæ, ſed de errore peccatorum, & quidem graviſſimorum probant Patres Lovanienſes ex Pſal. 13. *Omnes declinaverunt*, &c. quia ibi expreſsè agitur de peccatis graviſſimis. Imprimis diſcurſus eſt ineptus, nam non omnes univerſales loquuntur de eadem materia: & facere Pſal. 13. explicationem Pſalmi 57. & alterius 115. videbitur aliquibus quid ridiculum. Deindè quomodò Pſal. 13. loquitur de peccatis graviſſimis, & non de errore doctrinę cùm ex verbis ab ipſis Patribus allegatis oſtendatur contrarium, & ex toto Pſalmo, qui ſic incipit: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus?* Hoc peccatum graviſſimum eſt, ſed pertinens ad errorem doctrinæ. Deindè proſequitur Pſalmus: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiјs ſuis*, ubi continentur in primo verſiculo iſta verba. Dicunt doctiſſimi Patres Lovanienſes

Digitized by Google

quòd ibi non agatur de ſtudio doctrinæ, ſed de peccatis alijs graviſſimis. Infrà ſic etiam dicitur: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Intelligere, vel non intelligere Deum pertinet ad doctrinam? Denique illud: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, &c.* omnia verba iſta quid aliud inſinuant; vel expreſsè deteſtantur, niſi errorem doctrinæ? Et iſti magni ſcrutatores, ut defendant quòd Sanctus Thomas, & ejus doctrina non contineatur in iſtis univerſalibus, dicunt illas intelligendas eſſe de peccatis alijs graviſsimis deſtinctis ab erroribus doctrinæ, ubi ipſimet in iſtis univerſalibus comprehendunt doctrinas omnium aliorum Doctorum.

Undecimo: Ignoſcamus (amore Dei, & fraternitatis) omnibus iſtis, ut perveniamus ad ultimam clavem iſtius primæ objectionis, quæ ſic ſe habet: *Undè ſi Pater de Alva univerſales illas de generalitate hominum velit intelligi, involvit Sanctum Thomam per blaſphemiam impijſſimis peccatoribus, nec S. Thomam tantùm, ſed quemlibet Sanctorum.* Scopus ſuorum verborum ſatis clarus eſt; nam P. Alva ſic includendo in iſta univerſali generalitate hominum S. Thomam eſt blaſphemus, non ſolùm Angelico Doctori, ſed omnibus Sanctis. Quis crederet quòd unus Religioſus talis qualis læto animo, & hilari vultu, cum ſumma alacritate reciperet titulum blaſphemi, & ſine cauſa? Solùm cum ſumma modeſtia interrogat Pater Alva; ſi ipſe eſt blaſphemus, quia in univerſalibus illis de generalitate hominum voluit includere Sanctum Thomam; qui in eàdem numero univerſali de generalitate hominum per quadringentos annos contra aſſenſum Eccleſiæ, & conſenſum omnium fidelium incluſerunt Sacratiſſimam Dei Matrem, & Angelorum Reginam Virginem MARIAM, an hoc fecerint per blaſphemiam, vel laudem, & honorificentiam? Si eſt blaſphemia includere in hac univerſali Scripturæ: *Omnes declinaverunt*, &c. Sanctum Thomam; quomodò, qualiter, vel undè voluiſtis vos, & de facto incluſiſtis Virginem MARIAM in eademmet generalitate hominum? Et non quomodocumque ſed affirmantes quòd ex hoc loco Sacræ

Scrip-

Digitized by Google

Scripturæ, *Omnes declinaverunt*, &c. expreſsè, formaliter, & in individuo, clarè, & apertè conſtaret de Fide Virginem fuiſſe comprehenſam in generalitate omnium hominum?

Duodecimò: Ut compleamus numerum; univerſalem iſtam, *Omnes declinaverunt*,&c. adducunt contra Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ Pater Joannes de Turrecremata, qui poſteà fuit Cardinalis, Pater Vincentius Bandellus, qui fuit Generalis, Pater Deza, Pater Anonymus, & omnes alij, qui iſtos defendunt, & ſequuntur, ut demonſtratum eſt ex ipſorum verbis in *Sole Veritatis*, verb. *Scriptura Sacra*; & iterùm videbitur latiùs in *Radijs*, Signo 1. Radio 1. nec tamen propter hoc Pater Alva vocavit ipſos blaſphemos: abſit à Religioſo ore tale verbum. Et quia voluit P. Alva includere, non enim incluſit de facto, ſed voluit includere S. Thomam eſt blaſphemus. Certè quòd in re majori, ac graviori ſint multi blaſphemi. De univerſalibus adductis pro peccato originali, & Conceptione Virginis MARIÆ nihil dixerunt Patres Lovanienſes. In illis non fuit blaſphemus Pater Alva; ſed in illis poſitis pro doctrina, ſtatim, ut eximerent ſuum Angelicum Doctorem, invenerunt interpretationem tranſportando univerſales, licet violenter & extortè, ab errore doctrinæ ad errorem peccati. Meliùs eſſet, Patres ac Fratres mei chariſſimi, univerſales omnes adductas à Patre Alva transferre ad errorem doctrinæ, & quòd conatus adhibitus pro Fratre eſſet pro Matre veſtra, Dei, & omnium.

Secunda objectio Patrum Lovanienſium ſic ſe habet: *Hæc habentur ſtatim in principio. Poſteà folio 5. & ſeqq. hæc: fol. 12. ponit hunc ſyllogiſmum deductum (ut loquitur) ex principijs Divi Thomæ: Virgo* MARIA *Mater ſapientiæ, quia dignior, purior, Sanctior, atque excellentior omnibus alijs, cujuſcumque claſſis ſint, debet habere & continere in ſe omnes Sanctitatis ſplendores, puritatis excellentias, &c. quæ conjunctim vel ſparſim reperiuntur in aliquo ipſorum. Sed aliquibus Sanctis, ut Joanni Baptiſtæ, & Jeremiæ, fuit collata gratia illa ſingularis, & ſpeciale privilegium, ut in utero matrum ſuarum ſanctificarentur: Ergò etiam hæc gratia & privilegium ſanctificationis in utero fuit Matri ſapientiæ conceſſum. Folio verò 13. paulò poſt medium; Si hoc, inquit, argumen-*

argumen-

Digitized by Google

gumentum valet poſitum à Sancto Thoma, hoc etiam noſtrum eodem modo erit concludens; quia in eadem materia, figura, & diſpoſitione ſyllogiſtica, immò etiam iiſdemmet verbis diſpoſitum : Virgo MARIA *Mater ſapientiæ, quia dignior omnibus, &c. debet habere & continere in ſe omnes Sanctitatis ſplendores, puritatis excellentias, quæ, &c. Sed Angelico Doctori eſt conceſſum illud privilegium, ut ejus mentis conceptus, doctrina &c. ſint illibata, Sancta, &c. Ergò iſta etiam debent convenire Matri ſapientiæ Virgini* MARIÆ *in ſuo conceptu ventris. Et pergit : Argumentum hoc quoad majorem eſt idem cum antecedenti facto à Sancto Thoma : quoad minorem recipitur ab omnibus ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum: ergò quoad conſequentiam eſt concludens.*

Poſito ergò hoc Syllogiſmo extracto à Nodo, ſic proſequuntur : *Hic eſt Syllogiſmus, hic Nodus Indiſſolubilis Patris de Alva. O Nodum Indiſſolubilem! quia nec Nodus eſt, Syllogiſmus aliquis non dico, ut indiſſolubilis; ſed ut Nodus ſit, non poteſt conſtare niſi tribus terminis; nec in concluſione poteſt poni aliquis terminus, qui non fuerit in præmiſſis. Ad hæc qualis eſt ſupra-poſitus ſyllogiſmus tuus Lector Jubilate? Cùm enim ſit hic ipſe in ſubſtantia, ſed brevioribus terminis : Omne privilegium quod attribuitur alicui Sanctorum, debet attribui Divę Virgini: atqui Divo Thomæ attribuitur immunitas mentis: ergò Divæ Virgini debetur immunitas ventris. Argumentum eſt à diſparatis, & in quatuor terminis; quia prædicatum concluſionis immunitas ventris, nullibi fuit in præmiſſis. Scias proindè quòd ſyllogiſmus tuus iſte non ſit : abſit quòd eſſet indiſſolubilis. Et in eo tamen velut in cardine voluitur totus liber tuus : in quo nil agis niſi hujuſmodi facere conſequentias, & argumentari à conceptu mentis ad conceptum ventris. Quod ſi verum ſit, ſicut eſt, nec omnes quindecim Nodi tui vel unicum Nodum conficient; ſed ſcopæ ſunt merè diſſolutæ. Vide proindè quo jure librum tuum* Nodum Indiſſolubilem *vocaveris : profectò non niſi jure præſumpto. Putaſti concludere dum ſcopas concervaſti. Nec te excuſaveris quaſi ſolùm argumentatus à ſimili, aut à pari : dum enim in forma & figura ſyllogiſmi Sancti Thomæ ſyllogiſmum tuum fabricari te dixiſti; ſicut ille, ita & tu ex vi conſequentiæ argumentari debuiſſes & inferre : Ergò & Divæ Virgini attribui debet immunitas mentis.*

In primis laudo prudentem aſtutiam extrahendi iſta in lucem nomi-

nomine alicujus Philoſophiæ Profeſſoris; ſed ego conſulerem, & præſtarem, ut eſſet ſub nomine alicujus Laici, ne diceremus quòd in tam famosâ, graviſſimâ, doctiſſimâque Theologorum familia ſolùm, Profeſſores Philoſophiæ eſſent ignari. Lector ille Jubilatus, & à vobis ſuggilatus, ſcit, quid ſit argumentum, & quòd debeat conſtare tribus ſolùm terminis, & non quatuor, ſcilicet, Majori, Minori, & conſequentiâ, quodq; in concluſione non poſſit poni aliquis terminus, qui non fuerit in præmiſſis: omnia iſta à multis annis didicit, & docuit ille Lector Jubilatus Minor. Sed quod deſiderat ſcire à Profeſſore iſto Philoſophiæ Majore, qui docet rudimenta ſummularum Lectoribus Jubilatis Minoribus: dicat nobis, quot Funiculos debeat habere Nodus? Vel quot Funiculos habeat ille Nodus Gordius? Si hoc diceret Pater iſte Profeſſor Philoſophiæ proculdubio rem mirabilem enodaſſet, & Lector Jubilatus ore aperto audiret & diſceret; ſed de argumento ad quid? Pater Profeſſor pulſatum eſt ad ſcholam, quia liber iſte non vocatur, nec agit de argumentis, ſed de Nodis.

Si Pater iſte Profeſſor, & ejus condiſcipuli legiſſent ſuperiùs poſitam admonitionem ad Lectorem de Nodo Gordio, ibi relinqueret ſarcinam ſui argumenti, & aſſumeret alteram Nodi. Fateor, quòd in argumento fundetur Nodus, ſeu clariùs Nodus deducatur ex argumento. An fundamentum diſtinguatur à relatione, præmiſſæ à concluſione, cauſa ab effectu, &c. poſſet Profeſſor Philoſophiæ judicare, ſed ut video non de Nodis, quia Nodus ut in plurimùm habet colores, cœcus, &c. Dicam tamen aliquid breviſſimè de argumento Profeſſoris Philoſophiæ, ac de Nodo Lectoris Jubilati.

Ex argumento regulato ad normam argumenti Angelici Doctoris, ſic inquit noſter Profeſſor Philoſophiæ: cùm enim ſit hic ipſe in ſubſtantia, ſed brevioribus terminis: *Omne privilegium quod attribuitur alicui Sanctorum, debet attribui Divæ Virgini: atqui Divo Thomæ attribuitur immunitas mentis: ergò Divæ Virgini debetur immunitas ventris. Argumentum eſt à diſparatis, & in quatuor terminis; quia prædicatum concluſionis, immunitas ventris, nulli bi fuit in præmiſſis.* Hoc modo ſcoparunt argumentum Profeſſores Philoſophiæ;

ſed

Digitized by Google

ſed jam videbitur quales ſcopæ ſint Philoſophia iſta pro argumentis Theologicis.

Argumentum noſtrum, ut ſæpè repetitur in introductione, eſt hoc: *Omne privilegium quod attribuitur alicui Sanctorum, debet attribui Divæ Virgini.* quoad majorem, ſeu primam præmiſſam concordes ſunt Profeſſores ſcopantes, & Jubilati ſcopati; ſed non ſic quoad minorem: nam Lectores Jubilati ſic illam formarunt: *Sed S. Thomas habuit privilegium, ut numquam erraret in ſuis conceptibus, ſed ſemper eſſent puri, Immaculati, ſine aliqua macula, & nævo;* hæc fuit ſecunda præmiſſa, ex quibus deducta fuit hæc conſequentia: *Ergò hoc etiam privilegium debuit habere Sacratiſſima Virgo* MARIA. Argumentum eſt in forma Syllogiſtica, nec habet quatuor terminos. Sed ad minorem poteſt reſponderi ſic: Sanctus Thomas habuit privilegium, quòd ſui conceptus ſemper eſſent puri, & numquàm maculati, conceptus mentis concedo, ſed non conceptus ventris. In conſequentia autem variatur appellatio, quia à conceptu mentis Sancti Thomæ argumentatur ad conceptum ventris Beatæ Virginis. Domini Profeſſores Philoſophiæ, hoc eſt argumentum Theologicum, & veſtra ſolutio, & ex argumento noſtro, & ſolutione veſtra compaginamus Nodos ſic; & attendite.

In iſtis univerſalibus S. Scripturæ, *Omnis homo mendax: Omnia concluſit Scriptura ſub peccato: Omnia concluſit Deus ſub incredulitate: Omnes erraverunt, & locuti ſunt falſa;* & alijs ſimilibus, invenitis vos exceptionem pro conceptu mentis veſtri Angelici Doctoris ab errore: & in eiſdem numero univerſalibus vultis includère, & comprehenditis de facto Dei Matrem cum peccato. Iſtum Nodum debetis ſolvere. Sed ſolvitis dicendo, quòd in illis univerſalibus loquatur Scriptura de errore peccati, & non de errore doctrinæ. Patres mei, hoc *dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*: undè ego dico: *Abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

Item ex meo argumento, & veſtra ſolutione, reſultat alius Nodus. Quæritur an in natura humana deſcendente ab Adam potuerit eſſe aliqua pura creatura, quæ ſemper fuerit pura, & numquàm

quàm maculata à primo inſtanti ſui eſſe? Dicit veſtra opinio quòd talis creatura non potuerit eſſe, & in hoc perſtitiſtis per quadringentos annos, & ſimul dicitis, quòd doctrina Thomiſtica genita ab objecto & potentia in intellectu Angelici Doctoris ſemper fuerit pura, numquàm maculata; ſemper Sancta, numquàm cum aliquo defectu aut errore. Et ecce Nodus ex parte mea, Indiſſolubilis ex parte veſtra; quia ſi datur conceptus mentis in natura humana poſt infectionem Adami, qui à primo inſtanti ſui eſſe fuerit purus ac mundiſſimus pro veſtro Angelico Doctore; quare dicitis hoc eſſe impoſſibile pro conceptu ventris Sacratiſſimæ Dei Matris? Hic eſt Nodus ex conceptu mentis, & conceptu ventris fabricatus, ſolutionem iſtius, & aliorum ſimilium in toto hoc libro contentorum exſpectamus; ſed ubi recurſus veſter futurus eſſet ad libros, recurritis ad ſcopas: de quibus & veſtris improperijs nihil curo, nam ſi iſte liber ſit ſcopa Belgica, vel ſcopeta Hiſpanica, non judicabunt Profeſſores Philoſophiæ; ſed Lectores actuales legentes illum, vel Lectores Jubilati ab omni paſſione, & protervia, &c. quibus iſtam dirigimus præfationem.

Digitized by Google

Nomina Auctorum in hoc Libello contentorum.

A

Brahamus Bzovius.
Adam Anglicus.
Adam Dei Patientia.
Adam à Sancto Victore.
Ægidius de Campis.
Ægidius Romanus.
Alanus Boëtius.
Albertus de Brixia.
Albertus Caſtellanus.
Albertus Caſtrenſis.
Albertus Dumius.
Albertus Magnus.
Albertus Orlamide.
Alexander Alenſis.
Alexander Hiultetus.
Alphonſus.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Fernandez.
Alphonſus Giron.
Amadæus Salius.
Sanctus Ambroſius.
Ambroſiani.
Ambroſius Catharinus.
Ambroſius Pennaloſa.
Ameyſicus de Campo.
Andreas Boucardo.
Andreas à Buadalupe.
Andreas Houtereau.
Andreas Comppeſtein.
Andreas Mendo.
Andreas Piranellus.
Andreas Saiouſayus.
Andreas Sauſaius.
Angelicus à S.Franciſco.
Annibaldus Annibalenſis.
Annibaldus Atrebatenſis.
Annibaldus Carmelita.
Annibaldus Dominicanus.
Anonymus Anglicus.
Anonymus Ordin.Prædicatorum.
Anonymus Pampilonenſis.
Anonymus tempore Sixti.
Sanctus Anſelmus.
Anſelmus de Valle.
Sanctus Antoninus.
Sanctus Antonius.
Antonius Calderon.
Antonius del Caſtillo.
Antonius de Corduba.
Antonius Davé.
Antonius Fornerius.
Antonius de Fueites Diota.
Antonius Hennegan.
Antonius Lampanus.
Antonius Lucinus.
Antonius de Lupian.
Antonius de Mocharijs.
S.Antonius Paduanus.
Antonius Pizamanus.
Antonius Poſſevinus.
Antonius Rivera.
Antonius Roſende.
Antonius Sanderus.
Antonius Senenſis.
Antonius Venetus.
Antonius de Waitte.
Appollinaris.
N. Arauxo.
Ardencus Papienſis.
Ariſtoteles.
Aubertus Miræus.
Auctor Cronodromi P. Benedictinus.
Auctor geſtorum Clementis VIII.
Sanctus Auguſtinus.
Auguſtinus Natalis.
Auguſtinus Hunnæus.
Auguſtinus Wichmans.
Aymericus de Barriq.

B

Balthaſar Arias.
Balthaſar Moſcoſo de Roſaz & Sandoval.
Bartholomæus d'Aſtroy.
Bartholomæus Carnetenſis.
Bartholomæus de Luca.
Bartholomæus de Spina.
Bartholomæus de Serrarijs.
Sanctus Baſilius.
Baſilius Pontius.
Bawagan.
Beda.
Benedictinus incognitus.
Benedictus Gognonus.
Benedictus Laterna.
Bernardinus de Aiala.
Bernardinus de Buſtis.
Bernardinus Rodriguez.
S. Bernardinus Senenſis.
S.Bernardus.
Bernardus de Parentinis.
Bernardus Perſan.
Bertrandus Loth.
Bideles.
Binarius.
Blaſius à Caſtro.
Bochellus.
Boëtius.
S.Bonaventura.
Boulæus.
N. Brun.

C

Cajetanus.
Capredus.
Carolus Maguien.
Carolus Monthral.
N. Caſtillo.
Chriſtianus Maſſæus.
Chriſtophorus Brignones.
Chriſtophorus de Saves.
Chriſtophorus de Vegni.
Chryſoſtomus Favellus.
Claudius Doreſmieux.
Claudius Dauſquius.
Claudius Spinæus.
Compilat.Analyt. doctrin.

Con-

Continuator Bandelli.
Cornel. Janſenius Yprenſis.
Coſmas Morelles.
Concilia: Chalcedonenſe IV
Conſtantinopolitanum.
Epheſinum III.
Lateranenſe.
Nicænum I.
Romanum.
Tridentinum.

D

Damianus Ord. Prædicatorum.
David Romæus.
Decanus Lovanienſis.
Dermitius Thadæus.
D.Bolboa de Mogrolejo.
Didacus Alphonſus de Malvenda.
Didacus Alvarez.
Didacus de Payva.
Didacus de Fonte.
Didacus de la Lueña.
Didac. Nuño de Cavezuda.
Didacus Xarava.
Didac. Zanchez porto Carrero.
Didacus Deza.
Didacus de Echaburu.
Diſdaſcalus Anonymus.
Sanctus Dionyſius.
Dionyſius Carthuſianus.
Dionyſius Faber.
Dionyſius Villerij.
Doctores Salmanticenſes.
Doctor Vellnga.
Sanctus Dominicus.
Dominicus Bolanus.
Dominicus Caſerta.
Dominicus Epiſcopus.
Dominicus Dodi.
Dominicus Gravina.
Dominicus à Soto.
Dominicus Pimentel.
Dominicus à S.Thereſia.
Durmius de Catharo.
Durandus de S.Pontiano.

E

S. Eleutherius.
S. Eliſæus.
S. Ephrem.
S. Ephiphanius.
Epiſcopus Ruedontenſis.
Eſau Patriarcha.
Eſcabiar Gallus.
Eugenius Albertus.
Euſebius Nierembergius.
Euthymius.

F

Fabianus Vircovius.
Ferdinandus de Gevara Adorno.
Ferdinandus del Caſtillo.
Ferdinandus Quirnos de Salazar.
Ferdinandus de la Vergera.
Firmianus.
Fourre.
S. Franciſcus.
Franciſcus de Ameyngo.
Franciſcus de Albrun.
Franciſcus à S.Clara.
Franciſcus bonæ Spei.
Franciſcus Creſpo.
Franciſcus de la Cruz.
Franciſcus de la Cueva.
Franciſcus Deuwerders.
Franciſcus Garzia.
Franciſcus Guera.
Franciſcus Giral.
Franciſcus de Hales.
Franciſcus Hondeghem.
Franciſcus Hyacinthus.
Franciſcus Lezana.
Franciſcus de Luna.
Franciſcus Maria Piſtorien.
Franciſcus Martini.
Franciſcus Mayronius.
Franciſcus Mendoza.
Franciſcus de Ocava.
Franciſcus de Salinas.
Franciſcus Serrarienſis.
Franciſcus Sylvius.
Franciſcus Soſſa.
Franciſcus de Vergas.
Franciſcus Suarez.
S.Fulgentius.

G

Gabriel Barlette.
Gabriel Biel.
Gabriel Borangels Unzueta
Gabriel Nadæus.
Gabriel Vaſquez.
Galeranus de Pendre.
Galfridus Ballalant.
Galfridus de S. Martino.
Georgius de Frickenhauſen.
Gerardus d'Herdegom.
Gerardus de Monte.
Gerardus de Oltem.
Gerardus Rondellus.
Geſticulat. in die S.Thomæ
Gilbertus de Fornaco.
Gothfridus de Fontibus.
Gonſalvus Durantus.
Gratia Dei Eſculanus.
Gregorius N.
Gregorius Lopez Madera.
Gregorius Lupar.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Neocæſarien.
S. Gregorius Nyſſenus.
Gregorius Santilan.
Guilielmus Altiſiodorenſis.
Guilielmus Carnificis.
Guilielmus Ebrotenſis.
Guilielmus Eſtius.
Guilielmus Gannaro.
Guilielmus de Goupil.
Guilielmus Herinx.
Guilielmus Jordanus.
Guilielmus Jordini.
Guilielmus Neribrigenſis.
Guilielmus Ockam.
Guilielmus Pariſienſis.
Guilielmus Viennenſis.
Gundiſalvus de Arriaga.
Gyraldus Minorita.
Gyrandus Renerius.

H

Helſinus Abbas.
Henricus Baltefeinus.
Henricus de Buzman.
Henricus Caldenhaven.
Henricus de Gandavo.
Henricus Gorrichem.
Henricus Herunt.
Henricus d'Orſe.
Henricus Quentellus.
Henriquez.
Hermannus N.
Hernæus de Landa.
Sanctus Hieronymus.
Hieronymiſiani.
Hieronymus de Logana.
Hieronymus de Ormachea Guerrero.
Hieronymus Vielmus.
S. Hilarius.
Hugo de Argentina.
Hugo Beſuntio.
Hugo Seſelinus.
Hugo Triſer.
Hugo de Sancto Victore.
Humbertus incognitus.
Humbertus Ord. Prædicat.
Humbertus de Romanis.
Hyacinthus Apalegius.
Hyppolitus Maraccius.
Hyppolitus Maria Benaria Monte-regali.
Hyppolitus de Olivares.

Hæretici.

Abbatus Oxonienſis.
Agricola Zuratius.
Andreas Rivetius.
Antonius Corvinus.
Antonius Thyſius.
Antonius Walæus.
Arius.
Auguſtus Varenius.
N. Beuſt.
N. Bugenhagius.
Centuriatores.
David Caillet.
David Parcus.
Franciſcus Gomara.
Guilielmus Roſingius.
Hermannus Springelius.
Hericius Rhonel.
Hieronymus Welter.
Jacobus Lindemannus.
Jacobus Sankius.
Joannes Calvinus.
Joannes Gerardi Jenenſis.
Joannes Georgius Dorſch.
Joannes Henric. Ottingeus.
Joannes Polyandrus.
Joannes Wigandus.
Lambertus de Rijck.
Marcus Anton. de Dominis.
Martinus Kemnitius.
Martinus Lutherus.
Mathias Illyricus.
N. Montacutius.
Mornæus.
Nicolaus Bideli.
Pelagius.
Rodulphus Hoſpinianus.
Sabellius.
N. Sarcerinus.
Thomas James.
Tilmannus Heshuiſius.
N. Witak

I

Jacob Patriarcha.
Jacobus Atrebas.
Jacobus de S. Carolo.
Jacobus Chriſtopolitanus.
Jacobus de Clauſa.
Jacobus de Hoſſa vel Oſa.
Jacobus Ianienſis.
Jacobus Layvez.
Jacobus Perez de Valentia.
Jacobus de Riddere.
Ignatius Galvan.
S. Ignatius Loyola.
S. Ildephonſus.
Ildephonſus Byron.
Ildephonſus Vaſquez.
Joachim.
Joannes Adæ.
Joannes Alanus.
Joannes Aleamius.
Joannes Amadæus.
Joannes Andreas.
Joannes Antonius d'Aubermont.
Joannes Antonius.
Joannes Anton. Velaſquez.
Joannes Arboreus.
Joannes Barcovius.
Joannes Baptiſta Ignatius.
Joannes Baptiſta Fulgoſius.
Joannes Baptiſta Maſculus.
Joannes Baptiſta Poza.
Joannes de Baſilæa.
Joannes de Beckenhaud.
Joannes Bolandus.
Joannes Brizius.
Joannes Bromiardus.
Joannes de Bruxella.
Joannes Bunderus.
Joannes Carthagena.
Joannes de Camponanes & Oſorio.
B. Joannes de Capiſtrano.
Joannes Capreolus.
Joannes Caillon.
S. Joannes Chryſoſtomus.
Joannes Croocius.
Joannes David.
Joannes Dominic. de Montagniolo.
Joannes Duns Scotus.
Joannes Erneſt.
Joannes Erneſt de Surlet.
Joannes de Faur.
Joannes Flaminius.
Joannes Gallus Burgenſis.
Joannes Gerardi Minorita.
Joannes Gerſon.
Joannes de Guinicurte.
Joannes de la Haye.
Joannes de Ianua.
Joannes à Ieſu-Maria.
Joannes Ioſephus Bouſſantellus.
Joannes Iudocus Vivaldus.
Joannes Launoy.

Joan-

Joannes Lopez.
Joannes Ludov. Schonleben
Joannes Ludovicus à Monte-Regali.
Joannes de Lugo.
Joannes Maldonatus.
Joannes Mandeville.
Joannes à S. Maria.
Joannes Martelius.
Joannes Martinez de Prado.
Joannes de Mata.
Joannes de Meppis.
Joannes Merinero.
Joannes Michael Pius.
Joannes de Montenigro.
Joannes de Monteſono.
Joannes Munieſa.
Joannes à Neapoli.
Joannes Nicolai.
Joannes de Nova-villa.
Joannes Paulus Nazarius.
Joannes Paulus Oliva.
Ioannes Perrano.
Ioannes Perlin.
Ioannes Petit.
Ioannes Poliaco.
Ioannes de Pont.
Ioannes de Quiros.
Ioannes de Rada.
Ioannes Rigaldus.
Ioannes Roberti.
Ioannes Rodriguez de Rivera.
Ioannes Ruinkel de Hallis.
Ioannes Savetier.
Ioannes de Segovia.
Ioannes Sleran.
Ioannes Thomæ.
Ioannes à S. Thoma.
Ioannes de Turrecremata.
Ioannes Veri.
Ioannes Vitalis.
Ioannes de Zabiena.
Ioſephus Quarvizo.
Ioſephus Vaſquez.
Ioſephus Ximenez.
S. Iſidorus.
Iſidorus Deſolanis.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Iudocus Badius Aſcenſius.

L

Lambertus de Monte.
Laurentius Iuſtinianus.
Laurentius Surius.
Leodegarius Soyer.
Leonardus de Nogarôlis.
Lucas Antonius.
Lucas Waddingus.
Ludovicus Alvarez.
Ludovicus Bivaldus.
Ludovicus Bloſius.
Ludovicus Bertrandus.
Ludovicus Creſpi à Borja.
Ludovicus Iacobus à Sancto Carolo.
Ludovicus de Paraciellos.
Ludovicus de Pirano.

M

Marcus Antonius Flamin.
Mari-Anna de Jeſu.
Martanellus.
Martinez de Loca.
Martinus Corneius.
Martinus Viana.
Martyrologium Romanum.
Matthias Hazeur.
Matthias Turinator.
Mauritius Pariſienſis.
Medino.
Melchior Canus.
N. Merſmans.
Michaël Angelus de Sambuca.
Michaël d'Avella.
Michaël Bayus.
Michaël Coſmas Febrer.
Michaël Gutierrez.
Michaël Hoyerus.
Michaël Mauſolo de Parma.
Michaël Pius.
Michaël Ybaner de Segovia.
Moerbetius.

N

Nicrologium Pariſienſe.
Nicolaus Albanus,
Nicolaus à S. Albano.
Nicolaus Cicovius.
Nicolaus Eymericus.
Nicolaus Granerius.
Nicolaus Janſenius.
Nicolaus de la Igleſia.
Nicolaus Methoficars.
Nicolaus Nigidus.
Nicolaus Zaillopîet.
Nimæreus.
Nitela Franciſcana.
Le Normand.
Notitioſus Complutenſis.

O

Odorde Senonis.
Odericus Raynandus.
Oecumenius.
Officium Eccleſiaſticum.
Origenes.

P

Papias.
Paludanus.
Paulus de Barry.
Paulus Caſtrutius.
Paulus Gryſaldus.
Paulus Jovius.
Paulus Zonzinas.
Payus de Rivera.
Pelbartus à Themeſwar.
Peruzzinus.
Petrus Abeilardus.
Petrus de Alva & Aſtorga.
Petrus Alla in villa.
Petrus de Aliaco.
Petrus Aluernates.
Petrus de Andria.
Petrus de Aruernia.
Petrus Aureolus.
Petrus de Bergamo.
Petrus Bringerius.
Petrus Cantor.
Petrus de Caſtrobol.

Petrus

Digitized by Google

Petrus Cellenſis.
Petrus Clercq.
Petrus Comeſtor.
Petrus de Flagello.
Petrus Lombardus.
Petrus de S. Maria.
Petrus Muytinez.
Petrus de Natalibus.
Petrus Niger.
Petrus Ojeda.
Petrus d'Orgemont.
Petrus Pellican.
Petrus Perea.
Petrus Porzovius.
Petrus Poſſevinus.
Petrus Robina.
Petrus Roche.
Petrus Rogerius.
Petrus Sigler de Umbria.
Petrus de Simancas.
Petrus de Sobrevilla.
Petrus Soave.
Petrus Schemenſis.
Petrus de Tarantaſia.
Petrus à Valle clauſa.
Petrus de Vinceutia.
Petrus de Urbino.
Petrus de Vrieſe.
Phares.
Philippus Buovol.
Philippus de la Crux.
Philippus Labbe.
Philippus Salarge.
Pintus Ranurez.
Plodius.
Pontius Carbonellus.
Primaſius.
Proculus.
S. Proſper.
Proſper Reſta.

Pontifices.

Petrus Apoſtolus. Leo Magnus ſeu I. Gelaſius I. Innocentius III. Innocentius IV. Innocentius V. Ioann. XII. Clemens VI. Innocent. VI. Urbanus V. Urbanus VI. Innocentius VII. Nicolaus V. Sixtus IV. Innocent. VIII. Alexander VI. Pius III. Iulius II. Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Iulius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius V. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Urban. VII. Gregorius XIV. Innocent. X. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X. ALEXANDER VII.

R

Raphaël de Pornaſio.
Raymundus Procurat. Ord. Minorum.
Reginaldus.
Reginaldus Cavanao.
Remigius Florentinus.
Richardus à S. Laurentio.
Richardus Magiſter S. Pal.
Richardus Maria.
Richardus Smithæus.
Richardus de S. Victore.
Robertus Bellarminus.
Robertus Kiluardbi.
Robertus Licheto.
Romanus à S. Philippo.
Rupertus.

S

Samuel de Caſſinis.
Scotus.
Sebaſtianus Brant.
Seraphinus Caponi.
Serrarius.
Servatius Lanielz.
Severinus Polonus.
Soldanus Babiloniæ.
Souſinas.
Sixtus Senenſis.
Stephanus de Boutier.
Stephanus de Nova-villa.
Stephanus Perez.
Stephanus Sampaio.
Stephanus de Seuſis.
Suarius.
Silveſter Mazolinus.
Silveſter de Pierio.

T

Tamajus de Salazar.
Tananus.
Thales Mileſius.
Tertullianus.
S. Theodoretus.
Theodoricus de Silveſtren.
Theophilus Cremonenſis.
Theophilus Raynaudus.
Timotheus Veronenſis.
Thomas Anglicus.
S. Thomas de Aquino.
Thomas Argentina.
Thom. Gagliardo de Gerate
Thomas Leonardi.
Thomas Iorſius.
Thomas Nerius.
Thomas Suetonia.
Thomas Truxillo.
Thomas Turcus.
Thomas Valſingamus.
Thomas Villar.
S. Thomas à Villa-nova.
Thomas de Vio Cjetanus.

V

Vincentivs Bandellus.
Vincentius Belluacenſis.
Vincentius Burgenſis.
Vincentius Dodi.
Vincentius Giachorus.
Vincentius Harlemius.
Vincentius Lirinenſis.
Vincentius Inſtinianus.
Vincentius Ferrerius.
Ulricus de Argentina.
Univerſitas Lovanienſis.
Univerſitas Pariſienſis.
Univerſitas Salmanticenſis.

W

Wigandus Cauponus.

X

Xantes Mariales.

OPE-

Digitized by Google

OPERIS
INTRODUCTIO
NODI
INDISSOLUBILIS.

MULtifariàm, multiſque modis olìm Deus loquens per aliquos, & antiquos Scriptores, manifeſtavit mundo adventum ſuæ Sacratiſſimæ Matris Mariæ, quando in generatione, & mira ſua Conceptione in utero B. Annæ nata fuit ex ſemine David ſecundùm carnem, & à Deo ſecundùm animam; primum ejus egreſſum fuiſſe rectum & Immaculatum, utpotè virgam ex radice Jeſſe, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit; ſanctum extitiſſe, mundum, purum, & ab omni prorsùs macula alienum; quia Divinâ gratiâ præveniente ab omni Adæ contagio in ſui animæ infuſione expers fuerat, & immunis. Sed myſterium hoc, quia abſconditum ab oculis mortalium, utpotè dependens à ſola Dei voluntate, potentiâ, & amore, uſque modò non ab omnibus Catholicis reci-

Digitized by Google

pitur. Etenim aliqui, & in dilecto populo Dei ex præſtantioribus, adhuc non ſolùm dubitant, ſed negant, & contradicunt; atque receptæ hujus veritatis in univerſali Eccleſia Dei unanimem conſenſum aperto Marte impugnant.

Aliqui verò Defenſores piæ ſententiæ Immunitatem iſtam & Præſervationem à peccato originali conati ſunt demonſtrare, & perſuadere populis ex aliquibus ſacræ Scripturæ novi ac veteris Teſtamenti locis. Sed cùm iſta ſit latiſſimus campus, & tot habeat vias diſcurrendi, quot ſenſus, gloſſæ, & interpretationes in ea reperiuntur; & portæ ad eam ingrediendum, & egrediendum inveniantur duodecim, juxta numerum illarum Civitatis ſanctæ Hieruſalem: dum quilibet miles armatus loricâ, & thorace, lanceâ, & gladio, aliquibus auctoritatibus (ut ſunt illæ: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, &c.* Geneſ. 3. verſic. 15. Vel illa: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cantic. 4. verſic. 7. Aut altera: *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, &c.* Luc. 1. v. 28.) incedit per portam orientalem Conceptionis; Oppugnator recurrit ad occidentalem Aſſumptionis, vel ad meridionalem Incarnationis. Et ſi ab iſtis rationis vi expellitur, caſtrametatur ad ſuam aquilonarem Sanctificationis. Quarè triumphus in hac parte Scripturæ ſa-

Digitized by Google

ſacræ, utpotè in materiâ difficili, & ab humanis oculis remotâ, remanet ſemper in oſtio, & numquàm clara, apertaque victoria reportari poteſt de hoſte.

Ideò alij relictâ Scripturâ, veritatem iſtam Immunitatis ſacratiſſimæ Virginis MARIÆ nituntur probare ex libris ac ſcriptis Sanctorum Doctorum, & antiquorum Eccleſiæ Patrum. Sed cùm eorum tempore non eſſet in horologio Eccleſiæ ſignata Feſtivitas Conceptionis; numquàm manum impoſuerunt, vel digito demonſtrarunt clarè, & expreſsè primam horam illius diei; ſed univerſaliter, & in communi tantummodò indigitarunt aliquas favorabiles locutiones: ut eſt illa Auguſtini in libro de Natura & gratia: *Excepta Virgine* MARIA, *de qua propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, nullam volo habere quæſtionem.* Et illa Anſelmi de Conceptu Virginali: *Sed quia decebat, ut illius hominis Conceptio de Matre puriſſimâ fieret: Nempè decens erat, ut eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, &c.* Vel altera S. Hieronymi Pſal. 77. circa medium, ubi ſic inquit: *Ecce Dominus venit in Ægyptum in nube levi. Nubem levem aut propriè Salvatoris corpus debemus accipere, quia leve fuit, & nullo peccato gravatum eſt. Aut certè nubem levem debemus S.* MARIAM *accipere, nullo ſemine humano prægravatam. Ecce Dominus venit in Ægyptum ſæculi iſtius quaſi nubem levem Virginem, & deduxit eos in nube diei: nubes enim illa non fuit in tenebris;*

Digitized by Google

ſed ſemper in luce. Impugnatores avertunt has & alias à primo inſtanti, & puncto Conceptionis paſſivæ ad Conceptionem activam. Undè enumerando aliqui Italicè primam horam ad mane; & alij Hiſpanicè vel Gallicè ad veſperam, factus eſt mane, & veſpere dies unus: & cùm ab iſto non excludatur occaſus, tenebra, & nox; horam Præſervationis reducunt ad horam Sanctificationis: nec illam fuiſſe horam primam pro noſtra pia ſententia, ſed morulam ſecundam pro ſua tenaci opinione conſtantiſſimè proclamant.

Propter hanc confuſionem evitandam, aliqui relictis ſacrâ Scripturâ,& SS.Patrum teſtimonijs tranſierunt ad rationum argumenta. At quando ipſi exiſtimant ſe habere ſyllogiſmum diſpoſitum in forma & figura: ut eſt ille: Quidquid Eccleſia colit, & præcipit celebrare in Divinis officijs, eſt ſanctum, purum, & Immaculatum; ſed Eccleſia colit & præcepit celebrare in officio & Miſſa myſterium Conceptionis: ergò illud fuit, & eſt ſanctum, purum, & Immaculatum. Vel ille: Omnes gratias, prærogativas, atque privilegia, quæ Sapientia increata novit, vel Divinus intellectus ab æterno judicavit eſſe poſſibilia, & non repugnare, immò eſſe juſtum, ſanctum, congruum, melius & perfectius pro honore, gloria, decore, pulchritudine, atque decentia ſuæ Genitricis Virginis Ma-

MARIÆ; omnia voluntate efficaci voluit ipſi communicare, & omnipotentiâ ſuâ infinitâ de facto, ac cum effectu contulit; ſed Divinus intellectus ſuâ æternâ ſapientiâ cognovit eſſe poſſibile, congruum, melius, honeſtius, ac perfectius pro honore, gloria, decore, pulchritudine, & decentia ſuæ Genitricis, ut à primo inſtanti ſuæ Conceptionis, & animationis in utero careret maculâ, peccato, & defectu, ut ſemper eſſet & diceretur pura, candida, Immaculata, plena gratiâ, &c. Igitur hoc voluntate æternâ & efficaci voluit dare, atque omnipotentiâ ſuâ infinitâ Matri ſuæ MARIÆ de facto contulit. Ad hæc, inquam, & ſimilia argumenta reſpondent Defenſores opinionis contrariæ: aliqui, quòd peccet major: alij verò quòd claudicet in minori, & conſequentia ſemper ſequatur debiliorem partem. Et occurrendo diſtinctionibus, quantumcumque pulchra, nitida, & efficacia ſint argumenta (ut ſunt omnia illa ab Hugone Sefelino in ſua Corolla Virginea facta pro Virginis Conceptione) ſemper in actu primo negatur minor; & de gratia tantùm conceditur in actu ſecundo. Admittunt ſolùm ſenſum diviſum, quia numquàm volunt pervenire ad ſenſum compoſitum. Condemnant materiam primam, & nolunt admittere formam puram. Et ſic licet in nulla ratione inveniant ſolutionem juris; in omnibus tamen reperiunt reſolutionem facti. Et inter

nego, concedo, & diſtinguo; Virginis Dei Matris puritas eſt, quæ negatur; peccatum originale conceditur, & in veritate pro puritate nihil manet diſtinctum.

Ideò tandem aliqui, omittendo Scripturam ſacram, ſanctos Patres, rationes & argumenta, recurrunt ad auctoritatum congeriem, adducendo Auctores pro pia ſententia in numero magno, & multitudine copioſa. Sed cùm iſti non ſint ex ordine & familia Prædicatorum, intra clauſtra Religionis Dominicanæ, quorum doctrinam tantummodò recipiunt & ſequuntur; reliquos ut irregulares Auctores, nullam apud ipſos fidem habentes, & extra ſuum Ordinem loquentes, totaliter rejiciunt, vel dicendo abſolutè eſſe falſos, fictos, & ſuppoſitos; vel ſi admittunt Auctores addunt ipſorum libros, ſententias, & verba fuiſſe vitiata, adulterata, addita, & diminuta. Et ſi aliquando recipiunt Auctores, & auctoritates, contemnunt ipſorum rationes & argumenta; aſſerentes eſſe pias quaſdam conjecturas, congruentias frivolas, ſine ſolida ſcientia aut veritate fabricatas; ſed in quadam apparenti, indiſcreta tamen, ac vulgari devotione fundatas. Vel denique affirmant, ut quidam Notitioſus P. Complutenſis modò ſcribebat, Auctores modernos nihil de novo dicere in hac materia; ſed omnes tranſcribere ab antiquis; quique cùm iſti jam ſint antiquati, & à ſuis

ſuis profligati, antequam ipſos legant, relêgant. Et ſic uſque modò manet controverſia præſens de principio in ſuo principio.

Omnia ſuperiùs dicta ſic eſſe ut manent relata, breviter ac facillimo negotio comprobatur, non ex antiquorum & aliàs tritis teſtimonijs, ſed ex iſtius noviſſimi Scriptoris Ordinis Prædicatorum citatâ auctoritate ſic dicentis cap. 1. ſuarum Notitiarum §.4. *Multa de libro iſto*, id eſt, SOLE VERITATIS, *ad aures meas non ſine animi dolore devenerant, & adhuc legere non decreveram: quia longâ experientiâ didici, quòd triginta ab hinc annis ferè omnes libri (qui, ſicut arena quæ eſt in littore maris, multiplicantur) qui de controverſia iſta imprimuntur, idem repetunt; & impletur illud: muta ſtylum, & facies librum; & uno perlecto eſt idem ac ſi omnes legerentur: ſiquidem nec ullam rationem, aut auctoritatem de novo adducunt.* Hucuſque Notitioſus iſte Pater in Univerſitate Complutenſi primarius Profeſſor, qui edidit aliquos libros Morales, & Scholaſticos, & eſt ex præcipuis Magiſtris ſuæ Religionis, cujus juſſu contrà SOLEM VERITATIS in arenam deſcendebat. Et poſt longam experientiam, (quæ indagandæ veritatis ultima & infallibilis eſt regula) protulit hanc diffinitivam ſententiam, ſcilicet, quòd libri impreſſi à triginta annis in controverſia Conceptionis pro pia ſententia omnes ſint, ſicut arena quæ eſt in littore maris, multiplicati ex

ſola

ſola ſtyli mutatione; eſſeque multiplicare gentem, ſed ſine lætitia: quia omnes idem repetunt; unoque perlecto, eſt idem ac ſi omnes legerentur: ſiquidem nec unam rationem aut auctoritatem de novo adducunt. Perpendat doctus ſingula hæc verba, quia continent rariſſimam notitiam. Cùm igitur per triginta annos nulla inventa fuerit de novo ratio Theologica, aut Scripturæ, vel Sanctorum Patrum auctoritas à ſcribentibus pro pia ſententia; ſed omnes libri tranſcripti ſint unus ab alio, ut iſte peritiſſimus homo longâ experientiâ didicit; & ille noſter VERITATIS SOL ex ſolo auditu tantum talemque generaverit in eo animi dolorem, & ex viſu tantas pepererit mœroris querelas, ululatus, & lachrymas; neceſſe erit quærere alias rationes, Scripturas, Patres, & auctoritates, quæ auditæ, viſæ, & tactæ admittantur ut novæ, & non generent animi dolorem, ſed cordis lætitiam, gaudium, & tripudium.

Res equidem mirabilis, immò incredibilis videbitur hujus Notitioſi ſcriptoris verba audientibus; quòd à primo Decreto Summi Pontificis Pauli V. expedito anno 1617. vel à ſecundo Gregorij XV. promulgato anno 1622. à quibus ferventiori curſu, conatu, ac propenſione, ut decantarent Dei Genitricis Immaculatam Conceptionem, cœperint Auctores libros integros ſcribere pro ipſius defenſione, ex omni tribu, lin-

Digitized by Google

linguâ, & natione, quæ ſub cœlo Eccleſiæ Catholicæ eſt, non tantùm ſicut arenam, quæ eſt in littore maris; ſed quantùm ſtellas cœli, quæ in perpetuas fulgebunt æternitates. Ut ſunt illa noſtri ſæculi luminaria magna D.D. Antonius Calderon quondàm Magiſter Principiſſæ Hiſpaniarum, qui tandèm obijt electus Archiepiſcopus Granatenſis. D.D. Ludovicus Creſpi à Borja Epiſcopus Placentinus, & Legatus extraordinarius ad Romanam Curiam pro causâ Immaculatæ Conceptionis, ac tàm fœlici eventu, ut viſum eſt, in ſuo contra Arpalegum repetito propugnaculo. D.D. Franciſcus Guerra Ordinis Minorum Epiſcopus etiam Placentinus, qui obijt Ambaſiator pro hac eadem causâ Conceptionis, in ſuis duobus ingentibus tomis de Majeſtate gratiarum Deiparæ. Illuſtriſsimus D. Joannes Merinero quondàm Generalis Ordinis Minorum, & nunc Epiſcopus Valliſoletanus, in ſuo Libello per modum Epiſtolæ ad Catholicum Regem noſtrum Philippum IV. D.D. Petrus de Perea Ordinis ſancti Auguſtini, & Epiſcopus Ariquipenſis in Regno Peruano. D. Payus de Rivera etiam Epiſcopus in Indijs, & ejuſdem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. D. Joannes Serrano Epiſcopus Azernenſis Ordinis Minorum, ac tandèm D.D. Franciſcus de la Cruz S.P.N. Dominici, & Epiſcopus ſanctæ Marthæ. Gregorius de la Peñuela. Ex Religioſis Ordinibus: Reverendiſsimus P. Bene-

dictus de la Serna Generalis Ordinis S. Benedicti. R.P. Franciſcus Creſpo Abbas Montiſſerrati. R.P. Nicolaus de la Igleſia Viſitator Generalis Ordinis Carthuſienſium. R. P. Philippus de la Cruz Ordinis S. Baſilij. R.P. Magiſter Gabriel de Morales. R.P. Didacus Lopez de Andrada. R. P. Petrus de Simancas in duobus Opuſculis, & R. Petrus de S. Maria ejuſdem Religionis Eremitarum. R. P. Joannes à Jeſu Maria Carmelita excalceatus. Ex Societate Jeſu ſcripſerunt ſequentes: Venerabilis P. Joannes Euſebius Nierembergius. Doctiſsimus P. Joannes Antonius Velazquez. P. Ambroſius de Peñaloſa. P. Pintus Ramirez. P. Joannes Perlin. P. Ferdinandus Quirinos de Salazar. R. P. Theophilus Raynandus in ſubſcripta pietate Lugdunenſium. P. Andreas Mendo. P. Joſephus Guarnizo. P. Petrus Poſsinus. P. Nicolaus Cicovius. P. Andreas Pianellus. P. Didacus Alphonſus de Malvenda, & Amedeus Salius. Ex Clericis Minoribus: R. P. & numquàm ſatis laudandus Hippolytus Marraccius, & P. Antonius Roſende. Ex Sœcularibus: Anſelmus del Valle. Chriſtophorus Brignones. Hieronymus de Ormachea Guerrero. Didacus de la Cueva. Didacus Sanchez Portocarrero. Ferdinando de Vergara Cavezas. Franciſcus de Luna. D. Eſcabiac Gallus. Joannes Amadeus Rota. Antonius de Fuertes Viota. Franciſcus de la Cueva, & Sylva.

Ga-

Digitized by Google

Gabriel Bocangel Unzueta. Gregorius Lopez Madera. Gregorius Lupar. Joannes à S. Maria. Hippolytus de Olivares. Ludovicus de Paracuellos. Hugo Sifilinus. Michael Ybanez de Segovia. Didacus Xarava. Denique ex Ordine Fratrum Minorum P. Petrus Sigler de Umbria. P. Franciſcus Hondeghem. P. Joannes de Quiros. R. P. Franciſcus à Sancta Clara. Thomas Gagliardo de Geraze. R.P. Franciſcus Maria Piſtoia; & unus P. Gallus Avinionenſis, qui ſcripſit in 4. Gallicè, cujus nomen modò mihi non occurrit. P. Petrus de Alva cùm alijs Armamentarium Seraphicum; expoſitionem litteralem in Canticum Magnificat, & SOLEM VERITATIS, contra quem exorta eſt hæc Notitioſi Patris tempeſtas. Cujus notitiæ, & continua lectio in Libris de Conceptione ita eſt aſſidua, continua, & univerſalis, ut longâ experientiâ didicerit (neque in prænumeratis Auctoribus, qui integros Libros ſcripſerunt, neque in alijs ſine numero, qui ediderunt Conciones, Quæſtiones, & Panegyricas laudes, de quibus latè in noſtra Militia) vel unicam inveniri rationem, vel auctoritatem novam. Hoc dicunt, hoc ſcribunt, &ità nudè affirmant, & aſſeverantèr hodiè repetunt, ac credunt; ut ab ipſiſmet cogamur pro hujus Myſterij illuſtratione relinquere arenam tritam, ac veterem, quæ eſt in littore maris, & dirigere proram ad inveſtigandam terram novam in

novo Orbe, cœlum novum, atque novam auroram Orientem ex novo Eccleſiæ Sole; cùm circa rationes & auctoritates nullus à triginta annis potuerit dicere: *Ecce nova facio omnia;* immò nec aliquid habeamus, quia nova non ſunt, & vetera reputantur quaſi non eſſent.

Deſiderans igitur, ut ad ultimum, & expectatum finem perveniat hæc undique à tot ſæculis exagitata quæſtio, & antiqua controverſia; poſt diuturnam, maturam, continuam meditationem, & juge ſtudium, placuit benignitati Divinæ manifeſtare hanc novam, planam, ſecuram, facilem, compendioſam, & irrefragabilem viam, ad probandum clarè, patentèr, evidentèr, atque ad hominem, Dei Matris MARIÆ puriſsimam, ac Immaculatam Conceptionem ex hoc indiſſolubili Nodo. In quo relictis omnibus ſuperiùs relatis evaſionibus, anfractibus, & tergiverſationibus, ſaltem ut in iſto regni cæleſtis theſauro, inter tot vetera, inveniatur aliquid novi; pro Scriptura ſacra Canonicâ, in novo & veteri Teſtamento à Spiritu ſancto dictata, uſurpabimus nobis tantummodò aliam, Scripturam novam Angelicam; opera, videlicet, libros proprios vel adſcriptos S. Thomæ Aquinati. Pro Sanctis Doctoribus, & Eccleſiæ præcipuis Patribus, præcisè ſectabimur Doctores, & Scriptores novos ac modernos Dominicanæ familiæ. Pro argumentis denique, auctoritatibus, rationibus, inſtantijs, atque con-

congruentijs, aſſumemus tantùm elogia, encomia, privilegia, dicta, ſcripta, & publicata non mutato ſtylo, ſed novo de mirifica doctrina, ſapientia, eruditione, & ſcientia ſui Angelici Præceptoris: atque excellentias, & laudes illas per totum terrarum orbem ſeminatas, receptas, acclamatas, ſparſaſque non per arenam, quæ eſt in littore maris; ſed rutilantes in libris, concionibus, immò Breviarijs, & Officijs Eccleſiaſticis, in particulari à ſingulis, & in communi à tota Religione mirificè decantatas: ſeu (ut uno verbo hîc omnia infrà dicenda comprehendantur) relinquendo patrocinia externa hucuſque communia omnibus Auctoribus ſuprà relatis ex ſacræ Scripturæ latitudine, Sanctorum Patrum devotione, vagâ argumentorum ac rationum confuſione, & auctoritatum ancipiti imbecillitate, præ nimia ſenectute propemodûm nutantia; ſolùm revolvemus ſcripturas publicas, libros communes, argumenta ſolida, rationes evidentes, atque totaliter concludentes repertas in auctoribus Dominicanis, nova ſemper & ubique rara, & inaudita Scribentibus de, & ex profunda, & non ſatìs laudata doctrina ſua Thomiſtica.

Incipiendo igitùr cum ipſa ab univerſalioribus principijs: Conceptio ut ſic ſecundùm totam ſuam latitudinem dividitur primò, & per ſe, univocè, & adæquatè in Conceptionem mentis, & Conceptionem ventris; undè

dè communiter dicitur : *Concipit homo mente, mulier verò concipit alvo.* Secundò, eodem modo dividitur Conceptio in creatam, & in increatam. Tertiò dividitur in naturalem, & ſupernaturalem. Quartò dividitur in puram, & impuram ; & in hac diviſione omnes conſentiunt Theologi, atque Philoſophi. De quibus loquitur latè Gerſon in Centilogio de conceptibus exiſtente part.3. ſuorum operum, ubi inter alia in 1. partitione docens quomodo ſolus intellectus concipiat non autem voluntas, proſequitur ſic : *Quæ ſpiratio non æquè propriè vel uſitatè Conceptio nominatur, nec aliquo modo generatio dici debet, ſed ſpiratio. Conceptus entis in univerſali rerum utero, ſicut & amor incitans ad concipiendum multiplex invenitur ; Divinus, Angelicus, rationalis, animalis, vitalis, & purè naturalis. Conceptus entis relatus ad primum concipientem Deum ſemper eſt bonus, pulcher, nobilis, & generoſus, nec aliter eſſe poteſt. Secùs ſi fiat relatio ad creaturas quæ concipiunt, & concipiuntur, præſertim ſi rationes ſint & liberæ : Conceptus enim peccatorum ſunt ignobiles, degeneres, & ſpurij, ſeu baſtardi, &c.* Et infrà : *Conceptus in omni creatura reperibiles reperiuntur in homine, qui propterea dicitur omnis creatura, vel minor mundus. Hæ ſunt Conceptiones intellectualis, ſcilicet, rationis, animalis, vitalis, & purè naturalis, &c.* Et ſuper ſingulas diſcurrit latiſsimè. Et quoad Conceptionem mentis, ſeu ventris, increatam & ſupernaturalem, prima Sanctiſsimæ Trinitatis perſona Pater, concipiendo mente

te Eſſentiam infinitam, ſive Naturam ſuam æternam, immenſam, &c. gignit Filium ſuum primogenitum Verbum Divinum, juxta illud Pſalmi 109. verſ. 4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te*, & illud Iſaiæ cap. 66. verſ. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero? ait Dominus Deus tuus.* Et quòd hæc æterna mentis Conceptio, ac Divina Paterni uteri generatio tàm activè, quàm paſsivè fuerit pura, ſancta, Immaculata, ab omni prorsùs errore, defectu, & macula aliena, utpotè concipientis, & concepti: generantis, & geniti (ut dicunt Eccleſia & Fides: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*) eſt omnibus Chriſticolis per ſe notum. Alia fuit etiam Divina & ſupernaturalis Conceptio ventris: quando, ſcilicet, in plenitudine temporis ſacratiſsima Virgo MARIA virtute Spiritûs Sancti fœcundata, concepit in utero, & genuit primogenitum, ac unigenitum ſuum Redemptorem noſtrum, & Dominum JESUM CHRISTUM, verum Deum & hominem, juxtà illud Iſaiæ cap. 7. verſ. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et Lucæ cap. 1. verſ. 30. *Ne timeas* MARIA, *inveniſti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus* JESUM, *&c.* Et hanc Conceptionem

tam

tam activè, quàm paſsivè etiam fuiſſe puram, ſanctam, Immaculatam, ab omni fœditate, peccato, & macula immunem, omnes Catholici uno ore, & Fide profitentur atque prædicant. Undè de his duabus Conceptionibus mentis, & ventris, utpotè Divinis, & ſupernaturalibus, ac totalitèr extra noſtrum aſſumptum, nihil in hoc Opuſculo occurret dicendum.

Aliæ ſunt Conceptiones merè communes, finitæ, limitatæ, & naturales. Conceptio mentis eſt illa, quâ homo ex objecto, & potentia concipit, & generat notitiam, ſeu verbum mentale. Conceptio autem ventris eſt illa, quâ ex patre gignitur, & ex matre concipitur proles, ſeu filius. Iſta ſunt principia per ſe nota, quibus nutriuntur parvuli in ſcholis: an autem inter iſtas duas Conceptiones mentis, & ventris merè humanas, totalitèr creatas, naturales, finitas, & limitatas, ligatas, ſcilicet, funiculis Adam, fuerit aliqua Conceptio pura, Immaculata, immunis ab omni defectu, errore, ſorde, peccato, maculâ, & culpâ, &c. Hoc opus, hic labor: quia à quingentis annis & ampliùs inter majores, & minores Theologos, & magna, & maxima fuit excitata controverſia, hucuſque nondùm deciſa. Aliqui ex majoribus dicunt, nullam fuiſſe in rerum natura perſonam merè humanam deſcendentem ab Adam viâ naturali, quæ habuerit ſuas Conceptiones ventris ſine peccato, & maculâ. Benè tamen, inquiunt, fuit aliqua perſona hu-

humana, quæ habuit ſuos Conceptus mentis, licet fuerit filius Adæ ſine errore & defectu. Alij autem Theologi minores vice verſâ affirmant nullam fuiſſe perſonam propagatam ab Adam, quæ ſuos habuerit Conceptus ventris, ac mentis ſine aliquo errore, aut defectu. Benè tamen addunt, hanc regulam generalem habuiſſe tantummodò unicam exceptionem, id eſt, fuiſſe aliquam perſonam humanam, quæ in ſuo Conceptu ventris & mentis fuerit ſine ulla culpa, & macula, errore aut defectu, &c. Iſti ergò duo Conceptus mentis, & ventris funiculi ſunt, quibus ligatus, & occultus hucuſque manſit unus, & indiſſolubilis Nodus in communi, & plures in particulari. Sed utinàm, ſicut in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis recipiantur ab ipſis.

Reducendo ſpeculationem iſtam ad practicam: Auctores Ordinis Prædicatorum communitèr, & ut in plurimùm (nam particularitèr non pauci alitèr ſentiunt) tenent, docent, ac defendunt nullam fuiſſe, nec eſſe Conceptionem ventris alicujus meræ creaturæ humanæ prorsùs ſanctam, Immaculatam, ab omni contagione peccati expertem; ſed omnes, nullâ exceptâ, eſſe maculatas, atque infectas originali illâ culpâ proveniente ab Adamo, & primâ hominis prævaricatione: & hoc tenendum eſſe ſecundùm ſacræ Scripturæ regulam dicentem: *Omnes in Adam peccave-*

 runt.

runt. Omnes nos quaſi oves erravimus. Omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa. Omnes declinaverunt. Omnes inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum; & multas alias de quibus paſsim in textu ſacro, & Sanctorum Patrum ſcriptis frequentiſsimè mentio fit. Et ſic conformiter ad hanc univerſalem Fidei Catholicæ, & ſacræ Scripturæ regulam, cum nullo fuiſſe umquàm diſpenſatum. Undè conſequenter dicunt, & affirmant; quòd Sacratiſsima Virgo MARIA Regina Angelorum, ac Dei Mater, licet prima fuerit, & ſit inter omnes puras creaturas, numquàm tamen reperiatur exempta ab iſta ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum univerſali regula. Siquidem in Civitate Nazareth genita de domo Jacob, & Regia ſtirpe David, à Sanctiſsimo Patre Joachim, & concepta in utero B. Annæ, Nativitas ejus gaudium annunciaverit univerſo mundo, utpotè electa & prædeſtinata ab æterno, ut eſſet Mater Sapientiæ, & ex ea ortus ſit Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui ſolvens maledictionem, dedit nobis benedictionem, &c. Tamen Conceptio ejus in ventre fuit maculata, & peccato originali coinquinata, maledicta, & filia iræ, ſicut omnes alij deſcendentes ab Adam; & ſic permanſit, inquiunt, per aliquas, vel aliquam morulam, quouſque à Spiritu ſancto purgata ab illo contagio, mundata ab illa infectione, ſupernaturali gratiâ in ſecundo, tertio, vel

quar-

Digitized by Google

quarto inſtanti ſanctificata fuit. Hoc eſt in ſumma, quod communitèr docent, & conſtanter defendunt de Conceptione ventris, & funiculo generationis ab Adam deſcendente.

Attamen de Conceptione mentis longè aliter docet, & prædicat eadem ſchola Thomiſtica. Nam dicunt illius Doctores, & eâdem firmitate defendunt: quòd, licet omnes homines erraverint ab utero: locuti fuerint falſa: & omnis homo ſit mendax, &c. iſtæ, & aliæ univerſales ſacræ Scripturæ Regulæ, ac locutiones communes unicam admittant, debeant habere, & de facto habeant exceptionem. Nam cùm in Civitate Pariſienſi, & in domo Jacobitarum, de præclara Prædicatorum familia, & in viſcerum præcordijs ſanctiſſimæ Religionis Dominicanæ, fuiſſet nutritus S. Thomas de Aquino, ut eſſet Doctor Eccleſiæ, ex quo orietur Sol ſapientiæ creatæ, quæ illuminaret omnem intellectum humanum, abſcondita illuſtraret, ac diſsiparet ignorantiæ tenebras, &c. omnes ſuæ mentis Conceptus tàm activè, quàm paſsivè, formaliter, & objectivè in actu primo, & ſecundo, atque totaliter fuiſſe ſanctos, puros, Immaculatos, ab omni errore, ac defectu magno vel parvo prorsùs immunes; & ſic ſolùm iſtum eximium Eccleſiæ Doctorem unicè, ac ſingulariter fuiſſe exemptum ab illa univerſali regula, *omnis homo mendax: omnes declinaverunt, &c.* in qua omnes alij Eccleſię Docto-

 res,

res, nullo excepto, lapſi ſunt & ceciderunt, conſtanter affirmant. Sic ſentiunt Scriptores Ordinis Prędicatorum paſsim de conceptu mentis, ſeu doctrinâ conceptâ ſui Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, ut infrà ſuis locis diſcurrendo per ſingula videbimus in particulari. Et in hoc etiam ſiſtit & conſiſtit Nodus iſte noſter indiſſolubilis, & præſentis laboris ultimus finis & ſcopus. Si enim Scripturæ ſupra-poſitæ, & regula unica præſcripta à ſanctis Patribus ſit generalis nullius habens excluſionem; nec illam admittant pro omnibus & ſingulis filiis Adæ, & puris creaturis humanis, quarum conceptus æqualiter dividitur in conceptionem mentis & ventris: quomodò, qualitèr, vel undè pro Conceptione ventris Sacratiſsimæ Dei Matris MARIÆ in ſchola, & doctrina Thomiſtica nulla invenitur exceptio, & eadem reperitur pro Conceptu eximij Eccleſiæ Doctoris S. Thomæ? Eſtnè Nodus iſte diſſolubilis? Puella fuit Mariana puritas, Concepta in ventre Sanctæ Annæ, activè & paſsivè, formaliter & objectivè prorſùs maculata ſecundùm ipſos: Puella etiam fuit doctrina Thomiſtica Concepta in mente S. Thomæ; ſed iſta prorsùs Immaculata activè & paſſivè, formaliter & objectivè. Conceptus ventris, licet Matris Dei, fuit immundus; & Conceptus mentis, quia Angelici Doctoris, fuit mundiſsimus. Eſtnè diſſolubilis Nodus iſte? Si non obſtantibus generalibus regulis Scripturæ, &

San-

Sanctorum Patrum interpretationibus, dicitur de doctrina Thomiſtica in ejus ſchola, quòd ab illius prima generatione, creatione, ortu, nativitate, & Conceptione, in mente S. Thomæ fuerit tota ſancta, pura, prorſùs illibata, immaculata, & ſine erroris umbra, vel defectu: quomodò in eadem ſchola Thomiſtica dicunt, docent, & affirmant, principium, generationem, creationem, animationem, ſeu Conceptionem in ventre, & puritatem Marianam fuiſſe pollutam, maculatam, infectam, ſpurcatam, ſordidam, cum lapſu, & errore? In unà, eademque lite, & lege S. Thomas, quia Angelicus Doctor, & ex Ordine Prædicatorum, invenit exemptionis ampliſsimum privilegium: quando Sacratiſsima Virgo MARIA Dei Mater, ac Angelorum Regina in eademmet cauſa, lite, & ſententia nullum apud ipſos potuit invenire nec obtinere exemptionis privilegium. Nodum iſtum proponimus: cujus ſolutionem quærimus ab Alexandro Maximo, quem tandem vel ſolvet, vel ſcindet; ſed gratias Deo quòd in hac ſecunda impreſsione poſsimus dicere, quòd ceperit eum ſcindere, ut ſolvat tandem totaliter.

Sed antequàm prima ingrediaris limina, quærens quod tibi placeat, vel offendens quod aliquibus diſpliceat, obſervandum eſt: hanc noſtram ideam non tantùm in ipſamet Angelica doctrina, ſcientia, & ſapientia S. Thomæ objectivè fundatam eſſe; verùm etiam for-

maliter ex ejus argumentandi modo in individua Conceptionis materia à nobis extractam fuiſſe. Loquens enim in tertio Sententiarum diſt. 3. quæſt. 1. artic. 1. & quærens: utrùm B. Virgo fuerit antè ſanctificata in utero, quàm Conceptio ejus finiretur; in reſolutione ad tertiam quæſtiunculam ſic inquit: *Ad tertiam quæſtionem dicendum: quòd B. Virgo ante Nativitatem ex utero ſanctificata fuit: quòd colligi poteſt ex hoc, quòd ipſa ſuper omnes alios Sanctos à peccato purior fuit (ut ex littera habetur) veluti Divinæ Sapientiæ Mater electa; in quam nihil coinquinatum incurrit, ut dicitur Sapientiæ 7. Vndè, cùm hæc puritas in quibuſdam fuiſſe inveniatur, ut ante nativitatem ex utero à peccato mundarentur, ſicut de Ioanne Baptiſta, de quo legitur Lucæ 1. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ: & de Hieremia, de quo dicitur Hieremiæ 1. Priuſquàm exires de ventre ſanctificavi te: non eſt dubitandum hoc multò excellentiùs Matri Dei collatum fuiſſe.* Nota quomodò ſecundùm Angelicum Doctorem omnis puritas alijs Sanctis conceſſa, excellentiùs fuerit Matri Dei collata. Et in ſecundo reſcripto ſententiarum ad Annibaldum, quærens: utrùm Virgo MARIA fuerit ſanctificata in utero, reſolvit affirmativè, rationem reddens ſic: *Quia hoc alijs Sanctis eſt collatum, & ideò Matri Sapientiæ decuit hoc conferri, in quam nihil inquinatum incurrit, ut dicitur Sapientiæ 7.* Obſerva etiam illud ab Angelico Doctore repetitum elogium, quo vocat MARIAM Matrem Sapientiæ, loquendo de ejus San-

Sanctificatione in utero: quia nulla puritas debet eſſe in ſapientia creata, quę ſecundùm decentiam non reperiatur in Matre Sapientiæ increatæ. Tertiò, præcipuè & clariùs loquitur tertiâ parte quæſt. 17. artic. 1. quærens: utrùm B. Virgo Mater Dei fuerit ſanctificata ante Nativitatem ex utero; cujus concluſio eſt: *Reſpondeo dicendum: quòd de Sanctificatione B.* MARIÆ, *quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in ſcriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de ejus Nativitate mentionem facit. Sic tamen Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione ipſius Virginis rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſit aſſumpta in cælum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero. Rationabiliter enim creditur, quòd illa, quæ genuit Unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs majora privilegia gratiæ acceperit. Undè (ut legitur Lucæ 1.) Angelus ei dixit: Ave gratiâ plena. Invenimus autem quibuſdam alijs hoc privilegium eſſe conceſſum, ut in utero ſanctificarentur: ſicut Hieremiæ, cui dictum eſt Hieremiæ 1. Antequàm exires de vulva ſanctificavi te: & ſicut Ioanni Baptiſtæ, de quo dictum eſt Lucæ 1. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. Undè rationabiliter creditur, quòd B. Virgo ſanctificata fuerit antequàm ex utero naſceretur.* Ad compendium redacta hæc reſolutio S. Thomæ talis eſt: MARIA fuit gratiâ plena: ergò omne privilegium gratiæ repertum in alijs Sanctis ipsâ inferioribus, ipſi rationabiliter, ac de jure debemus concedere.

Inter

Digitized by Google

Inter omnes relatas auctoritates S. Thomæ eſt prima ac præcipua illa, quæ habetur in eâdem 3. parte, quæſt. 27. artic. 4. *Vtrùm per ejuſmodi Sanctificationem fuerit conſecuta, ut numquàm peccaret.* Ubi ſic inquit Angelicus Doctor in propria reſolutione: *Reſpondeo dicendum, quòd illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & diſponit, ut ad id, ad quòd eliguntur, inveniantur idonei: ſecundùm illud 2. ad Cor. 3. Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti. B. autem Virgo fuit electa divinitùs, ut eſſet Mater Dei, & ideò non eſt dubitandum, quin Deus per ſuam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit: ſecundùm quod Angelus ad eam dixit: Inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies, &c. Non autem fuiſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando. Tum quia honor parentum redundat in prolem: ſecundùm illud Proverb. 17. Gloria filiorum patres eorum; undè & per oppoſitum, ignominia Matris ad Filium redundaſſet. Tum etiam, quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. Corin. 6. Quæ conventio Chriſti ad Belial? Tum etiam quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei Sapientia, in ipſa habitavit, non ſolùm in anima, ſed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Et ideò ſimpliciter fatendum eſt, quòd B. Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale; ut ſic in ea impleatur, quòd dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, &c.* In hac ergò aliqua ſunt notanda pro infrà dicendis in diſcurſu operis; & primùm eſt, Virginem

nem

Digitized by Google

nem Mariam fuiſſe electam ut unicam, non ſolùm à ſuo conceptu ventris paſsivo, ut eſſet Mater Dei Concipiendo activè Verbum Divinum, ſed ab æterno; Sanctum autem Thomam fuiſſe electum, etiam ab æternitate, ut ſuo conceptu mentis eſſet non unicus Doctor Eccleſiæ, ſed cum alijs multis, quintus inter latinos,& nonus,numerando quatuor Gręcos:ſuperareque non quomodocumque, ſed infinito intervallo, fuiſſe Matrem Dei, & totius Militantis ac Triumphantis Eccleſiæ Reginam; quàm quintum, vel nonum Doctorem Eccleſiæ Militantis.

Secundum eſt,Virginem MARIAM factam fuiſſe idoneam Matrem Dei, per gratiam ſibi collatam & inventam, juxtà illud dictum Angeli; & S.Thomam factum fuiſſe idoneum Doctorem Eccleſiæ abſque eo, quòd inveniret prædictam gratiam, de quâ Angelus. Sed jam dubium eſt quænam fuerit illa gratia inventa à Maria? Non gratia Incarnationis: quia, quando Angelus dixerat iſta verba, non fuerat facta Incarnatio Verbi,immò per illam gratiam inventam apud Deum, meruit fieri Mater Verbi, ut inquit S. Thomas. Ergò cùm loquatur textus de gratia habituali, quæ gratam, & amabilem facit perſonam, indagandum erit, quando invenit illam gratiam? Si dicerent Patres Dominicani, quòd hanc inveniſſet in primo inſtanti ſuæ animationis ante quàm fuiſſet maculata peccato, liber iſte non pro-

diſſet in lucem, ſed cùm dicant, ac defendant, & in hoc uſque modò perſeverent hanc gratiam fuiſſe inventam in ſecundo inſtanti, quando fuit à culpa, & macula poſſeſſa, neceſſe erit ultrà tranſire.

Tertiò, notandum eſt illud dictum Sancti Thomæ: *Non autem eſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando*: & ſimul interroga ab ejus Diſcipulis: an Angelicus Doctor eſſet idoneus Doctor Eccleſiæ, ſi erraſſet aliquando? Et videbis infrà, qualiter reſpondeant, eſſe plus quàm blaſphemum dicere, aut excogitare S. Thomam erraſſe aliquando, ſive id foret in Theologicis, ſive etiam in Philoſophicis. Quomodò igitur Virgo MARIA fuit idonea Mater Dei peccando aliquando? Nullam aliam diſparitatem ſeu rationem aſsignant, niſi quòd peccaverit aliquando originaliter, ex voluntate non ſuâ; ſed primi parentis, non propriâ voluntate: nam ſi hæc interveniſſet peccato vel actuali, vel mortali, vel veniali, non eſſet condigna, ſeu idonea Mater Dei: ergò etiam S. Thomas potuit errare aliquando, non voluntate propriâ, ſed alienâ, ſcilicet, originaliter, quia Sanctorum Patrum originalia erant corrupta vel vitiata. Omnia quæ ipſe ſcripſit, tranſcripſit à Sanctis Patribus, ita ut nec litteram de novo addiderit (quia penitùs abhorruit novitates, ut ipſi dicunt) ergò potuit errare ſine propria voluntate in Patribus antiquis, præcipuè cùm ipſi affirment omnes, nullo dempto, erraſſe. Reſpondent

dent quòd nec hoc modo erraverit, nec errare potuerit Angelicus Doctor. Et ecce Nodus numquàm, ut credo, ſolvendus, de quo loquemur in toto hoc libro.

Quartum eſt: Si Virgo MARIA peccaſſet aliquando propriâ voluntate mortaliter, vel venialiter, non eſſet idonea Mater Dei. Secùs autem judicandum eſt de peccato originali: quia cùm hoc non fuiſſet propriâ voluntate patratum, ſtante adhuc illo peccato, potuit eſſe idonea Mater Dei, dum tamen ab illo fuiſſet in ſecundo inſtanti liberata, & purgata. Sed ſi non fuiſſet in illo ſecundo inſtanti ſanctificata, ſed poſt tria, vel unam horam, diem, vel ſeptimanam, menſem, aut annum, vel uſque ad illud punctum, in quo dixit ei Angelus, inveniſti gratiam, eſſetnè idonea Mater Dei? Si dicant adhuc ſic ſanctificatam, futuram fuiſſe idoneam Matrem Dei; ergò falluntur ipſimet dicentes fuiſſe ſanctificatam in utero Matris, & in ſecundo inſtanti ſuæ animationis, ut eſſet idonea Mater Dei: cùm jam hîc concedant futuram idoneam Matrem Dei, ſi perſeveraſſet in illa macula, vel peccato originali per unum annum & ampliùs. Si non eſſet idonea Mater Dei, niſi prçcisè ſanctificaretur in illo ſecundo inſtanti, quia ſi Deus expectaſſet uſque ad tertium, vel diſtuliſſet uſque ad quartum inſtans, jam non eſſet idonea Mater Dei; ergò à peccato unius inſtantis dependebat idoneitas Maternitatis Dei? Dominicani dicunt, ſi in

ſecundo inſtanti non ſanctificaretur, non eſſet idonea Mater Dei; Franciſcani verò è contrà ſi in primo inſtanti non ſanctificaretur, non eſſet idonea Mater Dei: & ſic inter opiniones ipſorum nihil mediat, niſi illa imperceptibilis pars temporis, quæ eſt inter duo inſtantia, primum & ſecundum. Si non eſſet ſanctificata ante tertium inſtans ſignatum à Dominicanis, redundaret ignominia illius peccati in prolem: & ſi non eſſet ſanctificata ante ſecundum inſtans ſignatum à Franciſcanis, quare non redundaret ignominia in prolem? Quæſivi hujus inter primum & ſecundum inſtans diſparitatis, diſcriminiſque rationem, & nullam invenire potui, niſi illam, quòd ſecundum inſtans ſit Thomiſticum: ſiquidem in eo ponunt ſuam Sanctificationem, ac in illo ſic volunt ſtringere Deum, & omnipotentiam ſuam, ut, ſi tunc pro illo indiviſibili inſtanti non ſanctificaret Virginem, nec Mater eſſet idonea, nec Filius careret ignominiâ. Et quod fatentur de ſecundo inſtanti, nolunt concedere primo, quia illud eſt inſtans Scotiſticum: & inter iſta dua inſtantia eſt magna differentia, quia ſunt alterius generis, & nobilitatis: nam primus quia Franciſcanus, licet ſit pro puritate Dei Matris, eſt noviſsimus, & ſecundus eſt primus, &c.

Quintum eſt illud: *In maleVolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Et hæc eſt clauſula, quæ pro nunc facit directè ad noſtrum inten-

tentum. Si ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei Sapientia, habitavit non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore Virginis MARIÆ (ut formaliſsimis verbis dicit Angelicus Doctor) meliori, puriori, ac excellentiori modo habitabit ſapientia creata in anima S.Thomæ, quàm increata in anima B.Virginis; quia in illo, nec per unum inſtans fuit excluſa aliquando per errorem; & ab iſta excluſa remanſit aliquando per peccatum: & concludunt Conceptui mentis S.Thomæ prærogativam, quam negant Conceptui mentis Beatiſsimæ Virginis MARIÆ: ac deſtruunt Diſcipuli in Magiſtro, quod in ſapientia ædificavit Magiſter pro Diſcipulis. In hoc conveniunt peccata originalia, & actualia, nam omnia maculant animam; ſed in hoc diſtinguuntur, quòd originalis maculæ ignominia ex natura ſua eſſentialiter & formaliter tranſeat in prolem, non ſic ignominia peccati actualis, mortalis vel venialis: & tamen tranſmutando eſſentias, peccatorum naturas, ac quidditates, affirmant quòd ſi Mater habuiſſet originale, cujus ignominia neceſſariò tranſit in prolem, ipſis poſitis in ſecundo inſtanti, cum ſua Sanctificatione non tranſiret. Et ſi eſſet ignominia quantumvis minima peccati actualis, licet eſſet ab illa ſanctificata, & tota cum tota Dei gratia à Sapientia Divina excogitabili, ignominia adhuc tranſiret in prolem: quia hoc decrevit, ac determinavit Angelica ſapientia D.Thomę.

Ex his Angelici Doctoris principijs ſeu reſolutionibus in materia poſitis, reductis ad formam & figuram ſyllogiſticam, hoc conficitur argumentum: Virgo MARIA Mater Sapientiæ, quia dignior, purior, ſanctior, atque excellentior omnibus alijs cujuſcumque claſsis ſint, debet habere & continere in ſe omnis ſanctitatis ſplendores, puritatis excellentias, virtutis prærogativas, atque gratias ſingulares, quæ conjunctìm, vel ſparsìm reperiuntur in aliquo ipſorum; ſed aliquibus Sanctis, ut Joanni Baptiſtæ & Hieremiæ fuit collata gratia illa ſingularis & ſpeciale privilegium, ut in utero matrum ſuarum ſanctificarentur: ergò etiam hæc gratia, prærogativa, & privilegium Sanctificationis in utero fuit Matri Sapientiæ conceſſum. Si hoc argumentum ter repetitum à S. Thoma ut rationabile & congruum, eſt efficax, & concludens (utì eſt; quia major eſt ex Scriptura, S. Patribus, & B. Thoma: minor ſimilitèr ex Scriptura, S. Patribus, & D. Thoma; conſequentia ab ipſo Angelico Doctore illata, eſt evidens, & concludens) Si hoc, inquam, argumentum valet poſitum à S. Thoma; hoc etiam noſtrum eodem modo erit concludens: quia in eadem materia, forma, figura, ac diſpoſitione ſyllogiſtica, immò etiam eiſdemmet verbis eſt diſpoſitum: Virgo MARIA Mater Sapientiæ, quià dignior, purior, ſanctior, atque excellentior omnibus alijs cujuſcumque claſsis ſint, debet habere & continere in ſe

om-

Digitized by Google

omnes ſanctitatis ſplendores, puritatis excellentias, virtutis prærogativas, atque gratias ſingulares, quæ conjunctìm, vel ſparsìm reperiuntur in aliquo ipſorum; Sed Angelico Doct ori Eccleſiæ S. Thomæ eſt conceſſum illud privilegium, gratia, prærogativa, & excellentia, ut ejus mentis conceptus, doctrina, ſapientia, ſcientia, opera, & ſcripta à primo principio uſque ad ultimum finem, omnibus modis, in verbis, ac ſententijs ſint illibata, ſancta, pura, ſemper libera à macula, numquàm ſubjecta errori, nec periculo errandi; & alia hujuſmodi, de quibus infrà ſuis locis: ergò iſta etiam debent convenire Matri Sapientiæ Virgini MARIÆ in ſuo Conceptu ventris. Argumentum hoc quoad majorem eſt idem cum antecedente facto à S. Thoma. Quoad minorem recipitur, & admittitur ab omnibus Doctoribus, & Scriptoribus Ordinis Prædicatorum: ita ut illam negare dicant eſſe piaculum, nefas, deteſtabilem invidiam, & ponere in cœlum os ſuum: circa quod audies mirabilia ex Patre Xantes Mariales, & alijs. Ergò quoad conſequentiam eſt concludens. Si ambo argumenta valent: igitur MARIA fuit immunis & præſervata à peccato originali: quia hoc nihil aliud eſt, quàm ſemper fuiſſe ſanctam, puram, & Immaculatam, numquàm ſubjectam errori, nec periculo errandi: ſunt enim ſynonima, & propoſitiones convertibiles, ac idem per idem. Si autem non valet

unum,

unum, nec alterum argumentum; ergò S. Thomas in reſolutionibus illarum trium quæſtionum lapſus eſt, erravit, & cecidit in ſuo Conceptu mentis. Et ſic totum quod de ipſius doctrina dictum & ſcriptum eſt à ſuis Diſcipulis, hoc uno ictu penitùs corruit, & totum ædificium manet ſubverſum: quia circa Conceptum ventris Marianum, Conceptus mentis Thomiſticus fuit à veritate devius & falſus, utpotè non ſe conformans cum objecto. Si deniq́ue valet primum & non ſecundum; hic noſter labor & opus evidenter verificatur, ſcilicet: quòd inter doctrinam S. Thomæ, & Conceptionem Virginis MARIÆ ſit Nodus indiſſolubilis; cùm Angelici Doctoris Conceptui mentis, ſapientiæ & doctrinæ tribuatur gratiæ privilegium, quod Conceptui ventris, puritati, & innocentię Matris Dei aufertur ut infrà, diſcurrendo per ſingula, demonſtrabitur.

Ordo & Scopus hujus Opuſculi, ut in titulo proponitur; eſt conferre Conceptum mentis, hoc eſt, doctrinam S. Thomæ, & quidquid de iſta à ſuis dicta ſunt Diſcipulis; cum Conceptu ventris & puritate Virginis MARIÆ in ſua animatione, ſub his tribus metaphoris, Cortice, Virgâ, & Nodo, juxta illam auctoritatem communem S. Ambroſij repertam in officijs Eccleſiaſticis: *Hæc eſt Virga, in qua nec Nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* In Cortice agimus de doctrina Sancti Thomæ; & ibi ad examen veritatis vocamus quidquid

quid ſcriptum, publicatum, & acclamatum in Auctoribus Dominicanis hucuſque reperitur; ſcilicet, de laudibus, excellentijs, prærogativis, gratijs, & privilegijs ipſi conceſsis, ſed præcipuè & principaliter de approbationibus, confirmationibus, & qualificationibus canonicis factis (ut ipſi dicunt) in cœlo à Chriſto Domino, B. Virgine MARIA, Sanctis Petro & Paulo Apoſtolis, atque B. Seraphico P. N. Franciſco: in terra verò à Summis Eccleſiæ Pontificibus, Joanne XXII. Urbano V. Innocentio Papa, Pio V. Clemente VIII. Paulo V. Stephano Epiſcopo Pariſienſi, Univerſitate Pariſienſi, ſtatuto, voto & juramento Salmanticenſis Academiæ; quibus omnibus adjunge Concilium Tridentinum, & officium Eccleſiaſticum; & quid circa hoc admiſſum, & receptum ab omnibus Thomiſtis; & quid defendatur tamquàm verum, firmum, indubitatum dogma Apoſtolicâ auctoritate confirmatum. Quæ omnia erunt tamquàm prima præmiſſa, major propoſitio, ſeu primus Funiculus, ex quo conficiemus argumentum ad hominem ex proprijs principijs conceſsis. Et fortè Cortex iſte ſic irrigatus gratiâ veritatis, germinabit Virgam novo jam modo ſine Nodo originalis culpæ in conſequentia.

In Virga autem proponemus quidquid de Virgine MARIA, prout fuit Virga orta ex radice Jeſſe, in ſua Immaculata Conceptione in utero, purâ animatione,

Digitized by Google

innocentia à culpa, & macula, atque immunitate à peccato originali, invenitur ſecundùm veritatem, & authentica teſtimonia in ipſiſmet locis, perſonis, & Summis Pontificibus adductis pro Conceptu mentis S. Thomæ. Ità ut ſine digreſsione ad alia (ſiſtendo in illiſmet principijs conceſsis pro Cortice, & approbatione doctrinæ Angelici Doctoris, ſub eodem parallelo, conformitate, & univocâ correſpondentiâ) inquiramus an eadem, quæ dicuntur de S. Thoma & doctrina ejus, dicta etiam ſint, vel dici poſsint de ſententia puritatis Virginis MARIÆ. Et hæc erit ſecunda præmiſſa, alter Funiculus, ſeu minor propoſitio, ex qua deducetur etiam in Nodo concluſio. Et jure optimo ex omni parte vocatur iſta minor; quia ſicut doctrina S. Thomæ eſt major pro Majoribus: ita defenſio Immaculatæ Conceptionis eſt pro Minoribus minor. Neque ex hoc minor; quia ſtamus in Regno cœlorum, in quo minor major eſt; & major ſerviet minori; quia major illa de approbationibus, ſeu elogijs doctrinæ S. Thomæ deſerviet Minori nunc argumentanti pro quadam conſequentia pura, nova, & Immaculata.

Nodus verò componetur ex Cortice, & Virga, ex doctrina, & ſententia. Ex his enim duabus, tamquàm ex præmiſsis, deducemus conſequentiam legitimam, neceſſariam, & infallibilem pro Virginis puritate. Verbi gratiâ, argumentum eſt hoc: Quidquid dicitur de

ſan-

Digitized by Google

ſancto Thoma, de ejus doctrina, operibus, & ſcriptis, mentis Conceptu, ſcientia, & ſapientia, &c. quoad puritatem, gratiam, prærogativas, atque privilegia; ſuperiori intervallo, ſine comparatione, & infinitâ majori diſtantiâ debet dici, & concedi de Sacratiſsimæ Virginis MARIÆ ventris Conceptu, puritate, immunitate, &c. Sed de S. Thoma, & doctrina ejus dicuntur, & conceduntur mirabilia magna: ergò iſta etiam dicenda, & concedenda ſunt de B. Dei Genitrice MARIA, ac ejus puritate. Dicant ad hoc argumentum in forma, & figura conſtitutum quidquid voluerint: Nam quâcumque propoſitione, ſeu præmiſsâ negatâ, vel ſolutione interpoſitâ, ſemper remanebit iſte Nodus Gordius undique indiſſolubilis: ergò de ſcientia, ſapientia, & doctrina S. Thomæ affirmatur, conceditur, & defenditur idipſum, quod de puritate, immunitate, atque innocentia Virginis Dei Matris MARIÆ negatur, impugnatur, & contradicitur. Vel vice versâ diſponendo ſic argumentum: Sanctus Thomas non eſt ſuperior, nec æqualis, ſed inferior Virgine MARIA in gratia, privilegijs & puritate: igitur in his non eſt concedendum aliquid Angelico Doctori, quod negetur, impugnetur, & contradicatur in Dei Matre. Si Nodus iſte eſt ſolvendus, aut ſcindendus, ſolùm judicare poteſt Alexander ille magnus, & Maximus, cui Dominus dedit poteſtatem in terra ligandi, atque ſolvendi, approbandi, vel repro-

 bandi

bandi doctrinas, & ſententias ad fidem Catholicam ſpectantes.

Undè reſolutio ultima hujus Opuſculi erit, demonſtrare nullam hucuſque fuiſſe in Eccleſia Dei, nec eſſe approbationem formalem primæ, ſecundæ, nec tertiæ claſsis recipientem aut qualificantem opera, doctrinam, & ſententias Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis, tamquàm purè Catholicas, omninò veras, aut neceſſariò infallibiles ſecundùm ſe totas, nec ſecundùm aliquam ipſarum partem: fuiſſe tamen & eſſe plures de ea prolatas laudes, prærogativas, excellentias, elogia, & encomia varia, quorum aliqua inveniuntur abſolutè falſa, alia dubia, & paucisſima vera. Omnia tamen indiſcriminatìm recipiemus, & admittemus, ac ſi eſſent verisſima, evidenti teſtimonio & irrefragabili demonſtrata: ut ex eiſdem probemus ſententiam piam dicentem & profitentem Virginem MARIAM fuiſſe immunem in ſua purisſima Conceptione à macula peccati originalis, eſſe æque Catholicam, veram, approbatam, receptam ab Eccleſia, certam, infallibilem ac evidentem; argumentando ex conceſsis, & à paritate rationis, & redarguendo ad hominem ex ſuppoſitis, & jam receptis ab Auctoribus Dominicanis, primis principijs pro doctrina S. Thomæ. Vel è contrà (quia hîc non eſt dare medium) eiſdem numero rationibus, quibus nituntur demonſtrare ſententiam Immaculatæ

Con-

Conceptionis non eſſe ab Eccleſia approbatam, ut puram & Immaculatam; ex ipſiſmet conſtabit mathematicè doctrinam S. Thomæ etiam non eſſe approbatam. Et in hoc medio poſiti, videant quo ſe vertere velint. Quia ſi doctrina Angelici Doctoris eſt approbata, ut Sancta & illibata: etiam ſententia immunitatis Dei Matris eodem modo approbata eſt. Vel ſi hæc eſt reprobata ab Eccleſia, ut polluta & immunda; illa ſimiliter reprobata erit. Hîc non metaphyſicis, aut logicis utimur argumentationibus, quibus ferè ſemper ſophiſticè occurritur diſtinctionibus imperceptibilibus; ſed ex comparatione ad invicem, utraque manu phyſicè & realiter paritèr laborando, oſtendemus Nodum, quem ex una parte ligant, quando ex alterâ properant ad ſolutionem. Sicut enim dexterâ plantarunt approbationem doctrinæ S. Thomę: ſic inſenſibilitèr etiam plantarunt approbationem ſententiæ Immaculatæ Conceptionis. Et ſi ſiniſtrâ avellitur ſententia, totalitèr avelletur etiam doctrina. Deniqué ſicut manu dexterâ ædificant pro ſua doctrina Angelica; ita eiſdem inſtrumentis & lapidibus quadratis ædificant approbationem Immaculatæ puritatis. Et è contrà: quiſquis conatur ſubvertere à fundamentis Marianam domum, auferendo ab ejus ædificio primum lapidem angularem gratiæ; eodem ictu ſublimem turrim Thomiſticam penitùs projiciet in terram. Et ſi alicui, ſicut novum &

 dif-

Digitized by Google

difficile, fortè appareat propoſitam hanc & aſſumptam provinciam eſſe impoſsibilem; Trullam cœmentarij habeat in manu, ingrediatur limina noſtri ædificij, pergat ad opus, & legat.

F U-

Digitized by Google

FUNICULUS I.

De approbatione doctrinarum, atque de approbationibus Angelicæ doctrinæ S. Thomæ Aquinatis in communi.

Et omnes Funiculi ejus non rumpentur.
Iſaiæ cap. 33. verſ. 20.

SUPPOSITIS illis in antecedenti Operis introductione relatis, & quod diximus de Nodo Gordio in quatuor funiculos diſtincto: ut baſes & prima fundamenta clariori faciliorique modo conſtituamus; ante particulares Nodos, ſub tribus Funiculis conſtituere decrevimus aliqua generalia principia, quæ in prima impreſſione fuerunt ſolùm ut obſervationes præmiſſa, ut Nodus poſteà ſit Funiculus quartus. Tres difficillimè rumpentur, & de quarto penitùs ignoro quomodò ſolvetur. In hoc ergò Funiculo agimus de approbatione doctrinarum; à quibus, quando, & qualiter fuerint factæ. Certiſſimum eſt ergò Sanctam Eccleſiam Catholicam Romanam tempore Gelaſij I. Papæ in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum habito Romæ, loquendo de libris recipiendis, vel non recipiendis in Eccleſia Catholica, ut habetur in Decreto parte 1. diſt. 15. ſub hoc titulo: *Quæ Concilia Sancta Romana Eccleſia ſuſcipiat*; hæc dicere: *Sancta Romana Eccleſia poſt illas veteris Teſtamenti*

Digitized by Google

menti & novi Scripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet. Sanctam Synodum Nicænam, &c. Et refert quatuor generalia Concilia recipienda, vel jam recepta in tota Eccleſia, & concludit ſic: *Et ſi quæ ſunt Concilia à Sanctis Patribus hactenùs inſtituta, poſt iſtorum quatuor auctoritatem; & cuſtodienda, & recipienda decernimus & mandamus.* In quâ primâ clauſulâ notanda ſunt illa verba: *Veteris & novi Teſtamenti ſcripturas, quas regulariter ſuſcipimus*: quia ſolam Sacram Scripturam regulariter, id eſt, univerſaliter & in communi recepit Eccleſia: Concilia autem generalia & œcumenica, atque alia (de quibus dicemus) *ſuſcipi non prohibet*. Sed poſt quatuor Conciliorum auctoritatem, decernit atque mandat alia Concilia eſſe recipienda; ſicque adhuc inter hæc, licet omnia ſint Canonica, eſt magis & minus: quia Concilia illa quatuor generalia utiliora, & præſtantiora ſunt alijs, de quo plura apud Canoniſtas.

Poſt determinationem iſtam, proſequitur ſic: *Jam nunc ſubjiciendum eſt de Opuſculis Sanctorum Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur. Opuſcula B. Cypriani Martyris, & Carthaginenſis Epiſcopi. Item Opuſcula B. Athanaſij Alexandrini Epiſcopi. Item Opuſcula B. Gregorij Nazianzeni Epiſcopi. Item Opuſcula B. Baſilij Cappadociæ Epiſcopi. Item Opuſcula B. Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi. Item Opuſcula Theophili Alexandrini Epiſcopi. Item Opuſcula B. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi. Item Opuſcula B. Hilarij Pictavienſis Epiſcopi. Item Opuſcula B. Ambroſij Mediolanenſis Epiſ. Item Opuſcula B. Auguſtini Hipponenſis Epiſ. Item Opuſcula B. Hieronymi Presbyteri. Item Opuſcula B. Proſperi viri religioſiſſimi. Item Epiſtola B. Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinata; cujus textum quiſpiam ſi uſque ad unum jota diſputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit.* Hucuſque de Opuſculis Sanctorum Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiebantur. In quo Catalogo diſcurrit Gelaſius, ſeu Concilium totum ſecundùm ordinem temporis. Licet enim Auguſtinus tot tantaque ſcripſerit, & pro primo Eccleſiæ Doctore habeatur (& idem dicimus de Ambro-

Digitized by Google

ſio & Hieronymo) inter ultimos collocatur. Ubi ſingulariter obſervandum eſt, quòd inter tot Opera tantorum maximorum, ac primorum Eccleſiæ Doctorum relata, expreſsè & formaliter ſolùm à Sede Apoſtolica & Concilio illo approbetur unica Epiſtola S. Leonis ad Flavium. Et ratio eſt: quia à primo uſque ad ultimum verbum dogmatica eſt: alia verò Opuſcula proponuntur tamquàm recepta & admiſſa ab Eccleſia, ut genuina & propria Opera illorum Doctorum, ne reputentur apocrypha.

Poſt iſtos Doctores Sanctos proprijs nominibus expreſſos, proſequitur in altera clauſula ſic: *Item Opuſcula atque Tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à S. Romanæ Eccleſiæ conſortio deviaverunt, nec ab ejus fideli prædicatione ſejuncti ſunt; ſed communionis ipſius, gratiâ Dei, uſque ad ultimum vitæ ſuæ participes fuerunt, legenda decernimus.* In hac clauſula comprehenduntur omnes alij Sancti Patres, qui præceſſerunt, ut S. Gregorius Nyſſenus, S. Irenæus, S. Ephrem Syrus, Petrus Chryſologus, & alij quàm plures. Nec ab Eccleſia ſunt approbati S. Gregorij, S. Iſidori, S. Epiphanij, S. Fulgentij, S. Iſidori Hiſpalenſis, S. Ildephonſi, S. Bernardi, S. Anſelmi, & aliorum multorum Sanctorum Opera. Sed cùm conſtet ex canonizatione ipſorum uſque ad ultimum extremum vitę à recta & vera Fide non fuiſſe ſejunctos; eorum Opera ex hac determinatione Apoſtolica etiam poſſunt legi, ut de facto leguntur in Eccleſia: quia ſunt recepta hâc generaliſſimâ approbatione, tamquàm nihil continentia contra Fidem, utilia, neceſſaria, & proficua in Eccleſia Dei. Deindè proſequitur Decretum Gelaſij Papæ. *Inter Decretales, Epiſtolæ, quas Beatiſſ. Papæ diverſis temporibus ab urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt.* Et concludit ultimam clauſulam ſic: *Item geſta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant.* Hæc igitur eſt graduatio Sacrarum Scripturarum, quæ in Eccleſia legi debent, ſecundùm determinationem factam ab Eccleſia Romana. Inter quas primum

& præcipuum locum poſſidet Scriptura Divina novi ac veteris Teſtamenti. Secundum, Concilia generalia & particularia. Tertium, Opuſcula Sanctorum Patrum & Doctorum orthodoxorum. Quartum, Decretales Summorum Pontificum. Quintum, geſta Sanctorum Martyrum.

Et hinc incipit jam difficultas; in qua, ſcilicet, claſſe ex iſtis quinque numeranda ſint opera & Opuſcula Doctorum Scholaſticorum, qui non dogmaticè docendo, ſed ſcholaſticè diſputando inter opiniones naturales, Philoſophicas, & Theologicas, ſcripſerunt inquirendo, diſcurrendo, arguendo; verbigratia: Magiſter ſententiarum, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, S. Thomas de Aquino, S. Bonaventura, Joannes Dunſcotus, Ægidius de Roma, Joannes Bacconius, Petrus Aureolus, Franciſcus Mayronis, Franciſcus Suarius, Gabriel Vazquez, & alij innumerabiles, de quibus conſtat uſque ad extremum vitæ permanſiſſe in recta fide, & in nihilo doctrinam ipſorum bonis moribus aut Catholicis dogmatibus adverſari? Aliqui dicunt fore collocandos poſt Decretales Summorum Pontificum; quod certum eſſe judico; ſed inter hos etiam eſt magis & minus: nam aliquorum doctrina ex relevante titulo vel privilegio ad ſuperiorem claſſem pertinere debet. Exemplum eſt in S. Bonaventura, & S. Thoma de Aquino, qui, licet fuerint ſcholaſtici ſicut alij; tamen quia canonizati, & inter Doctores Eccleſiæ annumerati fuerunt, in tertia claſſe Sanctorum Patrum collocandi ſunt, quantum ad dogmaticas concluſiones; non autem quoad ſcholaſticas opinabiles: nec tamen ob hoc ipſorum ſcripta pro ità approbatis recipi debent, ut Epiſtola S. Leonis Papæ, de qua diçit Summus Pontifex: *Cujus textum quiſpiam ſi uſque ad unum jota diſputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit; anathema ſit*: quia ventilari, diſputari, immò & negari poſſunt in ſcholis; & contrarium dicere eſſet delirium; affirmare temeritas magna; defendere autem erroneum.

Ex his deducitur, quòd in ſacroſancta Eccleſia Romana varia

ac

ac diſtinctiſſima poſſint eſſe approbationum genera. Et de facto ſunt. Nam alio gradu eſt approbata Scriptura ſacra novi ac veteris Teſtamenti, quàm ſunt approbata Concilia œcumenica: quia omnia & ſingula, quæ continentur in illa, pertinent ad Fidem; in his verò non omnia, neque ſingula, ſed tantùm Canones & Decreta. In alio gradu approbantur à Sede Apoſtolica quatuor Religionum regulæ, quàm ſunt approbatæ conſtitutiones ipſarum Religionum. In alio gradu eſt approbatum officium contentum in Breviario Romano communi, ac particularium Eccleſiarum: & aliter ſunt approbata alia officia, quæ ob devotionem permittuntur recitari à fidelibus. In alio gradu ſunt approbata Sanctorum Doctorum opera, quàm Theologorum Scholaſticorum opiniones ſpeculativæ: quia illorum dicta ad ſummum diſtinguuntur, vel explicantur; iſtorum verò paſſim negantur, & impugnantur. In alio gradu ſunt illa, quæ approbantur in forma ſpeciali, ab illis, quę approbantur in forma communi: quia illa leguntur, examinantur, & qualificantur: in iſtis verò ſolùm requiritur concordia partium, ſive bonum regimen, & honeſtas. In alio gradu ſunt approbata verba illa, quæ Sedes Apoſtolica ſignatè & in individuo recipit, & aſſumit in Breviario, & Apoſtolicis ſcriptis; & aliter quando tantùm gratulatur de opere, & laudat Scriptorem pro aſſumpto labore. In alio gradu ſunt approbata Opera illa, quæ in integrum permittuntur, quia continent doctrinam ſanam, Catholicam, & ab omni errore ac ſuſpicione alienam; & aliter judicantur approbata Opera illa, quę expurgata & correcta in aliquibus, in aliis permittuntur: quia non ſunt contra Fidem, nec bonos mores. Et ſic poſſemus diſcurrere per alia approbationum genera. Sed pro nunc iſta ſufficiant ad demonſtrandum non eſſe bonam conſequentiam: Talis Summus Pontifex in quadam epiſtola laudavit Auctorem iſtum, aut opera illius; ergò non ſolùm omnia & ſingula ejus Opera ſunt approbata ab Eccleſia; ſed etiam omnes ſententiæ & reſolutiones contentæ in tali doctrina uſque ad ultimum apicem: quia

Digitized by Google

hoc ſolùm habet Scriptura Sacra; & eſſet aſcendere ab infimo gradu ad ſupremum. Sed de hoc infrà agemus latiùs.

Supponendum eſt etiam, quòd præter iſta, aliqua alia Opera antiquorum Doctorum dicantur fuiſſe approbata ſpecialiter & in individuo à Sede Apoſtolica. Nam primò, in Concilio Lateranenſi fuit approbatus liber Sententiarum Petri Lombardi. Nolo adducere alium teſtem, niſi R. P. Fratrem Fabianum Bircovium Ordinis Prædicatorum in ſuis Concionibus ſeu Orationibus Miſcellaneis impreſ. Coloniæ an. 1629. in 4. in Oratione S. Thomæ Aquinatis folio 127. ſic dicentem: *Non obtuſa adeò geſtamus pectora, ô Hęretici! ut currus noſtros, & aurigas noſtros, & eos qui effuderunt animam ſuam pro nobis, in ludibrium veſtrum projiciamus, quos Eccleſia calculo ſuo comprobavit. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis ſcripta comprobata ſunt: Aquinatis verò noſtri libros, non ſolùm Vicarij Chriſti Urbanus VI. & Innocentius V. ſed Academiæ univerſæ, &c.* Et hâc formali & expreſsâ approbatione Summi Pontificis & totius Concilij non obſtante; non omnia dicta Magiſtri ſententiarum ſunt de Fide, immò neque probabilia, quia multa reprobantur, ut dicitur ſignatè in illo Indice ad finem ejus Operum poſito. Secundò, Opera Alexandri Alenſis Doctoris irrefragabilis etiam fuerunt approbata per Bullam Alexandri IV. ut dicitur in libro Conformitatum, & alijs noſtri Ordinis ſcriptoribus, & nos in noſtro Bullario. Tertiò, Sermones Gilberti de Tornaco Ordinis Minorum fuerunt ſpecialiter approbati per Alexandrum Papam, ut videre eſt in duabus Bullis, ſeu Epiſtolis exiſtentibus in Monaſterio S. Martini Tornaci, ubi ipſas vidi & legi num. 46. Quartò, Sermones B. Joannis de Capiſtrano fuerunt approbati à Summo Pontifice Nicolao V. ut videre eſt in tribus originalibus manuſcriptis exiſtentibus in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum Conventus Colonienſis in folio; & in Bibliotheca S. Auguſtini ejuſdem Civitatis, & in alio, quem nos habemus in 4. Et licet iſti tres ſint ex Ordine Minorum, non ideò dici-

dicimus eſſe Canonica, quæ in Alexandri, Gilberti, & B. Joannis Capiſtrani libris continentur; aut eſſe ſuſpectos de Fide vel hæreſi, qui ipſos in toto vel in parte impugnant. Quintò, Mathias cognominatus Farinator edidit librum Moralitatum elegantiſſimis magnarum rerum naturalium, &c. Lumen animæ dictum, cum ſeptem apparitoribus, nec non Sanctorum Doctorum orthodoxæ Fidei profeſſorum, Poëtarum etiam, & Oratorum auctoritatibus per modum pharetræ, ſecundùm ordinem Alphabeti impreſ. an. 1482. in folio. Et liber iſte (ut ibidem dicitur) fuit approbatus à Joanne Papa per Epiſtolam datam Remundo Epiſcopo Legunen. immò Auctor concludit ſuum Prologum ſic: *Ideò, non gloriando dico, merui, ut Summus Pontifex Joannes hunc librum vellet lumen animæ nuncupari.* Sicque Summus Pontifex non ſolùm approbavit librum; ſed etiam appoſuit titulum: nec ob hoc contenta in illo magno volumine ſunt Canonica, vera, Catholica, &c. Sextò, Jacobus Carthuſianus extra muros Erfordien. fecit ſermones Dominicales incipientes: *Recogitans, & mente revolvens*, &c. & ut ibidem dicitur, fuerunt auctorizati à D. Nicolao Papa V. Et alia hujus Auctoris Opera extant Ruremundæ in Monaſterio Carthuſianorum ab eodem Pontifice approbata. Septimò, Summus Pontifex Sixtus IV. per Bullas ſpeciales approbavit officia Eccleſiaſtica Leonardi de Nogarolis, & Bernardini de Buſtis: & Julius II. officium Monialium Conceptionis: & tamen quæ in ipſis continentur, nec ideò æſtimantur infallibilis veritatis, ut de Fide, nec ut Canonica, vel ſaltem ſingula ut vera, & certa, &c. immò & aperto Marte rejiciuntur à Patribus Dominicanis. Hæc adduxi exempla (& alia multa conſultò prætermitto) ſolùm ut cognoſcatur non eſſe conſequentiam rationabilem: Summus Pontifex approbavit hoc; ergò eſt de Fide, vel Canonicum, aut infallibilis veritatis regula, &c. quia, ut dixi, in approbationibus Apoſtolicis ſunt diverſi gradus; & multa ſunt approbata ut pia, devota, regulariter bona & utilia, nihil continentia contra Fidem, &c.

Digitized by Google

An autem Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis opera omnia & ſingula, tam in communi, quàm in particulari ſint ab Eccleſia, Summis Pontificibus, Concilijs, & Univerſitatibus (ut multi volunt) approbata? hoc opus, hic labor eſt: & hoc diligentiùs inquirendum.

Sed antequàm ad particularia deſcendamus, neceſſe eſt priùs inquirere, an fuerint approbata ſaltem in communi, ſi non ut Scriptura ſacra, quia hoc nullus hucuſq; affirmavit, ſaltem poſt Scripturam ſacram novi ac veteris Teſtamenti ante Concilia œcumenica, vel cum ipſis, ut aliqui volunt; vel ut ſunt approbata Sanctorum antiquorum Eccleſiæ Patrum ſcripta, de quibus diximus in principio; vel alio quovis modo? Circa quod nec unicum ſolùm verbum dicam ex proprijs: tranſcribam tamen ad litteram ex libro Univerſitatis Pariſienſis de hac individua materia à tota Facultate Theologica per modum clauſtri edito anno 1388. Ubi poſt exordium, & alia, quæ brevitatis cauſa prætermittimus, ſic illius tractatûs Scopus proponitur. *His igitur præmiſſis, Dei auxilio primitùs invocato, propoſitum opus ſic aggredimur. Ad honorem Sanctæ, ac individuæ Trinitatis, cujus Fidei cauſam agimus, præſentem tractatum adversùs errores Fratris Joannis de Monteſono Ordinis Fratrum Prædicatorum, nuper in Pariſienſi ſtudio condemnatos, ex deliberatione Univerſitatis ſtudij Pariſienſis, & ſpecialiter Doctorum, & Baccalaureorum Facultatis Theologiæ compoſitum, in tria capitula diſtinguemus. In primo, ad fundandum proceſſum factum contra dictum Fratrem per dictam Facultatem Theologiæ, ac etiam proceſſum inde ſecutum coram Domino Epiſcopo Pariſienſi ad inſtantiam Univerſitatis prædictæ, declarabitur qualiter ad dictos Epiſcopum, & Facultatem Theologiæ pertinet aſſertiones hæreticas, vel in Fide erroneas contra aſſerentes eas Pariſijs condemnare. In ſecundo declarabitur, & tàm rationibus, quàm auctoritatibus Sanctorum, & Doctorum probabitur, quòd aſſertiones dicti Fratris per ſchedulam dictæ Facultatis, dicto Domino Epiſcopo traditæ, fuerunt rationabiliter condemnatæ. In tertio, quia Magiſter & Procurator generalis,*

Digitized by Google

ralis, & nonnulli dicti Ordinis Fratres contra dictum Epiſcopum & ſibi adhærentes ad ſanctam Sedem Apoſtolicam appellarunt, inter commemoratas dicti Fratris aſſertiones, ut præfertur, damnatas, aliquas ad S. Thomæ de Aquino pertinere doctrinam, quam aſſerunt per Eccleſiam approbatam; ideò declarabitur hujuſmodi doctrinam S. Thomæ non ſic approbatam eſſe, quòd propter eam oporteat ante-dictam condemnationem, aut dicti Epiſcopi proceſſum aliqualiter impedire. Circa primum, &c. & incipit tractatus. Nos verò relinquendo illa, quæ pertinent ad individuam perſonam Joannis de Monteſono, quia de eo, ipſiuſque aſſertionibus agemus infrà Nodo V. ex illis, quæ pertinent ad tertium capitulum & approbationem doctrinæ S. Thomæ aliqua, quâ potuerimus brevitate, tranſcribemus, & ex ſupra-dictis ſolùm notanda ſunt illa verba: *Inter commemoratas dicti Fratris aſſertiones, ut præfertur, damnatas, aliquas ad S. Thomæ de Aquino pertinere doctrinam, quam aſſerunt per Eccleſiam approbatam.* Iſtæ aſſertiones, quas allegabant pertinere ad Sancti Thomæ doctrinam, erant quinque ultimæ tangentes directè Conceptionis materiam: nam de alijs parùm curabant, ut ſuprà vidimus, & has dicebant per Eccleſiam approbatas.

In prima concluſione illius tractatûs proponitur, quòd ad ſanctam, ſupremamque Sedem Apoſtolicam pertineat auctoritate judiciali, ſupremâ, independenti, & ultimâ, ea quæ ſunt Fidei, Canonicè diffinire. Et in ſecunda concluſione, quòd ad Epiſcopos Catholicos, tamquàm judices ordinarios, pertineat auctoritate inferiori & ſubordinatâ circa ea, quæ ſunt Fidei, etiam judicialiter determinare, ſeu diffinire. In tertia concluſione probatur, quòd ad Doctores Theologos pertineat etiam determinatione doctrinali, & ſcholaſticâ circa ea, quæ ſunt Fidei, doctrinaliter diffinire. In quarta, quòd ad dictos Epiſcopum, & Facultatem Theologiæ pertineat non ſolùm conjunctìm, ſed diviſìm, modis prædictis, aſſertiones hæreticas aut erroneas condemnare. In quinta, quòd ad dictam Facultatem Theologiæ contra certas perſonas, ſcilicet, contra ſingulares

Magi-

Magiſtros, & Baccalaureos ejuſdem Facultatis juratos pertineat quandoque non ſolùm doctrinaliter, ſed etiam aliquando judicialiter aſſertiones hæreticas, aut erroneas condemnare. In ſexta Concluſione, quòd ad ſuperiorem judicem pertineat proceſſum per dictos Epiſcopum, & Facultatem Theologiæ factum, nec ſine magna & notabili cauſa favorabiliter impedire; nec appellationi contra eos in cauſa Fidei interjectæ, ſine matura deliberatione, & prævia informatione deferre.

His igitur ſex concluſionibus fundatis, ſtatutis, & ventilatis, proponit Univerſitas duas approbationes doctrinæ S. Thomæ: quarum unam exhibuit Joannes de Monteſono, & Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum Pariſijs, & eſt illa Stephani Epiſcopi Pariſienſis, de qua Nodo ſequenti. Altera eſt quædam Bulla, ſeu clauſula illius Urbani V. Papæ, de qua latè ſatis agemus Nodo III. Propter verba igitur contenta in his duabus Epiſtolis, ſeu litteris (nam tunc ſolummodò erant inventæ iſtæ duæ approbationes, quæ poſteà creverunt ad quatuordecim) dicebant Montiſoniſtæ, & allegabat Religio Prædicatorum, totam doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam per Eccleſiam. Contra hanc illationem ſic inſurgit Univerſitas. *Ad ſecundum reſpondetur: quòd ex prædicta Bulla D. Urbani, vel præallegatâ litterâ D. Stephani Epiſcopi, aut aliâ quâcumque litterâ authenticâ, non poteſt ſufficienter concludi, quòd S. Thomæ doctrina ſit in omnibus approbata; ſicut clarè oſtendetur in 3. capitulo hujus tractatûs. Et ad hoc adjiciunt aliqui talem rationem: Quia illa doctrina non poteſt ſic eſſe in omnibus approbata, quæ multa continet in Fide erronea; ſed, ut dicunt, prædicta S. Thomæ doctrina non ſolùm in materia de abſoluta neceſſitate creaturæ (de qua præſentis controverſiæ inferiùs in tribus ultimis concluſionibus tertij capituli ſpecialiter tractabitur) ſed etiam in pluribus alijs multa continet in Fide erronea; quod declarat tam in prima parte ſummæ, &c.* Et adductis quatuor Concluſionibus, ſeu articulis, qui in doctrina S. Thomæ videntur expreſsè erronei in Fide, concluditur ſic: *Undè ex his omnibus inferunt,*

runt, quòd prædicta approbatio Urbani V. non eſt hujus doctrinæ approbatio univerſalis tamquam doctrinæ utilis, & in multis probabilis; ſicut doctrina Papæ magiſtraliter dicta ſolùm habet auctoritatem Magiſtralem, ſicut D. Innocentius IV. de ſuo Apparatu teſtatus eſt: ſed de hac materiâ copioſiùs infrà dicetur in tribus primis concluſionibus 3. capituli, &c. Et infrà folio 31. à tergo loquendo de doctrina S. Thomæ ſic dicitur: *Secundò dicendum eſt, quòd, quidquid ſit de opinione Ariſtotelis, tamen ejus opinio non eſt ſufficiens probatio in Theologia ad concludendam aliquam propoſitionem eſſe veram ſecundùm Fidem; & tamen dixit,* id eſt Monteſonus, *in ſcripto ſuo coram judicibus tradito, quòd eodem modo probat propoſitionem ſuam S. Thomas in multis locis. Ideò ex hoc concludunt aliqui, quod S. Thomas non loquebatur ibi Theologicè, ſed Phyſicè: quare dicunt non eſſe inconveniens concedere in hoc ipſum erraſſe, ſicut patet in dicendis infrà cap. 3. Non enim eſt inconveniens, vel abſurdum, aut ei, vel doctrinæ ſuæ injurioſum dicere ipſum erraſſe in his, quæ non Theologicè dixit determinando, ſed ſolùm Philoſophicè opinando; nam in quibuſdam locis hoc idem dixit ipſe de B. Auguſtino, ſicut patet in 4. diſt. 47. in ſolutione ad primum, &c.* Nota verba iſta, quia ex illis magnus poſteà reſurget Nodus undequaque indiſſolubilis.

Poſtquàm ergò Univerſitas adduxiſſet propoſitiones Joannis de Monteſono (de quibus nos ſuo loco) proſequitur fol. 49. *Circa tertium principale, in quo declarandum eſt; quòd doctrina S. Thomæ non ſic eſt approbata, quòd propter eam oporteat ante-dictam condemnationem, aut dicti Epiſcopi proceſſum aliqualiter impedire; præmittenda eſt hæc diſtinctio: quòd aliquam doctrinam eſſe per Eccleſiam approbatam, poteſt tripliciter intelligi: uno modo, quòd talis doctrina ſit per Eccleſiam tamquam utilis, & in Fide probabilis acceptata, & tamquam talis inter Scholaſticos divulgata. Secundo modo, quòd talis doctrina ſit ſic approbata, quòd oporteat credere, quòd ipſa ſit in omni ſui parte vera. Tertio modo, quòd ſit ſic approbata, ut oporteat credere, quòd ipſa in nulla ſui parte ſit in Fide erronea, vel hæretica, &c.* Et diſtinguit quomodò iſta tria approbationum genera grada-

tim inter ſeſe diſtinguantur : nam primus modus eſt infimus & communis, ſecundus ſuperior, & excellentior, tertius verò præſtantiſſimus ; ſed Montiſoniſtæ, & qui hodie ipſos ſequuntur, non loquebantur de prima approbatione, quia hanc ut infimam, & nihil eis proficientem aſpernabantur ; utpotè multis communem. Undè volebant ſecundam, & tertiam ; quia dicebant, quòd doctrina S. Thomæ non ſolùm in omni ſui parte eſſet vera, ſed quòd neque in ulla ſui parte eſſet in Fide erronea: at Univerſitas Pariſienſis neque primum approbationis genus volebat eis concedere abſolutè : quapropter illam primam approbationem diviſit in approbationem tacitam & expreſſam, & circa hoc diſſerit latè & eruditè, ut videre eſt ad finem Magiſtri Sententiarum ; licet ibi iſta ad compendium fuerint redacta. Proponit deniqùe Univerſitas tres concluſiones, quarum prima eſt : *Doctrina S. Thomæ in opuſculis ſuis Theologicis contenta, primo modo eſt per Eccleſiam approbata, tamquam utilis & probabilis divulgata, ſicut aliorum Doctorum Catholicorum, &c.* Hanc, quam admiſit Univerſitas Pariſienſis, admittunt etiam omnes Doctores Catholici, ſicut doctrinam S. Bonaventuræ, Alberti Magni, Alexandri de Ales, Scoti, Ægidij Romani, Henrici de Gandavo, Thomæ de Argentina, Bacconij, Mayronij, Aureoli, & omnium aliorum.

Sed cùm non deſideraſſent Montiſoniſtæ iſtam communem approbationem, ſed alias ſuperiores ; ideò Univerſitas proponit ſecundam concluſionem ſic : *Secunda concluſio ; quòd prædicta S. Thomę doctrina non eſt ſecundo modo per Eccleſiam approbata, ſic ſcilicet, quòd oporteat credere, quòd ipſa in omni ſui parte ſit vera. Et hęc concluſio adeò clara eſt, ut etiam pars adverſa eam negare non poſſit : quia iſte Frater, contra quem agimus, inter aſſertiones ſuas condemnatas, aliqua poſuit, quę ſunt expreſsè contra S. Thomę doctrinam, ut ex prędictis patet. Multi etiam Magiſtri, & Doctores ſui Ordinis, ſicut Durandus, & plures alij in ſuis lecturis, & in multis paſſibus prefatę doctrinę contradicunt, ut notum eſt ; & ideò ſecundùm ipſoſ-*

ipſoſmet non oportet credere, quòd hujuſmodi doctrina in omni ſui parte ſit vera. Inſuper & alij antiqui Doctores famoſi, ſicut Dominus Guilielmus Pariſienſis, & D. Guilielmus Altiſiodorenſis Epiſcopi, Dominus Durandus de Sancto Portiano Ordinis Prędicatorum, Magiſter Joannes Scotus, D. Ægidius de Roma, Magiſter Gregorius de Arimino, & quàm plures alij, tàm Seculares, quàm Regulares plures opiniones S. Thomę rationabiliter reprobant, & tamquàm falſas impugnant; & in hoc moderni Doctores, & Baccalaurei illos antiquos Doctores in ſuis lecturis, & actibus Scholaſticis imitantur; quod utique non fieret, ſi oporteret credere hujuſmodi doctrinam in omni ſui parte eſſe veram. Et ideò hanc doctrinam hoc modo extollere, & approbare, eſſet doctrinam omnium aliorum Doctorum evidentiſſimè reprobare. Item hoc eſſet derogare non ſolùm omni doctrinę humanę, ſed etiam doctrinę Divinę, & Scripturę Canonicę: quia nec doctrinę Auguſtini, nec cujuſcumque alterius quatuor principalium Doctorum Eccleſię, nec cujuſcumque alteri doctrinę humanę attribuenda eſt hęc auctoritas excellentiſſima, ut oporteat credere, quòd ipſa in omni ſui parte ſit vera; ſed hęc prerogativa ſoli Doctrinæ Divinę, quę Canonica appellatur, ſervanda eſt, ſicut docet Auguſtinus in Epiſtola 8. ad Hieronymum, & habetur in Decreto diſt. 9. cap. Ego ſolus, &c. Et adducit quàm plurimas auctoritates ad hoc probandum, quas in rei veritate ego exiſtimo eſſe quaſi principia per ſe nota, à nullo ſanæ mentis neganda. Sed præcipuè in tota ſuprà poſita auctoritate notanda ſunt illa veriſſima verba, *& ideò hanc doctrinam hoc modo extollere & approbare, eſſet doctrinam omnium aliorum Doctorum evidentiſſimè reprobare.* Hoc dicebant Doctores Pariſienſes, quando non erat niſi una approbatio adeò tenuis, ut eſt illa Stephani Epiſcopi: quid dicerent hodie videntes iſtas quatuordecim approbationes ingentes, de quibus infrà?

De ultimo approbationis genere hæc dicit Univerſitas: *Tertia concluſio eſt, quòd prefata S. Thomę doctrina, non eſt tertio modò predicto per Eccleſiam approbata; ſic, ſcilicet, quòd oporteat credere, quòd ipſa in nulla ſui parte erronea ſit, vel heretica. Et hęc concluſio* pro-

Digitized by Google

probatur primò ex dictis ejuſdem S.Thomę, &c. Et hanc probat latiſſimè quam-plurimis auctoritatibus; ſed non omnia poſſumus, nec debemus in hoc parvo libello tranſcribere: aliqua tamen inſinuabo. Nam poſt primam probationem procedit ad ſecundam. *Secundò principaliter eadem concluſio probatur ſic: quia de illa non oportet credere doctrina, quòd ipſa in nulla ſui parte ſit in Fide erronea, vel hæretica, in qua quidem continentur multæ contrarietates, & repugnantiæ, etiam in materia ad Fidem pertinente; ſed multæ hujuſmodi repugnantiæ, & contrarietates continentur in doctrina S.Thomæ, igitur, &c. Major eſt nota, & Minor probatur, & de multis exemplis pauca brevitatis causâ ponentur, &c.* Et poſitis quinque exemplis circa apertiſſimas contradictiones repertas in doctrina S. Thomæ, proſequitur dicens: *Sed adhuc ad majorem ipſius confirmationem ponitur ſextum exemplum generale, quod ſumitur ex quodam tractatu S. Thomę de concordia quorumdam dictorum ſuorum inter ſe diſcordantium, qui incipit: Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia; ubi multa diverſa, quę in doctrina ſua continentur, corrigit & exponit; & quia veri-ſimile eſt, quòd nunc non omnia hujuſmodi ſibi occurrent; ideò in fine prologi ſui ſupplicat librorum ſuorum lectoribus, ita dicens: ſi quis aliquid invenerit non concorditer, &c.* Opuſculum iſtud extat inter Opuſcula S. Thomæ num.72. & in impreſſione Pariſienſi facta an. 1634. Ad finem leguntur hæc verba: *Explicit Opuſculum ſeptuageſimum ſecundum S. Thomę de Aquino de concordantijs dictorum ſuorum, in quibus aliquibus videbatur ipſum ſibi ipſi contradicere, licet ita non ſit rectè intelligere ejus mellifluam, & profundiſſimam doctrinam:* Nota qualiter nec diſcordantiam volunt concedere in operibus, & doctrinâ S. Thomæ; & quod plus eſt, quòd neque apparentiam diſcordantiæ. Immò in Joanne Capreolo in 3. ſent. diſt. 3. fol. 15. impreſſionis Venetianæ 1588. in 3. articulo reſpondendo ad illud argumentum S. Thomæ in 1. ſententiarum q. 44. ubi dicit, quòd Virgo MARIA fuerit immunis à peccato originali, ergò. Reſpondet Capreolus dupliciter, & ad marginem ſecundæ reſponſionis

ex-

extant hec verba : *Si B. Auguſtinus retractatur, ſed non S. Thomas.* Ex quibus conſtat, quòd nec minimam retractationem velint admittere in S. Thoma, quia nihil dixit retractatione dignum, ex quo non levis infrà conficitur Nodus. Quantum autem ad veritatem, Joannes Vitalis Doctor Pariſienſis, qui ſcripſit parùm poſt Univerſitatem, dicit ſe vidiſſe librum retractationum S. Thomæ, contra quem acriter inſurgunt Patres Dominicani, clamantes unâ voce, quomodò potuit ſe retractare, qui numquàm vel in minimo puncto erravit? In Bibliotheca Manuſcripta omnium Manuſcriptorum Belgij, laboratâ à P. Guilielmo Carnificis, ac diſpoſitâ à P. Joanne Bundero, ambo ex Ordine Prædicatorum, exiſtente apud D. Antonium Sanderum fol. 614. num. 68. affirmant, quòd in Conventu S. Dominici extitiſſet ſuo tempore. *Liber Retractationum S.Thomę Aquinatis:* quæſivi librum iſtum in Conventu Gandenſi, ſed ibi non extabat. Jam ergò non erit tantùm lis contra Vitalem Minorem, ſed etiam contra Guilielmum & Bunderum Dominicanos de libro retractationum præbentes teſtimonium. In Monaſterio tamen S. Victoris Pariſienſi inter Manuſcriptos num. 476. in folio & magno extat liber ſub hoc titulo : *Concluſiones, in quibus S. Thomas videtur ſibi ipſi contradicere, &c.* & iſte fuit editus à quodam Patre Ordinis Prædicatorum vocato Hærveo de Landa Magiſtro in Theologia. P. Petrus de Bergamo edidit alterum ſimilem, de quo in SOLE VERITATIS ſecundæ impreſſionis non pauca erunt dicenda. Pater Xantes Mariales Ordinis Prædicatorum anno 1624. edidit librum in folio, ſub hoc titulo: *Index contradictionum apparentium tum in D. Auguſtino, tum in D. Thoma, tum alijs Thomiſticis, quæ in hoc volumine conciliantur.* Hoc inſinuaſſe ſufficit pro comprobanda Veritate Univerſitatis, quæ poſt aliqua concludit ſic; *Ex quibus omnibus ſatis patet, quòd idem S. Thomas, qui Auguſtinum & in regula, & in doctrina ſequitur ſicut magiſtrum diſcipulus, dicere potuit, & debuit cum eodem Auguſtino : Errare potero, ſed hæreticus non ero. Quare non oportet*

 cre-

credere, quòd doctrina ſua in nulla ſui parte fuerit hæretica, vel in Fide erronea, licet ipſe non fuerit hæreticus. Sed qui nolunt concedere in doctrina Sancti Thomæ fuiſſe, aut eſſe aliquem parvum vel minimum errorem, quid dico errorem? immò nec diſcordantiam, aut ſaltem diſcordantiæ apparentiam; quomodò audient fuiſſe errorem in Fide, vel hæreſim?

Sed Univerſitas proſequitur ſic: *Tertiò probatur eadem concluſio, quia ſi oporteat dicere, quòd hujuſmodi doctrina in nulla ſui parte ſit in Fide erronea, vel hæretica, hoc maximè eſſet, quia ipſa eſt per Eccleſiam approbata; ſed aliqua eſt doctrina multò magis approbata, quàm doctrina S. Thomæ, quæ tamen in aliqua ſui parte eſt hæretica, vel erronea in Fide: igitur hoc etiam ſine ulla temeritate dici poterit de doctrina S. Thomæ, non obſtante ejus approbatione. Conſequentia eſt clara, & Major nota, quia illi fundamento nititur pars adverſa. Sed Minor probatur per multa exempla. Et ut à majoribus ad minora procedatur; primum exemplum ponitur de doctrina Beati Petri Apoſtoli, quam nulli dubium eſt eſſe magis approbatam, quàm doctrinam S. Thomæ, & tamen capiendo doctrinam B. Petri pro omnibus ad Fidem pertinentibus, quę verbo aut facto docuit, conſtat, quòd hujuſmodi doctrina in aliqua ſui parte fuit in Fide erronea, ſcilicet in illa parte, in qua Paulus Apoſtolus eum reprehendit, &c.* Nec diſcurſus iſte Univerſitatis circa doctrinam S. Petri meretur ullam cenſuram, neque eſt durus, ut inſinuat quidam Notitioſus Dominicanus Complutenſis. Secundum exemplum adducit Univerſitas de doctrina S. Cypriani. Tertium ex doctrina B. Hieronymi. Quartum ex doctrina, ſeu compilatione Magiſtri Sententiarum. Quintum ex compilatione Decreti Gratiani, & concludit ſic: *Sextum exemplum poteſt poni de quibuſdam Doctoribus, qui non ſunt Sancti; ſicut Venerabilis Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Venerabilis Hugo de S. Victore, & quidam alij, quorum dicta vel ſcripta in aliquibus reperiuntur erronea, & tamen eorum doctrina non minùs videtur eſſe authentica, quàm doctrina S. Thomæ, cùm ipſi communiter in artibus ſcientificis allegentur auctoritates, nec ſo-*

ſolent negari, ſed eorum dicta reverenter gloſſari, & exponi, quod tamen Scholaſtici nondum conſueverunt facere de dictis S. Thomæ. Et ideò præſumptuoſum videtur ejus doctrinam ſuper illos, & alios Doctores ſic extollere, quod non liceat credere, aut aſſerere ipſum in Fide erraſſe, ſicut & alij erraverunt. Nec obſtat ejus Canonizatio, quam aliqui pro magno colore prætendunt, & etiam Sancti Canonizati, & magis; quàm ipſe in Eccleſia ſolemnizati, etiam in Fide erraverunt, ſicut in primis tribus exemplis oſtenſum eſt. Quod in iſtis verbis docuerunt antiqui Doctores Pariſienſes, ſcilicet, quòd Scholaſtici nondùm conſueverant admittere in actibus Scholaſticis auctoritates S. Thomæ, & eas venerabiliter exponere, aut explicare, ſicut faciunt cum auctoritatibus Sanctorum Doctorum, atque Eccleſiæ Patrum, uſque modò conſuetudo iſta non pervênit ad januas Sorbonæ: quia hodie S. Anſelmus, S. Bonaventura, Hugo de S. Victore, & Richardus etiam de S. Victore majorem auctoritatem habent in Facultate Theologica Pariſienſi, quàm S. Thomas. Et ratio eſt, quia illi non fuerunt Scholaſtici: iſtius enim auctoritates paſſim, & communiter negantur, aliorum verò dicta reverenter gloſſantur, & exponuntur. Item nota, quòd tota controverſia inter Univerſitatem Pariſienſem, & Prædicatorum Ordinem in hoc unico ſiſtebat puncto: dicebat Univerſitas: S. Thomas erravit, ſicut alij erraverunt; è contrà verò Ordo Prædicatorum dicebat, & modò adhuc dicunt (ut poſteà frequentiſſimè videbimus) omnes erraverunt, ſed non S. Thomas: omnes indigent retractatione, ſed non S. Thomas. Undè indiſſolubilem conſtituunt Nodum, ut ſuo loco demonſtrabimus.

Poſt aliqua denique dicta ab Univerſitate Pariſienſi circa auctoritatem doctrinæ S. Thomæ, quæ conſultè, & à conſilio prætermittimus, proſequitur tractatus ille ſic: *Ex omnibus igitur prædictis clarè patet tertia concluſio principalis. Sed adhuc circa præmiſſa occurrit dubitatio: cùm enim in prima concluſione dictum ſit, doctrinam S. Thomæ, aliquo modo eſſe per Eccleſiam approbatam, id eſt,*

eſt, tamquam utilem & in Fide probabilem divulgatam. Dubium eſt; utrùm hujuſmodi approbatio ſit ſolùm tacita per Eccleſiæ tolerantiam, aut utrùm ſit expreſſa approbatio per Bullam Apoſtolicam, aut aliam litteram authenticam? Hic enim duplex modus approbationis in principio hujus tangebatur. Ad hoc autem dicunt quidam, quòd doctrina S. Thomæ non ſolùm ſit tacitè approbata, ſicut doctrina quorumdam aliorum Doctorum, ſed eſt approbata expreſsè per Bullam Summi Pontificis, ac etiam per litteram authenticam D. Stephani Epiſcopi Pariſienſis de Conſilio Doctorum Theologicæ Facultatis. Et ex hoc nituntur improbare proceſſum factum contra Fratrem Joannem per Facultatem Theologiæ, & deindè per Epiſcopum Pariſienſem, ſcilicet, quantum ad aliquas aſſertiones damnatas, tangentem doctrinam S. Thomæ, ut aſſerunt. Sed circa hoc ad confirmationem prius-dictorum, ſunt aliquæ propoſitiones notandæ. Prima eſt, quòd in dicto proceſſu numquam fuit exhibita aliqua Bulla Papæ, neque ipſius copia ſuper confirmatione, vel approbatioue dictæ doctrinæ; & ideò, cùm idem ſit judicium de his, quæ non ſunt, & de his, quæ non apparent, ſicut dicunt jura, ſequitur quòd hoc non debuit dictum proceſſum impedire, &c.
Ex his ultimis verbis conſtat, quòd in illa gravi controverſia Pariſienſi habita anno 1387. in qua ex una parte fuit omnis Univerſitas, & ex altera tota Religio Prædicatorum, cum Judicibus, ac Procuratoribus nominatis reſpectivè pro utrâque parte, pro una fuerint exhibitæ, & oſtenſæ litteræ Stephani Epiſcopi Pariſienſis, expeditæ ante quinquaginta tres annos; ſed nulla Urbani Papæ V. licet Bulla ejus fuerit data ſolùm ante viginti annos: comparuit tamen Avinione poſt fugam Joannis de Monteſono. Quia tamen Univerſitaş numquam illam vidit authenticam, ideò de ipſa parùm, vel nihil curavit, immò judicavit tamquam ſi non eſſet: ad alteram verò Stephani reſpondit Univerſitas ex profeſſo, ut infrà videbimus Nodo ſequenti. Et concludit tractatus ille ſic: *Quinta concluſio: quòd prędicta S. Thomę Doctrina ſecundùm quoſdam eſt in Fide erronea, ſeu in aliqua ſui parte de hujuſmodi errore ſuſpecta, & in hac concluſione non aſſertivè, ſed ſolùm reci-*

recitativè loquimur. Dicunt enim aliqui, quòd iſta doctrina multos errores continet,&c. Et uſque ad finem tractatûs conatur Univerſitas aſſignare errores, atque demonſtrare multos eſſe, & contineri in dicta doctrina. Si hoc ſit verum,vel falſum alius judicet. Iſtas approbationes Univerſitas Pariſienſis conſtanter negabat, quia tunc temporis non erant aliæ: Ordo Prædicatorum illas concedit,& alteras quotidie ſuperaddit. Cum illa propter veritatem neceſſe eſt ſentire, cum iſta pro pace congruum tacère; Nodus tamen erit indiſſolubilis,aliud videre,& aliud judicare,& in controverſia iſta velle ſtare allegatis, & non probatis.

Sed abſtrahendo ab his omnibus, ſive fundamentum approbationum nutet ob falſitatem, ſit arena, vel limus; ſuper-ædificata ſunt in eo magna, & maxima, non tantùm concionatoriè, de quibus nihil curabimus, ſed dogmaticè dicta, & ſcripta. In communi aliqua proponemus hîc (nam in particulari dicemus infrà) & incipiemus à noviſſima impreſſione Partium S. Thomæ Aquinatis editâ Pariſijs anno 1639. apud Viduam Tuſſani du Bray, & Joannem du Bray via Jocobea, cujus titulus eſt: *Summa Theologiæ S. Thomæ Aquinatis, Divinæ voluntatis interpretis, ſacri Ordinis Prædicatorum, in qua Eccleſiæ Catholicæ doctrina univerſa, & quidquid veterum Patrum monumentis eſt dignum obſervatu; quidquid etiam vel olim vocatum eſt, vel hodie vocatur ab hæreticis in controverſiam, id omne ut eruditè, ſolidè, & dilucidè, ita piè, atque fideliter explicatur. Poſt Lovanienſium atque Duacenſium Theologorum inſignem operam, novis adhuc mendis caſtigata; vitiatis Sanctorum Patrum citationibus repurgata, integrioribus ejuſdem citationibus ſuperadditis; ita ut ſuum primævum nitorem vel nunc habeat, vel ad eum proximè accedat.* Hucuſque titulus, quem ſi per clauſulas expenderis, certè in unaquâque mirabilia invenies. Nam S. Thomas, qui in ſuo principio vocabatur Doctor communis, & in medio appellatus fuit Doctor Angelicus, jam ab iſta Hyerarchia aſcendit ad illam: *Divinæ voluntatis interpretis,* in cujus brevi Summa Theologica, uno mediocri volumine contenta,

reperitur & extat *Eccleſiæ Catholicæ doctrina univerſa.* In ſacra Scriptura à Spiritu Sancto, & Verbo Dei Filio prolatâ in veteri ac novo Teſtamento, continetur explicitè, vel implicitè omne neceſſarium ad ſalutem, ſed non ibi extat *Eccleſię Catholicę doctrina univerſa*; quia aliqua recipit ex traditionibus Apoſtolicis, multa ex ſacrorum Conciliorum determinationibus, quam-plura ex Decretis Summorum Pontificum: & ſic enumera omnes libros Eccleſiaſticos exortos ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, & in omnibus illis non reperies Eccleſiæ Catholicæ doctrinam univerſam: quia quotidie in futurum alia, & alia determinavit uſque ad finem mundi. At in unica & ſola Summa S. Thomę extat & reperitur *Eccleſię Catholicę doctrina univerſa.* Volve & revolve, conſidera, ac perpende *quidquid in veterum Patrum monumentis eſt dignum obſervatu:* nam totum hoc reperies in Summa S. Thomæ. Quidquid in operibus Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, & cum iſtis enumera omnes alios Eccleſiæ Doctores, & omne, quod in ipſis obſervatione dignum eſt, continetur in Summa S. Thomæ. Si aliquid quæris indignum, lege Sanctos, & antiquos Doctores; ſed ſi deſideras habere ſolùm digna & proficua, quæ obſervationem ſpecialem mereantur, non teras tempus in evolvendis Sanctis Doctoribus: lege tantùm Summam S. Thomę, eique ſtude, & alia relinque ut indigna: quia in ſola illa extat *quidquid in veterum Patrum monumentis eſt dignum obſervatu.* Denique quidquid ab hęreticis antiquis, vel modernis in controverſiam vocatum eſt, id omne (nota univerſalem, *id omne*) eruditè, dilucidè, piè, fideliter eſt explicatum in Summa S. Thomæ, in qua nihil eſt ineruditum, inſolidum, illucidum, impium, atque infidele. Et quare hoc? Quia eſt doctrina illa approbata ab Urbano VI. Innocentio V. & Stephano Epiſcopo Pariſienſi, ut dicitur in folio ſequenti ejuſdem Summæ. Quę autem ex verbis iſtis colliguntur, vide infrà in Nodo.

In conſtitutionibus generalibus, & noviſſimis Ordinis Prædicatorum, ſequendo (ut ibidem dicitur) ſtatuta antiqua, deter-

Digitized by Google

terminata, ac ſancita Bononiæ anno 1564. confirmata Romæ 1559. & iterum ibi 1571: Barchinonæ 1574. Valentiæ 1596. ac tandem Pariſuſo 1611. & 1620. typis mandata operâ & ſtudio P. F. Petri Martyris eodem anno; capite 43. de lectionibus habendis, ſic dicitur: *De doctrina autem D. Thomæ hæc decernuntur in declaratione capitis de ſtudentibus: Imponitur omnibus lectoribus, quòd doctrinam S. Thomæ, quæ alijs ſanior eſt & communior, ac Ordini noſtro & toti mundo utilis, & honorabilis, legant, & ſecundùm eam determinent, & in ea ſcholares ſuos informent, & in diſputationibus concluſiones ejuſdem Sancti Doctoris teneant, & defendant, & rationes contrarias ſolvant. Diſtrictè etiam prohibetur; ne aliquis frater loquendo, diſputando, aut determinando audeat aſſerere, aut tenere aſſertivè contrarium ejus, quod communiter tenetur eſſe de opinione Sancti Doctoris. Qui autem in hoc deliquerit, officio lectoratûs privetur. Eſt enim doctrina per totum terrarum orbem ſplendens tamquam clara, firma, & ſolida inter alias, per Sedem Apoſtolicam, per principaleſque Eccleſiæ Doctores cum teſtimonio Univerſitatis Pariſienſis confirmata, &c.* Hucuſque in illis conſtitutionibus Dominicanis. Conſtat ergò, quòd non ſolùm Auctores in particulari; ſed tota Religio in communi, circa doctrinam S. Thomæ utatur verbis comparativis. Non enim pro ipſa ſat erat eſſe ſacram, niſi etiam *alijs ſanior* eſſet: nec tantùm acclamari ut claram, firmam & ſolidam, niſi etiam adderent illud: *inter alias*; ſuperaddendo hoc fuiſſe à Sede Apoſtolica, principalioribus Eccleſiæ Doctoribus, & Univerſitate Pariſienſi confirmatum, ſeu approbatum; cujus veritatem in præſenti indagabimus, diſcurrendo per ſingulas Sedis Apoſtolicæ auctoritates, Doctorum principaliorum confirmationes, & Univerſitatis Pariſienſis teſtimonia. Ut inquiramus in ipſorum dictis comparationes iſtas abſolutas, & univerſales abſque aliqua exceptione prolatas tam ex parte Doctorum Eccleſiæ, quàm operum S. Thomæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FUNICULUS II.

De Operibus S.Thomæ Aquinatis impreſſis & Manuſcriptis ſecundùm antiquas & modernas editiones aliqua breviter proponuntur.

Et aſſumpſi mihi duas Virgas: unam vocavi decorem, & alteram vocavi Funiculum. *Zachariæ cap.* 11. *verſ.* 7.

OPera Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis habuerunt diverſos ſtatus. Nam in ſuo principio erant tantummodò ſeptem Opuſcula Theologica, ut propria & genuina Angelici Doctoris, admiſſa à ſuis Diſcipulis: ut videre eſt apud Ægidium Romanum ejuſdem Sancti Diſcipulum, & ſtrenuum defenſorem in libro, intitulato, *Defenſorium ſeu Correctorium librorum Doctoris Angelici*, impreſſo Coloniæ Agrippinæ 1624. Neapoli, & alibi. 1. ſcilicet Summa Theologiæ. 2. Super Sententias. 3. Quæſtiones diſputatæ de veritate. 4. Quæſtiones de anima. 5. Quæſtiones de virtutibus. 6. Quæſtiones de potentia Dei. 7. Quæſtiones quodlibeticæ. Deindè ſæculo ſecundo, id eſt, circa annum 1330. jam ejus Opuſcula omnia creverant uſque ad viginti, ut refert Petrus Rogerius, poſteà Summus Pontifex, dictus Clemens VI. in illo ſuo celebri Sermone incipiente: *Ecce plus quàm Salomon hic*, &c. de quo poſteà agemus latè Nodo IV. & à quo prima, ac principalis confirmatio & approbatio doctrinæ S. Thomæ deſumpta fuit. Tertio verò ſæculo, poſt tranſlationem corporis S. Thomæ, & controverſiam Joannis de Monteſono cum Univerſitate Pariſienſi, Catalogus Operum S. Thomę ita auctus crevit, ut jam enumerarentur quinquaginta

octo

octo Opuſcula ejus diverſa. Quare in legenda vitæ S. Thomæ addita ad Hiſtoriam Lombardicam Jacobi Januenſis Ordinis Prædicatorum, dicitur: *Qui vivens dumtaxat poſtea annos viginti, maximos & pulcherrimos libros compoſuit, qui libri ferè complent centenarium numerum, &c.* Ingreſſum eſt quartum ſœculum ab ejus morte, quandò an. 1567. à Summo Pontifice Pio V. fuit inter primos quatuor Eccleſiæ Doctores relatus, in impreſſione Romana facta anno 1570. jam enumerabantur centum viginti octo Lucubrationes ſeu Tractatus Angelici Doctoris; & ſecundùm aliam ſupputationem ſunt centum ſeptuaginta, & ſic typis mandati fuerunt. Et iſti adhuc creverunt: & illi indies adſcribuntur libri novi, atque incogniti, ut eſt illa expoſitio ſuper libros Machabæorum edita à Patre Stephano Sampaio, impreſſ. Lutetiæ 1596. in 8. & altera interpretatio Danielis Prophetæ à P. Morelles. Item Opuſcula parva in ſuo principio tantummodò erant tria, ut vidi in libro, qui dicitur *Viola Sanctorum*, impreſſo antiquitùs abſque anno & loco impreſſionis in folio; in quo hæc tantùm numerantur Opuſcula: De articulis Fidei; de periculis quæ contingunt circa Sacramentum Euchariſtiæ, & de Judæis ad Comitiſſam Flandriæ: & reperitur liber Pariſijs in Conventu de Nazareth. Deindè creverunt ad viginti duo; poſtea aucta ſunt uſque ad quadraginta tria: & non ſiſtendo ibi, jam hodie circumferuntur ſub nomine S. Thomæ ſeptuaginta tria. Ratio hujus multiplicationis fuit, non malitia aliqua, ſed quoddam Diſcipulorum ejus innatum deſiderium, ut ſicut Doctoris ac Magiſtri ipſorum Opera, inter Scholaſticos in intenſione, claritate, & profunditate ſententiarum erant acclamata ut prima; ità ſimiliter in extenſione & multitudine librorum in omni materia, & ſcientia, Divina & humana, Eccleſiaſtica, & Sœculari, Naturali, Philoſophica, Politica, Ariſtotelica, Theologica, deniqùe Morali & Poſitiva, ipſe Angelicus Doctor omnes alios Doctores præteritos, & futuros magno præcederet intervallo.

Totum hoc ſpeculativè dictum comprobabimus practicè ex duobus vel tribus teſtibus ex Ordine Prædicatorum. Et primus ſit Humbertus in Hiſtoria, ſeu Vita ſcripta poſt canonizationem Angelici Doctoris; in qua cap. 18. ſub hoc titulo: *De profectu ſui Magiſterij, & libris quos fecit*; refert S. Thomam edidiſſe libros, tractatus, ſeu Opera ſequentia: 1. Super quatuor libros ſententiarum. 2. Summam contra Gentiles. 3. Opus ſuper quatuor Evangeliſtas; & de hoc Opere hæc dicit: *Scripſit prædictus Doctor Opus ſuper quatuor Evangeliſtas, Sanctorum auctoritatibus miro modo contextum: ex quibus ſic Evangeliorum continuavit hiſtoriam, quaſi unius Doctoris videretur eſſe poſtilla. In quo Opere mirandum creditur Deum oſtendiſſe miraculum, qui diſcurrens per diverſa Monaſteria, & diverſorum Sanctorum legens volumina, & pro majori parte ipſorum auctoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit, &c.* 4. Poſtillam ſuper Evangelium B. Joannis. 5. Super Epiſtolas Pauli. 6. Super Iſaiam. 7. Super magnam partem Pſalterij. 8. Super Job. 9. Quæſtiones de potentia, veritate, & malo. 10. Compendium Theologiæ. 11. Quæſtiones quodlibetales. Et iſta ſunt principaliora Opera. Deindè deſcendens ad minora ſeu Opuſcula proſequitur ſic: *De perfectione vitę Spiritualis. De ſubſtantijs ſeparatis. Quęſtiones de anima. Super Dionyſium de Divinis nominibus. De Trinitate. De hebdomadibus Boëtij; & alia multa Opuſcula Theologicæ veritatis, plus quàm viginti Dominis & Religioſis perſonis, &c.* Deniquè deſcendit ad naturalia Philoſophica, dicens: *Scripſit etiam ſuper librum de Cauſis, & Compoſitiones Proculi. Scripſit etiam ſuper Philoſophiam naturalem & moralem, & ſuper Methaphyſicam, quorum librorum procuravit quòd fieret nova tranſlatio, quæ ſcientiæ Ariſtotelis continet clariùs veritatem; & alia multa Opuſcula de naturalibus quæſtionibus; & aliqua ſcripſit ſuper logicam, &c.* Et de ſcriptis ejus nihil aliud dicit. Si autem iſta conferantur cum illis ſuo nomine nunc impreſſis, eſt quaſi minima quædam pars. Undè autem ipſa deſumpſerint, ipſi dicant; quia hucuſquè non dixerunt.

Digitized by Google

runt. Concludit Humbertus ſic : *Unum videtur Deus in dicto Doctore , dum viveret , manifeſtum oſtendiſſe miraculum , ut tam modico tempore , fortè viginti quinque annis , (qui dum inter magiſterium ejus & obitum in vita fluxerunt , bis eundo Pariſios , & in Italiam redeundo) tot potuerit libros per ſuos Scriptores in ſcriptis redigere , tot quæſtiones tam ſufficienter diſcutere , & tot novitates ſcribendo docere ; & non videtur totum tempus ſuum occupare niſi in ſanctarum Meditationibus Scripturarum , &c.* Hucuſque in illa vita antiqua S. Thomæ Aquinatis, in qua aliqua veniunt notanda.

Primum , Auctorem hujus vitæ non fuiſſe Humbertum communiter dictum de Romanis quintum Generalem Ordinis Prædicatorum ; qui varia & erudita Opera ſcripſit , ut perperàm & ſine ullo fundamento aliqui dixerunt , ut egregij viri pro Angelico Doctore conciliarent auctoritatem. Nam Humbertus de Romanis fuit electus ad Generalatum anno 1254. & renunciato officio obijt (ſecundùm probabiliorem opinionem) anno 1274. eodem quo & S. Thomas è vivis ereptus eſt ; licet aliqui dicant obijſſe an. 1276. ſed hæc parva eſt differentia : conſtat autem ex ipſamet vita in multis locis & capitibus , fuiſſe ſcriptam poſt canonizationem S. Thomæ , id eſt , poſt annum 1323. Et utinam eſſet Humberti Generalis , & non alterius Humberti incogniti ; ut ſic infrà dicenda majorem haberent vim ! Secundum , omnia Opera hìc relata Sacra atque Theologica non aſcendere in communi & in particulari ad triginta quinque Opuſcula parva & magna (nam de Philoſophicis non curamus) jam verò ſub nomine Sancti Thomæ circumferri ultra centùm quadraginta quinque. Tanta fuit multiplicatio uſque ad præſens. An autem multiplicatio hæc fuerit ſicut arena , quæ eſt in littore maris ? Notitioſus Pater Complutenſis diſcernere & judicare poterit. Tertium , notandum eſt illud. *Tot quæſtiones tam ſufficienter diſcutere , & tot novitates ſcribendo docere.* Verba iſta & alia hujuſmodi infrà-referenda , præcipuè ex S. An-

Digitized by Google

S. Antonino, non legerunt Doctores Salmanticenſes mordicùs affirmantes, quòd in Sancti Doctoris doctrina nihil penitùs eſſet novi, ut indè damnarent omnes novitates Scholaſticas; qui quidem ſcopus eſt totius ſui libelli. Quartum denique, perpendendum eſt in propoſita auctoritate, qualiter Angelicus Doctor, præter Germaniam, circuiverit bis Galliam & Italiam, & tot luſtraverit Bibliothecas, ut ſuam conficeret expoſitionem ſuper Evangelia; nec propter hoc debeat vocari gyrovagus, vel Frater Muſca, &c. ſed potiùs elogijs cumuletur; & meritò. Non ergò eſt verum, quod Pater Complutenſis, ut ſuggilaret SOLEM VERITATIS, dixit ipſius Auctorem nihil poſſe ſcire, cùm luſtrando Bibliothecas peragraſſet mundum: quia *ſcientia*, ſecundùm S. Thomam, *in otio & quiete acquiritur.* Hoc nec fecit, nec dicunt ſui de S. Thoma.

Secundus teſtis ſit Auctor ille incognitus, vocatus Didaſculus, qui primitùs recolligit in unum omnia Opuſcula Angelici Doctoris, circa annum 1490. & illa imprimi curavit, cujus verba hîc ad litteram tranſcribere decrevi: In prologo igitur ad Lectorem ſic inquit: *Ad gloriam inexplicabilem ſuperbeatiſſimæ Trinitatis individuæ, intemerataque Virginis Dei Genitricis Mariæ, ac totius triumphantis Eccleſiæ, exultemus in Domino, Dilectiſſimi. In S. Thomæ de Aquino Doctoris Angelici mirabili & inenarrabili glorioſa doctrina Prædicatorum Ordo ſpeciali jucunditate delectetur; cùm Deus optimus, qui in Sanctis ſuis glorioſus oſtenditur, non paſſus eſt Solem obumbrari ſub nubilo, neque theſaurum ſub pulvere latitare, ut nimirum lucerna tam inclyta ſuper candelabrum Eccleſiæ poſita ad profectum omnium coruſcaret & animarum. Siquidem hic Doctor noſter Thomas velut Rex magnus fecit cænam magnam profundiſſimarum Scripturarum, & vocavit multos ad menſam doctrinarum ſuarum, in qua ſatiati filij argumentorum variorum reſolutione, quæſtionum profundiſſimarum devotione, fragmenta pedibus conculcarunt. Sed cùm Dominus juſſit colligere fragmenta ne pereant, amore tanti Doctoris accenſus, ego ejus inutilis Di-*

Didaſculus, Opuſcula ejus varia diverſis Diſcipulis veluti catulis diſtributa, atque per orbem diſperſa & occultata, per parteſque fruſtratim per orbem diviſa, diſponente, non dubito, Divinâ clementiâ, pariter exigente juſtitiâ, non ſine ingenti labore & fatigatione, multis retroactis annis in diverſis climatibus, velut apis argumentoſa mel colligens è floribus, ita diverſis librarijs Opuſcula Beatiſſimi Doctoris præfati colligendo, quotquot potui invenire in unam redegi ſummam, ut qui laceſſentem ingenij ſtomacho panem integrum deglutire non valens, ne famelicus pereat, ſaltem fragmentis levioribus refocilletur, &c. Doctrina Doctoris Thomæ veluti mare magnum & ſpatioſum in triplicem ſe diffundit Summam, ut in triplex flumen; quorum prima Summa contra Gentiles; ſecunda Summa Theologię veritatis; tertia Summa Opuſculorum, quam præ manibus habemus, non immeritò nominanda erit. Nec hęc mea nova adinventio, &c. Alia autem alij, & deinceps uſque ad finem ſcripta S. Thomę inveni ferè in omnibus, & ſine ferè, codicibus, inter quę aliqua in veritate à S. Thoma ſunt conſcripta, ut teſtatur Dominus Antoninus in ſua Chronica, & Magiſter Petrus de Bargomo in ſua tabula; ut puta de Sacramento; ſuper Boëtio de Trinitate, & de hebdomadibus; de emptione & venditione ad certum terminum, alia verò ſub dubio relinquo, nec quòd ea Sanctus compoſuit Doctor aſſero; ſed quia, uti pręmiſi, Doctori Sancto communiter in omnibus codicibus adſcribuntur; ideò in ſequentibus ſic annotantur, &c. Hucuſque verba illius Anonymi Auctoris, ſub nomine Didaſculi vel Didaſcali (quia fortè fuit error Typographiæ) in quibus noto ſequentia.

Primum, Auctorem eſſe incognitum, non ſolùm quoad nomen, ſed etiam quoad librum: nam extat ſine anno & loco impreſſionis in folio, quem inveni in Bibliotheca Patrum Conventualium Colonienſium aſſere 3. num. 43. in quo adducuntur ſeptuaginta Tractatus, ſeu Opuſcula diverſa; & ab iſto poſtea tranſcripſerunt alij, verbi gratia, Silveſter Pieranus, vel de Pierio, Antoninus Pizamanus, & alij. Adducit etiam Auctor iſte Bullam Urbani, & Epiſtolam Univerſitatis Pariſienſis,

& approbationem aliam Innocentij Papæ, de quibus infrà. Secundum, quòd Auctor iſte, quiſquis ille fuerit, per multos annos laborando, & per diverſa climata diſcurrendo, vel ut apis argumentoſa recollegerit omnia Opuſcula, quæ invenire potuit ſub nomine Angelici Doctoris, vel illi adſeribebantur ab aliquibus, ſcilicet, S. Antonino, & Petro de Bergamo; ſed ex ſeptuaginta tantummodò tria, vel quatuor (ſi facienda eſt diſtinctio in librum Boëtij de Trinitate, & de Hebdomadibus) affirmat ſub veritate fuiſſe à S. Thoma conſcripta, omnia alia ſub dubio relinquens, aſſerendo expreſſis verbis incertum eſſe Sanctum Doctorem illa compoſuiſſe. Suppoſito ergò hoc teſtimonio primi collectoris, quomodò alia ſexaginta ſex Opuſcula debemus admittere, & recipere indubitatâ fide; ita ut qui ea, vel verba illorum negaverit ſit ſuſpectus de veritate?

Tertius teſtis ſit Bibliotheca illa manuſcriptorum Belgij, Germaniæ, & Galliæ, laborata à duobus Patribus Ordinis Prædicatorum Guilielmo Carnificis, & Joanne Bundero, circa annum Domini 1580. exiſtens apud D. Antonium Sanderum, in qua à folio 609. uſque 615. adducunt omnia Opera à ſe reperta ſub nomine S. Thomæ in diverſis Bibliothecis ſupra-dictarum Provinciarum; & ſolùm enumerant 103. in quibus ſunt tredecim multiplicata, & aliqua parvi momenti: nam adducunt, ut Opuſculum diverſum ab alijs, Sermonem quemdam de B. Virgine, & ex reliquis triginta ſex ſunt Philoſophica & Logicalia. Si igitur manuſcripta inventa ab his duobus diligentiſſimis Scriptoribus, & ad annum 1580. ferè non ſunt ſeptuaginta; non erit mirum dubitare quomodò his temporibus, vel eodem in Romana Curia inventa fuerint & typis mandata centum ſeptuaginta & ampliùs.

Pro exacta dicendorum cognitione operæpretium erit conſtituere hîc Catalogum omnium impreſſionum Operum Sancti Thomæ editarum à principio Typographiæ, uſque ad annum

Digitized by Google

num 1500. diſcurrendo ordinatè per ſeriem annorum, ut hoc ſolido fundamento poſito ab ipſiſmet Patribus Dominicanis, pergamus ad alia. Anno igitur

1456. Impreſſa fuit Summa Theologiæ Coloniæ apud Joannem Coel.

1469: prodijt in quatuor libros Sententiarum Moguntiæ apud Petrum Scoeffer.

1470. Continuum, ſive Catena aurea Romæ per Conrardum de Arnoldo, & correcta per D. Joannem Andream Epiſcopum Alernenſem.

1471. Quodlibeta per Arnoldum Clixhœrnen; & eodem anno prodierunt Opera omnia S. Thomæ in duobus tomis, & non magnis Moguntiæ apud Petrum Scoeffer; jam verò ſunt volumina octodecim & magna.

1474. Commentaria in Evangelia Nurimbergæ apud Antonium Kohurger; & eodem anno Secunda Secundæ Romæ; & extat Pariſijs in Bibliotheca Regia num. 604. Et eodem anno Quodlibeta Nurimbergæ apud Andream Friſnes.

1475. Secunda Secundæ prodijt Venetijs per Franciſcum de Halbrum.

1476. Quæſtiones de veritate Romæ; & extant Pariſijs in Bibliotheca Regia num. 750. Et eodem anno Continuum, ſeu Catena in folio magno; quam invenimus in Conventu Montis-Lucis propè Trajectum ad Moſam; & ibidem erat alia impreſſio antiqua ejuſdem Continui abſque anno impreſſionis. Et eodem anno Quodlibeta Venetijs per Joannem de Colonia. Et eodem anno tertia pars Summæ Theologiæ Farniſij per Michaëlem Manzolo de Parma. Et eodem anno in tertium Sententiarum Coloniæ per Joannem Coel.

1477. Edita fuit prima pars Summæ Venetijs abſque nomine impreſſoris.

1487. Prodijt tertia pars Summæ, & extat Pariſijs in Bibliotheca Regia num. 772. Et eodem anno additiones ad tertiam

I 2 par-

partem Venetijs per Joannem de Colonia. Item eædem additiones impreſſæ fuerunt Coloniæ apud Joannem de Colonia, & Joannem Mathen Gheretzen. Et eodem anno tabula Operum S. Thomæ Baſileæ.

1479. Secunda Secundæ, quæ extat Pariſijs apud Patres Dominicanos in magno Conventu.

1480. Secunda Secundę Venetijs apud Joannem de Colonia. Et eodem anno Summa contra Gentiles Venetijs. Et eodem anno Summa Theologiæ Coloniæ per Henricum Coentel. Et eodem anno in Epiſtolas Pauli Bononiæ. Et eodem anno de cœlo & mundo Coloniæ. Et eodem anno ſuper libros Phyſicorum Coloniæ.

1481. Super librum Boëtij de Conſolatione Toloſæ apud Joannem Paris. Et eodem anno de vero modo prædicandi Genevæ per Ludovicum Conſu. Eodem anno in quatuor libros Sententiarum Venetijs per Joannem de Colonia, & Nicolaum Genſon. Pugillus ſeu Clypeus Thomiſtarum contra modernos Scotiſtas editus à Petro Nigro Ordinis Prædicat. Venetijs.

1482. Continuum, ſive Catena Venetijs per Antonium de Strata; & ibidem fuit impreſſus liber iſte per Hermannum Lichtenſtein, & Joannem Hammamen Spirenſem.

1483. Pars prima Summæ Theologiæ Venetijs. Et eodem anno Diffinitivum Theologiæ D. Thomæ per Joannem Capreolum Venetijs apud Octavianum Scotum. Eodem anno Confeſſionale, ſeu de modo confitendi Coloniæ apud Joan. Kodoeff.

1484. Prodijt Venetijs prima Secundę S. Thomæ abſque impreſſoris nomine.

1485. Quodlibeta Venetijs per Joannem & Gregorium de Gregorijs. Et eodem anno Summa Theologiæ Baſileæ. Et eodem anno Opus aureum ſeu Continuum apud Gregorium de Gregorijs Venetijs.

1486. Commentaria in Evangelia Venetijs per Andream de Aſula. Eodem anno tertia pars Summæ Venetijs apud Ber-

Digitized by Google

Bernardinum de Tridino. Eodem anno in Boëtium de conſolatione Nurimbergæ per Antonium Koberger. Eodem anno Quæſtiones quodlibeticæ apud Marinum Sarracenum.

1487. Commentaria in Boëtium de conſolatione prodierunt Lovanij.

1488. Opuſcula à Paulo Sonzinate Mediolani per Bergium & Xantonium fratres.

1489. In tertium ſententiarum Baſileæ. Et eodem anno in Boëtium de conſolatione Venetijs. Et eodem anno Commentaria in libros poſteriorum Venetijs per Guilielmum Tridenenſem de Monteſerrato.

1490. Commentaria in tertium Sententiarum Venetijs per Hermannum Liechtenſtein. Et eodem anno Opuſcula cum vita S. Thomæ, & officijs Eccleſiaſticis per Antonium Pizamanum Venetijs apud eumdem Hermān. Et eodem anno prima pars etiam Venetijs apud Theodorum de Rogationibus de Aſula.

1492. Commentaria in libros Sententiarum ad Hannibaldum Baſileæ per Nicolaum Keſſer.

1493. In Boëtium de conſolatione Coloniæ. Et eodem anno Commentaria in Evangelia Venetijs. Et eodem anno Annotationes in Ariſtotelis Logicam Coloniæ. Eodem anno Commentaria in libros Ariſtotelis cum ſupplemento Commentariorum P. Gratia Dei Eſculani Venetijs. Item eodem anno Expoſitio in parva naturalia Ariſtotelis Paduæ per Hieronymum de Durantis. Et eodem anno tertia pars cum additionibus Venetijs per Bonetum Locatellum; & etiam eædem additiones Venetijs apud Philippum Pincium, ubi etiam eſt illud Elogium: Hujus Doctoris Sapientia, &c.

1494. In ſecundum librum Sententiarum Bononiæ per Benedictum Hectoris.

1495. In omnes Epiſtolas Pauli Baſileę per Wolfangum Lachner. Eodem anno expoſitio in libros de Cœlo & Mundo, cum additionibus P. Petri de Arvernia Venetijs apud Bonetum Lo-

catellum. Eodem anno quodlibeta Venetijs per Joannem, & Gregorium de Gregorijs. Eodem anno Tabula aurea S. Thomæ Aquinatis per Petrum de Bergamo Baſileæ per Nicolaum Keſſer.

1496. De ſolutione Sophiſmatum Venetijs, ut refert P. Ludovicus Jacob à S. Carolo in Bibliotheca Chronologica antiquarum editionum.

1497. Commentaria in libros de Generatione & corruptione Venetijs. Et eodem anno Commentaria in Analytica poſteriora Ariſtotelis Venetijs. Item eodem anno in tertium Sententiarum cum recognitione Timothei Veronenſis. Et eodem anno in quatuor libros Sententiarum per Bonetum Locatellum. Et ſuper eoſdem quatuor libros Venetijs apud Octavianum Scotum. Et Summa contra Gentiles Coloniæ apud Quentellum.

1498. Commentaria in libros de Generatione & corruptione Venetijs per Petrum Lichtenſtein. Et eodem anno de principijs rerum naturalium Lipſiæ.

1499. Summa contra Gentes Coloniæ per Henricum Quentellum. Et eodem anno Quæſtiones diſputatæ Coloniæ per eumdem, & recognitę per Magiſtrum Theodoricum de Suſteren.

1500. Commentaria in Boëtium de conſolatione Lugduni operâ Magiſtri Joannis de Vingen, & Commentarijs Jodoci Baddij Aſcenſij. Eodem anno Commentaria in octo libros Politicorum Ariſtotelis cum præfatione Magiſtri Nimiræi. Eodem anno materiæ ſingularum quæſtionum, de Potentia, de Malo, & de Unione Verbi Incarnati, de ſpiritualibus creaturis, de anima & de virtutibus diſputatæ, in unum reductæ codicem per Sacræ Theologiæ Profeſſorem eximium Magiſtrum Theodoricum Suſteren Coloniæ apud Henricum Quentellum.

Hæc ſunt quæ prodierunt in infantia Typographiæ ſub nomine S. Thomæ Aquinatis uſque ad annum 1500. Ex quibus judicandum quid uſque ad illud tempus fuerit ſub ejus editum nomine

Digitized by Google

mine, & quomodò poſteà fuerunt omnia alia inventa & addita, quin ſignetur ubi vel quando fuerint reperta, ne curioſi vel amatores veritatis inquirerent. In quibus unum tantùm pro nunc notare debes, ut ex illo judices de alijs: & eſt, quòd nihil ita repetitum invenies in iteratis impreſſionibus, quàm Commentarium illud in Boëtium de conſolatione, quod etiam poſteà prodijt anno 1506. ſub nomine S. Thomæ cum alio Aſſentiano, & ſic deinceps repetitis vicibus. Et tamen conſtat evidenter illud non eſſe S. Thomæ: ſi autem multa vel aliqua de reliquis ſint eâdem menſurâ menſuranda, alius perpendat ex dictis ipſorummet Scriptorum Ordinis Prædicatorum.

Inter iſtam ingentem multitudinem librorum, atque Opuſculorum inveniuntur aliqua, & plura, quæ non ſunt propria & legitima S. Thomæ, ſed notha, & ipſi gratìs ob varios rerum eventus inconſultè adſcripta. Et ut hoc principium quaſi per ſe notum non poſſit tranſire limites ſolidæ veritatis, tantùm in teſtes illius adducam Auctores ipſos Ordinis Prædicatorum: quorum primus ſit S. Antoninus Florentinus, qui tertiâ parte ſuæ Hiſtoriæ, tit. 18. cap. 10. in Catalogo operum S. Thomæ, ſolùm refert quinquaginta octo Opuſcula, & omnia alia dicit gratìs fuiſſe illi adſcripta; atque ex illis quinquaginta octo Opuſculis, dicit lecturam in Matthæum fuiſſe cujuſdam P. F. Petri de Andria, qui quidem Pater etiam multa addidit in libris de Cælo, & hujus dicunt eſſe alia opera nunc Sancto Thomæ adſcripta. Item dicit S. Antoninus Poſtillam in tres nocturnos Pſalterij eſſe cujuſdam Patris Reinaldi, ſive Reginaldi ſocij S. Thomæ Aquinatis: ſicut etiam liber de Anima, & expoſitio Evangelij S. Joannis, excepto primo capite. Alij verò dicunt quòd Angelicus Doctor laboraverit uſque ad quintum capitulum, & deinceps Pater Reginaldus. Dicit denique Sanctus Antoninus, quòd Opuſcula parva, & diverſa edita à S. Thoma eſſent ſolùm circiter quadraginta, ſignatque, & enumerat illa ſigillatim & in individuo. Cùm autem S. Antoninus ſcriberet

circa

Digitized by Google

circa annum 1450. jam an. 1508. typis mandata fuerunt Venetijs apud Jacobum Petinnium de Leucho ſeptuaginta tria Opuſcula; ſicque ſpatio 58. annorum inventa fuerunt de novo, & aucta triginta tria Opuſcula. Hieronymus Viëlmus etiam Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit circa annum 1564. lib. 2. paginâ 46. & 52. negat eſſe S. Thomæ expoſitionem in Apocalypſim, & alia hujuſmodi ipſi adſcripta, Poſtillam ſuper Geneſim, ſuper Eccleſiaſten, atque compendium Theologiæ: & hoc de compendio Theologiæ etiam affirmat Sanctus Antoninus: & quòd hoc non ſit S. Thomæ eſt evidens, ut alibi demonſtratur. Sixtus Senenſis Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit circa annum 1570. lib. 4. ſuæ Bibliothecæ ſanctæ affirmat commentaria in Iſaiam, Hieremiam, Threnos, &c. non eſſe S. Thomæ. Antonius Senenſis Ordinis Prædicatorum, qui poſt iſtum ſcripſit anno 1585. in ſua Bibliotheca fol. 229. fatetur multa opera cujuſdam Fratris vocati Thomæ Anglici fuiſſe typis mandata ſub nomine Thomæ Angelici; decepti Auctores, vel Scriptores ex ſimilitudine cognominis Anglici, & Angelici: & in hoc conveniunt multi alij recentiores. P. Michaël Pius Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit ad annum 1607. excludit ab Operibus Sancti Thomæ duodecim Opuſcula, ſcilicet, commentaria in Epiſtolas Canonicas & alia; cujus argumentum eſt, inquit, Nazarius fol. 15. quòd in editione Romana hoc opus, ſeu expoſitio in Epiſtolas Canonicas non recenſeatur. In Opuſculis S. Thomæ impreſſis Venetijs, ſtudiò Antonij Pizamani in prologo abſolutè excludit quindecim Opuſcula. Et ipſe addidit ex proprijs in illa impreſſione duo de novo numquàm anteà ſub nomine S. Thomæ edita. Et ſic poſſunt adduci multa alia, ſed brevitatis gratiâ reducamus ad unum, quæ ſparsìm inveniuntur in multis.

R. P. Joannes Paulus Nazarius Ordinis Prædicatorum poſtquam plura & quidem doctè ſcripſiſſet, ad extremum vitæ ſuæ edidit Opuſculum anno 1631. ſub titulo: *De ſcriptis S. Thomæ Aqui-*

Aquinatis, *&c.* in quo acerrimè conatur defendere opera Angelici Doctoris. Et à folio 7. ex diverſis Scriptoribus ſui Ordinis P. Ferdinando del Caſtillo, Plodio, Cajetano, & alijs Auctoribus ſupra-relatis recenſet omnia opera inſerta in Catalogis noviſſimis operum S. Thomæ: & vocat in dubium, præter ſuperiùs jam excluſa opuſcula, ſequentia: Summam Theologiæ quoad majorem partem, ſecundum reſcriptum ſuper Sententias ad Annibaldum Cardinalem (& quòd hoc non ſit S. Thomæ in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS evidenter demonſtratur ex ipſo libro originali manu-ſcripto invento in Conventu majori PP. Carmelitarum Pariſienſium; hunc enim P. Thomas Nerius Florentinus anno 1574. ſine ullo fundamento typis mandari curavit Pariſijs apud Michaëlem Sonium in 8. ſub nomine S. Thomæ) librum de Regimine Principum per plures paginas conatur defendere contra Bellarminum & alios. Dubitat de Commentarijs in Metaphyſicam: nam P. Proſper Reſta Conventualis affirmat eſſe Alexandri Alenſis. Et ſic diſcurrit dubitando de alijs opuſculis, videlicet, de reſponſione ad Magiſtrum Joannem, de natura materiæ, de dimenſionibus interminatis, de natura generis, de potentijs animæ, de tempore, de pluralitate formarum (& de hoc certiſſimum eſt non eſſe S. Thomæ) de natura Syllogiſmorum, de Summa logicæ, de ſenſu reſpectu ſingularium, de inventione medij, de natura hominis, de natura loci, de intellectu, de quo eſt, & quod eſt, de univerſalibus duo opuſcula, de Sacramento Altaris, de humanitate Chriſti, de dilectione Dei, de Divinis nominibus, de beatitudine, de modo confitendi, de officio Sacerdotis, de expoſitione Miſſæ, de emptione & venditione, de modo acquirendi Divinam ſapientiam, de vitijs ac virtutibus, de concordantijs ſui ipſius, de uſuris in communi. Et concludit P. Nazarius, quòd, exceptis his viginti novem opuſculis, reliqua indubitatè ſint S. Thomæ. Sed non omnia alia, ut Auctor iſte proponit, ſunt indubitata ejus opera. Nam tertiæ partis ultimum

mum volumen non eſt S. Thomæ. Item primum volumen ejuſdem tertiæ partis complevit quidam diſcipulus S. Thomæ vocatus Albertus de Brixia, quia Angelicus Doctor morte præventus illud non potuit perficere. Liber Peryarmeniarum non eſt S. Thomæ. Expoſitio Orationis Dominicæ non eſt S. Thomæ, ut conſtat ex quodam originali manu-ſcripto exiſtente in Bibliotheca Regia Scoriali. Expoſitio ſalutationis Angelicæ extat manu-ſcripta ſub nomine Innocentij Papæ in Bibliotheca Chriſtianiſſimi Regis Pariſijs: & etiam ſub nomine ejuſdem Innocentij III. extat in Belgio apud Canonicos S. Auguſtini Lovanij. Catena aurea creditur eſſe cujuſdam antiqui Patris Ordinis Minorum magiſtri S. Ludovici Francorum Regis, Pontij Carbonelli appellati, ut conſtat ex ejus originali manu-ſcripto exiſtente in Conventu S. Joannis Regum Toletan. de quibus atque alijs hujuſmodi, Deo dante, alibi latiſſimè dicemus: nam hîc solùm intendimus agere de opinionibus, dubijs, ac reſolutionibus admiſſis & receptis inter ipſoſmet Scriptores Ordinis Prædicatorum, circa ſcripta, opera, & doctrinam ſui Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis.

In ultimo ergò paragrapho ſub hoc titulo: *Annotationes circa alia plura ſcripta præferentia nomen D. Thomæ* fol. 58. inquit P. Nazarius: *Adverte præterea ex Viëlmo paginâ 54. ejus tempore publicatos fuiſſe ſub nomine D. Thomæ quoſdam Commentarios in libros Boëtij de Conſolatione, de quibus idem Viëlmus ſuum ferens judicium ait: At verò qui in librum Boëtij de Conſolatione Commentarijs ejus nomine ſcribuntur Divi Thomæ non ſunt, ſed alicujus Dominicani, &c.* Et proſequitur latè oſtendendo quomodò Commentaria iſta ſuper libros Boëtij de Conſolatione non ſint S. Thomæ. Et in hoc veritatem dixit Viëlmus: nam licet Hagænau anno 1491. prodierit liber Boëtij: *Boëtij viri celeberrimi de conſolatione Philoſophiæ liber, cum optimo commento S. Thomæ, &c.* Et hoc ſæpè repetit, & Lugduni apud Joannem Clein in 4. abſque anno impreſſionis exierat non ſolùm Boëtius de Conſolatione Philo-

ſophi-

ſophica, ſed etiam cum eo aliud opuſculum de Diſciplina Scholarium ſub nomine S. Thomæ; ſed falſo & ſine ullo fundamento, ut ibidem dicitur. Proſequitur Nazarius cum auctoritate Viëlmi, ſic : *Sed execrabilius eſt, quod nequam, & ſceleſti homines quidam vel ad Thomæ auctoritatem enervandam (quòd videlicet alibi docuiſſet aliter, & contrarium pateret) vel, ut ego quidem arbitror, ad ſuam eorum aliquam opinionem, quæ in controverſiam verti ſoleat, tanti viri teſtimonijs fulciendam, & comprobandam egerunt. Nam ejus ſcriptis alicubi Pſeudo-quædam inſeruerunt, & publico ego judicio Venetijs Typographos olim convêni, & alibi rem totam pando. Hæc ibi Viëlmus ;* & ſtatim addit ex ſe Nazarius : *Quæ hîc inſerere placuit ad eorum cautelam, qui tanti Magiſtri doctrinâ & librorum ejus lectione delectantur. Adverte ſecundò, in impreſſione Romana, legitima S. Doctoris opuſcula majoribus, cætera verò quæ ſpuria, aut dubia reputata ſunt, minoribus characteribus fuiſſe deſignata ; ut antè dictum eſt. Hæc verò nimirum ſpuria, vel dubia ſunt, &c.* Et refert opuſcula, quæ in operibus S. Thomæ ut ſpuria, & non legitima habentur. Suppoſito ergò iſto irrefragabili principio, quòd in operibus S. Thomæ reperiantur tractatus, libri, & opuſcula intruſa, incerta, dubia, illegitima, ſpuria, & illi falsò adſcripta, ſive iſta ſint plura, ſive pauca, propter impreſſorum malitiam, Auctorum imperitiam, aut ſceleſtiſſimorum hominum nequitiam, de quo pro nunc non curo, pergamus ad alia.

Pro exacta omnium operum S. Thomæ intelligentia ; notanda ſunt verba P. F. Theophili Cremonenſis Ordinis Prædicatorum in Commentarijs S. Thomæ ſuper libros Phyſicorum, impreſſis Venetijs apud Bonetum Locatellum Bergomenſem anno 1471. in folio : ubi in prologo ſic inquit. *Erunt hæc D. Doctoris in Ariſtotelis libros Commentaria, quæ à me diligentiùs pluribus ſimul exemplaribus collatis emendata, &c. Primò, videlicet, Commentaria in octo libros Phyſicorum, duos tantummodò de cælo cum tertio dimidiato, in duos de Generatione, in duos meteororum, reliquos enim duos arbitror ipſum non commentaſſe morte vetante, ſicut nec in ultimos cœli*

ob eamdem cauſam Commentationem perfecit, in tres de Anima, in libellos de ſenſu, & ſenſato, ac de memoria & reminiſcentia, in decem libros Metaphyſicæ, quibus Commentaria in librum de cauſis copulabimus, licet non Ariſtotelis, ſed Proculi fuiſſe conſtet, in decem libros Ethicorum, in duos ſolummodò politiæ cum majore parte tertij; hos namque ſolos reperi D. Doctorem accuratiſſimè commentaſſe; licet nonnulli aſſerant ipſum in omnes politiæ libros Commentaria edidiſſe; ſed ſi ſic volunt, referant obſecro, undè tanta obrepſit Commentarijs diverſitas poſt dimidiati tertij libri Commentationem: Commentatio itaque illa non D. Doctori, ſed doctiſſimo viro Petro Alvernati Ordinis Prędicatorum, qui in ſuis Commentarijs pro poſſe Divinum Doctorem ſecutus eſt, adſcribenda eſt: reliquis enim Petri Commentationibus hæc in politiæ libros Commentationum ſuppletio plurimùm alludit. In primum etiam librum Perihermenias cum ſecundi particula, & in duos poſteriorum Analiticorum. Quæ verò Commentaria S. Doctor naturæ concedens imperfecta reliquit, ea vel ex Commentarijs ejuſdem Petri, vel Gratiæ Dei Eſculani perficere curabimus, &c. Sicque multa opera S. Thomæ fuerunt completa ex lucubrationibus Patris Gratia Dei Eſculani, ut conſtat etiam ex libro impreſſo Venetijs 1493. Hic autem Gratia Dei fuit Ordinis Prædicatorum Auctor, qui ſcripſit ſuper libros Ariſtotelis de Phyſico auditu, ſecundùm Ordinem locutionum D. Thomæ Aquinatis, cujus liber incipit: *Sicut dicit Philoſophus, &c.* Scripſit etiam quæſtiones varias ſuper eumdem Ariſtotelem, quæ incipiunt: *Quæſtio prima eſt, utrum ens mobile, & non corpus mobile ſit ſubjectum naturalis Philoſophiæ, &c.* quæ opuſcula typis mandata fuerunt per R. P. F. Nicolaum Methoſicans, etiam Ordinis Prædicatorum, Venetijs apud Petrum de Quarengis anno 1513. in fol. Ab hoc ergò P. Gratia Dei fuerunt completi ac perfecti. Cùm igitur modò ſcribentes ſcire non poſſint antiquitates, niſi ex ſcriptoribus; & hoc affirment relati ex Ordine Prædicatorum, & qui pro ejus gloria & doctrina dimicabant, debemus eis credere: vel ſi non tenemur eis credere in hoc, igitur neque in alijs, quia non

non eſt major ratio de proſperis, quàm de adverſis. Niſi dicant Sanctum Thomam hoc debere decorari privilegio ſingulari, quòd pro ipſius gloria omnia favorabilia ſint vera, & credenda; & omnia dicta contra ipſum reſpuenda ut falſa. Verùm tunc occurrerent defenſores piæ Sententiæ Immaculatæ Conceptionis interrogando: & quare hoc non obſervetur vel obſervandum ſit cum Sacratiſſima Dei Matre MARIA? Si tenemur prædictis Scriptoribus Ordinis Prædicatorum credere, concludimus quòd ex decem partibus librorum, ſeu opuſculorum ſub nomine S. Thomæ typis mandatorum vix una ſit Angelici Doctoris.

Hoc iterum probo ex duplici principio efficaciſſimo. Unum eſt hoc: ſecundùm Auctores Ordinis Prædicatorum Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas infirmitatibus impeditus, & morte præventus non potuit perficere nec conſummare opera ſequentia: Primò, librum de Divinatione per ſomnum. Secundò, libros de Cælo, quia ſolùm ſcripſit uſque ad principium tertij libri. Tertiò, libros Meteororum, quorum tantùm abſoluit duos. Quartò, non abſoluit libros Ethicorum, quia in tertia parte finem fecit. Quintò, non concluſit libros Politiæ, ut ſuprà probat P. Theophilus. Sextò, non perfecit libros Perihermenias, ut affirmant Antonius Senenſis, & alij quam-plures. Septimò, imperfectum reliquit compendium Theologiæ ut ad finem ipſius dicitur. Octavò, Poſtillam ſuper Pſalmos laboravit tantùm uſque ad quinquageſimum Pſalmum. Nonò, expoſitionem in Evangelium Matthæi reliquit mutilam. Decimò, in expoſitione Evangelij Joannis ſolùm pervênit uſque ad quintum caput. Undecimò, libros de anima incepit S. Thomas, ſed illos perfecit ejus ſocius Reginaldus. Duodecimò, in expoſitione Epiſtolarum S. Pauli minimam partem laboravit Angelicus Doctor: nam major poſtea fuit addita, ut poſt alios affirmat Michaël Pius. Decimotertiò, quòd non perfecerit tertiam partem Summæ Theologiæ, niſi tantùm uſque ad quæſtionem nonageſimam, eſt per ſe notum; & tamen ferè omnia iſta nunc

Digitized by Google

manent perfecta & completa; & licet evidenter conſtet non eſſe doctrinam Sancti Thomæ, quia illi ſunt adjuncta ſive aſſuta, debemus eis eamdem venerationem, ac fidem præſtare, ac ſi eſſent legitimi, & indubitati conceptus mentis Angelici Doctoris S. Thomæ.

Sed perveniamus jam ad ſecundum & irrefragabile principium, ex quo veritatis amatores colligant, in quo ſtatu ſint hodie, & in quo acceptionis gradu debeant eſſe apud omnes opera typis mandata ſub nomine S. Thomæ. Quidam Scriptor Ordinis Prædicatorum Colonienſis ante annum 1500. ſcripſit, ac typis mandavit legendam venerabilis D. Alberti Magni, quæ extat impreſſa antiquiſſimis characteribus ſine anno & loco in 4. cujus initium eſt: *Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, cujus magnitudinis numerus non eſt, cùm infinitus ſit, &c.* & capite 44. quod incipit: *Et quia floſculos varios ſpiritualium de ſe ſpirantes, &c.* habet pro titulo: *Numerus librorum Alberti, tam in Theologia quàm in Philoſphia;* in quo referuntur exactiſſimè, ac ſatis prolixè omnia opera & tractatus Alberti Magni, ex quibus triginta octo manent nunc typis mandata ſub nomine S. Thomæ Aquinatis: de aliquibus Auctor illius libelli pro viribus defendit non eſſe S. Thomæ, ſed prædicti Alberti. Solvatur ergò Nodus iſte: vel illa triginta octo opuſcula ſunt Alberti Magni, vel S. Thomæ? Si Alberti Magni quomodò inveniuntur impreſſa inter opera S. Thomæ? & ſi ſunt genuina opera, ac legitima Angelici Doctoris, quomodò extant in Catalogo illo antiquo edito à quodam Patre Dominicano ſub nomine Alberti Magni? Reſpondeat alter, quia ego neſcio, quomodò Nodus iſte ſit ſolvendus.

Quòd multa opuſcula quæ nunc circumferuntur impreſſa ſub nomine Alberti Magni non ſint ſua, aſſertivè affirmare poſſum. De aliquibus oſtendo mathematicè veritatem in Radijs Solis Veritatis, præcipuè de Sermonarijs atque ſecundo Mariali, ac de libello illo de Muliere forte; nam Corveriæ in Picardia extat Manuſcrip. ſub nomine S. Auguſtini, de qui-

quibus nec verbum dicerem, niſi adducerentur contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Et hoc unum ſolùm adverto (ut non credant me prædictis generalibus verbis aliquid temerè, aut animi livore protuliſſe, cùm tantùm deſiderem veritatis oſtenſionem) ex Faſciculo Bibliothecario Sacro-prophano Manuſcriptorum Belgij laborato à Claudio Doreſmieulx Atrebato proponente fuiſſe omnes iſtos Albertos qui varia ſcripſerunt, ſcilicet, Albertum de Orlamide Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit Philoſophiam pauperum. Albertum N. & Albertum de Saxonia Epiſcopum Alberſtatenſem, Albertum de Mantua qui ſcripſit de Corpore & Sanguine Domini, Albertum Benedictinum, Albertum ſive Aubertum Ordinis Prędicatorum, qui ſcripſit ſuper veterem artem, item ſuper ſex principia, & ſuper quatuor libros Sententiarum, ac denique Albertum Lombardum, qui ſcripſit ſuper totam Bibliam: omnium iſtorum ejuſdem nominis auctorum opera ſunt confuſa cum operibus Alberti Magni. Quia aliqui exiſtimarunt nullum fuiſſe hujus nominis Scriptorem niſi Albertum cognominatum Magnum, quia ipſum non tantùm deſiderabant videre Magnum, ſed etiam ſolum. Et ſic factum eſt etiam cum operibus Angelici Doctoris.

Reduco totam iſtam materiam ad unicum exemplum. In operibus Alberti Magni ſunt duo Marialia diverſa de laudibus Virginis MARIÆ: de quorum uno non eſt dubitandum, quia indubitatè eſt Alberti Magni, & ſic dedimus illud in primo Tomo noſtræ Bibliothecæ Virginalis. Aliud verò eſt cujuſdam Patris Ciſtercienſis, ut in ipſomet prologo dicitur, tunc incogniti, nunc verò cogniti, nam vocabatur Richardus à S. Laurentio. His tamen clariſſimis teſtimonijs non obſtantibus in ultima impreſſione operum Alberti Magni prodijt hoc Mariale ſub ejus nomine. Quaſi ſtupefactus de tali adſcriptione per multos dies quæſivi fundamentum, quo res tam abſurda prodierit in lucem; & illud inveni Coloniæ apud Patres Carmelitanos, & fuit hoc: quidam devotus Virginis MARIÆ antiquus

quus circa annum 1480. curavit typis mandari ſimul in unum opuſcula quædam, quæ cedebant in laudem & gloriam Sacratiſſimæ Dei Matris, & incepit à Mariali Alberti Magni ſub ejus expreſſo nomine, & illo finito tranſivit ad aliud Mariale anonymum, & ex iſtis duobus compaginavit ſatis ingentem Tomum in folio, qui autem typis mandarunt opera Alberti Magni, videntes in principio iſtius voluminis nomen illius, & alterum opuſculum carere nomine, judicarunt eſſe pietatis opus (licet non veritatis) illud collocare etiam ſub nomine, & tutela Alberti Magni. De iſtis mirabilibus repertis in rebus magnis colligere poſſumus quid actum fuerit in parvis, quia non ſolùm omnes Albertos voluerunt facere Magnos, ſed etiam Richardos Albertos, & Ciſtercienſes Dominicanos.

Sed jam alio ſupereminenti modo indagandus eſt numerus, & veritas operum Angelici Doctoris, quæ pro nunc in tres claſſes divido. Prima erit de omnibus manuſcriptis. Nulla eſt enim Bibliotheca inſignis in Europa, quæ aliquos non habeat manuſcriptos libros S. Thomæ. Secunda erit de antiquis impreſſis, & voco antiquos impreſſos illos typis mandatos ab anno, quo cœpit Typographia uſque ad annum 1500. vel 1520. quando Cajetanus fecit ſuum commentum. Tertia erit de operibus impreſſis ab illo tempore uſque ad præſens. Et ex his tribus partitionibus concludemus cum claritate noſtrum propoſitum aſſumptum. Et quantum ad primam claſſem de manuſcriptis ſciendum eſt 1. quod plura variaque manuſcripta viderimus, & extent in Bibliothecis Hiſpaniæ, Galliæ, Belgij, Italiæ, Germaniæ, & Angliæ, &c. quæ ferè ſemper in fine ſunt ſubſcripta nomine S. Thomæ; ſed cum diſtinctione: nam in aliquibus dicitur: *explicit tractatus N. S. Thomæ de Aquino, vel B. Thomæ Aquinatis Ordinis Prædicatorum;* & de iſtis certum eſt fuiſſe ſcripta poſt ejus Canonizationem, id eſt, ab anno 1323. uſque ad annum 1444. quando inventa eſt Typographia: nam poſt hujus inventionem nullus Sanctorum Patrum eſt manuſcriptus liber.

In

In alijs verò ad finem dicitur: *Finit tractatus N. Fratris Thomæ de Aquino:* & de his etiam videtur certum, fuiſſe ſcriptos ante Canonizationem Angelici Doctoris,id eſt,ab anno 1250. uſque ad 1323. Et ratio eſt: quia in illis non vocatur Sanctus nec Beatus. In alijs ſolùm dicitur: *Finit tractatus N. Fratris Thomæ.* Et tandem in aliquibus concluditur ſic: *Tractatus Thomæ explicit*, abſque eo quòd vocetur Sanctus vel Frater. Et ex hoc confuſo modo ſcribendi antiquorum exorta eſt etiam prima confuſio, & quidem magna circa opera S.Thomæ. Nam antiqui Patres Dominicani, ubicumque inveniebant nomen, *Thomas*, ſine aliquo alio delectu, vel ſeria conſideratione, quòd in Religionibus & Chriſtianitate fuiſſent multi ſcriptores vocati hoc nomine, *Thomas*; & in Religione Dominicana non pauci, ac graviſſimi, ut fuerunt Thomas de Suetonia, Thomas Anglicus, Thomas Jorſius,&c. omnia opera ſubſcripta hoc nomine, *Thomas*, ſtatim adſcripſerunt Angelico Doctori: & hinc eſt quòd rariſſimus tractatus pervenerit ad manus Patrum Prædicatorum continens in principio, aut in fine nomen iſtud, *Thomas*, qui illicò non fuerit acclamatus & editus ſub nomine S. Thomæ de Aquino. Addo aliquid aliud. Etenim quandoque aliquis, qui nec vocabatur Thomas, nec erat ex Ordine Prædicatorum, volebat reducere ad compendium aliqua opuſcula S.Thomæ, vel ex ſententiarijs, vel ex ſumma, ut haberet in promptu præcipuas reſolutiones, aut quæſtiones aliquas ſelectas, & in principio dicebat: *Incipit compendium S.Thomæ;* aut in fine: *Expliciunt reſolutiones, ſeu concluſiones B.Thomæ*, etiam iſta opuſcula, quæ tantùm erant S.Thomæ objectivè, fecerunt illa eſſe S.Thomę formaliter & effectivè. Poteram de omnibus ac ſingulis ſupra-dictis adducere non pauca exempla admiſſa & recepta à Michaële Pio,Antonio Senenſi,& alijs Nomenclatoribus Ordinis Prædicatorum,& aliqua inſuper à me reperta.Sed cùm demonſtratio iſtorum non ſit pręcipuus ſcopus hujus libelli,qui ſic relata voluerit credere,credat; qui verò noluerit, non ideò movebit

vebit lites,quas numquam quæſivimus,nec quærémus umquam.

Sed relictis omnibus extrinſecis auctoritatum teſtimonijs, quæ vera poſſunt eſſe vel falſa, propono ſolùm illa à me viſa, & proprijs oculis examinata & comprobata. Et in primis relinquo expoſitionem illam noviſſimam ſuper Apocalypſim, ſub nomine S. Thomæ ſine ullo prorsùs fundamento ac umbra veritatis typis mandatam; quia ipſa jam viſa eſt anonyma, & in ea quædam auctoritas contra Immaculatam Virginis Conceptionem, de qua agemus in Radijs Solis Veritatis. Prætermitto etiam ſermonarium editum ſub nomine Angelici Doctoris contentum in operibus ejus; quod quidem nullo modo eſt S.Thomæ. Et ratio eſt demonſtrativa: nam in Monaſterio Floreſienſi Ordinis Patrum Pręmonſtratenſium extat quoddam antiquum manuſcriptum in charta pellicea in folio, laboratum à quodam Patre Dominicano: in quo ipſe Pater recollegit aliqua opuſcula & ſermones Auctorum ſuæ Religionis; & inter ſermones alios adducit ſequentes ſub nomine *Fratris Thomæ Aquinatis* (cùm vocet eum Fratrem & non Sanctum, cognoſcitur librum fuiſſe ſcriptum ante ejus Canonizationem) Et primus ſermo eſt de Aſſumptione, & incipit: *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum,&c.Pſalmus;Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; licet verba iſta conveniant ſpecialiter D. N. Jeſu Chriſto, Apoſtolus tamen exponit de tota natura humana*, &c. In ſermonario autem impreſſo ſub nomine S. Thomæ ſermo iſte de Aſſumptione incipit ſic: *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*, &c. *Eccleſ.*24. *Per ſex arbores quibus comparatur exaltatio B.Virginis*, &c.Folio 81. adducit illud manuſcrip. ſermonem S. Catharinæ Fratris Thomæ de Aquino, & incipit: *Generoſitatem illius glorificat contubernium*, &c. *ſicut colligitur ex iſtis verbis generoſitatem Sanctorum glorificare non poſſunt*, &c. & in ſermonario impreſſo ſermo ille de S. Catharina incipit ſic: *Sapiens mulier ædificat domum ſuam. Proverb.*14. *Hæc verba poſſunt exponi de B. Catharina*, &c. De tempore etiam adducit illud manuſcriptum aliquos ſermones Fratris Tho-

Thomæ Aquinatis v g. de Dominica tertia poſt Penthecoſten, & incipit: *Eſtote miſericordes, &c. in verbis Dominus facit mentionem &c.* Et in ſermonario impreſſo ſub nomine S. Thomæ ſermo iſte incipit: *Homo quidam fecit cœnam magnam, Lucæ* 13. *Per cœnam iſtam ſicut dicunt Sancti, &c.* Alij ſermones extant in illo antiquo manuſcripto ſub nomine Fratris Thomę de Aquino, qui minimè extant inter ſermones ſub ejus nomine nunc typis mandatos.

Ex quibus omnibus quaſi evidenter colligitur non eſſe Sancti Thomæ ſermones ſub ejus nomine nunc impreſſos; vel Angelicum Doctorem edidiſſe duo ſermonaria. Et hoc videtur difficile quando nec de uno Auctores, & Nomenclatores faciunt mentionem; & habebimus cum iſtis eamdem difficultatem, quam modo extricare curamus de quatuor ſermonarijs Alberti Magni, de quibus agemus in Radijs Solis Veritatis. Non laboro ut auferam gloriam S. Thomæ, abſit hoc; nec intendo auferre ab ipſo ne dicam librum, ſed ne vel minimam lineam ut ipſi perperàm clamant: dico enim & affirmo ſcripſiſſe ſermones, ut ille antiquus Pater Dominicanus affirmat, nego tamen & contradico illos eſſe collocatos vel collocandos inter opera Angelici Doctoris; quia iſti ſunt ſermones nullius momenti, inſulſi, &c. & illi antiqui eruditi & omni acceptione digni. Et utinam, ſicut erant quinque vel ſex, fuiſſent omnes: & hoc propter gloriam Angelici Doctoris: ſub cujus doctrina celebri enutritus fui in Civitate Cuzquenſi ſub Magiſterio D. D. Joannis Rodriguez de Rivera Rectoris Collegij S. Antonij Abbatis, quem ut Sanctum venerabamur juvenes, immò tota Civitas, magni & parvi, nullo alio compellabant eum nomine niſi *el Sancto*, & nullus fuit inventus ſuo tempore adeò defenſor S. Thomæ Thomiſta ſicut ipſe.

Quòd autem Catena aurea fuerit tranſcripta à Catena magna F. Poncij Carbonelli Magiſtri, ac præceptoris S. Ludovici Regis Francorum, & ex Seraphica Familia, in libello Hiſpanico dicto, *Judicium Salomonis*, non quomodocumque, ſed efficaciſſi-

mè probatur; ad quem libellum remitto Lectorem: nam nimis moleſtum eſſet tranſcribi hic rationes & fundamenta ibi relata. Dico ergò hæc & alia ſimilia me relinquere, quia non pertinent ad Conceptionem Virginis, id eſt, non citantur à Patribus Dominicanis contra Immaculatam Conceptionem, quia de his præcisè intendimus loqui in iſto Nodo; de alijs verò in communi ſuo tempore, & occaſione tractabitur.

Ex prædictis ergò opuſculis militantibus contra Conceptionem in operibus S. Thomæ, unum ac præcipuum eſt expoſitio illa ſuper ſalutationem Angelicam, quæ extat tomo 17. ex qua deduxerunt auctoritatem quam dedimus in Sole Veritatis; & iterum dabimus in Radijs. Sed quòd opuſculum illud non ſit Angelici Doctoris hâc unicâ ſuadetur ratione. In Bibliotheca Regia Pariſienſi, & in alijs ſeptem Bibliothecis Belgij & Germaniæ reperitur prædicta expoſitio ſalutationis Angelicæ antiquiſſimis characteribus ſcripta in charta pellicea, & in tribus originalibus extat anonyma, quod eſt, ſine Auctoris nomine: & in alijs quinque extat ſubſcripta nomine Innocentij III. Summi Pontificis, vel Lotharij (ſic enim vocabatur antequàm aſcenderet ad ſupremum dignitatis apicem) qui diem clauſit extremum anno 1216. antequàm Sanctus Thomas natus eſſet in mundo per octo annos, abſque eo quòd hucuſque inventum fuerit aliquod originale ſubſcriptum nomine S. Thomæ. Quâ autem ratione, fundamento & veritate adſcribant illud Angelico Doctori, ipſi fortè aliquando dicent; quia moderni haud illam aſſignarunt, & antiqui inter alia opuſcula iſtud non recenſent.

Adducunt etiam contra Immaculatam Virginis Conceptionem opuſculum expoſitionis orationis Dominicæ; ſed de iſta plus dubitandum eſt quàm de antecedenti. Rationem breviter aſſigno. Expoſitio impreſſa ſub nomine S. Thomæ in 17. tomo ſuorum operum quæ latiſſima eſt, totaliter eſt diſtincta ab alia breviſſima expoſitione, quæ extat in Bibliotheca Regia Scoriali manu-

manuſcripta antiquiſſimis characteribus in charta pellicea, non ſub nomine Sancti, ſed Fratris Thomæ de Aquino (ex quo colligitur fuiſſe ſcriptam ante ejus Canonizationem) ſicque jam ſunt duæ expoſitiones orationis Dominicæ primò diverſæ, de quibus diximus in SOLE VERITATIS. Sed jam pergamus ad inquiſitionem alterius tertiæ à duabus præcedentibus diſtinctæ. Coloniæ apud Typographum Leiſtyſirchen extat impreſſa in 4. abſque anno impreſſionis quædam expoſitio ſuper oratione Dominicâ, ſub hoc titulo: *Incipit expoſitio ſuper oratione Dominicâ ex diverſis Doctorum dictis collecta, &c.* Collector, ut ex ipſa conſtat, fuit quidam Pater Ordinis Prædicatorum antiquus, qui ſcripſit ante Canonizationem S. Thomæ: & in rei veritate eſt quædam expoſitio per modum catenæ ex diverſorum Sanctorum & Patrum dictis concinnata. Compilator autem ille Ordinis Prædicatorum ita in illa catena Dominica dominicavit, ut Angelicum Doctorem, licet tunc non eſſet Canonizatus, prępoſuerit in omnibus clauſulis omnibus alijs Eccleſię Doctoribus: quod adhuc eo Canonizato non debebat facere. Sed tranſeamus per iſta, & pergamus ad eſſentialia.

Antiquus ille Collector ſive Concatenator ſic incipit ſuum opus per clauſulas & verba orationis Dominicæ. Pater. Thomas de Aquino. *Non Deus; quia amari appetit, non timeri.* Noſter. Thomas de Aquino. *Non meus, ut oſtendat quòd non unius, ſed multorum ſit Pater; priùs enim erat Pater unius ſcilicet, Chriſti per naturam, ſed ex parte factus eſt Pater multorum per gratiam.* Qui es in Cælis. Thomas. *Quamvis Deus ſit ubique, dicitur tamen præcipuè in Cælis eſſe propter tria, &c.* Sanctificetur nomen tuum. Thomas. *Id eſt, Sanctum appareat in nobis ſecundùm triplicem notitiam.* Panem noſtrum. Thomas. *Panis hic qui petitur Deus eſt, qui eſt cibus Angelorum, refectio Sanctorum, qui de Cælo datur, & in terra comeditur, quo ſanctè qui uſus fuerit, mortem in æternum non guſtabit.* Et ſic adducit Angelici Doctoris expoſitionem ſuper omnes clauſulas. Et ad illud: Sed libera nos à malo. Sic inquit: Thomas de

Aquino. *Sed libera nos à malo, peccato originali, & actuali, ab amore mundi, & à proprio ſenſu, & à propria voluntate: quibus depoſitis fit homo pauper ſpiritu, quod totum fit per ſpiritum timoris.* Denique ad illud Amen, inquit. Thomas. *Nec eſt Græcum nec Latinum, & accipitur nominaliter, &c.* Si autem quæras iſta verba & alia brevitatis causâ relicta in expoſitione Dominica nunc exiſtente in operibus S. Thomæ, ne vel unum quidem ejuſmodi vix invenies. Igitur Angelicus Doctor fecit tres expoſitiones diſtinctas ſuper oratione Dominicâ: vel quæ extat impreſſa, undè ſumpſerunt auctoritatem contra Immaculatam Virginis Conceptionem, non eſt Angelici Doctoris, ſed illi gratis & ſine fundamento adſcripta ab illo Didaſculo, de quo egimus ſuprà. Nam in re dubiâ illa expoſitio, in qua erant relatæ clauſulæ, quia antiquior, & propter alias circumſtantias, debet pro genuina & propria S. Thomæ reputari. Si iſte Funiculus triplex trium expoſitionum diverſarum poſſit facilè rumpi, alius judicet.

Nec volo tranſire ab hac antiqua expoſitione orationis Dominicæ, quin perpendam illa verba Angelici Doctoris: *Sed libera nos à malo, peccato originali, & actuali.* Et interrogo: an dum petimus à Deo liberari à malo, deſideremus ſecundùm noſtram intentionem, Eccleſiæ, & Chriſti ut præſervet & tueatur nos ante caſum, vel ſolùm obſecremus ut nos poſt lapſum erigat? Hoc non; quia eſſet temeraria & iniqua expoſitio; quia à Deo petimus ut liberet & eruat nos non ſolùm à ruina peccati, ſed etiam à tentatione illius. Cùm ergò ſecundùm ſanam & Catholicam doctrinam petamus à Domino præſervari ac defendi à malis futuris & imminentibus, à quibus ſumus circumdati, non ſolùm à peccatis, ſed etiam à tentationibus ipſorum; quomodò Angelicus Doctor dicit & explicat hoc dicens: *Sed libera nos à peccato originali, & actuali?* Igitur poteſt homo liberari à peccato originali, ſicut ab actuali per redemptionem, ac liberativam præſervationem. Quia ſi eſſet impoſſibile liberari hoc modo ab originali Angelici Doctoris expoſitio eſſet inepta, quia nos

Digitized by Google

nos non petimus à Deo res ab intrinſecùs & ex natura ſua impoſſibiles. Et ſic debemus aſſignare, ut Sancti Thomæ doctrina habeat Catholicum ſenſum, aliquam perſonam quæ à peccati originalis malo fuerit libera. Sed relinquendo iſta, quæ ſpeculativa ſunt, pergamus ad alia, circa opera S. Thomæ.

Alteram auctoritatem adducunt contra Immaculatam Virginis Conceptionem ex Prima Secundę quęſtione 81. ſed librum iſtum non eſſe Angelici Doctoris, ſed tranſcriptum de verbo ad verbum ex Vincentio Epiſcopo Belluacenſi non duo vel tres ſed multi affirmant Scriptores adhuc ex Religione Præd. Pro quibus omnibus ſolùm tranſcribam verba D. Henrici de Guzman Procuratoris, & agentis cauſę Immaculatę Conceptionis in Curia Romana, ſcripta Hiſpanicè in quodam Memoriali ad Catholicum Hiſpaniarum Regem; ubi inter alia ſic dicit: *Segundo fundamento, para probar la autoridad de las tres Partes en que S. Thomas dice el haver ſido concibida, &c. ſe deve encaminar para otros de la Religion de S. Domingo que convencidos de las hiſtorias y tiempos, y de los libros del meſmo Vincencio ingenuamente confieſan, que el Angelico Doctor ſe valio de Vincencio y no al contrario; dexo lo que tomo del Eſpexo Moral para la Prima Secundæ, y Secunda Secundæ, y quando eſto claramente dicen muchos con Fray Franciſco Garzia Dominicano, en la correcion de las tres Partes echa y publicada año de* 1578. *por mandado de ſu General Fray Seraphino Brixienſe: Que es coſa notoria, que S. Thomas inxirio el Eſpexo Moral en la Prima Secundæ y Secunda Secundæ, ſus palabras ſon: In Prima Secundæ, & Secunda Secundæ repurganda ad Speculum Morale Vincentij Belluacenſis confugiebamus, in quo apertiſſimum eſt Sanctum Thomam mutuaſſe ferè omnia; quæ in his duobus codicibus de Virtutibus & vitijs ſcripta relinquit. Por eſte principio que es el mas veriſimil y deſaogado para vencer las dificultades que ſe pueden ocaſionar del contrario ſentimiento ſe convence; que S. Thomas es Auctor de la Prima Secundę y Secunda Secundę, en el modo que los comentarios ſobre la Epiſtola ad Romanos ſon de S. Gerenymo aunque ſe ayan traſladado de Origenes,*

como

Digitized by Google

como lo dice el meſmo Sancto de ſi, en el Prologo in 2. ſuper Michęam. y del modo que los libros del Hexameron ſon de S. Ambroſio aunque ſe ayan tomado de S.Baſilio con la puntualidad que nota Sixto Senenſe, en el lib. 4. *de ſu Bibliotheca, y en el modo que Beda, Iſidoro, Theodoreto, Euthimio, Eucumenio, Primaſio, y otros muchos eſcribieron obras, las quales en ſu raiz ſon agenas, &c.* Ex his & alijs in hac materia dictis agnoſcetur, quo fundamento dictum fuerit à P. Poza Secundam Secundæ, nec Primam Secundæ fuiſſe S. Thomæ.

Alteram auctoritatem contra Immaculatam Conceptionem deſumunt ex illo reſcripto Angelici Doctoris ad Hannibaldum Cardinalem exiſtente tomo 17. ſuorum operum, & incipiente: *Æterni Patris verbum.* Sed neſcio quomodò hoc opuſculum ſeu compendium Theologiæ poſſit eſſe S. Thomæ Aquinatis; tum quia, ut fatentur P. Antonius Senenſis & alij ſcriptores Ordinis Prædicatorum, hæc eſt quædam abbreviatio totius doctrinæ S. Thomæ & Petri de Tarantaſia: non videtur autem rationabile nec poſſibile quòd Angelicus Doctor abbreviaret ſeipſum & Tarantaſiam ſuum contemporaneum ac condiſcipulum. Tum quia P. Joannes de Turrecremata, Bandellus, Vincentia & alij ſcribentes contra Immaculatam Conceptionem, tribuunt tractatum iſtum ipſi D. Hannibaldo Cardinali, ut latè diximus in SOLE VERITATIS, & ampliùs dicemus in RADIJS. Item quia Dionyſius Carthuſianus ſuper Sententias tranſcribit ſententias & auctoritates integras ex iſto opuſculo, & ſemper ſub nomine Hannibaldi, & majorem fidem pręſtare debemus iſtis antiquis ſcriptoribus quàm modernioribus. Denique & hæc eſt ratio peremptoria; quia in Conventu Magno Patrum Carmelitarum Pariſijs vidi & legi unum originale manu-ſcriptum antiquiſſimis characteribus in charta pellicea, in quo tam in principio quàm in fine dicebatur Commentaria illa ſuper Sententias eſſe cujuſdam Patris Hannibaldi Ordinis Carmelitarum cum talibus ſignis ac circumſtantijs, ut non videatur ampliùs relictus circa hoc dubitandi locus. Et P. Joannes Bunderus Or-

Ordinis Prædicatorum in ſua Bibliotheca manu-ſcriptorum Belgij, &c. affirmat opuſculum iſtud eſſe Hannibaldi Ordinis Prædicatorum; quod probat ex uno originali antiquiſſimo exiſtente apud Patres Dominicanos Gandavi. Videant ergò quomodò componendus ſit iſte Funiculus ex tribus, S. Thomâ, Hannibaldo Carmelitano, & Hannibaldo Cardinali Ordinis Prædicatorum.

Adducunt etiam contra Immaculatam Virginis Conceptionem auctoritatem ex quodam incompleto Compendio Theologiæ, adſcripto Angelico Doctori ſine ullo prorſùs fundamento,& ſine ulla omninò ſpecie veritatis. Illud inter alia opuſcula recollegit ille P. Didaſculus, de quo diximus ſuprà. Et cauſa fuit hæc: Poſt aliquot annos à morte S. Thomæ aliquis ejus diſcipulus voluit ad compendium redigere illa, quæ ſub nomine S. Thomæ circumferebantur in ejus Summa Theologiæ, quam morte præventus non potuit perficere. Cùm autem compendiator perveniſſet ad illas quæſtiones, in quibus Angelicus Doctor ſuum reliquerat opus incompletum, ſcripſit iſta verba: *Hucuſque compilavit S. Thomas de Aquino brevem compilationem Theologiæ, ſed (prô dolor!) morte præventus eam ſic incompletam dimiſit.* Propter iſta verba ille Didaſculus Pater incognitus Ordinis Prædicatorum, audiendo S. Thomam feciſſe Compendium Theologiæ (ut dicitur in ejus hiſtoria ſeu vita ſuperiùs relatâ ex Humberto) credidit Compendium hoc eſſe à S. Thoma elaboratum; cùm tamen Humbertus loquatur ibi de Compendio ſeu Summa Theologiæ. Et de hac etiam agit abbreviatior in ſupra-poſitis verbis. Ex hac enim veritate, S. Thomas de Aquino fecit unam Summam ſeu Compendium Theologiæ, nullam invenerunt Summam ſeu Compendium Theologiæ quàm ſeu quod ſtatim non adſcripſerint Angelico Doctori. Et ex iſto errore inciderunt in unum à quo haud facilè elabentur, & neſcius ego ſum quomodò vel umquam ab eo ſe poterunt expedire. Attribuunt namque ſuo Doctori ſeptem Compendia

Theologiæ inter ſe diſtincta, ac primò diverſa. Et licet examen exactum prædictorum pertineat directè ad librum noſtrum intitulatum RADIJ SOLIS VERITATIS, hîc tamen breviter illa recapitulari non ita judico alienum à propoſito noſtro.

Prima itaque Summa ſeu Compendium Theologiæ eſt illa diviſa in tres partes, quæ incipit. *Quia Catholicæ veritatis Doctor.* Et hæc ſine dubio eſt S. Thomæ: licet in ipſa aliquid ſit examinandum,ut ſtatim videbimus. Secunda Summa ſeu Compendium eſt illud ad Hannibaldum Annibaldenſem, de quo diximus paragrapho antecedenti, & incipit. *Æterni Patris Verbum.* Tertia Summa eſt hæc, de qua modò agimus, quæ incipit. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Quarta Summa ſeu Compendium eſt illud incipiens: *Veritatis Theologicæ ſublimitas.* Quod, licet non ſit modò inter opera ejus,fuit tamen impreſſum ſub nomine S. Thomæ Lugduni apud Joannem Campion, de quo etiam agit P. Bunderus Ordinis Prædicatorum in ſua Bibliotheca manu-ſcriptorum ad marginem. Et in Monaſterio Floreſienſi juxta Civitatem Namurcenſem extat hoc Compendium Theologiæ manu-ſcriptum per Joannem de Leydorph anno 1419. ſub nomine S. Thomæ. Et in Monaſterio Aquicentino propè Duacum extat aliud ſub eodem nomine S. Thomæ. Sed miror quomodò Diſcipuli ejus auſi ſint dicere hoc eſſe S. Thomæ, quandoquidem aliàs extet ab ipſis impreſſum ſub nomine Alberti Magni anno 1476. & 1587. & 1588. & noviſſimè in ultimis operibus Alberti Magni in tomo 13. Et manu-ſcriptum vidi ſub nomine Alberti Magni Pariſijs in Bibliotheca S. Victoris num. 562.& in Monaſterio Vinconienſi in Flandria,apud PP.Cæleſtinos Pariſijs,& apud Carmelitanos,Auguſtinianos,& Ciſtercienſes Dunenſes Brugis. Et alibi ſub nomine Ægidij de Roma Ord. S.Auguſtini fuit impreſſum Venetijs: & in Monaſterio Tungerloënſi Patrum Præmonſtratenſium pulcherrimis characteribus extat manu-ſcriptum ſub eodem nomine: atque etiam omnes

No-

Nomenclatores Eremitarum affirmant eſſe Ægidij. Hoc idem opus nullà mutatà ſyllabâ vidi manu-ſcriptum in Bibliotheca S. Eccleſiæ Pampilonenſis ſub nomine Alexandri Alenſis Ordinis Minorum. Et Pater Lucas Waddingus affirmat eſſe ſuum. Sub nomine S. Bonaventuræ prodijt excuſum in omnibus impreſſionibus operum Seraphici Doctoris, & ſeorſim in 4. anno 1501. Quidam Pater Ordinis Prædicatorum vocatus Bartholomæus de Ferrarijs dicit eſſe cujuſdam Gyraldi Minoritæ. Turrecremata, Bandellus & alij aſſignant duos Patres Dominicanos fuiſſe compilatores hujus Compendij, ſcilicet, Hugonem de Argontina, & Thomam de Suetonia. Impreſſa ac manu-ſcripta vide in diverſis Bibliothecis quinquaginta octo exemplaria exiſtentia ſine nomine Auctoris, de quibus agemus latè in RADIJS SOLIS VERITATIS. Ac tandem cum hac moleſta relatione Auctor verus & legitimus prædicti Compendij fuit quidam Joannes Rigaldus Epiſcopus Draconenſis Ordinis Fratrum Minorum. Quinta Summa adſcripta S. Thomæ eſt illa quæ incipit: *In omni ſacra Scriptura quatuor ſcimus prælibanda.* Sexta eſt altera Summa ſeu compendium quod incipit: *In principio intelligendum eſt quòd Sacra Scriptura.* Septima denique eſt alia, quæ extat in Bibliotheca S. Eccleſię Toletanę manu-ſcripta in fol. ſub titulo & nomine S. Thomæ Aquinatis. Hinc notet & ferat lector judicium an ſit ſuſpectus de veritate & fide, vel de hęreſi, qui iſta negat eſſe S. Thomę, vel ea impugnat?

Tandem allegant contra Immaculatam Virginis Conceptionem quamdam auctoritatem ex quæſtione 27. tertiæ partis ſuæ Summæ. Et in iſta eſt etiam quidam ſcrupulus & non parvus, quem hic libet breviter detegere, & eſt talis: Angelicus Doctor laboravit ſuam Summam Theologiæ circa extremum vitæ, quam morte preventus non potuit conſummare. Hoc ita eſt certum apud omnes ſcriptores Ordinis Prædicatorum, & aſſeveratur ad finem ejuſdem tertiæ partis, ut ſi hodie vellent iſta negare, & averterent collum à Nodo infrà ſuper hoc principio

M 2 con-

conſtruendo, in alijs nulla ipſis præſtanda eſſet fides. Hoc ſuppoſito pergamus ad ſtatuendum aliud principium per ſe notum, & eſt: quòd poſtea hæc tertia pars fuerit completa ac perfecta, ſub hoc titulo: *Additiones ad tertiam Partem D. Thomæ Aquinatis, &c.* In quibus incipiendo à quæſtione 90. in qua Angelicus Doctor morte preventus reliquerat calamum, alter proſecutus eſt perficiendo illa, quæ deerant pertinentia ad quartum librum Sententiarum. Additiones iſtæ ad tertiam partem fuerunt multoties typis mandatæ ſeorſim, conjunctim verò cum alijs operibus S. Thomæ ſemper. Sed obſervandum eſt quòd iſtæ additiones prodierint ſemper ſine Auctoris nomine, cùm tamen Auctor ſive continuator fuerit quidam antiquus Doctor Colonienſis vocatus Henricus Gorrichen priùs collega Burſæ-Montis, & poſtea Ordinis S. Benedicti Monachus. Quare autem in nulla impreſſione voluerint Patres Dominicani propalare nomen iſtius inſignis Auctoris Guilielmi Gorrichen, qui aliàs etiam illuſtraverat opera S. Bonaventuræ, eſt hiſtoria quæ commodiorem expectat locum, ne dicant quòd in uno libro congeſſerimus omnia. Sed ut aliquis non credat hanc eſſe conjecturam aliquam; ſed ſit res clara & per ſe nota à me perſonaliter comprobata Coloniæ in ipſo Collegio Burſæ-Montis; & apud Patres Benedictinos, & etiam apud Patres Cruciferos ejuſdem Civitatis inveni duo originalia manu-ſcripta, unum ſub hoc titulo rubris characteribus: *Sequuntur quæſtiones ex quarto ſcripto Sancti Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum. Sacræ Theologiæ Doctoris eximij per venerabilem Magiſtrum Henricum de Gorrichen, atque Doctorem ejuſdem Theologiæ pro completione materiæ in tertia parte ſupra-dicti Sancti Doctoris declarandæ, ut in principio patuit compilatæ.*, & incipit opus, ſicut nunc extant additiones impreſſæ nullo mutato verbo. *Incipit ſupplementum tertiæ partis Summæ Sancti Doctoris Thomæ de Aquino. Et primò de contritione. Quæſtio* 1. *de quidditate contritionis. Deinde conſiderandum eſt de ſingulis partibus pœnitentiæ, & primò de contritione.* 2. *De con-*

Digitized by Google

confeſſione. 3. *De ſatisfactione*, &c. Et ad finem libri extant hæc verba: *Explicit complementum tertiæ Partis Summæ S.Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum Doctoris eximij per Magiſtrum Henricum de Gorrichen Sacræ Theologiæ profeſſorem bonæ memoriæ compilatum ſcriptum anno Domini* 1447. Inveni etiam alterum originale apud relatos Patres etiam antiquis characteribus manu-ſcriptum, cujus finis erat: *Explicit tertia pars Summæ Sancti Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, quam, ut intendebat, non complevit immaturâ morte præventus; cujus ſuppletionem ſcripto ejuſdem Doctoris Magiſter Henricus de Gorrichen bonæ memoriæ compilavit.* Alia teſtimonia poſſem adducere ad demonſtrandam veritatem propoſitam; ſed exiſtimo quòd præpoſita ſufficiant.

Ex his principijs pergimus ad concluſiones & oſtenſionem iſtius dubij, quare Patres Dominicani, qui toties additiones iſtas ſeu ſupplementum ad tertiam partem ſeorſim, & conjunctim cum operibus Angelici Doctoris typis mandarunt, talis ac tanti Benefactoris tacuerint nomen, cùm in nulla dignati fuerint illum nominare, iterum dico in nullâ? Exiſtimo tamen me vidiſſe viginti ſex additiones ſeu ſupplementa hujuſmodi tertiæ partis. Rationem ego ſuſpicor hanc eſſe; quia illorum ſcriptores antiqui dixerant fuiſſe olim quemdam Patrem vocatum Albertum de Brixia contemporaneum ac diſcipulum S. Thomæ, qui eamdem tertiam partem Angelici Doctoris addidit & complevit, ut videre eſt in SOLE VERITATIS fol. 247. voluerunt igitur ut omnes legentes in ſuis antiquis ſcriptoribus additionem factam ab Alberto de Brixia poſt mortem S.Thomæ, exiſtimarent fuiſſe illam additionem poſitam ad finem tertiæ partis ſine Auctoris nomine: & egomet ſic credidi, & in hac bona fide fui uſque ad præſens tempus. Celarunt hoc PP.Dominicani nolentes ut divulgaretur tot tantaſque additiones fuiſſe factas in illa paupere & orphana tertia parte, ex qua ipſi ſuum deſumebant validius argumentum contra Immaculatam Conceptionem affirmantes in iſta revocaſſe (utpotè ultimâ) omnia

antedicta in favorem myſterij. Cùm igitur in iſta tertia parte inveniantur duo ſupplementa ſeu additiones diſtinctæ à diverſis perſonis & temporibus factæ, & in poſteriori Henrici Gorrichen ſint centum quæſtiones additæ, ut ex ipſis conſtat: jam deſideramus ſcire in prima additione, ſeu completione facta ab Alberto de Brixia quot fuerint additæ. Quia ſi hic addidit non centum; ſed ſolùm ſexaginta tres quæſtiones, id eſt, à quæſtione vigeſima ſeptima uſque ad nonageſimam, concluſa eſt controverſia, & tota vociferatio de doctrina S. Thomę de Aquino: quia non dimicamus cum ipſo, ſed cum quodam ejus diſcipulo Alberto de Brixia. Propoſui nudam veritatem circa tertiam partem. De vi & efficacia illationum & conſequentiarum, quæ inde poſſent fieri non curo, quia hæc & alia ſunt ſine cura.

Deniqùe adducunt contra Immaculatam Virginis Conceptionem ex 3. libro Sentent. diſtinctione 3., quæ quidem in rei veritate eſt expreſſa pro contraria opinione. Sed verba illa fuiſſe addita comprobatur: tum quia antiqui ſcriptores Ordinis Prædicatorum, ut Eymericus qui ſcripſit ad annum 1395. contra Immaculatam Virginis Conceptionem duos tractatus integros, in quibus adducit omnes Auctoritates repertas in Sancti Thomæ operibus contra Immaculatam Conceptionem, de iſta nullam facit mentionem: tum quia primus, qui illam adducit, fuit Joannes de Turrecremata; ſed iſtius verba totaliter differunt ab illis quæ modò extant in operibus S. Thomæ, ut infrà, & latiſſimè oſtendemus in Radijs Solis Veritatis. Cùm ergò videamus & quaſi palpemus, in utramque partem tam miſerè claudicare opera & auctoritates adductas pro approbatione doctrinæ Angelici Doctoris S. Thomæ; & fundamentum ipſum quo altiùs ſpeculemur, eo graviorem undique minari ruinam continuò conſpiciamus; ad quid confugere ad ipſum, tot periculorum anfractibus circumquaque inevitabiliter ſubnixum? Nónne ſatiùs foret cum tempore recedere, antequam ſuper nos corruat tota ædificij moles?

FU-

Digitized by Google

FUNICULUS III.

Vbi demonſtratur qualiter approbationes doctrinæ S. Thomæ fuerint extractæ in lucem adverſùs Defenſores piæ ſententiæ de Immaculata Conceptione.

Et ſi quiſpiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtunt ei: Funiculus triplex difficilè rumpitur.
Eccleſ. cap. 4. verſ. 12.

DIximus in primo Funiculo de approbationibus doctrinæ S. Thomæ: in ſecundo de opuſculorum multiplicatione, differentia, & incertitudine: nunc verò agimus de cauſa talis multiplicationis. Cujus unica concluſio demonſtranda erit non ex conjecturis, diſcurſibus ſcholaſticis, ſeu illationibus Syllogiſticis, ſed ex ipſiſmet originalibus impreſſis ac manu-ſcriptis ſcriptorum Ordinis Prædicatorum. Sed ſciendum eſt, quòd ab anno 1274. in quo Angelicus Doctor diem clauſit extremum, ejus doctrina aliquas paſſa ſit viciſſitudines, ita ut, ſicut eſt liber de varia fortuna Ariſtotelis, potuerit alter formari de varia fortuna doctrinæ S. Thomæ. Nam ſtatim anno 1277. fuit quoad aliquos articulos ab Univerſitate Pariſienſi excluſa, & articuli illi damnati, & interdicti à Stephano de Templier Epiſcopo Pariſienſi, & ſic permanſit uſque ad annum 1323. Etenim cùm Angelicus Doctor fuiſſet in Sanctorum numerum relatus anno ſequenti, ſcilicet, 1324. interdictum illud primum prædictorum articulorum fuit annullatum, ut levatâ excommunicatione ingrederentur ſcholas, & publicè poſſent legi, non propter hoc illos approbando, ſeu reprobando; ſed tantùm eos diſcuſſioni ſcholaſticæ relinquendo. Sub hac indifferentia, & permiſſione communi fuit doctrina Sancti Thomæ toto illo ſæculo pri-

Digitized by Google

primo uſque ad an. 1387. quando propter quamdam controverſiam habitam cum Univerſitate Pariſienſi divulgatum fuit à ſuis Diſcipulis, doctrinam S. Thomæ fuiſſe approbatam ab Epiſcopo Pariſienſi Stephano de Borreto, & auctoritate Apoſtolicâ ab Urbano V. Summo Pontifice. Sæculo verò ſequenti, id eſt, ad annum 1475. ſuper-additæ fuerunt aliæ duæ approbationes, ſcilicet, cujuſdam Summi Pontificis Innocentij, & Univerſitatis Pariſienſis. Sequenti autem ſæculo, anno ſcilicet 1567. poſtquam fuerat S. Thomas inter quatuor ſummos Eccleſiæ Doctores relatus, & opera illius juſſu Pij V. Romæ reviſa à Patribus ſui Ordinis, & ſimul impreſſa. De qua reviſione, & impreſſione inquit P. Nazarius ubi ſupra fol. 12. *Ultima regula: Ex impreſſione Romana inter opuſcula D. Thomæ illa ſunt cenſenda legitima, quæ majoribus characteribus ſunt impreſſa; ea verò, quæ minoribus ſunt excuſa characteribus, neque legitima neque ſpuria regulariter certò æſtimanda ſunt, ſed tamquam dubia recipienda. Hujus regulæ præcipuum fundamentum eſt auctoritas doctiſſimorum virorum, qui de mandato Summi Pontificis Pij V. deputati ſunt ad diſcernenda opuſcula D. Thomæ certa ab incertis, aut etiam à ſuppoſititijs; ut hæc poſtrema penitùs reijcerentur, prima verò à ſecundis characterum differentijs diſtinguerentur.* Hoc ergò tempore, & hâc occaſione aliæ tres approbationes doctrinæ S. Thomæ, ſcilicet, illa Pij V. & altera Sancti Pauli Apoſtoli, atque tertia Beatiſſimæ Virginis Mariæ magno cum applauſu in medium prodierunt. Neque hic quievit numerus approbationum: nam urgentibus novis motivis peregrinæ & numquam opinatæ approbationes hinc inde pullularunt; ut eſt illa Clementis VIII. & Pauli V. Summorum Pontificum, S. P. N. Franciſci, Concilij Tridentini, Breviarij Ordinis Prædicatorum, atque juramenti Salmanticenſium, & altera deſumpta ex Bulla canonizationis. Has ergò quindecim approbationes, quarum quinque ſunt univerſales communitatum, ſcilicet, Eccleſiæ Pariſienſis cum ſuo Epiſcopo; Univerſitatis Pariſienſis cum ſuis Doctoribus; Concilij Tridentini

cum

cum ſuis Patribus; Ordinis Prædicatorum cum ſuis officijs; & Academiæ Salmanticenſis cum ſuo ſtatuto, & voto: & alias quinque, quæ ſingulariſſimæ ſunt, utpotè Pontificiæ, videlicet, illa Urbani V. Innocentij Papæ, Pij V. Clementis VIII. & Pauli V. ac denique alias quinque, quæ glorioſæ & cæleſtes ſunt, nimirum Chriſti Domini, Virginis Dei Matris Mariæ, Sanctorum Petri & Pauli, S. P. N. Franciſci, cum illa contenta in Bulla canonizationis, facta à Joanne XXII. & cum illa (quæ erit pro omnium complemento) Sanctiſſimi Domini N. Alexandri VII. nuperrimè edita; has, inquam, omnes in totidem ligabimus Nodos, ut materia ſit, & maneat undique completa.

Hæc tamen tam decantata, quàm frequens laus, gloria & excellentia approbationum doctrinæ S. Thomæ, ejuſque toti orbi miranda encomiorum elogia in ſuo principio, medio, & fine, fuerunt excogitata, exhibita, atque extracta in lucem, inſtante ſemper tempore controverſię Conceptionis, & ſemper pro contradictione ſententiæ de immunitate Virginis Mariæ à peccato originali: ita ut approbatio doctrinæ ubique fuerit individua, ac inſeparabilis ſocia ſententiæ de Immaculata præſervatione. Quantò enim iſta magis augebatur, & creſcebat intenſivis rationibus in ſcholis; tantò ampliùs approbationes multiplicabantur, & repetitâ extenſione publicabantur in libris Dominicanæ familiæ. Omnia ſic demonſtramus. De principio: Nam ab anno 1274. in quo Angelicus Doctor glorioſè quievit in Domino, per integrum ſæculum, & ampliùs, ſcilicet, uſque ad annum 1387. inter ſcriptores illius temporis nullum penitùs invenitur veſtigium de aliqua approbatione doctrinæ S. Thomæ. Quando autem anno prædicto 1387. P. Joannes de Monteſono Ordinis Prædicatorum, & ſui diſcipuli, communiter Montiſoniſtæ appellati, habuerunt illam ſatis acrem controverſiam circa Immaculatam Virginis Conceptionem cum univerſitate Pariſienſi, cujus relatio ſuccincta invenitur ad finem Magiſtri ſententiarum, latiſſima verò in Archivo Univerſitatis Pariſienſis,

in Monaſterio S. Victoris, in Collegio Navarræ, & alibi paſſim; tunc, inquam, ex abrupto prodijt illa prima approbatio Stephani Epiſcopi Pariſienſis: & poſt aliquot dies propter litem cum Petro de Alliaco de eadem materia cum decem Magiſtris Ordinis Prædicatorum apparuit Avenione altera Urbani Papæ. Nam antea, ut dixi, numquam ex ore ſcriptorum auditum fuerat aliquid de approbatione doctrinæ S. Thomæ. Scripſerat enim Petrus Aureolus quinque tractatus de Conceptione ab anno 1314. uſque 1338. & eodem tempore Franciſcus Mayronius ſeptem. Petrus Thomas unum latiſſimum; & ab anno 1338. Henricus de Haſſia alterum. Item eodem tempore Petrus Rogerius ſcripſit illos duos ſermones, de quibus infrà, ubi mira dicit de doctrina S. Thomæ, ſed de approbatione nec verbum habet: & ſic poſſunt videri omnes Scholaſtici antiqui, ubi nihil invenies de hac approbatione. Item eodem tempore fuerunt ſcriptæ à diverſis ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum tres vitæ diſtinctæ S. Thomæ, & nihil in eis dicitur de ipſius doctrinæ approbatione. Quibus omnibus comprobatur, primum initium & exordium harum approbationum fuiſſe propter controverſiam de Conceptione excogitatum à Montiſoniſtis. De medio etiam conſtat: Nam quando anno 1478. tempore Sixti IV. Summi Pontificis fuerunt in partibus Lombardiæ introductæ diſputationes illæ magnæ Ferrariæ coram Duce Hercule Eſtenſi, & Immolæ (ut conſtat ex libris Vincentij Bandelli, Leandri Alberti, & aliorum, de quibus in SOLE VERITATIS) prodierunt ad orbis theatrum cum antecedentibus illæ duæ approbationes de novo; ſcilicet, illa Innocentij Papæ, & altera Univerſitatis Pariſienſis, quarum fictio infrà detegetur. De fine eodem modo patet: Nam cùm ab anno 1570. indies creviſſent in tota Europa piæ ſententiæ publicæ acclamationes, devotio, confraternitates, vota, juramenta, & ſtatuta Eccleſiarum, & deſuper à Paulo V. & Gregorio XV. emanaſſent illa omnibus nota Decreta Apoſtolica tam favorabilia Immaculatæ Conceptioni;

tioni; ſtatim prodierunt reliquæ approbationes doctrinæ Sancti Thomæ; videlicet, Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, S. Pauli, S. Franciſci, Pij V. Pauli V. Clementis VIII. & aliæ, de quibus infrà in particulari inquiremus originem. Conſtat ergò ex dictis, quòd propter ſententiam Conceptionis approbationes iſtæ natæ fuerint in mundo.

Ut omnia antedicta ampliùs manifeſtentur notandum eſt: quòd iſtæ approbationes doctrinæ S. Thomæ ex ſua primæva formatione præcipuâ, ac principali inſtitutione, non fuerint fabricatæ, & exhibitæ eo fine, ut ipſis creſceret, aut magnificaretur gloria, & laus doctrinæ S. Thomæ; quia ſine talibus ſuffulta adminiculis, vel detenta columnis, de ſe tota erat, & eſt Angelica, Sancta, Catholica, vera, & undequaque veneratione digna; ſed quòd fuerint divulgatæ, & ſparſæ in tanta multitudine ut illis obruerent, & opprimerent Innocentiam, Immunitatem, & Præſervationem Virginis MARIÆ à peccato originali, & hujus veritatis acclamantium voces alijs de novo ſurgentibus ſupprimerent, ut plantatâ hâc approbatione avelleretur Præſervatio, & ædificium unius eſſet cum ruina alterius. Conſtat hoc evidenter (nam aliter res adeò gravis non eſſet ſic aſſertivè proferenda) ex ipſiſmet ſcriptoribus opinionis contrariæ, deducentibus ex approbationibus relatis doctrinæ Sancti Thomæ, tamquam ex antecedenti per ſe noto, conſequentiam contra Dei Matris Conceptionem, hoc modo incipiendo à primo: Propoſuerat P. Joannes de Monteſono in ſuis Veſpertinis Sorbonicis quinque propoſitiones contra Immaculatum Conceptum Deiparæ, quarum medulla hæc erat: Secundùm Scripturam Sacram ſolus Chriſtus non contraxit peccatum originale, unde hoc aſſerere de B. Virgine MARIA eſt expreſsè contra Fidem, ac per conſequens erroneum, & hæreticum. Et hoc unico tantummodò probavit argumento, videlicet ſic: Doctrina S. Thomæ eſt approbata, & recepta ut Catholica & vera à Stephano Epiſcopo Pariſienſi, & ab alijs quàm

Digitized by Google

plurimis Doctoribus hujus Academiæ, & eodem modo eſt approbata auctoritate Apoſtolicâ & Pontificio oraculo ab Urbano Papa V. ſed quòd ſolus Chriſtus Dominus fuerit conceptus ſine peccato originali, & Virgo MARIA ipſum contraxerit, eſt doctrina, & ſententia expreſſa S. Thomæ affirmantis contrarium dicere, eſſe erroneum, & hæreticum; ergò quòd Virgo MARIA contraxerit peccatum originale eſt concluſio non ſolùm vera & Catholica, ſed etiam jam approbata à Stephano Epiſcopo, Univerſitate Pariſienſi, & Sede Apoſtolicâ. Hæc fuerunt formalia Monteſoni verba. Ex quibus conſtat quomodò primæ approbationes ab ipſo editæ in lucem non fuerint propter honorem, defenſionem, aut ampliandam gloriam doctrinæ S. Thomæ, ſed ad attenuandam Virginis Dei Matris puritatem, conſtituendamque maculam in MARIA. At non ſiſtamus in una hirundine. Pater Raphaël de Pornaſio, qui ſcripſit poſt annum 1441. in ſuis duobus tractatibus de Conceptione (de quibus ſuis locis) in primo ad finem utitur hac approbatione, ut quaſi ipsâ concludat ſuum intentum ſub hoc titulo: *Ut autem Doctoris noſtri S. Thomæ de Aquino doctrina quantâ veneratione, & fide digna habenda ſit, hìc inferiùs annotare decrevi*, & adducit approbationem Stephani, & Urbani Papæ. Et in 2. reſcripto contra Avenionenſem Præſulem Cardinalem de Foix, & alios duodecim Epiſcopos pro Concilio Provinciali Avenionenſi congregatos, inquit: *An non meminiſti ipſum cælorum Regem alteri uni ex his jam cum regnantibus apertè dixiſſe: Benè ſcripſiſti de me Thoma. O nefas! ô ſcelus! ô temeritas inaudita! illius reprobare doctrinam, quam Dei Sapientia comprobavit; ac ſi inſuper Romana, & Apoſtolica Sedes, cujus vos officium, neſcio qua conſilio, uſurpaſtis, dudum erraverit, eorum approbando doctrinam, &c.* & proſequitur latè. Sicque dicere B. Virginem MARIAM fuiſſe Conceptam abſque peccato originali erat reprobare doctrinam S. Thomæ: & è contrà approbare iſtam, reprobare Immunitatem Virginis.

Tertius teſtis ſit R. P. Gyrandus Renerius ejuſdem Ordinis Præ-

Digitized by Google

Prædicatorum. Cùm eſſet Magiſter in Sacra Theologia, antequam gradum doctoratûs reciperet anno 1471. ut conſtat ex Catalogo Doctorum Pariſienſium, edidit magnum illum tractatum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, in quo folio 27. probando eamdem concluſionem ſupra-poſitam à Monteſono, ſic inquit : *Unde B. Thomas, cujus doctrina in materia Fidei Catholicæ eſt per Univerſitatem Pariſienſem approbata, & per Eccleſiam denuò, ut audio, confirmata : in quarto Sentent. diſt.* 43. *quæſt.* 4. *artic.* 1. *in ſolutione* 3. *argumenti expreſſè dicit, quòd erroneum eſt dicere, quòd aliquis ſine peccato originali concipiatur præter Chriſtum, &c.* Sed clariùs loquitur infrà folio 43. ubi ſic inquit : *Vigeſima prima ratio fundatur in approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, potiſſimè in materia Fidei Catholicæ : & hoc primo per Dominum Pariſien. & triginta ſex magiſtros Pariſijs exiſtentibus in diebus illis ; & (quod plus eſt) per approbationem ejuſdem doctrinæ factam denuò per Sedem Apoſtolicam. Et eſt potiſſimè in tali materia Fidei Catholicæ. Unde vigeſima prima ratio eſt iſta; illa concluſio pertinens ad materiam Fidei in ſtudio maximè Pariſien. eſt tamquam vera, & Catholica approbanda, & ejus oppoſita eſt ſicut erronea refutanda, quam Dominus Epiſcopus Pariſienſis, inquiſitione factâ apud Doctores Theologiæ Facultatis ſtudij Pariſienſis, in eorum congregatione ſpeciali & generali regentium & non regentium, ſæcularium, & Regularium ad hoc ſpecialiter advocatâ non reputat ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſari : ſed iſta concluſio, ſcilicet, quòd Virgo glorioſa in peccato originali fuerit nata, ſeu concepta, & quòd dicere oppoſitum eſt erroneum, eſt hujuſmodi, ſaltem in æquivalenti : quæ concluſio, ut patet ex dictis, pertinet ad materiam Fidei ; ergò hæc concluſio, ſaltem in ſtudio Pariſienſi, eſt tamquam vera, & Catholica approbanda ; & ejus oppoſita eſt ſicut erronea refutanda. Major de ſe patet, & minor etiam patet per approbationem doctrinę S. Thomæ, &c.* Et adducit ad litteram approbationes doctrinæ S. Thomæ, factas à Stephano Epiſcopo Pariſienſi, & Urbano Papa, ut videbimus infrà. In quibus auctoritatibus aliqua ſunt valdè notanda. Primum, quòd quando iſte Pa-

riſienſis Doctor ſcribebat circa annum 1470. ſolùm eſſent duæ approbationes doctrinæ S. Thomæ, ſcilicet, illa Stephani Epiſcopi, & altera Urbani Papæ: jam nunc ſunt quindecim, & totidem erant anno 1630. ut infrà videbimus ex Salmanticenſibus; ergò in quolibet decennio extracta eſt una nova approbatio. Secundum, quòd approbationem illam Stephani Epiſcopi vocet approbationem Univerſitatis: pro eodem enim ſumebant antiqui, Epiſcopi Pariſienſis, & Univerſitatis approbationem, quouſque Anonymus Dominicanus fecit alteram diverſam approbationem pro Univerſitate. Tertium, dicit Renerius: quòd illa approbatio facta per Univerſitatem Pariſienſem fuerit per Eccleſiam denuò confirmata, licet hoc referat ex auditu; ſed quando facta fuerit illa confirmatio, neque in una neque in altera auctoritate exprimit: & fortè etiam hinc occaſionem ſumpſit Anonymus ad fabricandam alteram approbationem ſub nomine Innocentij Papæ, ut ſic illâ occultâ Eccleſię confirmatio appareret in mundo. Quartum, præ omnibus ſupradictis notandum eſt illud quinquies repetitum à P. Renerio, *doctrina S. Thomæ in materia Fidei Catholicæ eſt approbata*, ut inſinuaret vel expreſsè diceret: negare quamlibet reſolutionem factam, vel inventam in doctrina S. Thomæ, eſt negare illud, quod pertinet ad materiam Fidei Catholicæ: quia quidquid invenitur in doctrina S. Thomæ, pertinet directè, expreſsè, & formaliter ad materiam Fidei Catholicæ, non ad materiam Fidei tantùm, ſed ad materiam Fidei Catholicæ. Et ex hoc principio deducit in illa ſua ratione ultima, & peremptoria, eſſe erroneum, & contra Fidem Catholicam, dicere Virginem MARIAM non contraxiſſe peccatum originale. Eſt enim hæreſis clara, & manifeſta ſentire aliquid contra determinatum & deciſum in doctrina S. Thomæ. Hinc enim expreſsè deducitur propoſitum, ſcilicet, quòd approbationes illæ primæ Stephani, & Urbani tempore Monteſoni, & tempore Renerij propter nullum alium finem, cauſam, aut motivum fuerint adductæ, niſi ut ex illis

pro-

Digitized by Google

probarent Virginem Dei Matrem MARIAM fuiſſe maculatam peccato originali, & contrarium aſſerere eſſe prorsùs erroneum & hæreticum, quia erat contraire determinationi repertæ in doctrina Sancti Thomæ.

Inſuper ſupponendum eſt duas ſequentes approbationes, ſcilicet, Innocentij Papæ, & Univerſitatis Pariſienſis inventas, ac datas in lucem tempore Sixti IV. Summi Pontificis, fuiſſe introductas ad eumdem finem, ſcilicet, ut ex illis probarent Virginem MARIAM fuiſſe Conceptam in peccato originali, & hoc eſſe de Fide, contrariumque erroneum & hæreticum. Primus ergò illarum inventor fuit quidam incognitus, & Anonymus ſcriptor Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit magnum tractatum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, impreſſum Mediolani anno 1475. dicatum Comiti Petro de Gambara. Hic ergo 3. viâ, 2. partis fol. 97. ratione 11. proponit concluſionem ſub hoc titulo: *Qui dicit B. Virginem ſine peccato conceptam, affirmat quod ſancti negant: & negat quod ſancti affirmant.* Et adductis triginta ſex auctoritatibus SanctorumPatrum, ac Summorum Pontificum, antequam introducat auctoritates S. Thomæ, quibus concludit rationem illam, ſeu propoſitam concluſionem, ſub hoc titulo: *Sequuntur litteræ Papales commendantes & approbantes doctrinam S. Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum,* ſub tali titulo proſequitur hoc modo: *Item S. Thomas de Aquino Doctor clariſſimus Univerſitatis Pariſienſis jubar ſingulariſſimum, ac totius Eccleſię lumen ſplendidiſſimum, cujus doctrinam non dubito, ſed firmiter credo igne Sancti Spiritus fuiſſe examinatam; in multis ſuæ Divinæ doctrinæ libris tenuit, & docuit B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam. Verùm antequam ejus ſanctiſſima dicta referantur in medium; priùs teſtimonium inducere volo, quod Summi Pontifices & Univerſitas Pariſienſis de ſua Divina doctrina protulerunt. Et primò videamus, quid dicat Urbanus in Bulla tranſlationis Corporis Sancti Thomæ, cujus tenor talis eſt.* Et adducit litteras Urbani Papæ quoad clauſulam principalem, & illas Stephani Epiſcopi Pariſien-

ſienſis, ut infrà videbimus ſuis locis. Et inſuper de novo addit alias duas approbationes, unam Innocentij Papæ, & alteram Univerſitatis Pariſienſis, quæ à primo uſque ad ultimum verbum ſunt ficta, & falſæ, ut infrà evidenter demonſtrabitur. Adductis igitur decem & octo auctoritatibus ex diverſis operibus S. Thomæ, ad finem illarum refert illud de B. Virgine; & illud, Bene ſcripſiſti de me Thoma; atque illud de apparitione Sanctorum Petri & Pauli, de quibus etiam ſuis locis dicemus. Et tandem concludit ſic: *Planè mirum eſſet, quòd ſi hâc ſententiâ Conceptionis Doctor iſte Sanctus honori Virginis derogaret, quòd ipſa Virgo vel Chriſtus, vel Petrus & Paulus, qui ſæpiùs cum ipſo familiariter loquebantur, eum non aviſaſſent & inſtruxiſſent: & ideò firmiſſimè tenendum eſt, verum eſſe, quod Doctor ille devotiſſimus Virginis de ejus Conceptione ſenſit, videlicet, quòd ſit concepta in peccato originali.* Hoc modo argumentatur Anonymus ille. Ex quo etiam patet noſtra propoſita aſſertio, ſcilicet, Defenſores opinionis contrariæ omnes approbationes doctrinæ S. Thomæ direxiſſe ad unicum ſolum ſcopum; probare videlicet, Sacratiſſimam Dei Matrem fuiſſe conceptam in culpa; & macula peccati originalis. Et obiter nota pro infra-dicendis, quomodo vocet doctrinam S. Thomæ non ſolùm Sanctam, ſed Sanctiſſimam, atque Divinam, & Spiritus Sancti igne examinatam.

Pro iſto tempore & medio controverſiæ, meliùs probatur noſtrum propoſitum aſſertum ex libris Vincentij Bandelli de Caſtro-novo, qui poſtea fuit Magiſter Generalis totius ſuæ Religionis; nam in illo ſuo opere de Veritate Conceptionis quater diverſis temporibus excuſo: primò Bononiæ anno 1481. ſecundò abſque anno & loco impreſſionis, tertiò anno 1502. cum additionibus ſui correctoris, vel continuatoris, ac tandem quarto Mediolani anno 1512.: in hoc ergò libro cap. 23. loquendo de Auctoribus Ordinis Prædicatorum, ſic inquit: *Floruerunt etiam quàm plures in Theologia Doctores clariſſimi de Ordine Prædicatorum, qui eamdem veritatem ſunt proteſtati. In primis Sanctus*

Digitized by Google

ctus Thomas de Aquino lumen totius Eccleſię, cujus doctrina eſt per Urbanum Papam, & Innocentium, & Univerſitatem Pariſienſem approbata, in 3. ſent. diſt. 3. ſic dicit : B. Virgo fuit in originali peccato concepta, &c. Sed multò expreſſiùs loquitur Bandellus cap. 35. ratione 2. quæ ſic incipit. *Secunda ratio eſt talis : Omne dictum, quod contradicit auctoritatibus Sanctorum Doctorum ab Eccleſia approbatorum, eſt impium, & non pium; ſed propoſitio, quæ dicit B. Virginem non contraxiſſe originale peccatum, contradicit auctoritatibus Sanctorum : ergò eſt impia, & non pia, &c.* Et adductis Sanctis, quorum doctrina eſt approbata in cap. *Sancta Romana Eccleſia,* de quibus dicimus in principio, concludit : *Et quòd ea, quæ de Fide determinata ſunt per Doctores, quorum doctrina eſt per Concilia approbata, ita tenemur credere, ſicut & Concilia, de quibus in capite, Sancta, octò Concilia diſtinct. 16. Papa profitetur, ea uſque ad unum apicem immutilata debere ſervari. Sanctus etiam Thomas, cujus doctrina eſt approbata, ut infrà dicitur expreſſè, cum prædictis, tenet Beatam Virginem habuiſſe originale peccatum, ergò opinio prædictis Doctoribus contradicens non eſt pia.* Item infrà ratione 12. folio 90. adductâ auctoritate, ſeu approbatione Stephani Epiſcopi Pariſienſis, & Summorum Pontificum Urbani & Innocentij, concludit hoc modo. *Ex quibus patet quòd Doctores, qui dicunt Beatam Virginem fuiſſe Conceptam ſine peccato, impugnant doctrinam S. Thomæ, & per conſequens ſunt de veritate ſuſpecti.* Eadem verba nullâ mutatâ ſyllabâ quoad omnes ſupra-poſitas auctoritates habet ille corrector, ſeu continuator Bandelli, atque ex parte Petrus de Vincentia etiam Ordinis Prædicatorum in ſuo tractatulo de Conceptione fol. 11. à tergo. Conſtat ergò ex propoſitis Auctoribus, & auctoritatibus, quòd, ſicut in principio à Joanne de Monteſono & Montiſoniſtis anno 1387. fuerant adductæ auctoritates, ſeu approbationes doctrinæ Sancti Thomæ, ut ex illis probarent Virginem MARIAM non ſolùm contraxiſſe in ſua Conceptione peccatum originale, ſed hoc jam eſſe determinatum de Fide, & contrarium erroneum, & hæreticum; ſic

etiam in medio controverſiæ, id eſt, ad annum 1480. in Lombardia per Bandellum, & Bandelliſtas fuerint illæ, & aliæ approbationes de novo ſuperadditæ, ad eumdemmet ſcopum, & finem adductæ; & cum aliquibus circumſtantijs expreſsis eximiè relevantibus, & in ultimo gradu, & approbationis apice conſtituentibus doctrinam S. Thomæ. Nam Bandellus, & alij jam nitebantur aperto marte determinare expreſsis verbis omnia opera & ſcripta Angelici Doctoris eſſe approbata, non quomodocumque, ſed ſicut per Canones ſacros, & Decreta Apoſtolica fuerunt commendata, recepta, approbata, & confirmata octo Sancta Concilia Generalia, quòd ſic teneremur credere tamquam de Fide: ſicut & quòd inter S. Thomæ (cujus dicta, ſcripta, & opera quoad totum, & quoad partes neque ad unum apicem debent immutari, aut variari, ſed ſemper immutilata, hoc eſt, intacta, & immaculata obſervari) quòd, inquam inter ejus reſolutiones ſemper & ubique Catholicas, & de Fide ſit computanda iſta, ſcilicet, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali.

Tandem ſicut in principio, & medio, ſic etiam in fine (hoc, ſcilicet, tempore noviſſimo) ex eiſdem approbationibus, & alijs de novo inventis & additis eodem modo argumentantur. Nam R.P. Joannes Dominicus Montagnolus in ſuo opere Theologico impreſſo Neapoli an. 1610. in folio, à pag. 435. uſque 439. agit latiſſimè contra Decreta Summorum Pontificum, & contra Immaculatam Virginis MARIÆ Conceptionem, quæſtionem de Sanctificatione in utero, cujus auctoritatem integram infrà dabimus. Et inter alias rationes ultimo loco aſſignat iſtam: *Septimò, ipſa Virgo Beatiſſima D. Thomæ doctrinam approbavit. Octavò, ipſe Chriſtus eam confirmavit, &c. Sed communiter omnes Sancti de originali peccato loquentes ſolum Chriſtum excipiunt, non autem Virginem: ergò ita tenendum videtur.* Ecce jam deſcendunt in arenam aliæ duæ approbationes doctrinæ Sancti Thomæ, Chriſti, & MARIÆ, & contra quem? contra ipſammet Virginem MARIAM Chri-

Chriſti Matrem : ipſa enim & Filius ſuus dederunt arma, ut contra ipſos pugnaret P. Dominicus Montagnolus. Pater Dominicus Gravina in illo ſuo libro ſub titulo Cherubim Paradiſi adducit omnes ſupra-relatas approbationes doctrinæ S. Thomæ, & tandem expreſſis verbis pervenit ad articulum Conceptionis. Poſt iſtos ſcripſerunt libros integros P. Ignatius Galvan, P. Gundinſalus de Arriaga, de quibus ſuis locis latè agemus. P. Joannes Paulus Nazarius edidit opuſculum de approbationibus doctrinæ S. Thomæ. Doctores Salmanticenſes ediderunt libellum de eodem argumento. Qui autem loquuntur de iſtis approbationibus in communi & in particulari, ſunt ſine numero, quorum auctoritates, prout ad noſtrum conduxerint finem, infrà dabimus. Et ſolùm proponam unicam, quæ præ omnibus æquipollet; & hæc eſt Reverendiſſimi Patris Thomæ Turci Generalis Magiſtri totius Ordinis Prædicatorum in opuſculo de Conceptione ſcripto anno 1648. & incipiente : *Felici ſidere, admirabilique Dei conſilio crediderim factum, ut cauſa de labe originalis peccati in eum ſtatum ceciderit, ut jam non propria Dominicanæ familiæ, ſed ſummo Tribunali Fidei communis evadat; ut qui jugulum unius audacter impeteret, ſinum alterius ſimul impiè confoderet, &c.* Et poſtquam plura circa hoc, pagina 22. ſic inquit. *Non opus eſt ut ſcrupulosè de nominibus decertemus, quando de re ipſa & plures, & melioris momenti Auctores contrariam ſententiam aſſerentes plenâ manu congerere poſſemus: pro uno enim, qui Conceptionem Virginis Immaculâtam appellavit, nos graviſſimorum auctorum milliades, qui eamdem mundatam, Sanctificatam nominarunt, habemus: Catalogum illorum non attexo, quia obvij ſunt cuilibet in Capreolo, Turrecremata, Caietano.* Reverendiſſimus Pater parùm videbat. Nam Capreolus ex ſuo Guilielmo de Gannaco adducit tantùm 40. Turrecremata ipſos auxit uſque ad 100. & Cajetanus ex iſtis elegit 15. ubi ergò ſunt milliades? Proſequitur ſtatim ſic. *Non me latet cavillari adverſarios, Auctores illos vel non extare, vel id non aſſerere, vel aliter exponendos; ſed cùm ad hoc uſque tempus iſtud probare non*

O 2 *potue-*

potuerint, ridemus verba, quæ aërem diverberant eò vel præcipuè, quòd ex Ariſtotele, quolibet proferente contraria ſolicitum eſſe, ſtultum ſit. Sed fateamur (quod numquam probabunt) concedamus (quod numquam conficient) & majorem & meliorem Doctorum recentiorum partem ab ipſis ſtare; an ex cauſa excidemus? an è manibus erepta eſt victoria? minimè gentium. Fateantur ergò, velint nolint, neceſſe eſt portentoſum quid, & Divinum latêre, quòd hæc Patrum antiquorum ſententia, tot pugnantium ſtudijs exagitata, tot arietibus impetita, tanto ardore impugnata, inexpugnabilis ſemper extiterit, inſtar palmæ ſuperior evaſerit, omniumque conatus, qui miris modis eam vel opprimere, vel evertere curarunt, eluſerit. Etenim quot ſubdola pietatis deliramenta conficta, quot revelationum fabulæ contextæ, quot monumenta è ruderibus antiquitatis ſomniata, quot Patrum, Doctorum ſcholaſticorum loca depravata ad decipiendos ſimplices, ad faſcinandas mulierculas, ad plebem dementandam! & tamen illa omnia, horrentibus & ſtupentibus adverſarijs, in fumum abierunt; & ipſa litibus ſuperatis è voraginibus emergens, in Dominicanam familiam ſe recepit, ubi ſecurè conquieſcit, omnes ridet, & contemnit. Et certè in admirationem rapit, quid Divinum portendit, quòd ſola Dominicana Religio ſimplex, pauper, paupercula, nullis actibus ſuffulta, nullis præſidijs ſubnixa, ſolâ Thomæ doctrinâ contra tot humanæ poteſtatis fulmina illam ſic defenderit, ut à S. Sede per Gregorium XV. ab impoſturis vindicata, de probabilitate canonizata, ſi de palma non exultat, de pugna tamen feliciter triumphat. Hucuſque doctiſſimus ille Pater Generalis Ordinis Prædicatorum, cujus auctoritate pervenimus ad noſtrum, & hujus libelli deſideratum ſcopum.

Licet in relata auctoritate multa dicat Reverendiſſimus Pater Generalis; nihil tamen in ea probat. Phalerata enim locutio voces poſſunt eſſe, ſed non verba; dicere, à loqui multùm diſtat: at quia non requiro ab eo veritatem præpoſitam, in omnibus & per omnia admitto auctoritatem. Ad tres autem clauſulas principales aliquid dico. Ad primam: quòd ſi uſque ad annum 1648. poſt tot doctiſſimos libros editos ad comproban-

dam

dam piam ſententiam nihil actum ſit niſi cavillari, quia nullus tetigit primam, ac principalem difficultatem, ſcilicet, demonſtrare auctores antiquos adductos pro contraria opinione, vel non extare, vel id non aſſerere, vel aliter exponendos eſſe, & ideò uſque ad præſens tempus riſerint; quia totum aliud erat aërem verberare, & ſic non ſolùm riſerint, ſed deriſerint verba noſtra: jam gratias Deo non rident, nec ridebunt ampliùs, multò minùs deridebunt: quia in SOLE VERITATIS prodijt ampliſſima cauſa lugendi & plorandi. In eo enim clariſſimè demonſtratum eſt Auctores illos non extare, non aſſerere, & aliter exponendos eſſe, ac inſuper ex una parte eſſe ſuppoſitos, & fictos, & ex alterâ multiplicatos, & ex omni auctoritates fuiſſe vitiatas, & adulteratas, & ſi aliqua circa hoc reſtabant ſub dubiâ & incertâ conjectura; in ſecunda impreſſione omnia ad plenam evidentiam reducuntur. Ad ſecundam clauſulam dicimus, quòd ſi numquam uſque ad præſens tempus probatum ſit meliorem Doctorum recentiorum partem ſtare pro noſtra ſententia; hoc in libro vocato, *Militia Immaculatæ Conceptionis*, jam perfecto, & typis mandato, ſex mille oſtendent milites, quorum nullus fictus, multiplicatus, aut vitiatus. Reſtat igitur ſolùm diluere tertiam objectionis clauſulam. Nam ſi eſt quid portentoſum, & Divinum lateat myſterium in hoc, quòd contraria opinio Sanctificationis, tot oppugnata telis, tot arietibus impetita, tantoque ardore impugnata, inexpugnabilis ſemper extiterit, ab impoſturis vindicata vivat, de probabilitate canonizata inveniatur, & de pugna feliciter triumphet, ita ut palmam quaſi victrix aſcenderit, ſi, inquam, ibi quid lateat, non eſt ob aliam cauſam, niſi quia in Dominicanam familiam ſimplicem, & pauperculam ſe recepit. Unde quantumvis omnibus alijs præſidijs fuerit deſtituta, quia tantùm doctrinâ S. Thomæ fulcita eſt, atque protecta invenitur, ſatis ſecurè conquieſcit, ut omnes rideat, & contemnat, &c. His & ejuſmodi pluribus incitatus in hoc meo libro ſub titulo: *Nodus indiſſolubilis*, ſtatui,

ac decrevi piam ſententiam de præſervatione Virginis Mariæ à peccato originali, velit nolit, intra familiam etiam Dominicanam introducere: ut muro Angelicæ doctrinæ vallata, ſcientiâ & ſapientiâ S. Thomæ protecta cum loco mutet fortunam. Quia ſi hucuſque tot ſuffulta præſidijs, & ſubnixa favoribus Summorum Pontificum, Regum, Principum, Eccleſiarum, Epiſcoporum, Religionum, Univerſitatum, &c. non potuerit à fulminibus defendi; ſed Thomiſticis impugnata ſtudijs, exagitata libris, litteris impetita, & non tantùm ardore, ſed tot combuſta flammis, ac demolita tormentis, poſt tot ſæcula ſic muniatur, ut omnes deinceps conatus evadat eorum, qui miris modis eam vel opprimere, vel totaliter per tot annos ſubvertere curarunt, ipſoſque eludat; nunc relinquens ſicomorum Minoritarum, & aſcendens palmam ſublimem Thomiſtarum ubi ſecurè conquieſcet, omnes ridebit, & contemnet. Recedant ergò veteres revelationum fabulæ confictæ, taceant monumenta è ruderibus antiquitatis ſomniata, quieſcant tantiſper Patrum, Doctorum ſcholaſticorum loca depravata, & ſubdola pietatis ſpecie deliramenta conficta recedant. Recedant, inquam, ſimul vetera illa ad decipiendos ſimplices, ad faſcinandas mulierculas, & ad plebem dementandam introducta figmenta: nova ſint omnia, rara, & numquam audita. Exeant in campum alia ſcholaſticorum loca non depravata, ſolemnes revelationes non ex fabulis contextæ, altera monumenta ſolida non ſomniata: alia denique non ſubdola deliramenta conficta; ſed omnia ſint egregia monumenta Dominicanę familię, ubi nullum deliramentum fuit, nec poteſt eſſe. Omnes ſint Dominicanæ revelationes, ubi nullæ fabulæ, ſed authenticæ veritates, nihil invenitur ad decipiendos ſimplices, quia omnia dimanarunt à Doctoribus peritiſſimis; nec aliquid reperietur ad faſcinandas mulierculas, quia Dominicani ſolùm magnos Dominos inſtruere debent. Nam jam pia ſententia de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione, relictis omnibus antiquis confictibus,

Digitized by Google

ctibus, fabuloſis, ſomniatis,& reprobatis figmentis, quæ *horrentibus & ſtupentibus adverſariis, in fumum abierunt, & ipſa litibus ſuperatis,è voraginibus emergens in Dominicanam familiam ſe recepit, ubi ſecurè conquieſcit, omnes ridet, & contemnit, &c. Nullis actibus ſuffulta, nullis præſidiis ſubnixa*, niſi *ſolâ Thomæ doctrinâ*, receptâ ab Eccleſia, approbatâ quatuordecim approbationibus, & confirmatâ in cælo & in terra, ſecundùm Doctores omnes Ordinis Prædicatorum.

Poſtquam oſtendimus univerſaliter, & in communi approbationes in ſuo principio, fine, ac medio fuiſſe excogitatas, ut ipſis oppugnarent Immaculatam Virginis MARIÆ Conceptionem; operæ-pretium erit hìc etiam obiter notare, quòd in earum artificio & ſtructura, ipſarum fabricatores reſpexerint ad aliqua elogia dicta de Sacratiſſima Virgine MARIA, ut ad inſtar illorum loquerentur de doctrina S. Thomæ: verbi gratiâ, S. Bernardus in illo I. ſermone ſuper Miſſus eſt multa dixerat de puritate MARIÆ. *De qua immaculata immaculatus procederet, &c. Alioquin quomodò Angelus eam ſequentibus gratiâ plenam pronunciat, ſi quippiam vel parùm boni, quod ex gratia non eſſet, habebat, &c. Miſſus eſt, inquit, Angelus ad Virginem: Virginem carne, Virginem mente, Virginem profeſſione, &c.* Et alia quàm plura hujuſmodi, & concludit ſic: *In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis* MARIAM *cogita*; MARIAM *invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, ut impetres ejus orationis ſuffragium; non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipsâ tenente non corruis; ipsâ protegente non fatigaris; ipsâ propitiâ pervenies, &c.* Confer verba iſta ultima cum illâ excellentiâ dictâ de doctrinâ Sancti Thomæ,de qua infrà Nodo 4. *Hæc ergò doctrina, chariſſimi non recedat ab ore, non recedat à corde; quia ipſam certè ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris, ipſam ſtudens ad veritatem pervenies, &c.* Nota non tantùm ſimilitudinis ideam, ſed etiam identitatem verborum

rum repertam in utraque auctoritate. Et ſi volunt quòd de doctrina S. Thomæ dicantur eadem, quæ de Sacratiſſima Dei Matre ac Virgine MARIA prolata ſunt à Sanctis Patribus, conſequens erit videre, an quæ docti, ac devoti Patres dicunt de ſua doctrina Angelici Doctoris, velint aut permittant dici de Beatiſſima Angelorum Regina Matre MARIA, aut plus conentur tribuere, ac de facto tribuant Conceptui mentis Sancti Thomæ, quàm Conceptui ventris Dei Matris.

Et ut expeditiùs noſtros incipiamus ligare Nodos, hîc tranſcribo quid aliqui Auctores dixerint circa hanc materiam Conceptionis; & modum loquendi Adverſariorum in ipſa; & nullum adducam ex Ordine Minorum, quia ſumus pars ex diametro oppoſita & ſuſpecta. Et ut incipiamus ab antiquioribus, circa annum 1370. fuit quidam Guilielmus Jordini Ordinis Prædicatorum qui ſcripſit tractatum, ſeu ut ipſe vocavit, *Determinationem Oxonienſem*, contra Immaculatam Virginis Conceptionem, quam invenire non potui, tamen contra ipſum ſcripſit quidam Pater Benedictinus tractatum integrum, quem inveni apud S. petrum Gandavi inſertum in libro, cujus titulus eſt *Cronodromus*, quem extraximus, ut cum alijs videat lucem in libro dicto *Monumenta antiquæ Conceptionis*. Hic ergò P. Benedictinus poſt hujus Jordini quamdam latiſſimam auctoritatem ſic inquit: *His igitur quam-pluribuſque alijs rationibus dicti Doctores ſuam facientes opinionem, non pro via amoris, ſed potiùs per viam rancoris, velut Immaculatæ Virgini ſeveri inſidiatores*, MARIAM *ſordidam*, MARIAM *illutatam*, MARIAM *in fæcibus culpæ conceptam publicè non formidant aſſerere, cum clamore horribili intonantes, ut veris Virginis amatoribus comminantes erroris, eos cenſuræ ſubjacère clamantes, ſi intemeratæ Virginis honorem, Conceptioniſque puritatem moliantur oſtendere; dicere, inquiunt*, MARIAM *non eſſe conceptam in peccato originali, error eſt. Et hæc quidem eorum veſana concluſio, &c.* Iſte non erat Minorita, nec loquebatur propter oppoſitionem opinionum, ſed juxta veritatem à ſe cognitam & expertam

Quid dixerit P. ille Anonymus Dominicanus, ſeu Vincentius Bandellus de Caſtro-novo in Lombardia, vidimus in SOLE VERITATIS. Quid P. Wigandus Unurt in Germania, videbimus in RADIJS SOLIS VERITATIS. Quibus motus inſignis ille vir Dominicus Bolanus artium & philoſophiæ Doctor in proœmio ſui tractatus de Conceptione protulit hęc verba. *Non parvo animi dolore afficior, cùm audio quoſdam magiſtrali infulâ decoratos pertinaciter affirmareglorioſiſſimam intemeratamque Virginem* MARIAM *à macula peccati originalis fuiſſe deturpatam, atque in ea conceptam, &c. Cur autem iſti nullâ evidenti ratione coacti, neque ab Eccleſia adſtricti hoc tam impiè affirmare audeant; cauſam aliam reperire nequeo, niſi quòd aſſidua eorum de hac re cogitatio in peſſimum uſum converſa eſt, impoſſibileque potiùs eſſet opinionem à veritate hanc alienam ex cordibus eorum evellere, quàm Judęorum perfidiam de illorum cordibus eradicare, &c.* Iſte non fuit Ordinis Minorum; ſed dixit apertè & clarè, quod ſentiebat, quod vidit, quod expertus eſt ſuo tempore.

Fuit quidam doctiſſimus vir circà annum 1600. vocatus Nicolaus Nigidus Siculus Mænenſis, qui edidit librum, cujus titulus eſt: *Summæ Sacræ Mariologiæ, &c.* & parte 1. quæſtione 17 artic. 5. ſub hoc titulo: *Utrùm B. Virgo prædeſtinata ſit in Matrem Dei ante præviſum peccatum originale*, reſpondet ei affirmativè. Et ad hoc argumentum ex S. Thoma, *Præviſio cauſæ eſt ante prævifionem effectus; ſed peccatum originale fuit cauſa Maternitatis Dei, ait enim S. Doctor 3. parte. quòd ſi Adam non peccaſſet, Deus incarnatus non fuiſſet, &c.* reſpondet ſic prædictus Doctor Nigidus: *Ad primum ergò dicendum, quòd S. Doctor ibi nihil decernit; addit enim hæc: quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur, potuiſſet enim etiam peccato non exiſtente Deus incarnari. Ubi maximè advertenda ſunt, & modeſtia Patris præclara ejus & perpetua comes, & rarum exemplum, quo docemur nihil certi ex noſtra ſententia in re incerta & dubia dicere, nec gratis id committere, ut novas invehamus in Eccleſia ſententias. Miror hac in re longiſſimas texi quæſtiones, præ-*

ſertim eo nomine, ut ſequi videamur S. Doctorem; quem non ſequimur, dum ita ſequimur ut poſt nos trahamus; nec defendimus, dum quod ille propter pietatem omiſit determinare, nos per nimiam obſervantiam decretum volumus. Ruminentur iſta ultima verba, quia in ipſis depingitur, quidquid circa hanc controverſiam Conceptionis huc-uſque contigit: & quod nos demonſtrare intendimus in hoc toto libello.

Concludo materiam iſtam cum judicio noviſſimè prolato à R. P. Franciſco Bonæ Spei Ordinis Carmelitarum in ſua Theologia tomo 4. diſp. 12. de peccato originali fol. 122. colum. 2. ubi poſt alia ſic ait. *Mirum ſanè quòd Thomiſtæ nonnulli plus diligere videantur D. Thomam, quàm Deiparam Virginem, ut malint defendere eam fuiſſe maculatè conceptam, quàm D. Thomæ ſententiam putatitiam deſerere, quod ſapientes non probabunt, &c.* Ex his ac ſimilibus auctoritatibus ſunt ſine numero in Auctoribus: ex quibus aliquas adducimus in *Militia Immaculatæ Conceptionis*. Et hìc finem imponimus noſtris tribus Funiculis quantum ad doctrinam Angelici Doctoris & Corticem, ex quibus conficiendi ſunt Nodi, uſque ad ſeptendecim. Addimus enim in hac ſecunda impreſſione duos; unum ex verbis Summi Pontificis Joannis XXII. in Bulla canonizationis Angelici Doctoris, & alterum ex quadam Bulla nuperrimè expedita à Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII. Et solùm ſtatuenda ſunt duo principia pro Virga, id eſt, ſententia de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ, ut ſic expediti à principijs generalibus abſque aliqua interruptione deveniamus ad particularia, pertinentia in individuo ad præſentem materiam.

Primum ergò eſt, maculam originalis peccati, ſecundùm Sanctum Auguſtinum in libris contra Julianum hæreticum negantem hujuſmodi peccatum, eſſe maximè Deo odioſam. Per peccatum enim originale diabolus dominium accipit in homines, ita ut illi competant omnia ſequentia epitheta ab Auguſtino illi tributa: peſtiferum venenum, malum hæreditarium, poculum mor-

Digitized by Google

mortis, miſera captivitas, puteus altus & profundus, averſio à lumine, tenebræ, obſcuritas, & caligo, violatio imaginis Dei, amiſſio primæ ſtolæ innocentiæ, cruentum & virulentum vulnus, fæditas horribilis à qua cætera mala emanant, gravis ſarcina, arca venenis plena, peſtis inficiens terras, lethiferum poculum, civile bellum, fæda macula, poculum mortis à diabolo homini propinatum, occulta labes quâ ſumus tabefacti, fœdum contagium, quo Eva facta fuit filia diaboli, & cum iſto quodammodo mente conjuncta: per illud omnes in Adam vapulamus, naſcimur Rei, ſumus captivi, & in diaboli triumphum aſportati, faucij, morſu ſerpentis vulnerati, ac ſemivivi relicti, cœno oblutati, & ſquallidi, adeò miſeri ut propter originale fuerit ſecuris in gurgitem noſtrum lapſa, & ſubditi remanſerimus poteſtati Sathanę, quo homo habet compedes, & claudicat ſemper ad malum, fuſcos reddit, nigros, & æthiopes: eſt deniqúe diabolicæ malitiæ ſtipendium mutuarium, & cautio per chirographum. De his & alijs ibi ab Auguſtino relatis, factis de talibus peccati originalis effectibus, vide P. Joannem Baptiſtam Maſculum in Auguſtini libros.

Sed non valeant iſta, quia non ſunt dicta ab Auctoribus Ord. Prædicatorum, & audiamus ſolùm R. P. Abrahamum Bzovium Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Doctorem in Theſauro laudum Sanctiſſimæ Deiparę ſuper canticum, *Salve Regina*, concione 23. incipientę, *Divinorum Secretorum*, &c. ſub hoc titulo: *In qua peccati originalis traductio, & gravitas oſtenditur.* In illa concione poſtquam variè depinxiſſet hominem infectum peccato originali, ejuſque infelicem ac miſerum ſtatum, imbecillitatem ad bonum, pronitatem ad malum propoſuiſſet, in hæc tandem prorupit epitheta originalis peccati, quæ meritò notanda ſunt. *Hæc* (macula, ſcilicet, peccati originalis) *eſt hæreditaria lues, quam omnes, velimus nolimus, poſſidere & recipere cogimur à noſtris progenitoribus. Hæc eſt dura ſervitus, à qua nullus ſeipſum in libertatem aſſerere poteſt. Hæc tetra & peſtilens macula, quæ cujuſque*

Digitized by Google

ex patre & matre procreatæ prolis animam obſcurat, deturpat, ac corrumpit, adeoque mortem affert. Hæc ſæva illa plaga, quam omnes quidem ſentire poſſumus, ſatis autem deplorare nequîmus. Hic eſt fons & caput omnium vitiorum: hominem nobiliſſimum, ſimilem Deo creatum, & in ſumma dignitate claritatis, & juſtitiæ poſſeſſione collocatum, Divinâ gratiâ ſpoliat, ac eam in calamitatem detrudit, ut ſtatim ab illo conceptu fiat immundus, & naturâ ſit filius iræ, peccati ſervus, morti obnoxius, mundi principi Sathanæ ſubjectus, ac demùm ſive corpus, ſive animam ſpectes, à primario illo ſtatu, qui Adamo adhuc innocenti contigerat, in alium longè deteriorem commutatus. Hæc eſt illa infirmitas, quæ reddit animam noſtram debilem ad reſiſtendum inſultibus Sathanæ. Hic eſt naturæ languor, qui in natura noſtra continuè perſeverat. Hic eſt Tyrannus, qui violentum dominium obtinuit ſuper humanum genus. Omnes enim corrupti, & abominabiles facti ſumus in concupiſcentijs noſtris. Omnia concluſit Deus eſſe ſub peccato. Omnes nos in iniquitatibus concepti ſumus, & in peccatis concepit nos mater noſtra, mater illa, quæ primò ſeducta eſt à ſerpente. Hæc & alia, quæ ibi ponit Bzovius, cauſat peccatum originale in anima. Unde conſequentia iſta eſt formalis: hæc perſona habet peccatum originale: ergò eſt inimica Dei, filia iræ, abominabilis, &c. Secundum principium eſt circa præſervationem ac redemptionem à peccato in communi, de qua loquitur Auguſtinus in libris contra Julianum. Et S. Bernardus ſuper cantica ſerm. 22. circa medium, ubi reſpondens ad illam difficultatem, an Angeli præſervati à caſu fuerint redempti per Chriſtum, reſpondet ita: *Audi breviter. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur, ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens, & hâc ratione fuit æquè utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum. Liquet ergò Sanctis Angelis Dominum Chriſtum fuiſſe redemptionem, ſicut juſtitiam, ſicut ſapientiam, ſicut ſanctificationem.* Sed relinquendo teſtes extraneos, licet Sanctos & inſignes Eccleſiæ Doctores, quia loquuntur generaliter, & non de Virgine Maria, & redemptione ac præſervatione peccati originalis, propono di-

dictum R.P. Abrahami Bzovij in Sacro Pancarpio concionum, in Feſto Sanctificationis Virginis MARIÆ dicentis: *Pauli doctrina eſt celebris illa, quam ad Hebræos profitetur: Omnia concluſit Deus ſub peccato, ut omnium miſereatur; cùm audis omnia, intellige ſupernè & infernè creata: nam in ſupernis quoque, ut Jobus ait, reperit pravitatem, in inferioribus autem neque infans unius diei purus eſt à peccato. Cæterùm ſiſte gradum, & audi Paulinum ſenſum: qui omnia concluſa eſſe ſub peccato dum aſtruit, viatores, non comprehenſores Beatos intelligit: hi enim quia fatalem metam adierunt, nec ampliùs ſtadium præfixum decurrunt, non lubricant, neque illuduntur. Viatoribus itaque & peregrinis hæc lex ſancita, ut ſicut concluſi ſub peccato, vel quo jam contaminati ſunt ab originatione, aut actione voluntatis à recto devergentis, ſive quo poterant contaminari, niſi à Dei manu candidante non fuiſſent præerepti, vel quo pij dicunt, præſervati, aut ſanctificatione efficaci & prematura, quod doctiores, depurgati.* Multa in præpoſitis verbis docet P. Bzovius, quæ ab antiquis ſuæ Religionis ſcriptoribus abſolutè, & ſimpliciter oppugnabantur (notentur ultima verba pro Nodo) Præcipuum tamen pro hac materia eſt illud de præmatura præereptione à peccato, à pijs præſervatio, à doctioribus verò depurgatio vocari ſolitâ, ſeu ſanctificatio. Si pietas apud nos exiſtens, & doctrina apud illos fulgens coincidunt quoad ſubſtantiam, concedendo præmaturam ereptionem à peccato ante caſum, de nominum diverſitate nihil curamus. Non igitur debet valere inter doctiores conſequentia illa, communiter extracta contra pios ex illo Sanctorum Patrum, & antiquorum Doctorum antecedenti: Virgo MARIA in utero Matris ſuæ fuit ſanctificata, vel purgata à peccato; igitur maculata priùs peccato originali, vel contaminata: quandoquidem præſervatio, ſanctificatio, & depurgatio tantùm diſtinguantur penes pium, vel doctum modum loquendi.

Et hæc dicta ſufficiant pro tribus Funiculis, ſeu principijs univerſalibus; ex quibus tamquàm ex fundamentis, ſeptendecim Nodi erunt componendi: quorum primus reſultabit ex elogijs

dictis in communi de doctrina Angelica S. Thomæ, in alijs ſequemur diſpoſitionem primæ impreſſionis, & duos de novo additos collocabimus ad finem; quia noviſſimè in Civitate Lovanienſi illos de novo excitarunt. Et ſic etiam obiter videbimus ex omni parte, quâ veritate, ad probandum Virginem Dei Matrem fuiſſe conceptam in peccato originali, dicta fuerint in quodam reſcripto, ſeu memoriali exhibito Regi noſtro Philippo IV. à R. P. Joanne Martinez de Prado Hiſpaniæ provinciæ electo Provinciali, hæc formaliſſima verba Hiſpanica: *Lo tercero, todos los Maeſtros, Lectores, y Predicadores de la orden tienen echo juramento de ſeguir la doctrina de S. Thomas de Aquino, Angelico Doctor de la Igleſia, aprobada por Chriſto, y por los Romanos Pontifices, Concilios, y Univerſidades è innumerables Religiones y Doctores.* Et hoc ut dicta hæc ac propoſita in communi, deſcendendo ad particularia, & radicitùs enucleata, à prima ſua origine examinentur; nam iſtis locutionibus à multis annis conati ſunt ſeducere mundum univerſum.

N O-

Digitized by Google

NODUS PRIMUS

In quo agitur univerſaliter, & in communi de Conceptu mentis Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, & de Conceptu ventris Sacratiſsimę Virginis Dei Matris MARIÆ, ex comparatione ſapientiæ, & doctrinæ unius, cum immunitate, ac puritate alterius; atque de utriuſque approbatione.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

PRopter illas acres admodùm, ac graves controverſias exortas in partibus Lombardię circa Immaculatam Virginis Conceptionem, ad quarum extinctionem edidit Sixtus IV. Pon. Max. duas extravagantes: *Grave nimis, &c.* de quibus infrà; in eadem regione numeroſa quędam diverſarum approbationum doctrinæ S. Thomæ congeries cœpit paulatim hinc inde pullulare; & quidem adeò, ut ſtatim diffuſæ fuerint, atque diſperſæ per varios libros ab ejuſdem Angelici Doctoris diſcipulis. Inter quos ex primis fuit quidam Pater Magiſter Ordinis Prædicatorum vocatus Damianus Doctor Pariſienſis, & Ticinenſis Academiæ alumnus; qui in publicis Theſibus primò protulit id, quod noviter fuerat inventum, & hodiè communiter ut antiquum proclamatur; illam, ſcilicet, approbationem Innocentij: *Qui ſequitur S. Thomam nunquam à veritatis tramite aberravit, & qui non ſequitur ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Contra

tra iſtas propoſitiones dogmaticè propoſitas à P. Damiano, ſurrexit quidam P. Ordinis Minorum vocatus Fr. Samuel de Caſſinis; & in quodam opuſculo ſub hoc titulo: *Secunda argumentatio Fratris Samuelis Ordinis Minorum contra Magiſtrum Damianum Ordinis Prædicatorum, &c.* impreſſo Papiæ, circa principium ſic contra præfatas propoſitiones argumentabatur: *Sanctus Thomas in pleriſque articulis fuit condemnatus: igitur poſitio falſa eſt. Conſequentia patet, & antecedens probatur per Univerſitatem Pariſienſem, quę in pleriſque articulis condemnavit doctrinam B. Thomæ.* Deinde nitebatur P. Caſſinis probare aſſertivę articulos illos, damnatos ab Univerſitate Pariſienſi, eſſe hęreticos. Et paulò pòſt probando quintam concluſionem, contra B. Thomam adducebat ſex poſitiones hęreticas, repertas in ejus doctrina ſecundùm opinionem multorum, & concludebat ſic: *In Philoſophia autem naturali, & in Metaphyſica atque Logica cæcutijt & ipſe aliquando; patet igitur antecedens. Non eſt igitur ita gloriandum de doctrina Sancti Thomę, quòd deſpiciantur alij, quia unicuique diviſit Deus ut voluit. Nec valet conſequentia, iſte fuit Sanctus, ergò fuit doctior alio, qui non eſt Sanctus; oppoſitum enim conſequentis ſtat cum antecedenti, ut patet de Ariſtotele, qui etſi non eſt Sanctus, immò nec bonus, fuit tamen longè doctior S. Thomâ, in his dico quæ ſunt ſpeculabilia dumtaxat: Fidem ſemper excipio, quam ita habuerunt integram non canonizati aliqui ſicut ipſe; & patet conſequentia.* Hęc ſunt verba ad litteram P. Samuelis ex principio ſuæ diſputationis.

Ad calcem verò proponebat Pater Samuel ſe inveniſſe concluſionem impreſſam talis tenoris. *Splendor Eccleſiæ Thomas tam vehementis fuit ingenij, ut ſit ſtupor in toto orbe: in quo infuſum eſt, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus. Idcircò, qui eum impugnant, ſemper ſunt de veritate ſuſpecti.* Contra hanc concluſionem ſic argumentatus eſt P. Samuel. *In Thoma fuit infuſum, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus; ergò Thomas eſt æqualis Virgini* MARIÆ: *conſequens eſt hæreticum, ergò & antecedens. Probatio conſequentiæ: quia Virgini glorioſæ infuſum eſt totum illud, cujus eſt capax humanum genus; ut patet per Hieronymum dicentem: Cæteris per partes præſtatur gratia;* MARIÆ *verò tota ſe infudit plenitudo gratiæ: Teſte etiam Angelo dicente: Ave gratiâ plena, Dominus tecum; taliter autem fuit Dominus cum* MARIA *(etiam circumſcriptâ generatione temporali Verbi) qualiter non fuit cum omnibus Sanctis ſimul, etiam ſi loquamur de ſcientia, cantantè Sanctâ Matre Eccleſiâ: Gaude* MARIA *Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Et proſequebatur prædictus P. Samuel ſic: *Multas rationes poſſem adducere ſimul & auctoritates, quibus probarem nihil poſſibile humano generi latuiſſe Virginem poſt miſſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos: quoniam & ſuper ipſam peculiariſſimè miſ-*

ſus

Digitized by Google

ſus eſt. Patet ergò & conſequentia, & falſitas conſequentis. Et concludit totum ſuum diſcurſum ſequentibus verbis: *Pręterea, doctrina D. Thomę fuit improbata in ſex articulis ab Univerſitate Pariſienſi, & in aliis ſex fuiſſe hæreticos ſecundùm multorum opinionem; ergò Thomam improbare, vel ei contradicere, non eſt eſſe ſuſpectum de veritate. Præterea, Auguſtinus, qui fuit ſplendididiſſimum jubar Eccleſiæ militantis, retractavit ſe in multis, qui fuit longè excellentior in ſanctitate & doctrinâ, quàm Thomas; ergò non eſt inconveniens retractari Thomam per alios in hoc, in quo ſeipſum non cognovit retractandum, vel ob temporis brevitatem non potuit retractaſſe ſe. Argumentum tenet per locum à majori. Ex his duobus infertur primam partem illius concluſionis eſſe falſam. Multa alia dicerem contra concluſionem iſtius inconſideratè loquentis, niſi res ipſa ſe ipſam monſtraret, & falſam ſuâ ſponte comprobaret. Diſcat igitur quiſquis in his, quæ ſunt Fidei aut morum, cautè loqui, & non præcipitanter agere.* Ad calcem ſui libelli addidit P. Samuel hoc carmen Prognoſticum: *Quid reſpondenti continget?*

Reſpondens retrò pendens, pendebit in alto

Declivique loco: cætera ſubticeo.

Hæc ſunt omnia, quæ Pater Samuel ſcripſit in illo ſuo opuſculo contra M. Damianum. An fuerint ea modeſtè, ſenſatè, & prudenter dicta, judicet lector; nam cùm ſit Frater Minor Ordinis S. Franciſci, nullum de ipſius verbis volo ferre judicium, ætatem habet, loquatur ipſe, de ſe rationem reddat. Sed contra ejus opuſculum, & verba ſupra-poſita ſurrexit quidam P. F. Vincentius Dodi Ordin. Prædicatorum ſcribens quæſtionem apologeticam, quæ fuit impreſſa Rothomagi, & ſparſa per totam Galliam in 12. folijs in 8. ſub hoc titulo: *Quæſtio apologetica contra invectivam Fratris Samuelis de Caſſinis in doctrinam D. Thomæ Aquinatis.* Et quæſtio ejus incipit ſic. *Utrùm doctrina S. Thomæ de Aquino ſit ſecuriſſima, &c.* Et adductis verbis P. Samuelis ſuperiùs relatis nullâ additâ vel mutatâ ſententiâ, introducit ſuam quæſtionem ſic: *Prò declaratione tituli quæſtionis pono duo dicta. Quorum primum eſt ad hominem: Secundum eſt ad materiam tituli. In primo dicto aperiam, quare nunc moverim dictam quæſtionem. Legi præmiſſum opuſculum Fratris Samuelis intitulatum ab eo: Secunda argumentatio Samuelis Ordin. Minorum contra M. Damianum Ord. Præd. In quo opuſculo videtur ſibi ſoli licère de cunctis Doctoribus ferre ſententiam, & quaſi cenſoriâ virgulâ alios ejicere, alios recipere; iſtos approbare, illos reprobare; & cùm ſibi placuerit, eos vel Catholicos vel hæreticos pronuntiare, ac eorum doctrinam mordaci admodùm ſermone lacerare. Quamvis enim viri probi ſic ponderoſa debeat eſſe locutio, ut nullum lædat loquendo I. Diſ. Ponderet: & prudentis inſuper hominis ſit noſſe menſuram ſuam; quam tamen hic ſervet, tu ipſe judica. Ecce Samuel plus volens ſapere, quàm oporteat, immò quàm ſapiat,* cun-

Digitized by Google

cunctis legentibus id opuſculum & intelligentibus, alijs ineptiarum ſuarum cachinnum, alijs ſcandalum præbuit. In diſceptationibus enim exercere ingenium laudabile eſt, & Philoſophorum dogma; at contumelijs & detractionibus quempiam laceſſere vituperabile & ſtultorum crimen. Unde Salomon: In ore ſtulti baculus & contumeliæ, nec recipit fatuus verba prudentis, &c. Et hinc incipit congerere opprobria contra P. Samuelem per totam illam quęſtionem: aliqua infrà videbimus. Sed ego exiſtimo in ſupra-poſitis verbis P. Samuelis nullam eſſe invectivam contra doctrinam illius; ſed contra illam propoſitionem, quæ non eſt Sancti Thomæ, ſed diſcipulorum illius. Nec Samuel vertebat in dubium, an doctrina S. Thomæ eſſet ſecura, & ſecuriſſima, utilis, & utiliſſima, ſancta, immò ſanctiſſima: quia hoc nullus negat, nec umquam ullus noſtrum negavit; ſed inquirebat, an eſſet verum illud: ſapientia S. Thomæ, exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus, propoſitum in ſuis theſibus à P. Damiano. Immò iſtud impugnare & contradicere ut falſum, temerarium, ſcandaloſum, piarum aurium offenſivum, & alijs Sanctis Doctoribus injurioſum, non eſt de Doctoribus ferre ſententiam cenſoriâ virgulâ, vel alios rejicere & alios recipere; ſed contendere ut omnes recipiantur æqualiter, Sancti ut tales cum majori veneratione in perſona; & alij, quia Catholici & Docti, ſecundùm qualitatem ſuæ doctrinæ non excludantur à conſortio veritatis; & eo ipſo, quòd non ſunt Thomas de Aquino, ſint de veritate & Fide ſuſpecti, & ſolâ hac ratione, qui ipſos ſequuntur, ſint à veritatis tramite devij. Sed de hoc iterum infrà ſuo loco.

Ponit deinde P. Dodi unicam concluſionem quæ ſic ſe habet. *Doctrina D. Thomæ Aquinatis eſt ſecuriſſima.* Et hanc probat ex auctoritate Urbani V. & Innocent. Papæ, Joann. XXII. & ex illa Stephani Pariſienſis; tunc enim neque in Italia, neque in Gallia erant, niſi quatuor approbationes. Iſte enim Pater ſcribens ex profeſſo de hac re integrum opuſculum ante 170. annos, non invênit illas poſteà excogitatas de Chriſto Domino dicente: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; nec alias S. Pauli, Virginis MARIÆ, ac Seraphici Franciſci, &c. Et poſt ſuas quatuor approbationes concludit P. Dodi: *Invidus invidiâ corroditur intùs & extrà. Putaſne cruciabitur Samuel tam luculento, & veridico teſtimonio Summorum Pontificum, & illius celeberrimæ Univerſitatis Pariſienſis de illuſtri doctrina D. Thomæ? Uteturne in hoc ſaraballâ ſuâ materialiter & formaliter? Sed non eodem tegitur omne. Quid faciet ergò ille bonus homo? Quo fugiet?* Iſtos

Iſtos negare non audebit; quia non licet in cælũ ponere os ſuum. Hæc eſſe figmenta non atteſtabitur; quia extant ſcripturæ. Revocare quæ ſcripſit ipſum pudebit: nam arrogantis eſt, velle etiam falſa tuêri. Avertat ergò Deus ut pendens proprio ſe laqueo damnet, & (velut Aman) in ſe ſuum ſentiat prognoſticum. Et infrà inquit: *Et evidentiùs confutandus eſt Samuel, qui ſuper hoc ſententiam falſam, temerariam, injuſtam proferre non erubuit. Et quia de ſimilibus idem debet eſſe judicium, Daniel injuſtæ ſententiæ in Suſannam, ultor è cælo quoque nunc emittitur, ut convincat Samuelem dixiſſe mendacium, &c. Ecce ſententia Danielis: ecce quomodò palam convictus eſt Samuel dixiſſe mendacium. Verumtamen rogo, ne ſicut in ſenes Suſannæ, ſic in hunc ſententia executioni mandetur: fortè enim ſe revocavit, quod non credo*. Et paulo infrà ſic inquit: *Verumtamen non me latet (ſi ad hæc mea reſponderit) eum effervententem (evaginato furoris enſe, & fortè incurabilis languoris) in me acceſſurum; olla etenim quæ leviter ebullit, effunditur appoſitâ etiam modicâ ſtrue lignorum. At ejus mugentia tonitrua non expaveſcens, utpote aërem dumtaxat verberantia, diluam ac explodam in me objecta (ut videbis) tamquam tela Priami in ſcutum Pyrrhi. Quid agit igitur miſſer iſte oblocutionibus ſuis in D. Thomam? At in his non Thomam, ſed ſe ipſum obnubilat: nec ſuæ congregationi honorem, ſed maximum dedecus affert. Ad quid ergò Samuel hæc profert? Ut quid zizania ſerit dicens: non eſt ita gloriandum de doctrina S. Thomæ, quòd deſpiciantur alij? Quis noſtrûm facit hanc conſequentiam? Quis ex nobis deſpicit alios Doctores? &c.* Omnia iſta convitia & alia videbantur parva ſtrues lignorum. Et quare poſita fuit iſta parva ſtrues lignorum? Quia dixerat Samuel: *Non eſt ita gloriandum de doctrina Sancti Thomæ, quòd deſpiciantur alij*: & verba iſta non ſolùm ipſum obnubilarunt; ſed etiam maximum dedecus attulerunt noſtræ congregationi Franciſcanæ: quia hoc fuit à ſanctitate & fraterna charitate degenerare, & ſtatum ſuum deprimere. Nititur verbis poſitis demonſtrare quòd ipſi non deſpiciant alios Doctores, cùm parùm pòſt ſic proſequatur. *Ad illud, cùm dicit quòd doctrina S. Thomæ fuit improbata aſſertivè in ſex articulis ab Univerſitate Pariſienſi, &c. ſatis reſponſum eſt ſuprà, & oſtenſum hoc eſſe mendacium, vide ibi. Et cùm ſubinfert: ergò Thomam improbare, vel ei contradicere non eſt eſſe ſuſpectum de veritate, &c. illud dictum eſt D. Innocentij Papæ, ut dictum eſt ſuprà, & negando illud, agit Samuel ut ſolet. Et tu vide quia hic non Samuelis, niſi fortè à Pythoniſſa ſuſcitati, ſed Iſmaëlis officium gerit: videat tamen ne illud dictum verificetur in ipſo*. Ergò qui defendit iſtam propoſitionem, qui non ſequitur doctrinam D. Thomæ eſt de veritate ſuſpectus, deſpicit Doctores omnes, qui ſcripſerunt ante annum 1274. qui non ſunt ſecuti doctrinam Sancti Thomæ, & reprobat ut ſuſpectos de veritate omnes poſt illum annum rece-

recedentes à doctrina S. Thomæ;& ſolùm approbat ſcriptores Thomiſtas: & hoc non eſt reprobare & deſpicere alios? Sed de hoc dicetur ſuo loco.

Ad finem ſui opuſculi dicit Pater Dodi: *Poſtremò accedit ad nos*, id eſt Samuel, *tamquam candela lucens, quæ alios illuminat, & ſe ipſam conſumit. Vnde gratias agens ultimum ejus dictum libenter accepto, cùm dixit: Diſcat quisquis in his, quæ ſunt Fidei aut morum, cautè loqui, &c. Namque & Dominus Salvator noſter in Evangelio dixit: Quæcumque dixerint vobis Scribæ & Phariſæi ſervate & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere. Si enim medicinam, quam aliis propinat Samuel, ipſe deguſtaſſet, ſaltem in terram non in cælum evomuiſſet coleram; latret, debacchetur, excandeſcat, &c.* Concludit totam ſuam quæſtionem P. Dodi cum iſtis carminibus.

S. Car. Samueli latranti, ac prognoſticanti S.

Simia quid rides Thamyram? Quid Flora Catullum?
Improbe, quem morſu vis lacerare tuo?
Archigenem quæras: mediam pertundite venam.
Feſtinet fieri, ni Monitella velis.

Iſta ſunt præcipua quæ ille Pater Vincentius Dodi protulit contra P.Samuelem Minoritam dicentem, quòd S. Thomas in Philoſophicis ſpeculativis aliquando cæcutierit: non enim invenio in tota ipſius quæſtione aliud verbum, quod generare poſſet livorem. De Nodo ex his reſultante, vide infrà decimum ſextum in ordine.

Doctores, ſeu Patres illi Salmanticenſes in illo ſuo libello pro doctrina Sancti Thomæ, & ejus approbatione, de quo paſſim infrà redibit ſermo, fol. 41. num. 28. ſic inquiunt: *Academia Salmanticenſis jurando ſequi Sanctorum Auguſtini, & Thomæ doctrinam; illam excellentiorem eſſe aliis doctrinis, originemq; ſuam & antiquitatem ab ipſomet Evangelio ducere declaravit: univerſæ novitati, & effræni recentiorum Theologorum ad placitum libertati aditum præcluſit, quæ, ſi refrænata non fuiſſet, eoſdem gemitus parturire poſſet, quos S.Patianus expreſſit, &c.* Nota hic quomodò ex voto & juramento declaretur doctrinam Sancti Thomæ ab ipſomet Evangelio originem ducere, ipſamque univerſali novitati effręni aditum præcluſiſſe; quia doctrina S.Thomæ ab omni novitate eſt aliena. Et infrà fol. 47. num. 51. recipientes ad hoc ipſum ſic dicunt: *Nonnullis viris doctrinâ & pietate clariſſimis, Academiæ Decretum conſiderantibus, venit in mentem; Divinam providentiam hâc cautelâ forſitan voluiſſe obviare alicui gravi damno, quod circa doctrinam his Regnis imminêre poteſt: Puritas enim, & integritas Fidei non eſt his Regnis indiſſolubiliter alligata, quamvis à multis ſæculis in illis illæſa perſevêret per Dei miſericordiam. In tantum peccata noſtra augêri poſ-*

Digitized by Google

poſſunt, ut Deus illa punire velit ablatione Fidei à prælatis, & ſubditis, quo flagello percuſſit Regna, & Provincias vicinas. Si res iſta eveniret, quæ tamen Dei favore longiſſimè abeſt, ut ait Dialecticus; poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur inconveniens; quænàm quæſo arces Fidem tuerentur in hac Monarchia, niſi illuſtres Academiæ? Vult itaque Deus, ut illa, quæ cæteris præeminet, obligetur religione juramenti ad tenendam doctrinam tutiorem, qualis eſt doctrina Sanctorum Auguſtini & Thomæ; ut in illa firmiter radicatâ iſtorum Sanctorum doctrinâ, & ab eadem plantatâ in pectoribus diſcipulorum, qui in magno numero in Academia inſtituuntur, qui ab ipſis teneris annis flagrabunt amore ad iſtos Sanctos, à malis tam pernicioſis liberentur. Quis ſcit an, ſicut ſuperiori ſæculo Deus movit Reges Catholicos, ut ſanctum Inquiſitionis Tribunal in Hiſpanijs erigerent, quod fuit antidotum. ut hæc regna præſervaret ab hæreſi, quæ exorta fuit illorum temporibus, & auſa eſt nobiliores hujus coronæ partes depravare; ita etiam nunc Academiæ hoc juramentum inſpiraverit, quo impendentium malorum non minora pericula amoveantur? &c. Salmanticenſium diſcurſus ad compendium redactus talis eſt: Quia peſtifera hæreſis infecerat præcipuas partes inviciſſimæ Hiſpaniarum coronæ, permiſit Deus, ut à ſimili periculo noſtrum Regnum deinceps præſervaretur immune & illæſum, erectionem fieri ſanctiſſimi Inquiſitionis Tribunalis, quo jam ab hujuſmodi periculis, & imminenti malo liberabitur; ſed non ita adhuc eſt puritas, & integritas Fidei in his Regnis indiſſolubiliter alligata, qui deficere poſſit ablatione Fidei à Prælatis & ſubditis. Quare de alio efficaciori, atque ultimo prævidit remedio providentia Divina, ut ſubditi, & Prælati, Regna, Academiæ, ut omnes ejus filij præſerventur pro nunc, & futuris temporibus, liberentur, ac tueantur à tam imminenti, atque pernicioſo periculo. Et remedium hoc fuit: quòd nimirum Academia Salmanticenſis ediderit votum, & juramentum ſequendi, ac defendendi doctrinam S. Thomæ, quâ ſemper indefectibiliter erit libera ab hoc pernicioſo imminentique malo, tamquam quodam præſervativo antidoto obviante, amoventeque gravia hæc damna à puritate Fidei Catholicæ: mediante igitur ſanâ doctrinâ S. Thomæ integritas Fidei Chriſtianæ ſana præſervabitur. Remedium quidem efficax & optimum; ſed videbimus, an eâdem doctrinâ, pietate, ac Divinâ providentiâ, facilitate, efficaciâ, &c. quibus, mediante doctrinâ Sancti Thomæ, præſervant puritatem Fidei Chriſtianæ ab hæreſi, Regna, prælatos, & ſubditos à periculo erroris; invenerint ſaltem unam præſervationem pro Sacratiſſima Dei Matre MARIA.

Infrà in eodem libello dicunt Salmanticenſes fol. 121. num. 82. loquendo

Digitized by Google

quendo de Summa S. Thomæ : *ut inde manifeſtum fiat , Academiæ ejuſq; legum , & ſtatutorum finem non alium eſſe , quàm partes S. Thomæ eum locum apud Theologos obtinerent, quem jus civile apud Jurisperitos tenet , &c.* Hîc ſiſtit totus eorum conatus , ut ſcilicet, Summa S. Thomæ eſſet in ſcholis jus civile Theologorum , & juſtitia ipſa, quâ omnium aliorum libri, ſententiæ , & cauſæ deciderentur , quaſi per unicam , & primam regulam Fidei indefectibilem. Et infrà fol.130. num. 90. loquendo de Alexandro de Ales , Alberto Magno , S. Bonaventura , & Magiſtro ſententiarum, atque ex iſtis Summam Theologiæ à S. Thoma compoſitam inquiunt : *In qua cum tanta animi dexteritate , & magiſterio , quidquid in ſuis coætaneis purius & ſelectius compêgit , ut omnes Academiæ eum Magiſtrum præpoſuerint ; quod nulli trium prædictorum eveniſſe manifeſtum eſt : non aliâ de causâ , quàm quòd S. Thomas habeat, quidquid illi doctiſſimi, & primarij viri præclarè & ſapienter docuerunt , &c. Unde facilè colligitur Sanctum Thomam eſſe velut vices-gerentem antiquorum Patrum , & illuſtriorum ſcholaſticorum , eiuſq; libros illis , qui Theologiæ ſtudent , tamquam facem prælucêre debere , quia continent Summam totius doctrinæ inſignium Theologorum, qui eum præceſſerunt.* Multa hîc dicunt Salmanticenſes. Primò, quòd S. Thomas in ſua Summa & libris non ſolùm recollegerit pura , & ſelecta , ſed puriora & ſelectiora ; & ſic doctrina ejus in ſuperlativo gradu habeat puritatem . Secundò , quòd nihil fuerit à primarijs viris Theologis præclarè , aut ſapienter dictum , quod non inveniatur in doctrina Sancti Thomæ. Tertiò,quòd ſit vices-gerens omnium antiquorum Patrum. Nota cauſam : *Quia continet* in ſuis ſcriptis,ac libris *Summam totius doctrinæ inſignium Theologorum , qui eum præceſſerunt.* Quartò ex his infrà quaſi pro conſequentia deducunt. *Contra peſtem invocamus Divum Rochum , contra dolorem dentium S. Apolloniam ; & contra alias infirmitates, Civitates & Regna hujus aut alterius Sancti patrocinium implorant : nec propterea quiſquam dixerit alios Sanctos contemni vel offendi. Qui doctrinæ peſtem pertimeſcit , S. Auguſtinum & Thomam ad ſui tutelam in patronos eligit , &c.* Utinam hoc conſilium ſervaret vel ſervaſſet Pater ille , qui Romæ , me præſente , fuit ab Innocentio .X. Summo Pontifice in carcerem detruſus propter defenſionem Janſenianæ peſtis.

Totus ille libellus Salmanticenſium ad hunc unum tendit ſcopum, ſcilicet , ut probent doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam , atque ab omni defectu , errore , vel macula immunem , & illam alios immunes facere. Quare fol. 211. num. 142. concludunt ſic : *Ne igitur erremus , faciamus , quod illi humiles* (id eſt S. Auguſtinus , & B. Thomas) *nos docuerunt; certi nos , eorum veſtigijs inſiſtentes,*

non

non erraturos : imitemur Martellinum, ad quem S. Auguſtinus ſcripſit illam Epiſtolam : & D. Auguſtini doctrinam ſequamur, non tam quia ejus eſt, quàm quia Eccleſia illam probavit; ſicut etiam probavit doctrinam S. Thomæ, ut ab omnibus erroribus immunem. In his ultimis verbis continetur principium, medium, & finis omnium aſſertionum Salmanticenſium; & ex his etiam omnes conſequentiæ noſtræ, parallela, conformitates, atque combinationes, tam in communi, quàm in particulari deducentur. Quia ſi Eccleſia approbavit doctrinam Sancti Thomæ, *ut ab omnibus erroribus immunem*, ergò numquam habuit errorem: & ſic immunitas ſupponit abſque ulla coarctatione, univerſaliter, & ſimpliciter pro omni ſtatu, tempore, & errore in ſuo principio, medio, & fine; niſi aliter velint judicare de voce, *immunis*, poſitâ in doctrina S. Thomæ, quàm in puritate Dei Matris, Virginiſque MARIÆ. In Summa dicta, Rudium, cujuſdam P. Dominicani impreſſa Reutlingæ anno 1487. per Joannem Otmar. in prologo dicitur: *Et ex libris Reverendiſſimi P. Doctoris & Magiſtri in Theologia S. Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus concluſiones alma Mater Eccleſia tamquam Spiritu Sancto inſpirante conſcriptas approbavit.*

Pater Hieronymus Vielmus poſtea Epiſcopus Argolicenſis, Venetus Ordinis Prædicatorum, in illis ſuis duobus libris de doctrina, & ſcriptis S. Thomæ fol. 60. loquens de Summa Theologica Sancti Thomæ, ſic ait: *Cujus operis auguſtiſſimi præſtantiam, ſi mihi ſint linguæ centum, oraq; centum; ſi cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humanâ voce reſonarent, nec planè narrarem, nec dignum aliquid ejus magnitudine, & majeſtate dicerem. Res quæ tractantur Divinæ ſunt, ſententiæ ſublimes, doctrina conſtans & ſublimis, ſtylus brevis & nitidus, ordo pulcherrimus, methodus verò incomparabilis. Ita enim quæſita invicem nectit, ut unum ex alio, poſterius ex priori inſtar catenæ pendêre, & lucem ac robur accipere videantur. Quamobrem ex notioribus ſemper progreditur, hoc eſt, ex antea expoſitis, & conſtitutis omnia ſuis locis collocantur; nullas inanes repetitiones ibi reperies; nihil præpoſterum, nihil ſupervacaneum, & redundans, nihil mutilum, & conciſum, &c.* Tres clauſulæ ſunt in hac auctoritate. Prima deſumpta eſt ex illis communiſſimis verbis dictis à Petro Comeſtore, Magiſtro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in laudem & gloriam Sacratiſſimę Virginis MARIÆ, & paſſim tranſcriptis à Doctoribus ſcribentibus pro Immaculata Conceptione; & ſummè gaudere debemus, quòd ea, quæ pro iſtâ dicta primitùs fuerunt, deſerviant etiam doctrinæ S. Thomæ; quæ nos, licet propria, libentiſſimè damus, & concedimus, unicam dumtaxat poſtulando conditionem, ut velint nobis con-

concedere pro Conceptione Virginis illa, quæ centum ora, centumque linguę concedunt, & narrant de doctrina S. Thomæ. Secunda clauſula eſt illa excellentia contenta in doctrina S. Thomæ, ubi omnia ita invicem connectuntur, *ut unum ex alio, poſterius ex priori* deducat, & componat. Unde ſi primum principium, à quo deducit poſterius, eſſet falſum, falſa eſſet tota catena. Sed cùm primum principium fuerit verum, ſequitur tertia clauſula univerſalis, ſcilicet, quòd in tota catena Summæ Theologiæ nihil inanè, nihil præpoſterum, nihil ſupervacaneum, nihil redundans, aut mutilum fuerit. Quod hîc ligatum, videbimus quomodò in Nodo ſit ſolvendum. Deinde lib. 2. p. 55. inquit: *Vt ſi Doctoris ſubtilis Epitheton alicui concedendum ſit ante ſcholaſticos omnes, & præ aliјs omnibus ſubtiliſſimus omnium Thomas, vel hâc ratione nominandus ſit.* Nota illud, ſi aliquis Doctor nominandus eſſet ſubtilis, tunc Sanctus Thomas ſubtiliſſimus eſſet vocandus; quia in omnibus & ſingulis, ante omnes & præ omnibus debet eſſe, haberi, & fuit ſubtilis. Quòd hæc verba tendant ad Joan. Duns Scotum vocatum Doctorem ſubtilem, de ſe patet.

P. Joannes Paulus Nazarius in ſuo opuſculo de ſcriptis D. Thomę f. 75. concludit his verbis: *Ex quibus facilè, ac perſpicuè videri poteſt, cujus æſtimationis apud doctos, & indoctos eſſe debeant tot recentiorum Philoſophorum, ac Theologorum cenſuræ, cavillationes, objectiones, argumenta, ſeu magis ſophiſmata; ac demùm perverſa, & injurioſa judicia, tam contra concluſiones, quàm adverſus earum probationes liberè nimis, & inconſultè prolata; adeò ut nonnullas etiam concluſiones Catholicæ Fidei contrarias, aut ſaltem de errore ſuſpectas eſſe pronuntient; ac proinde tot Summorum Pontificum oracula S. Thomæ doctrinam magnificis encomijs, ut veridicam, & erroris omnis expertem approbantia, & ab omnibus ſequendam, & ampliandam eſſe declarantia, condemnent; quod, an abſque periculo fieri poſſit, judicent ij, qui ſimplici mentis oculo, ſinceroq; cordis affectu ad veritatis cognitionem anhelant. Bononiæ* 1630. *ætatis verò meæ* 74. Sic concludit ſuum opuſculum Nazarius; & jure optimo inſurgit contra illos, qui ſe opponunt Summorum Pontificum oraculis, ſi tamen oracula ſunt vera, & legaliter tranſcripta, non ficta, falſa, & ſuppoſita. Et ſic dicere, ſentire, & affirmare, non exiſtimo quòd ſit habere perverſum, aut injurioſum judicium. Admittimus autem libentiſſimè, & admittemus ſemper, doctrinam S. Thomæ eſſe *veridicam, & erroris omnis expertem, & ab omnibus ſequendam, & ampliandam eſſe*; non quia à Summis Pontificibus, aut ab aliquo oraculo vero hoc fuerit promulgatum; ſed quia ſic eſt, & divulgatum invenitur ab aliquibus ſcriptoribus Dominicanis, & receptum in toto ſacro Ordine

Præ-

Prædicatorum: ubi etiam ab eiſdem conſtanter defenditur, ſententiam Conceptionis Immaculatæ non eſſe veridicam, ſed falſam; & primum Virg. Dei Matris ingreſſum in mundum non fuiſſe erroris omnis expertem, ſed maculatum; & ſic nec ſequendum, nec ampliandum, quin potius reijciendum, & abrogandum. Quomodò autem iſta componenda ſint, in hoc tractatulo inquiritur, relinquendo etiam apud doctos & indoctos, cujus æſtimationis eſſe debeant, quæ in illo manifeſtantur.

Idem ipſe P. Nazarius ad majorem prædictorum confirmationem adducit hîc duas auctoritates; unam Joannis Bap. Egnatij fol. 62. Et extat hoc elogium in principio libri contra Gentes impreſ. Antverpiæ 1568. in folio & alibi, dicentis ſic: *Ille igitur Aquinas, tum infinita alia ingenij fœcundiſſimi, ac feliciſſimi monumenta reliquit, quæ in uſum Chriſtianæ pietatis elaboravit; tum hoc ipſum, quod contra Gentes, ſeu magis contra Gentiles inſcripſit. Quod opus ad multorum veterum exemplum conſcriptum ſic facilè excellit, ut nec Græci, nec noſtri, quicumque hoc curriculo deſudarunt, conferri cum Thoma poſſint. Scripſit contra Gentiles egregium olim volumen Tatianus; ſcripſit Apollinaris Leodicenus; ſcripſit hoc penè argumento Septimius Florens Tertullianus Apologeticum; ſcripſit denique ſuas Firmianus Inſtitutiones, ut omittam innumeros alios. Qui omnes ſi cum Thoma comparentur, oleum & operam perdidiſſe videri poſſunt, &c.* Altera auctoritas eſt cujuſdam Dominici Epiſcopi Torcellani, & poſteà Brixienſis, qui lectâ Bullâ Canonizationis S. Thomæ dixiſſe fertur: *Hæc, vel ſimilia non dixit de alijs*, nimirum Summus Pontifex; *ideò videtur, quòd non poſſit tangere hæc Sedes doctrinam ejus ſine hoc, quòd ſe ipſam quodammodò tangat.* In iſtis duabus auctoritatibus duo continentur elogia doctrinæ S. Thomæ. Primum, quòd omnes qui ſcripſerunt contra Gentiles, ſi cum S. Thoma comparentur, oleum, & operam perdidiſſe videantur. Secundum eſt, quòd propter illa Joannis XXII. verba, poſita in Bulla Canonizationis: *Sapienter hic Doctor atque humiliter omnem ſuam verbo, vel ſcripto doctrinam ad ejuſdem Eccleſiæ Fidei normam fideli devotione reduxit; quam Petri ore diffuſam ſtabilem noverat, & multis concuſſionum flatibus agitandam:* exiſtimaverit, quòd Romana Sedes non poſſet tangere doctrinam S. Thomæ, quin & ſe ipſam quodammodò tangeret. Et licet tanta ſit diſtantia inter Eccleſiam & S. Thomam, etiam id concedimus; ut inde quæramus, an major ſit conjunctio inter Thomam & Eccleſiam, & inter doctrinas utriuſque, quàm inter Chriſtum, & MARIAM; & utriuſque puritatem.

Aliqua alia elogia, præcedentibus ſimilia, recollegit P. Joan. Michaël Pius pro doctrina S. Thomæ in illo tertio ſuo opere de Hominibus illuſtri-

Digitized by Google

ſtribus Ordinis S. Dominici lib. 1. à folio 244. ex diverſis Auctoribus v.g. ex Martino Viana: *In eo nihil eſſe fictum, nihil mediocre; ſed totum ſummum, & perfectiſſimum.* Ex Joan. Arboreo; *quòd nemo illi proximus.* Ex Franciſco de Vargas: *Adeò fuit diligens explorator veritatis, ut nihil abditum, nihil re[illegible]tum, nihil obſcurum eſſe permiſerit.* Ex Antonio Campano: *Neque ullum eſt ænigma tam ambiguum, nullus tam intricatus Nodus, aut involucrum, nulla tam obſcura nubes in hujus genere doctrinæ, quàm vir Dei Sanctiſſimus non evolverit, retexerit, aperuerit, &c.* Non negamus hæc, & alia ſimilia de doctrina S. Thomæ; ſed ſolùm inquirimus, quomodò iſtæ propoſitiones univerſales verificentur de illa, an ſcilicet habeant aliquam exceptionem, nec ne? P. Ignatius Galvan tomo 2. lib. 5. cap. 2. diſt. 6. f. 818. ſic inquit: *Ita S. Doctor accendit omnes, omnibus lucet, qui in domo, id eſt, in Eccleſia ſunt. Non eſt qui ſe ab ejus luce abſcondat, idem ſemper manens, nec tantillùm quidem diminutus. Denique in hanc rem plura ſparſim volumine ſuperiori, &c.* Lux fuit Sanctus Thomas numquam diminuta, nec quidem tantillùm, quia idem ſemper manſit. Et tom. 1. lib. 1. cap. 2. fol. 61. diſcur. 1. ſub hoc titulo: *Ex his, quæ ſolent in teneris puerorum annis accidere, futuri eorum eventus colliguntur*; ſic inquit: *Incepit à primis incunabulis admiratio gratiæ S. Thomæ; proptereaq; miraculum hoc, ac reliqua pueritiæ ejus præſagia evenerunt, ut inde colligeretur, à qua ille gratia inciperet.* Lib. 2. cap. 5. fol. 327. col. 1. ſic inquit: *Quòd verò D. Thomas in tot librorum voluminibus, in quibus immenſam rerum congeriem ſapientiſſimè digeſſit, lapſus numquam fuerit; ingentis procul dubio prodigij loco habendum eſt. Nec ſors hæc ulli alteri (quòd ſciam) eveniſſe creditur, &c.* Et lib. 2. cap. 5. diſcur. 7. fol. 346. ſic dicit: *Quidquid enim in ſcholis docetur, quidquid in particularium Doctorum libris continetur, quidquid verbi Dei declamatores loquuntur, quidquid in ſacro pœnitentiæ foro conſulitur: denique quidquid ubique veram doctrinam redolet; nihil aliud cenſeri debet, quàm imbres, ac flumina ſapientiæ D. Thomæ, &c.* Et fol. 448. ſic inquit: *Eâdem ergò ratione nihil in Angelici Doctoris tractatibus reperitur, quod aliqua ex parte minùs perfectum, minùs pulchrum, ac cœleſte videatur, immò ſingula ſingulis præcellere, facilè à legentibus judicari poſſunt. Unde nihil in eis maledictione dignum, &c.* Infrà fol. 477. num. 17. *Fuit igitur ille unus; neque enim quivis alius ad ejus ſcientiæ perfectionem pervênit, &c.* Denique lib. 4. cap. 10. fol. 685. loquendo de officio Eccleſiaſtico Sancti Thomæ, inquit: *Quod ergò attinet ad ea, quæ ex quarta lectione deſumpta ſunt, mirum eſt quantis in primis naturæ dotibus S. Doctor fuerit adornatus, quarum nonnullas ſuperiùs diverſis in locis expendimus, ita ut quidquid umquam mortalibus à natura conceſſum eſt, in uno*

D. Tho-

D. Thoma fuiſſe ſimul coacervatum videatur, *&c.* Inter omnia iſta elogia aptiſſimum eſt pro re præſenti illud ejuſdem P. Galvan lib. 1. cap. 4. diſcur. 4. fol. 89. ſic dicentis: *Rectè etiam, atque accommodatè dicere ad Doctorem Angelicum poſſumus: Foramina tua à die, quà conditus es, præparata ſunt; à die enim conditionis ſuæ ab utero, atque ab ortu aptus fuit, ut ſummus ille artifex, qui gemmis perfectiſſimis, ac pulcherrimis & virtutum & ſapientiæ ſuos ornare ſolet, ei illas inſerere, ut infrà etiam dicemus, &c. Meritò certè potuit cum Salomone dicere: Sortitus ſum animam bonam, quam Deus velut aureum vas ſuis foraminibus, à die qua condita eſt, præparavit, ut paulò pòſt omnium lapidum pretioſorum pulchritudine decoraret; illam, tam virtutum omnium, quàm ſingularis ſapientiæ dono liberaliter exornatus, &c.* In relatis auctoritatibus multa proponit ſcriptor iſte notatione digna, quæ ad compendium redacta ſunt ſequentia. In S. Thomæ doctrina nihil eſt fictum, nihil mediocre, nihil habet abditum, nihil remotum, nihil obſcurum; ſed totum, quod in ea eſt, & invenitur, eſt ſummum, & perfectiſſimum. Quia omnes intricatos Nodos, omnia ænigmata ambigua, nubes, & alia hujuſmodi reſolvit, retexuit, & aperuit. Sanctus enim Thomas ita idem ſemper manſit; ut nec in tantillo fuerit diminutus, & hoc à primis incunabulis; quia à gratia incepit, admiratio gratiæ factus; à die enim conditionis ab utero, atque ab ortu aptus fuit, ut ſummus artifex illum omnibus virtutibus ornaret. Præcipua verò Angelici Doctoris excellentia eſt: quòd in tot ſuorum librorum voluminibus numquam fuerit lapſus. Hoc fuit prodigium inauditum, numquam alteri conceſſum. Item, quidquid in ſcholis docetur, quidquid in particularium Doctorum libris continetur, quidquid declamatores, quidquid ſummiſtæ, ac denique quidquid ubique veritatem redolet in tota Eccleſia Dei, nihil aliud eſt, quàm imbres à ſapientia D. Thomæ deſcendentes. Denique in ſua doctrina nulla ex parte inventum eſt aliquid minùs perfectum, aut minùs pulchrum, aut maledictione dignum: nam quidquid umquam mortalibus à natura conceſſum eſt, in uno D. Thoma ſimul fuit coacervatum. Iſte eſt ſuccus expreſſus è vite, ac palmitibus auctoritatis auctoritatum Patrum Michaëlis Pij, & Ignatij Galvan; de quibus ſigillatim aliquid dicemus in Nodo.

Alia ſimilia elogia ſparſa per diverſos ſcriptores, recollegit in unum R. P. Pelican Bleſenſis in ſua editione nova opuſculorum S. Thomæ factâ Pariſijs anno 1656. ubi ſic dicit: *Hujus doctrina Divinitùs infuſa, quam ad fontem Divinitatis contemplando aſcendens ebibit, ex abyſſis ſapientiæ ſalutaris hauſit, non ſolùm à Chriſti Vicario, ſed ab ipſo Domino Jeſu Crucifixo*

approbata. Certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ, quâ fulget Eccleſia ut ſole luna. Veritas dicta illius. Sermones veri à ſpiritu veritatis inſtigati. Veridica, Catholica, omnibus ab Eccleſia propoſita, ut lux ſplendens creſcit in perfectum diem, orbi terræ ſalubris. Exceptâ canonicâ omnibus certior. Fœcundat, reficit, recreat. Verior, clarior, utilior. Opera ſole clariora, expreſſâ Domini voce comprobata, audivit in æternum duratura. In ea nihil infimum, medium; ſed totum ſublime & optimum. Optima aſſiduè meditans ſubtilius alijs protulit. In Theologia nullus ſublimior, in mathematica nullus acutior, in philoſophia nullus profundior, in logica nullus ſubtilior. Tacente Thomâ mutus eſt Ariſtoteles. Veritatis explorator Philoſophus, Theologus, Juriſperitus neceſſarius: huic meritò jura exponendi ſunt conceſſa. Græcis curioſior, verior, & clarior. Stylus brevis. Grata, facunda, clara, celſa, firma ſententia. Solus Thomas ſufficit, unus inſtar omnium, quantum illi tantum iſte lucis attulit. In Auguſtino ſolus magis verſatus; ejus ſequens veſtigia Eccleſiam ſcriptis illuſtravit. Vt legi Dei deeſt quidquid Auguſtinum contigerit ignorare; ſic Theologiæ Divinæ deeſt quidquid Angelicus Doctor non perluſtravit. Ejus eloquia igne charitatis examinata, & naturalis rationis dictamine purgata, &c. Alia quam-plura ſunt ibi elogia, ſed pro præſenti illa duo nobis ſufficiunt. Primum, quòd in conceptu mentis S. Thomæ nihil fuerit infimum, nihil medium; ſed totum ſublime & optimum, quia fuit tamquam lux ſplendidior, omnibus ab Eccleſia propoſita ut verior, clarior & utilior cunctis. Non enim erat elogium alicujus momenti, ſi tantùm eſſet vera, clara, & utilis, niſi ingrederetur comparativa relatio. Secundum eſt illud, igne charitatis examinata, & rationis dictamine purgata: & ſtante hâc purgatione doctrina illa fuit non ſolùm bona, ſed optima.

Item P. Joannes Croocius Gandenſis, in præfatione ad lectorem in tertiam partem S. Thomæ impreſ. Pariſijs à Franciſco Regnault in 8. ſic inquit: *Huius inquam Thomæ, qui omnium ſpirituales ſapientum opes, quas ſingulas ſua ſingulis paravit induſtria, unus hic in uno ſe complexus eſt omnes. Quidquid doctrinarum priſca digeſſit ętas, quidquid veritatis rimator perſpexit philoſophus, quidquid ſubdolus commentus eſt ſophiſtes, quidquid floridus concinnavit orator, quidquid ſubacutus cognovit mathematicus, multò Thomas quàm ipſi, qui has pepererunt artes, ſe non ignoraſſe liquidò commonſtrat. Quidquid oraculis venuſtus contexuit Prophêtes; quidquid decretis ſanxit Apoſtolus; quidquid involucris clauſit velatus Moyſes; quidquid in myſterijs reſeravit revelatus Dei Filius Chriſtus; datum eſt illi noſſe. Veterum quoque Doctor; qui primi Eccleſiaſtica roborarunt Sacramenta Canonica, illum decreta non latuêre, &c.* Alia quàm-plura dicit Pater iſte de doctrina S. Thomæ; ſed pro nunc ſufficiant iſtæ univerſales propoſitiones. Quidquid decretis ſanxit Apoſtolus, quid-

Digitized by Google

quidquid Moyſes, immò quidquid Chriſtus Dominus, ac Dei Filius in myſterijs ſuæ Euangelicæ legis reſeravit, ſive Apoſtolis, ſive Doctoribus, aut univerſali Eccleſiæ, omnia novit Angelicus Doctor, quia omnes ac ſingulas ſpirituales opes unus hic comparavit, vel propriâ induſtriâ, vel infuſâ gratiâ.

Inſuper R. P. F. Franciſcus Hyacintus Choquetius in libello cujus titulus: laudatio virtutis & ſapientiæ D. Thomæ Aquinatis fol. 45. inquit: *Quid aliud fuit libros Spiritu Sancti dictante conſcribere, ut quidam, ac præſertim Seraphicus Doctor Seraphici Ordinis lumen ſingulare B. Bonaventura, conſpexerunt. Libros, inquam, in quibus à plurima hæreticorum, aliorumq; adverſantium plebe nihil umquam repertum ſit, quod cenſuram, aut Fidei limam meretur, &c.* Et ſtatim infrà: *Ecce fons parvus crevit in fluvium, & in lucem ſolemq; converſus eſt. Fons parvus eſt Thomas, à primis vitæ momentis, è quo aquæ gratiarum, & virtutis delitiæ ſcaturierunt, donec in fluvium magnumq; aquæ ductum crevit, &c.* Ac proſequitur latiſſimè. Et pòſt aliqua: *Ecce auditores, Divinum, dum adhuc viveret, Cherubinum. Jam verò cum principijs gloriæ conſtitutus, majore quoque Cherubini gloriâ auctus eſt, & cæteros Doctores longè ſupervolans, Auguſtino, tamquam alteri Cherubino Divinis oraculis adſtanti, iunctus eſt, &c.* Quatuor hìc dicit Pater Choquetius. Primum, S. Thomam ſcripſiſſe omnia ſua opera Spiritu Sancto dictante; & hoc probat ex S. Bonaventura, & alijs conſpicientibus; ſed neſcio ubi S. Bonaventura dicat ſe conſpexiſſe, aut qui ſint illi Quidam. Quòd ſcripſerit Spiritu Sancto dictante omnia ejus opera, concedo, quia hoc nobis dicit Pater Choquetius: at quod illud dicant Quidam alij, & S. Bonaventura, nego. Secundum dictum Choquetij eſt, quòd in libris S. Thomæ nihil umquam, (nota has duas negativas univerſales, nihil, umquam) fuerit repertum ab hæreticis, aut aliâ adverſantium plebe (ſic vocat ſcholaſticos non ſequentes doctrinam S. Thomæ) quod cenſuram, aut Fidei limam mereatur. Si hoc diceret de Eccleſia, quæ Fidei limâ utitur cenſurando Auctores, aut de Academia Pariſienſi, magnum eſſet elogium; ſed de hæreticis, ac plebe contradicentium non video quomodò verificari poſſit: attamen incongruentia iſta pro Nodo multùm auget nobis roboris. Tertium dictum eſt, quòd S. Thomas à primis vitæ momentis cœperit ſcaturîre virtutibus & gratiâ, conſule Nodum. Quartum eſt, S. Thomam majorem fuiſſe Cherubinis, ac cæteros Doctores longè in gloria anteire: pro primo enim loco ſæpiſſimè certant; & benè agerent pro ſui Doctoris gloria, ſi ita pro primo inſtanti gratiæ Matris dimicarent.

Pater Coſmes Morelles, in ſua no-

noviſſima impreſſione operum Sancti Thomæ, & vitâ ejus, inter alia ſic inquit : *Vnus autem S. Thomas ſufficere tibi ad omnia valet. Ipſe interpretem, ipſe auctorem, ipſe diſputatorem peroptimè agit. Nihil in controverſiam venire poteſt, quod, ſi S. Thomam evolvas, non viſurus ſis explicatum; & ita profectò ut non à Fide, nec à communi veroq; ſenſu demùm abhorreat, &c.* Et P. Jacobus Albertus Caſtrenſis in prologo ad epiſt. dicit de S. Thoma, quòd nullus Doctor *cautiùs vitarit ſuſpecta dogmata.* P. Petrus Clerq. in Oratione de S. Thoma impreſsâ Inſulis anno 1639. multa proponit in communi de doctrina S. Thomæ, ſed præcipuè fol. 14. ubi inter alia dicit : *Cæcutiebant anteà plurimi ignorantiæ craſſioris nebulis obducti, cùm in Theologicis diſcurſibus, ſicut noctuæ in Fidei lumine volitarent, ſæpiuſq; in errorum ſcopulos periculoſiſſimè impingebant : at ubi aquilam illam grandē & myſticam (D. Thomam) ducem ſibi propoſuêre, feliciori volatu, &c. Abyſſus illa Theologica denſatis difficultatum nubibus undique circumfuſa, intellectui noſtro ita peregrina erat, ut à videntibus non videretur, & ab os habentibus non pronuntiaretur : at ubi Divinâ miſeratione, de cælo lux illa prima (D. Thomas) delapſa, ferè dixerim, creata fuit, cuncta Theologiæ paleſtræ limina diſtinctiſſimo ordine patentia, intellectui omnium fuêre pervia; licuitq; quodammodò ita per areas, aulas, & cubicula quævis, muſeola, & cellaria Theologici palatij ambulare, ut nihil ſit in Theologia tam reconditum, ut non mediâ luce doctrinæ S. Thomæ appareat, ſplendeat, & coruſcet, &c. Data quidem lux Theologica, quæ tamen ita informis erat, immò vacua, & inanis, ut non influeret plenos effectus in inferiora : at ubi ſol ille refulgens (D. Thomas) oriri viſus eſt, rebus omnibus diſtinctionem ordinatiſſimam dedit, mirabiliq; luce doctrinæ, omnia Divinitùs explicuit, & ordinavit. Sint itaque cæteri ſcholaſtici Doctores duodecim illæ ſtellæ, quibus diadema Eccleſiæ inſignitur; ſit tamen Thomas noſter & veſter univerſalis denique Doctor, ſol irradians, quo amicta tota mirabiliter illuminat, & illuminatur. Minus dico, idcirco me ipſum corripio, &c.* Et addit majora affirmando doctrinam S. Thomæ ſuper-eminêre aliorum Doctorum ſcientiam, & concludit : *Ille, ille eſt, Auditores, cujus doctrinæ manipulum circumſtantes, ſuper-eminêre vidimus : & cujus doctrinam, ſolem, lunam & ſtellas, Chriſtum (inquam) cruce pendulum, Virginemq; ſacratiſſimam, & Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum apparentes, ſcimus approbaſſe, & laudaſſe, &c.* Ex quibus verbis ſolùm extrahemus pro Nodo illud: At ubi lux illa (D. Thomas) fuit ferè creata, ſtatim nihil reconditum, aut ſine diſtinctiſſimo ordine remanſit, quia omnibus, & omnia Divinitùs explicuit, & ordinavit. Illo enim ſuo conceptu mentis S. Thomas Eccleſiam totam mirabiliter illuminat, & mundus univerſus illuminatur. Concludit tandem ſuam orationem fol. 42. ſic: *Eia ergò, Auditores benevoli, Sanctum illum*

inena-

Digitized by Google

inenarrabili gloriâ coruſcum, quem adhuc vivum Apoſtolorum Principes viſitarunt, Diva Virgo ſuâ præſentiâ lætificavit, cujus doctrinam inaudito hactenùs miraculo Crucifixus articulatâ voce approbavit, laudavitq́; quem denique Spiritus Sanctus, vidente Sancto Bonaventurâ Doctore Seraphico, in ſpecie columbæ edocuit, ijs, quibus valemus, encomijs extollamus, &c. De primis approbationibus ſuis locis dicemus; at de ultima Spiritus Sancti apparentis in ſpecie columbæ, & docentis S. Thomam, teſte & vidente S. Bonaventurâ, neceſſe eſt ut ſignent in quo libro, vel legendâ talis inveniatur revelatio, ſeu viſio, quam numquam oſtendent. Do & concedo libentiſſimè B. Thomæ doctrinam fuiſſe à Spiritu Sancto inſpiratam, aut expreſſè, viſibiliterq́ue revelatam ſub manifeſtâ columbæ ſpecie; ut ſuprà iterum conceſſimus; ſed quòd hoc dixerit, vel teſtificatus fuerit Seraphicus Doctor S. Bonaventura, res eſt à P. Clerq. & Choquetio in civitate Duacena de novo ſine ullo fundamento, aut veritate excogitata. Cùm enim velint ſtabilire nullam fuiſſe prærogativam propriam, ac ſingularem in alijs Doctoribus, quam in ſupereminenti gradu non habuerit Angelicus Doctor, hanc de columba mutuarunt à S. Gregorij prærogativâ.

Pater Alphonſus Giron in ſuis ſermonibus de S. Thoma, multa ſparſim dicit modo concionatorio, de quibus non curamus; pro noſtra autem materia ſermone 1. inquit: *Lux creata eſt, ut divideret diem à nocte, res diſtingueret, & cujuſque veritatem manifeſtaret: ſic doctrina Thomæ verum à falſo, mundum ab immundo, & pulchrum à turpi diſcerneret. Verè lapis eſt electorius, &c.* Sat nobis eſt quòd doctrina Angelici Doctoris ſecum non patiatur aliquid, quod foret vel falſum, vel immundum, aut turpe. Et ſermonem concludit dicens: *Ecce quàm verè glorioſus Thomas lux fuerit ſingulariſſima, ſpiritualis, puriſſima, incoinquinabilis Eccleſiæ, quæ errorum, & ignorantiæ tenebras diſpulit, doctrinæq́; claritate noctem fugavit, & diem invexit: verum à falſo diſcrevit, &c.* Non ſolùm doctrina S. Thomæ eſt fulgentiſſima, puriſſima, & incoinquinata; ſed inſuper eſt incoinquinabilis, id eſt, quòd numquam inquinari potuerit. Et conc. 3. ad finem inquit: *Sic ex Divina luce in intellectu Angelico Thomæ fulſerunt umbræ, & lineæ Divinarum perfectionum, & virtutum, quas à Deo acceptas Eccleſiam docuit.* Et ſerm. 4. *Multò tamen mirabilius eſt, quòd omnes Doctores Eccleſiæ loquantur per unam linguam D. Thomæ, &c.* Quid ex iſtis elogijs deducatur, vide in Nodo.

Ad iſta etiam pertinent aliqua dicta S. Antonini Florentini de doctrina S. Thomæ. In vita enim illius capite 7. §. 4. ſic inquit: *Mandavit itaque*; id eſt Albertus Magnus, *Magiſtro ſtudentium, quòd eidem*, id eſt, Angelico Doctori, *committeret, ut in prima diſputatione in ſcholis, de quadam quæ-*

quæſtione ſatis difficili reſponderet; quam cùm ex humilitate recipere recuſaret, oportebat tamen humiliter obedirẽ. Vnde ad ſecretum orationis ſe conferens, & primum actum ſuum ſcholaſticum Deo humiliter recommendans, ad reſpondendum in ſcholis in craſtinum ſe paravit: cumq́; repetitis argumentis, præmiſiſſet pro ſolutione quæſtionis quamdam diſtinctionem, per quam tam ipſam quæſtionem, quàm argumenta ſufficienter diſſolvebat, &c. Sicq́; reſponſionibus, cæteriſq́; actibus ſcholaſticis tam Magiſtro quàm ſtudentibus adeò admirandus apparuit, quòd liquidò patuit, quia Dei Spiritu plenus erat, &c. Nota unde apparuerit S. Thomam fuiſſe plenum Spiritu Dei; quia, ſcilicet, in prima diſputatione, ac ſuo primo actu ſcholaſtico Deus illuminaverat ipſum in oratione ad inveniendam quamdam diſtinctionem pro ſolutione quæſtionis, & argumentorum. Nam quomodò poterat Angelicus Doctor in primo ſuo actu ſcholaſtico, vel in minimo deficere, ut in cæteris eſſet omnibus admirandus? Majorem vim habent verba ſequentia ejuſdem S. Antonini §. 9. dicentis: *Fuit autem prædictus Doctor exemplo, & doctrinâ Magiſtri ſui, & omnium Domini noſtri Jeſu Chriſti, verè mitis & humilis corde. Unde de ſua humilitate fertur ipſe in puritate conſcientiæ ſuæ dixiſſe: Regratior Deo, quia numquam de mea ſcientia, ſeu Cathedra Magiſtrali, ſeu de aliquo actu ſcholaſtico habui motum inanis gloriæ, qui meum à ſede ſua moverret animum. Et ſic primum motum prævenientem rationem, ejuſdem rationis ſuperveniente judicio depreſſit, &c.* Iſta fuit puritas Angelici Doctoris, quòd de nullo actu ſuo habuerit inanem gloriam; immò neque primum motum inanis gloriæ; quia Divinâ gratiâ fretus primum motum præveniebat ratione, ſive ante primum motum ſuperveniebat judicium rationis, & ſic ſupprimebat motus illos primos. Et licet videatur difficile intellectu, quòd ante primum motum rationis ſit alius primus motus præveniens rationem; pro tuenda puritate doctrinæ, conceptus mentis, & animæ Sancti Thomæ, libentiſſimè admittimus iſtam præventionem, & superventionem, dummodò tamen non negent ipſi, ut negant, præventionem gratiæ pro puritate Virginis Dei Matris MARIÆ. Et hîc quæro ab ipſomet Sanctiſſimo & Angelico Doctore Sancto Thoma: ex his duobus quid eligeret? An habere peccatum originale, an verò habere unum primum motum inanis gloriæ? vel ſi in voluntate ipſius fuiſſet, quid peteret à Deo? An gratiam prævenientem ad evadendum primum lapſum peccati originalis, aut eamdem gratiam prævenientem ad deprimendum primum motum inanis ſeu vanæ gloriæ? Item interrogo à Diſcipulis ipſius: An Angelicus Doctor depreſſerit illum primum motum inanis gloriæ virtute meritorum Chriſti, an non? ita ut ſit verum dicere: B. Thomas

fuit

fuit præventus, & præſervatus à Chriſto, ut animus ejus non moveretur aliquo motu inanis gloriæ? Nam poſt quamlibet reſponſionem nimis durum mihi videbitur audire, quòd S. Thomæ animus non fuerit motus aliquo primo impulſu inanis gloriæ, & quòd Sacratiſſimæ Dei Matris MARIÆ anima non ſolùm fuerit mota, ſed dejecta, lapſa, ac devicta à primo peccato originali: & non minùs durum, quòd pro Sancto Thoma eſſet ſuperventio judicij rationis, ut præveniret, ac præmuniret ejus animum contra imminentem lapſum, hocque fuerit decens, congruum, poſſibile, & conveniens in S. Thoma; & hoc ipſum negare de Virgine MARIA. Alia quæ hic deſunt, vide in Nodo.

Inter alia multa relata à S. Antonino de gloria, ac prærogativis Sancti Thomæ, illud quod refert de ejus corpore mortuo, & poſt multos dies ſepulto §. 13. hîc tranſcribendum duxi. Inquit ergò: *Qui odor tantus fuit, quòd ad ipſum nullo alio indicante, tam prædictus Dominus Blaſius, quàm cæteri Monachi excitati convenerant, coram quibus manifeſtato Sancti corpore, invenerunt ipſum integrum in omnibus membris, habituq; ſui Ordinis, cappâ, tunicâ, & ſcapulari penitùs incorruptum, & odore redolens mirabili, cùm tamen corpus Sancti fuerit pingue, groſſum, & magnum, locuſq; ſepulturæ eſſet humidus, & profundus, ex quo debuiſſet immutari, niſi ſpeciali privilegio, & gratiâ ſervaretur. Conveniens etiam ſatis fuit, ut corpus etiam exanime novum odorem ſuaviſſimum redderet, de quo fœtor mortalis criminis in vita non exiſſet.* En quomodò, licet corpus S. Thomæ haberet omnes conditiones intrinſecas, & extrinſecas ad corruptionem, ſcilicet, quòd eſſet in ſe pingue, groſſum, & magnum, & ſepulturæ locus eſſet profundus, & humidus, ex ſpeciali privilegio & gratia fuerit ſervatum à corruptione non tantùm carnis, ac membrorum; ſed ex eodem privilegio & gratiâ integra ſervata fuerint veſtimenta, habitus, cappa, tunica, & ſcapulare: & hanc penitùs incorruptionem meruerit habere corpus exanime S. Thomæ, quia ipſe nullo fuerat in vita ſua contaminatus mortali crimine. Quid autem ex hoc deducatur pro Immaculata Virginis Conceptione, vide infrà.

Aliud elogium communiter ab omnibus repetitum (licet ſemper addendo aliquid de novo) refert legaliter ipſe S. Antoninus §. 1. ſic: *Natus eſt igitur puer nobilis, Thomaſq; vocatus, & ſub nutricis diligentiâ cuſtoditus. Cùm autem adhuc puer eſſet lactens puerulus, & more infantis pannis involveretur in cunis, contigit quâdam vice, dum causâ balneandi ipſum nutrix ſolviſſet faſciis, quòd ipſe infans extendens manum ſuam, quamdam chartulam Divino nutu inventam, de terra nullo ſibi innuente ſuſcepit, eamdemq; in manu concluſit, & ſtrinxit. Cùm ergò nutrix vellet eum balneare, & chartulam de*

S manu

manu ejus extrahere, manumq́; ejus ob hoc aperire, capit infans fortiter ejulare. Quando verò permittebatur chartulam tenêre, tacebat. Unde puero nutrix compatiens, puerum clauſam manum habentem balneavit cum chartula, abſterſit, & induit. Volens mater ſcire, quid chartula illa continebat, tandem manum ejus aperuit, quantumcumq́; ploraret, & invenit in chartula ſcriptum: Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum. *Conveniens itaque fuit Divinæ providentiæ, ut tali præſagio monſtraretur in puero, quod futurum erat in Magiſtro, ut præſciretur quam doctrinam ſalutarem vir jam factus deberet effundere, quem chartulam continentem noſtræ ſalutis exordium, non niſi Divino ductus ſpiritu contigit invenire.* Dixi quòd ad hanc piam hiſtoriam addiderint aliquid de novo: quia in Breviario impreſſo juſſu Reverendiſſimi P. Hippolit. Maria Beccaria à Monte Regali, & à P. Paulo Caſtrutio an. 1595. in prima lectione dicitur: *B. Thomas de Auſtri proſapiâ comitum de Aquino, &c.* Ecce S. Thomas factus ex domo & familia Auſtriaca; & hoc poſitum in Breviario, ne & illud ei deficeret. Et de ſchedula ibi dicitur: *Nec umquam S. Puer ab ejulatu ceſſavit, donec chartula ſibi reddita fuit, quam etiam deglutivit, &c.* Et hoc affirmant multi alij. Aliqua in hac auctoritate, pro infra-dicendis ſunt notanda. Et primò, ſcriptura, quæ pervênit ad manus Angelici Doctoris, poſtquam natus, ac baptizatus fuerat, extitit illa: *Ave* MARIA, *gratiâ plena, &c.* Secundò, quòd balneatus fuerit à nutrice tenendo clauſam ac conſtrictam in manu chartulam. Tertiò, quòd iſta fuerit quædam convenientia Divinæ providentiæ, ut ex tali præſagio præſciretur (nota terminum præſcientiæ) qualis futurus eſſet puer ille quando Magiſter. Quartò, quòd chartula illa contineret *noſtræ ſalutis exordium*; fuerunt enim in rei veritate verba illa: *Ave* MARIA, *gratiâ plena, Dominus tecum*, totius noſtræ ſalutis principium, ac primum exordium.

Ad hoc etiam tendunt verba alterius Antonij Waitte, in ſua latiſſima oratione de principatu Theologiæ S. Thomæ, quando folio 7. ad marginem inquit: *Nihil triviale de Principe dicendum, nec de Thoma, quod alijs commune.* Et ſtatim infrà: *Eſto ab adoleſcentia libris incubueris, aut pueritiâ; numquid (ut Thomas) à teneris ungviculis? Hic, audeo dicere, ab utero Doctor, ab ubere. Magiſter: cunæ ipſi muſæum; in quo neſcio quid Divinum mugi-natur & ruminat: quidnam? quod liguerit Angelicum Ave, animal mundum. Non potuit lucubrare maturiùs vel ex tunc Angelicus commentator. Sic fieri par erat. Nempè ſi brevis Angeli ad* MARIAM *ſalutatio, & paucùm verborum, ac plena Sacramentorum, quæ quia ſupra humanum ingenium, explicet nemo niſi Angelus quiſpiam Doctor, &c.* Nota omnia iſta; primò, quòd nihil triviale dicendum ſit de Principe. Secundò, quòd de S. Thoma non ſint profe-

tenda,

Digitized by Google

renda, quæ alijs communia eſſe inveniuntur. Tertiò, quòd fuerit ab utero Doctor, & ab ubere Magiſter. Quartò, quòd ut animal mundum, ruminaret ac deglutiret Angelicum Ave. Quintò, quòd maturiùs quo potuit fuerit lucubrator, ac commentator Angelicus. Quæ omnia, cum omnibus antecedentibus, ut propoſita extant à Doctoribus Ordinis Prædicatorum, concedimus libentiſſimè.

R. P. Frater Joannes Antonius d'Aubermont Ordinis Prædicatorum Doctor Lovanienſis, & ſtudij generalis Regens; in ſua oratione Encomiaſtica ſub hoc titulo: *S. Thomæ Aquinatis Angelici, & quinti Eccleſiæ Doctoris ſuper illud à Chriſto Domino è Cruce prolatum, Benè ſcripſiſti de me Thoma; collatum cum illo, ex Geneſ. cap. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, &c.* Quæ quantaque dicat Doctor iſte in illa ſua oratione impreſſa Lovanij in 4. anno 1650. in eadem videre eſt. Et ſi ea in ſe ſunt bona, pro noſtro aſſumpto valdè bona ſunt. In introductione proponit cuncta opera S. Thomæ eſſe bona, & valdè bona in communi, ac in particulari; omnia & ſingula; & poſt multa circa hoc concludit his verbis: *Et vidit Deus quidquid Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Gregorij manu, calamo, ſtylo, eruditione fecit, & vidit quod eſſet bonum; ſed verò tum demùm cuncta valdè bona, quando in uno ſimul omnia, quando ad ultimum poſtremis diebus noviſſimus iuxtà ac nobiliſſimus Aquinas emicuit; quando Angelus ille alius, non unus modò ex utroq., ſed ex omnibus unus produt, Angelicus vertex, omnis eruditionis terminus, univerſæ doctrinæ forma, omnis creaturæ miraculum, totius naturæ prodigium, cæli terræq. delicium, ſupremæ ſapientiæ gloria, Divini totius operis Summa ac coronis, cui priora univerſa parabantur, cujus anima una omnia, quæ ſunt in alijs, bona poſſidet, non dum hominum, ſed (quod eſt ampliùs) etiam & Angelorum; idq. tanto prorſus cum cumulo, quanto nullus eorum, bonum quo excellebat implevit. Et hinc jam priora cuncta valdè bona, ubi noſter ille Angelus alius perfectam & abſolutam opificij rationem induxit. Nec deſiderari ultrà jam approbantis univerſa Dei encomium poterat, quod ter tribus in locis Pariſijs, Neapoli, Orbieti ingeminatum quaquaverſus inſonuit: Benè ſcripſiſti, Benè, Benè de me Thoma: quæ tuâ manu expreſſi valdè bona, bona valdè, valdè bona.* Tria præcipuè in hac auctoritate notanda ſunt. Primum, quòd in uno S. Thoma ſint omnia & ſingula, quæ in alijs Doctoribus Eccleſiæ inveniuntur: quæ ſi in iſtis erant bona, in Angelico Doctore valdè bona ſunt. Tranſeat hoc & perpende illud: *Cui priora univerſa parabantur, cujus anima una omnia, quæ ſunt in alijs, bona poſſidet non dum hominum, ſed (quod eſt ampliùs) etiam & Angelorum.* Cùm ergò Sanctus Thomas habuerit omnia bona, quæ fuerunt in hominibus & Angelis; an hoc rectè ne-

negent de Beata Virgine MARIA circa innocentiam, quæ fuit in hominibus Adamo & Eva, nec non circa immunitatem à peccato repertam in omnibus Angelis? vide infrà in Nodo. Secundum notandum eſt illud: *Idq; tanto prorſus cum cumulo, quanto nullus eorum, bonum quo excellebat implevit*. Excellentia ſupra poſita licet maxima, & incomparabiliter exorbitans, quidni exorbitantiſſima, non perveniebat ad deſideratam metam, niſi cum depreſſione omnium aliorum hominum Auguſtini Hieronymi, &c. pariter & omnium Angelorum, quorum nullus bonum ſuum implevit; quia hoc ſervatum fuit illi, qui ex omnibus Angelis & hominibus, factus eſt unus. Tertium eſt illud: *Quæ tuâ manu expreſſi, &c.* Omnia enim, quæ continentur in doctrina S. Thomæ, expreſſit Chriſtus, licet manus Sancti Thomæ, quæ ſolùm fuit inſtrumentum; ideoque omnia fuerunt non tantùm bona, ſed & valdè bona. Quod infrà iterum repetit dicens: *Vidit enim Deus è Crucis cathedrâ cuncta quæ iſtâ manu fecit, & ecce valdè bona.*

In introductione verò ſic inquit: *Erant Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius cæli lumina, lucernæ erant, lampades erant, &c. S. autem Thomas ſol: ita parùm ad ejus laudem eſt mundi lucem eſſe; ſolem eſſe, hoc quoque parùm, niſi ipſe ſit fons luminis, de cujus plenitudine accipiant univerſi, &c. In cujus corde velut propriam ſedem veritatis ac ſapientiæ ſol fixerat, ut reliqua cæli ſidera, ſine hujus ſolis luce quaſi informia, mirabili ſplendore illuſtrarentur.* Sint Sancti Eccleſiæ Doctores lucernæ, lampades, & ſidera; & ſolus S. Thomas ſol, à cujus plenitudine omnes receperunt lumen; quia ipſe ſolus numquam informis: dum tamen ab ipſo Sole, ſola Dei Mater non recipiat umbram. Deinde ſemel & iterum affirmat, doctrinas Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, ac Gregorij fuiſſe falſas, delicatis hominibus inſipidas & amaricantes, quouſque ab Angelico Doctore fuerunt in competentem ſaporem ac debitam dulcedinem converſæ; & concludit ſic: *Omnes igitur aquæ ſapientiæ ſalutares ex Aquinatis calamo originem trahunt, & ex ejus dulcedine hoc habent, ut ſalubres ſapidæ, delicioſæ, puræ ſint & limpidiſſimæ.* Omnia quæ ex calamo Sancti Thomæ, licet ſub nigri & inquinati atramenti cortice originem traxerint, fuerunt ſalubria, ſapida, delicioſa, pura, & limpidiſſima; & à calamo Joachimi ſub liturâ humanâ non potuit generari aliquid purum, limpidum, delicioſum, ſapidum, atque ſalubre?

Horum omnium notitiam non parùm augebit, quòd anno preterito 1660. prodierit Venetijs quatuor vaſtis voluminibus opus editum à R.P. F. Xantes Mariales Ordinis Prędicatorum ſub hoc titulo: *Bibliotheca interpretum ad univerſam Summam Theologię D. Thomæ Aquinatis Eccleſiæ Doctoris.*

ris.

ris Hoc eſt, ſolers examen univerſorum, quæ à Scriptoribus quibuſcumque tum antiquis, tum recentibus ad ſcholaſticam Theologiam hactenùs evulgata ſunt : cùm primis vero uberrimè exagitantur noſtrorum temporum curioſitates, circa quas novitoſa modernitas adversùs ſapientiſſimam antiquitatem tantopere diſcruciari videtur. In controverſia enim prolegomena adversùs Novatores tom. 1. cap. 4. folio 25. agit de approbatione S. Thomæ, & immediatè ingreditur in eodem capite 4. conſecutivè & continuò ad examen Bullarum, ſeu Conſtitutionum, aut Decretorum Summorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. de Conceptione Virginis MARIÆ. Ex quo modò procedendi etiam comprobatur, quòd omnia dicta de approbatione doctrinæ S. Thomæ non ſolùm in antiquis, ſed etiam in modernis ſcriptoribus tendant præcipuè, ac principaliter ad articulum & ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione. Ex hoc ergò cap. 4. & ex approbatione doctrinæ Sancti Thomæ per ordinem ad myſterium Conceptionis MARIÆ tranſcribam aliqua, relinquendo reliqua quæ in illis quatuor tomis continentur ad aliorum examen, quia Theologica iſta ad meum non ita pertinent inſtitutum.

Proponit Scriptor iſte loco citato hoc dubium : *An Scriptor infidelis, ſed improbæ vitæ, poſſit eſſe verus Eccleſiæ Pater ac Doctor?* Et adductis aliquibus placitis ex P. Poza, docet ibi P. Xantes, quid requiratur ad eſſe Eccleſiæ Doctorem, & Patrem. Et ſuam ſententiam adducit ſic : *At tantillò profundiùs ſtabilire convenit id, quod contra Pozam dicemus, ſcilicet, declarare quid opus ſit ad eſſendum Eccleſiæ Doctorem. Dico breviter ex Evangelio : Ex parte Doctoris requiri doctrinam excellentem, excellentemq; morum probitatem : ex parte Doctorantis (ut ſic loquar) requiri univerſalem auctoritatem ſuper totam Eccleſiam. Declaro ſingula : Hoc intereſt inter eſſe Doctorem abſolutè, & eſſe Doctorem Eccleſiæ. Quoad primum, ſatis eſt mera doctrina abſque vitæ probitate, juxtà illud Ariſtotelis : Bonus civis & improbus homo, & à pari doctus Theologus & pravus vir. Doctrina enim numeratur inter gratias gratis datas, quæ eſſe poſſunt cum peccato mortali. Ad eſſendum autem Doctorem Eccleſiæ, non eſt ſatis doctrina, niſi habeat probitatem vitæ conjunctam. Doctoris enim eſt docère, docetur autem verbis & moribus. Qui ſolis verbis docet, eſt Doctor imperfectus, qui docet verbis & moribus, eſt Doctor perfectus; utpotè qui omnibus docendi modis docet. Doctaratus autem Eccleſiæ eſt excellentiſſimus Doctoratus, qui excogitari poteſt; ob id, qui tantùm doctrinâ pollet & non moribus, haud ad Doctoratum Eccleſiæ promoveri aptus eſt. Et hoc eſt quod in Evangelio tangitur Matthei 5. cùm dicitur : Qui fecerit & docuerit, hîc magnus vocabitur in regno cælorum : qui autem ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homi-*

Digitized by Google

hominem, minimus vocabitur in regno cœlorum. Eſt ſermo de excellentia Doctoratûs Eccleſiæ, juxtà illud Eccl. 24 Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et Daniel. 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, erunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Igitur fundator univerſitatis Eccleſiaſticæ Chriſtus diſpoſuit, ut non habeat lauream Doctoratûs Eccleſiæ, qui ſolùm docet verbis, ſed tantùm qui docet verbis & moribus. Subinde contrà Chriſti diſpoſitionem blaſphemat Poza, dum ait ad habendam talem lauream, ſatis eſſe doctrinam abſque probitate morum: quam probitatem Vniverſitas Pariſienſis inter alias tanti facit, ut neminem laureet, niſi viſo authentico teſtimonio probitatis vitæ illius. Ex parte verò doctorantis eſt neceſſaria univerſalis ſuper omnes fideles juriſdictionis poteſtas; qualis non eſt niſi in ſolo Summo Pontifice, vel in Concilio univerſali. Ad Summum enim Reipublicæ Rectorem ſpectat, decernere & providere, quæ toti Reipublicæ neceſſaria ſunt. Ille igitur cenſendus erit verus Eccleſiæ Doctor, cujus doctrinam ut veridicam, & mores ut probos Eccleſia approbaverit, & eum in ſuum Doctorem inſtituerit: qui autem ab Eccleſia ut talis approbatus inſtitutuſq; non eſt, minimè Eccleſiæ Doctor dicendus fuerit. Et quamvis aliqui diſtinguere ſoleant inter Doctores, & Patres Eccleſiæ; ego tamen pro nunc pro eodem eos accipio. Qui enim docet, tribuit diſcipulo benè eſſe, ſicut qui generat, tribuit genito eſſe ſimpliciter. Ob id uſu receptum eſt, ut Magiſter vocetur quodammodo Pater diſcipuli, juxtà illud Pauli: Vos per Evangelium genui; & iterum: Filioli quos iterùm parturio. Iuniores igitur ſicut non dicuntur Patres, ita nec Doctores Eccleſiæ, non quia illis deſit antiquitas, & antecedentia ad filium, quam Paternitas ſecum fert; ſed quia nec illorum doctrina eſt authenticè, id eſt, per Doctores diverſorum ſæculorum cribrata, per Eccleſiamq; approbata, nec illi in Doctores Eccleſiæ inſtituti fuerunt, ut declaravi. Huculque verba introductoria.

Iſtud fundamentum poſitum à Pater Xantes ſcatet confuſionibus; quia confundit omnia. Primò, quia confundit Doctores cum Patribus. Origenes enim, Tertullianus, Rupertus, & ſic de alijs, dicuntur ac recipiuntur ab omnibus ut Patres, nec tamen illorum vita, nec doctrina eſt expreſsè ut veridica approbata ab Eccleſia. Secundò, confundit Doctores primæ claſſis laureatos jam & receptos ab Eccleſia ut tales, cum alijs Doctoribus ſecundę claſſis. Pro primis verum eſt totum, quod Pater Xantes dicit, & ſic ſolùm ſex Doctores in Eccleſia, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, Thomas, & Bonaventura reperiuntur. De alijs verò non rectè judicat: nam S. Leo, S. Bernardus, S. Petrus Chryſologus, S. Damianus, S. Fulgentius, &c. ſunt veri Patres & Doctores Eccleſiæ, quos omnes iſte novus Pater & Doctor conatur excludere à Magiſterio Eccleſiæ, ut ſo-

Digitized by Google

ſolùm in ea relinquat unicum ſuum; ut infrà videbimus. Tertiò, confundit Doctores & Patres Eccleſiæ dogmaticos cum ſcholaſticis; nam in rei veritate ex alia Hierarchia ſunt Doctores Eccleſię Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, & Gregorius, quàm Thomas & Bonaventura, licet omnes ſint laureati ab Eccleſia. Quartò, confundit Patres Theologiæ ſcholaſticæ cum filijs: nam nullus negare poteſt Hugonem, & Richardum de Sancto Victore, Petrum Lombardum, Albertum Magnum, Alexandrum de Ales, fuiſſe Patres ac Magiſtros S. Thomæ & Bonaventuræ. Quintò ac principaliter, confundit omnia cum illa ſua ultima reſolutione: *Ille igitur cenſendus erit verus Eccleſiæ Doctor, cujus doctrinam ut veridicam, & mores ut probos Eccleſia approbaverit, ut eum in ſuum Doctorem inſtituerit, qui autem ab Eccleſia ut talis approbatus inſtitutuſq́, non eſt, minimè Eccleſiæ Doctor dicendus fuerit.* Nota verba antecedentis: *Cenſendus erit verus Eccleſiæ Doctor:* cujus conſequens erat; ergò omnes alij ſunt falſi Eccleſiæ Doctores; vel ſaltem illud, non ſunt veri Eccleſiæ Doctores; ſed timens à tali illatione divertit illam ad adverbium, *minimè*, dicens: *Qui autem ab Eccleſia ut talis approbatus inſtitutuſq́, non eſt, minimè Eccleſiæ Doctor dicendus fuerit.* Et quot quantiq́ue ſunt iſti ab Eccleſia ſic inſtituti & approbati? Sex. Igitur in Eccleſia Dei ſolùm ſunt ſex Doctores: nam alij nec ſunt veri, & minimè ſunt dicendi Eccleſiæ Doctores. Ad quid ergò Eccleſia Sancta, pura, & vera de tot tantiſque intonat: *O Doctor optime Eccleſiæ! &c. In medio Eccleſiæ aperuit os ejus, &c.?* Sed tranſeant iſta, & progrediamur ultrà. Conſtitutivum formale, & laurea exprimens doctoratum Eccleſiæ, ſecundùm P. Xantes, eſt iſta: *Cujus doctrinam ut veridicam, & mores ut probos Eccleſia approbaverit:* Duo requiruntur ex parte Doctorantis, & quòd approbet doctrinam ut veridicam, & quòd approbet mores ut probos. Quoad iſtas duas clauſulas, de ſecunda non eſt dubitandum: nam quando Eccleſia canonizavit S. Hylarium, S. Leonem, S. Bernardum, Chryſologum, Anſelmum (& ſic diſcurre per omnes alios Sanctos Patres) approbavit mores ipſorum, vitam, & virtutes heroïcas, ſicut approbavit S. Thomæ. Quare ergò non ſunt Doctores Eccleſiæ laureati? Immò cur minimè ut tales recipiendi? Ratio eſt per ſe nota, inquit P. Xantes; quia, ſcilicet, deficit præcipuum ac primum conſtitutivum; doctrina enim illorum non eſt ut veridica approbata, & ſic minimè ſunt recipiendi ut Doctores Eccleſiæ. Exiſtimo quòd in iſto diſcurſu nulla poſſit eſſe ratio dubitandi. Sed jam perveniemus ad indiſſolubilem Nodum; & interrogo: Cujus Doctoris doctrina eſt ab Eccleſia ut viridica approbata? Solius S. Thomæ Aquinatis?

Digitized by Google

natis ? Nullius alterius magni vel parvi ? Quid dicis ? Doctrina S. Auguſtini, S. Ambroſij, &c. non eſt ab Eccleſia ut veridica approbata ? Minimè. Ergò ſolus S. Thomas eſt verus Eccleſiæ Doctor. Hoc totum opus P. Xantes ; hic ejus continuus labor ; hic indefatigabilis conatus ; hæc ſerioſa induſtria ; hic ultimus intentus ab eo ſcopus , quem intendit tam ſeriò cum toto ſuo palliato diſcurſu , poſito ſuper humeros Patris Pozæ. Et ſi non credis mihi , proſequere , nam ipſemet P. Xantes ſuo proprio ore ducet , quo te , Mœri, pedes.

Interim proſequitur ſic : *Eſt verò apertum mendacium id , quod Poza ſubnectit , Eccleſiam in Concilio Romano ſub Gelaſio Pontifice inſtituiſſe in Doctores Eccleſiæ omnes , quorum opera illic approbat, immò implicitè etiam quoſcumq; alios, qui pio zelo in Eccleſiæ utilitatem ſcripſerunt, aut ſcripturi erant, perſeveraturi in Fide uſque ad mortem, idq; indicare verba illa Concilij capite 2. item opuſcula atque tractatus omnium PP. Orthodoxorum, qui in nullo à S. Eccleſiæ Romanæ conſortio deviarunt , nec ab ejus fideli prædicatione ſejuncti ſunt, ſed communionis ipſius (gratiâ Dei) uſque ad ultimum diem vitæ ſuæ participes fuerunt , legenda decernimus. Falleris, replico ego, & ultima Concilij relati verba tuum mendacium detegunt. Dicendo enim Patres, quòd decernunt memoratorum auctorum ſcripta eſſe legenda, declarant ſe illic neminem laureare , ſed immutatâ cujuſcumque ſcriptoris conditione ſolummodò decernere, quæ opera legi poſſint , & quæ non : ut faciunt etiam Sacra Inquiſitionis Tribunalia , & generales Univerſitates, dum facultatem dant, ut aliquorum ſcripta legantur, aut imprimantur; declarant, inquam, eorum libros ſine periculo erroris legi poſſe , non autem eos ad Doctoratum promovent. Legatur tota ſeries illius Concilij citata diſtinct. 15. & deinceps ; & præcipuè cernetur, Eccleſiæ mentem illic non eſſe , niſi declarare, qui libri ſint authentici in toto vel in parte, & qui approbati , qui prohibiti, & qui legibiles ſine periculo : & ne vel per ſomnium veniſſe illic Eccleſiæ in mentem promovère quemquam ad Doctoratum & paternitatem Eccleſiæ, ut Poza dementat, ſibi ipſi , ne dum veritati contradicens. Prius enim aſſeruit Eccleſiam , laudando alicujus doctrinam , non approbare ne vel unam ab illo prolatam propoſitionem. Deinde ſubdit Eccleſiam conſtituere in ſuos doctores omnes eos , quorum ſcripta commendat. Quomodò ſtat, dico ego , ut Eccleſia Eccleſiæ Doctores conſtituat , quorum ne vel unam propoſitionem approbat? Eligatne quiſpiam in præceptorem eum, cujus doctrinam , certam , authenticamq; non cenſeat ? Oportet (dicebat ille) mendacem eſſe memorem , ſi in crimine comprehendi non vult.* Huicuſque ſunt verba P. Xantes , de quibus non eſt ita curandum: quia ſuprà diximus quem ſenſum habeant Concilij Romani & Gelaſij Papæ determinationes.

Sed ut oculariter videas, quò tendant omnia verba iſtius Scriptoris, perpende illud : Eccleſiam Sanctam in

in illo Concilio Romano pręſidente Gelaſio Papâ celebrato ſolummodò decernere, quæ opera legi poſſint, & quæ non : ut faciunt etiam Sacra Inquiſitionis Tribunalia, & generales Univerſitates: dum enim facultatem dant, ut aliquorum ſcripta legantur aut imprimantur, declarant ut eorum libri ſine periculo erroris legi poſſint. Ex iſtis expreſſis ac formaliſſimis verbis P. Xantes, non deducitur, nec ſequitur, ſed adſtruitur & ſtabilitur, omnia opera Sanctorum Patrum, de quibus loquuntur Summus Pontifex, & Concilium Romanum, (ut vidimus in I. Funiculo) ſolummodò eſſe approbata, ut approbantur libri à S. Inquiſitionis Tribunali, ab Univerſitatibus, vel Cenſoribus Synodalibus, dicentibus ac teſtantibus ibi non eſſe aliquid contra Fidem nec bonos mores, & legi poſſe ſine ullo periculo. Quam quidem doctrinam temerariam judico, perniciosſam, & ſcandaloſam: quia SS. Auguſtini, Ambroſij & Hieronymi opera, ſeu opuſcula S. Leonis & aliorum in Concilio illo Romano, & à Gelaſio Pontifice ſignata in capite, *Sancta Romana Eccleſia*, altiori alio & ſuper-excellentiſſimo modo ſunt approbata, quàm libri communes approbati ab Inquiſitione, Univerſitatibus, & Cenſoribus librorum, non ſolùm ex parte approbantis, ſed etiam ex parte rei approbatæ. Et ſi iſti S. Patres, & Eccleſiæ Doctores ab Eccleſia in uno Concilio legitimè in Spiritu Sancto congregato cum ſuo capite dicente expreſſis verbis: *Approbamus opuſcula Sancti Cypriani, & opuſcula Athanaſij, &c.* non ſint approbati, niſi communi omnibus libris approbatione; unde, vel à quo opera & ſcripta omnia Angelici Doctoris ſunt admiſſa, recepta & approbata ab Eccleſia ut ſancta, pura, & immaculata, cui contradicere vel ſe opponere eſt nefas, & alia ejuſmodi ideò debere incurri, quæ infrà videbimus? Concilium & Pontifex approbarunt opera Sanctorum Patrum infimâ illâ approbatione communi, quâ approbantur omnes alij libri à Cenſoribus; & opera S. Thomæ ſine Concilio aut Pontifice ſunt alio excellentiori modo approbata, ita ut poſt Sacram Scripturam ſupremum ac primum obtineant locum. Neſcio unde veniat; ſed ſcio quò vadat ſpiritus iſte, ad oſtendendum, ſcilicet, quòd nullum opus Auguſtini & Ambroſij, &c. nulla eorum doctrina, nullæ eorum ſententiæ ſint approbatæ in Eccleſia Dei, niſi ſolius Angelici Doctoris. Hìc video Nodum implexum ſatis, nondum tamen ſolutionem ejus attingo.

Inquit enim continuè P. Xantes: *Quod tamen ad punctum principale attinet; Vtrum, quando Eccleſia commendat alicujus doctrinam, approbet illam? Dicendum quòd ſic. Sed oportet oculum attentum habere ad commendationis formam, ſcilicet, an commendet in totum vel*

in partem, an ut certam de Fide, vel ut rationabilem, & probabilem; & pro diverſa commendationis forma diverſum eſt ferendum judicium: non enim omnia omnium ſcripta eodem modo commendat Eccleſia, ſed diverſo pro diverſitate ſcribentium, & ſcripturarum: ut eſt cernere in Concilio Romano diſt. 15. *& deinceps: illic enim primò approbantur quatuor Concilia generalia, ſcilicet, Nycænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, inſtar quatuor Evangeliorum, ſcilicet, quoad omnia eorum, tum quoad ſententias, tum quoad verba, quod eſt proprium Scripturarum Sacrarum. Idem facit D. Gregorius de V. Synodo univerſali. Deinde approbat Eccleſia opuſcula diverſorum Patrum, quos illic nominat; utrum autem approbet in totum vel in partem, non explicat. Quia tamen in eis opuſculis aliqua continentur, quæ communiter non recipiuntur, videtur Eccleſia opuſcula illa non approbare in totum, ſed ſolùm ubi non adverſantur communi ſententiæ. Vnde cùm Eccleſia approbat epiſtolam B. Leonis Papæ ad Flavianum, declarat ſe approbare eam in totum, & quoad verba & quoad ſententias dicens: Textum S. Leonis ſi quiſpiam uſque ad unum iota diſputaverit, & non eum in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit. Similiter Opuſcula D. Auguſtini approbat in materia de Gratia adversùs Pelagianos eò uſque, ut in tali materia ab eo recedere nemini liceat. Quâ eâdem limitatione communiter videntur approbata aliorum Patrum ſcripta ob nonnullos errores, in quos pro humana labilitate lapſi ſunt (quos recenſêre reverentia Patribus debita non permittit) De Ruffino inter alios hæc habet Eccleſia ubi ſuprà.* Et adductâ auctoritate Concilij de Ruffino concludit P. Xantes ſic: *Audis quàm differenter approbet Eccleſia Doctorum ſcripta? At doctrina noſtri Aquinatis (in cujus defenſionem cuncta, quæ hic ſcribo, ſicut è contrario cuncta, quæ Poza in ſuo memoriali ad judices veritatis impie conſarcinat, in ejus exauctorizationem dirigit) non limitatè, ſed abſolutè; non in parte, ſed in totum; cæleſtibus, Eccleſiaſticis, & humanis oraculis approbata eſt. Benè ſcripſiſti de me Thoma, clamat humanatus Deus; quanto pleniùs de aliis ſcitu non ita difficilibus? Cuncta quæ D. Thomas reſolvit (addit Joannes XXII.) lumine pluſquam humano reſolvit: abſit verò ut, quod lumine pluſquam humano reſolvitur, vel umbram erroris contineat. Qui D. Thomæ doctrinam ſecutus eſt (ſubjicit Innocentius VI.) numquam erravit, qui impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus: cæcitas autem ipſa non viderit id falſum iri, ſi in aliquo Aquinas erraſſet? Omnia quæ D Thomas ſcripſit (concludit Clemens VIII. in Bulla ad Regnum Neapolitanum) ſine ullo prorsùs errore ſcripſit. Si univerſalis Pontificia omnium errorum excluſio ab Aquinatis doctrina, eam in omnibus, & quoad omnia authenticam non reddit; dicat vel ipſa ſuſpirans invidia, quibus aliis verbis Eccleſia uti debuiſſet ad id declarandum, quando declarare intendiſſet? diſſecêtur igitur pro libito cæca impietas, nihil in D. Thomam proficit. Fac eſſe (parùm cordate Poza) quantum*

Digitized by Google

tium adverſus Sacram antiquitatem agglomeraſti (quod tamen, priùs ruet cælum, quàm ſit) nihil inde in D. Thomam præjudiciale inferre potes. Etenim ut probavi, ejus doctrinâ abſolutè in omnibus, & quoad omnia, & non ex parte, aut quoad aliqua tantùm (ferè inſtar Scripturæ Sacræ) ab Eccleſia approbata eſt, ut innuunt illa Innocentij VI. numquam ſatis repetita verba: D. Thomæ doctrina præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, fuerit ſemper de veritate ſuſpectus. Audis? Extollit D. Thomæ doctrinam ſuper omnes alias aliorum Patrum doctrinas, & collocat eam immediatè ſub Scripturâ Canonicâ, tam quoad ſententias, quàm quoad verba; teſtaturq; numquam erraſſe; qui eam ſecutus eſt: immò fuiſſe ſemper de veritate ſuſpectum qui eam impugnavit; palamq; eſt doctrinam (quam qui ſequitur numquam errat, & quam qui impugnat eſt ſemper de veritate ſuſpectus) eſſe in omnibus, & quoad omnia veram, & authenticam quaſi inſtar Scripturæ Sacræ, & non in aliquibus tantùm: Unde & ab eodem Salvatore authenticata eſt (à quo eſt authenticata & Scriptura Sacra ipſa) ergò impia contrariaq; Salvatori ac declarationi Eccleſiæ eſt Poxæ illatio, quòd, ſicut aliorum Patrum doctrina eſt approbata ab Eccleſia, & tamen in multis defecerunt, ita idem de D. Thoma dicere liceat: proceditur enim fallaciter à diſſimilibus ut ſimilibus, & à doctrinis non in totum, ſed in partem approbatis ad doctrinam in totum, & quoad ſententias. & quoad verba approbatam, ut declaravi, Hæc ſunt verba P. Xantes.

Ad compendium ergò reducendo propoſitiones, pro quibus adeò acriter P. Xantes laborat, & ſtabilire conatur (ita ut, qui eas negaverit, vel in dubium verterit, ſit blaſphemus, ſeditioſus, mendax, dementatus, criminoſus, infernalis, impius, cæcus, damnatus, parùm cordatus hallucinatus, vafer, novus Antechriſtus, perfidus, delirans, ſathanizans, impudens, impoſtor, hoſtis Eccleſiæ) ſunt ſequentes. Prima, quòd quando Eccleſia commendat alicujus Doctoris doctrinam, approbet illam. Et hoc dicit, quia cùm ſæpiùs legiſſet in ſuis paſſim ſcriptoribus Summos Pontifices commendaſſe S. Thomæ doctrinam, voluit ut iſtæ commendationes eſſent ſtrictiſſimæ, ac formaliſſimæ Sedis Apoſtolicæ approbationes. Secunda, quòd, licet Concilium Romanum loquatur in communi, & univerſaliter de opuſculis Sanctorum Patrum dicendo: opuſcula B. Hylarij, opuſcula B. Ambroſij, opuſcula B. Auguſtini, &c. ut ſuprà vidimus, iſtæ univerſales non ſint ſic intelligendæ, ut omnia opuſcula illorum Sanctorum Patrum ſint approbata, quia omnia opuſcula illa *nonnullos continent errores, in quos pro humana labilitate lapſi ſunt;* quos non ſigillatim recenſet propter reverentiam Sanctorum Patrum. Tertia,

quòd ab iſta regula generali, & communi errorum labe ſolùm excipienda ſint duo opuſcula, unum eſt illud S. Leonis Papæ ad Flavianum; & hoc conſtet ex textu Concilij Romani: alterum eſt illud quòd ſcripſit Auguſtinus de gratia contra Pelagianos. Et licet Concilium approbet indeterminatè ac indiffinitè omnia opuſcula B. Auguſtini dicens: *Item opuſcula B. Auguſtini Hypponenſis Epiſcopi*; ex omnibus opuſculis ſelegit P. Xantes ſcriptum contra Pelagianos, & affirmavit iſtud ſolùm eſſe approbatum, & ſine errore; quia ex illo extrahuntur omnia ferè argumenta contrà Immaculatam Virginis Conceptionem. Quarta, quòd omnia iſta opuſcula SS. Patrum non ſint cuncta approbata, vel commendata ab Eccleſia indifferenter, abſolutè, ſimpliciter, ac ſecundùm omnes ſuas partes, ſententias, vel verba: quia hoc modo ſumpta omnia, ſine ulla exceptione, parva vel magna habent aliquos errores; quia cùm Auctores illorum eſſent labiles, lapſi ſunt de facto, & ceciderunt. Quinta, quòd ex hac regula univerſali, quæ nullam paſſa fuit, nec eſt exceptionem, ſolùm excipiatur doctrina S. Thomæ, atque omnia opera ejus: quia cuncta ſine ulla limitatione indifferenter, abſolutè, & ſimpliciter, ſecundùm ſe tota, & ſecundùm ſuas partes tam in ſententijs, quàm in verbis ſunt approbata ab Eccleſia; quia ſunt ſine errore prorſùs & defectu in omnibus, & quoad omnia. Non mirêris, ô Lector! in his; ſed conſidera & obſtupeſce ex eo ſolùm, quòd iſtas quinque propoſitiones proferens, conſtituendo errores in omnibus operibus SS. Patrum approbatis ab Eccleſia expreſsè & nominatim, dicat ſe vendicare Sacram doctorum Patrum antiquitatem. Sexta, quòd iſta ſit approbatio Eccleſiæ. *Etenim ut probavi ejus doctrina abſolutè in omnibus, & quoad omnia & non ex parte, aut quoad aliqua tantùm, eſt (ferè inſtar Scripturæ Sacræ) ab Eccleſia approbata ſuper omnes alias doctrinas, & collocat eam immediatè ſub ſcriptura canonica tam quoad ſententias quàm quoad verba; quia ſic in omnibus & quoad omnia eſt vera & authentica quaſi inſtar Scripturæ Sacræ, quia Salvator ipſe qui authenticavit Scripturam Sacram, authenticavit etiam doctrinam S. Thomę.* Cùm ergò doctrina hęc ponatur immediatè poſt Scripturam Sacram, Concilia cedunt locum doctrinæ Thomiſticæ, ſicque inter Scripturam Sacram, quæ eſt de Fide quoad ſententias & verba, & Concilia ſacra, quæ etiam ſunt de Fide quoad ſententias & verba, collocatur jam doctrina S. Thomæ facta ſimiliter de Fide quoad ſententias & verba. Septima & ultima quòd ſit impius contrariuſque Salvatori ac declarationi Eccleſiæ, quiſquis auſus fuerit dicere doctrinam S. Thomæ eſſe approbatam, ſicut ſunt opuſcula, & doctrinæ aliorum SS. Patrum Eccleſiæ, quia eſt fallaciter procedere à dif-

diſſimilibus ut ſimilibus; cùm doctrina S. Thomæ, utpotè approbata in toto & in parte, quoad ſententias & quoad verba, nullum continens errorem aut defectum, ſit totaliter diſſimilis ab omni alia doctrina, & omnes ſuperans exceptâ canonicâ. Iſtæ ſunt ſeptem propoſitiones ſeu concluſiones, quas nititur ſtabilire P. Xantes, de quibus nec verbum volo proferre; ſufficit enim quod illas dixerit P. Xantes. Ut non dicatur; Xantus erat Xantus cum quó pugnabat Achilles.

Proſequitur ſic: *Qui autem D. Thomam ſequitur; numquam errat; qui eum impugnat ut minimum exponit ſe periculo errandi, juxtà allatam Eccleſiæ declarationem: ergò inaniter Poza, ut gloriam Thomiſticam minuat, totam antiquitatem dehonorat. Quidquid enim de aliis ſcriptoribus à Poza blaſphematùs ſit, minimè ſuam blaſphemiam in D. Thomam detorquère poteſt, ob diſparitatem privilegiatam pluries adductam.* Siſtamus hîc parumper. Dicit P. Xantes: qui non ſequitur D. Thomam, vel eum impugnat, ad minimum exponit ſe periculo errandi, juxtà allatam declarationem Eccleſiæ. Sed ubi eſt talis declaratio Eccleſiæ? Ille talem declarationem in antecedentibus non adducit, quâ ergò veritate dicit: *Juxta allatam Eccleſiæ declarationem.* Item dicit Patrem Poza totam dehonoraſſe antiquitatem SS. Patrum (quòd ſæpè repetit) quia dixit Sancti Thomæ doctrinam eſſe approbatam ab Eccleſia, ſicut ſunt doctrinæ aliorum Sanctorum; ſed iſtæ habuerunt aliquos errores, ergò & S. Thomæ. Si propter hoc dehonoravit Poza totam Sacram antiquitatem, quomodò P. Xantes honorat antiquos Patres affirmando id ipſum, ut ſuprà vidimus? Et quòd ſolùm in doctrina S. Thomæ nullus fuerit error aut defectus, quia habuit privilegium numquam errandi, *ob diſparitatem privilegiatam pluries adductam*? Poza dicendo, omnes Sancti erraverunt in aliquo, ergò & S. Thomas, dehonorat totam Sacram antiquitatem: & Pater Xantes dicendo, omnes Sancti erraverunt in multis, excepto Sancto Thomâ qui in nullo erravit, honorat totam Sacram antiquitatem. Qui intellexerit Nodum iſtum, ſolvat illum, & pro privilegio conceſſo S. Thomæ recurrat ad Nodum. *Maneat igitur*, proſequitur P. Xantes *quando Eccleſia commendat alicuius Doctoris doctrinam, approbare authenticareq; eam in eo gradu, quem ejus verba ſonant, ſcilicet, vel ut certam de Fide, vel ut probabilem, aut probabiliorem, item ut ſequendam, vel in omnibus, vel in aliquibus, cum aut ſine periculo, ut declaravi.* Hucuſque ego exiſtimabam nullam doctrinam Sanctorum Patrum fuiſſe approbatam ab Eccleſia ut certam de Fide, & ut talem ſequendam in omnibus; ſed jam video contrarium in P. Xantes dicente, affirmante, ac defendente doctrinam S. Thomæ ſic fuiſſe, & eſſe approbatam.

Deinde quia P. Poza dixit S. Bonaventuræ doctrinam habere æqualitatem cum doctrina S. Thomæ, & habere in Eccleſia eamdem paritatem loci, *nec in tantillo minùs ab Eccleſia authenticatam eſſe*, incipit vociferante ſi non gutture ſaltem calamo clamare contra eum ſic: *Hallucinaris ſeditioſe Poza, dico ego, ſi putas malignâ tuâ arte te disjuncturum eos ordines, quos Seraphica ſuorum Inſtitutorum charitas arctiſſimo amoris vinculo conjunxit. Deciperis, ſi ſperas iſtiuſmodi tam aperto artificio, Franciſcanorum favorem in tuorum ab Eccleſia damnatorum dogmatum patrocinium lucraturum. Immò eo ipſo quòd Sacer Franciſcanus Ordo doctrinam Scoti doctrinæ Divi Bonaventuræ antepoſuit, vafrum tuum attentatum omnino ſprevit. Porrò comparationes omnes odioſæ ſunt, præſertim inter cæleſtes cives (quorum æqualia aut inæqualia merita ſolus Deus novit.) Quia tamen tua inſolentia me inſanire compellit, ut dicebat Apoſtolus (inſanio quidem ſed vos me coegiſtis; & D. Hilarius: in vitium vitio trahor alieno) ſalvâ reverentiâ D. Bonaventuræ debitâ: Vbi inveniſti Poza Salvatorem vel ſemel Bonaventuræ doctrinam approbaſſe, ut ter approbavit doctrinam Aquinatis? Ubi quòd Pontifices præcipiant univerſitatibus ut Bonaventuram ſequantur in omnibus, ejuſq; doctrinam ſtudeant ampliare? Aut quòd Eccleſia teſtetur Bonaventuram lumine pluſquam humano reſolviſſe omnia, omniaq; ſcripſiſſe abſque ullo prorsùs errore, & alia hujuſmodi quæ pluries retuli prælata à Summis Pontificibus de D. Thoma? Quomodò non erubeſcis Dei Vicario Innocentio VI. clamante Aquinatis doctrinam (exceptâ Canonicâ) præ omnibus alijs doctrinis habere verborum proprietatem, & ſententiarum veritatem, tu è diverſo quaſi ex alta ſpecula reclamare non eſſe ita, immò Bonaventuræ doctrinam (quam nec ſuus ordo ſequi vult) ne tantillo minùs ab Eccleſia doctrinâ Aquinatis commendatam fuiſſe?* Ego R. P. Mariales non curo de inſania, ſed de cauſa: linquo inſanire, qui volet inſanire: hoc ſcio, miſerrimum eſſe inſanire pro re ficta, ſuppoſita, & falſa. R. P. Xantes non tantùm P. Poza, ſed & alij quam-plures, ducti ſolùm ex optimo rationis diſcurſu, judicarunt teſtimonia adducta non eſſe certa vel indubitata, ſed è contrario dubia, & depravata. Ego verò ultrà progredior affirmando aſſertivè eſſe falſa & ficta. Et quod illi ſuſpicati ſunt ſecundum regulas Fidei, & probarunt in jure, ego oſtendam in facto: & præparentur nova tormenta contra me, de quibus non curo, quia veritas & honor Matris Dei & noſtræ, MARIÆ, ſuper te, & ſuper omnia defendi debet. Verùm P. Xantes ſi quidpiam machinêris contrà me, benè eſt, occurſum expectabo; ſed alia ſint quæ explodas in me, quàm ea quæ in Patrem Poza.

Probando ergò quòd doctrina Sancti Bonaventuræ non ſit comparanda cum doctrina Sancti Thomæ proſequitur R. Pater Mariales: *Quod*

atti-

Digitized by Google

attinet ad doctrinam, adfer vel unum exemplum de cujuſvis alterius Græci aut Latini, antiqui aut moderni Doctoris doctrina, quod cæleſtibus, Eccleſiaſticis, humanis, & quaſi dixerim Tartareis oraculis communi totius mundi plauſu acclamata ſit, tamquam vera, Catholica, pluſquam humano lumine, & ſine ullo prorsùs in cunctis errore conſcripta, ut Aquinatis doctrina acclamata eſt ex pluries relatis, & palmam tuleris. At exemplum nullum adduces, quia verè adducibile nullum eſt. Si enim eſſet, tuam certè malignam ſolertiam non latuiſſet, quæ nullum lapidem intactum relinquit, quo ſperare poſſet nobis nocère, illudq; unum ſatis ſuperq; erat ad funditùs evertendam, ſeu ad minuendam eam Aquinatis gloriam, in quam gratis tu tantopere furere videris. Multa exempla poterant adduci ex Patribus Latinis Auguſtino, Ambroſio, & Hieronymo, & ex Græcis Chryſoſtomo, & Athanaſio; ſed hic non certamus pro tua palma, ſed pro veritate: & ſufficit nobis oſtendere ferè omnia à te allegata cæleſtia, Eccleſiaſtica, & humana, quibus deprimitur doctrina S. Bonaventuræ, & omnium aliorum Eccleſiæ Doctorum, eſſe ficta, falſa, & ſuppoſita, & hinc Tartarea, ut tu dicis. Interim progredere: *Dic quæſo ſyncerè, cujus aliorum Patrum magis aut æquè doctrinâ Aquinatis utantur Concilia, Univerſitates, Concionatores, Confeſſores, & uno verbo totius orbis terrarum gentes, in diſpellendis erroribus, in declarandis difficultatibus, in comprobandis deciſionibus quibuſcumque, & in materia qualicumque ſcholaſtica, Fidei & morum. Aliam aſſigna, & erige poſteà contra nos cornua.* Totum hoc libentiſſimè concederem, niſi reclamaret contra me doctrina S. Auguſtini. Sed licet iſta eſſent vera, quæ addis ſunt falſiſſima. *Idcircò ſalvâ reverentiâ omnibus debitâ, cùm Eccleſia ipſa D. Thomæ doctrinam collocaverit ſtatim ſub ſcriptura canonica, affirmetq; eam præ omnibus alijs doctrinis habere proprietatem verborum, & veritatem ſententiarum, Eccleſiæ declarationi totiuſq; orbis plauſui adverſari videtur, qui cujuſvis alterius Patris doctrinam cum doctrinâ D. Thomæ vel conferre, nedum præferre, aut æquare contenderit: quidquid ſit de ſanctitatis æqualitate aut inæqualitate (de qua erit judicium, & viſio in cælo) & dicere eſſe dementiam id affirmare, ut Poza blaſphemat, delirum convincitur, &c.* Jam vides & legis ſimpliciter, ac univerſaliter dictum ſine ulla exceptione, nullam cujuſvis alterius Patris Eccleſiæ doctrinam eſſe conferendam cum doctrina S. Thomæ. Quare quiſquis contenderet æquare doctrinam aliorum Doctorum doctrinæ S. Thomæ, eſſet quidam demens, blaſphemus, & delirans: & ſi hoc eſt æquare, inde colligant quid eſſet præferre aliam doctrinam, cujuſvis Doctoris ſit, doctrinæ S. Thomæ. Non igitur comprehendetur ſub his cenſuris, qui nec confert, nec æquat, nec præfert; ſed tantùm demonſtrat fundamenta poſita pro tan-

tanto magno ædificio eſſe falſa, ſuppoſita, & ficta.

Item infrà poſito hoc argumento, ſcilicet, quòd anno Dom. 1578. de mandato Reverendiſſimi P. Generalis Ordinis Prædicatorum Frater Franciſcus Garcias ejuſdem Ordinis librum compoſuerit errorum, quibus quatuor eæ partes Summæ Theologię ſcatebant, & numerentur illic mille centum viginti & unus, ex quibus quadringenti ſenſum mutabant, immò reddebant ſenſum contrarium, & quòd, ut ibidem ait idem P. Garcias in eodem libro, D. Thomas ſumpſerit Primam Secundæ, & Secundam Secundæ ex Vincentio Belluacenſi, ut probat ex computu temporum, &c. ubi autem eſt dubium, an aliqua ſententia ſit D. Thomæ vel alterius, non currit obligatio juramenti facti ſequendi eam: Ad objectionem, cujus fundamentum non eſt auſus negare P. Xantes, quia veriſſimum, reſpondet ſic: *O calame ſeditioſe, replico ego, uſque huc laboraſti æmulationis ſemina ſpargere inter Dominicanum & Franciſcanum Ordines, inter Aquinatem & antiquos, tum Latinos tum Græcos, modò videns te nihil profeciſſe, niteris vafrè Thomiſtis ipſis perſuadere, eos non obligatos ad implendum juramentum emiſſum, quia non certò conſtat (ob cauſam adductam) cujus ſit doctrina, quæ in Summa Theologiæ continetur: D. Thomæ-ne, an correctorum, ut ſuprà? Audi tamen facilem ſolutionem: Primùm, non eſt par ratio de ſtudio ſcholaſtico, & Scripturarum: veritas enim ſcholaſtica ſtat in indiviſibili, quòd res ſit vel non ſit ut concipitur, & ſignificatur; ſubinde nequit aliquis in ſcholaſticis non eſſe vel concordans cum D. Thoma juxta juramentum editum, vel diſcordans contra juramentum. Sacrarum autem Scripturarum intelligentia non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet plures ſenſus veros tum litterales, tum ſpirituales, eſtq́ fecunda infinitorum myſteriorum, utpote quæ verſatur circa Divina, quæ omnem noſtrum captum tranſcendunt: idcirco poteſt aliquis habere verum ſenſum Scripturæ, alium à ſenſu D. Thomæ, & aliorum Patrum, & tamen ab eis non diſcordare, &c.* Nota hìc pro Nodo infrà deducendo, qualiter doctrina S. Thomæ quoad veritates ſcholaſticas conſiſtit in indiviſibili. Ad aliud de exemplaribus corruptis fatetur fuiſſe viriata; ſed poſtea inquit, *correctio facta eſt à ſapientiſſimis viris, & ad exemplaria minùs corrupta. Nec eſt veriſimile exemplaria omnia fuiſſe depravata; ex antecedentibusq́, & ex conſequentibus deprehenſus eſt verus integerq́ ſenſus in tantùm, ut vix ad ſummum, quoad aliquod leve verbuſculum, aliqua variatio irrepſerit, aut remanſerit.* Omnia hic contenta ſunt pulcherrima pro Nodis. Deinde non his contentus poſt aliqua dicit: *Et tu, Poza (qui ne vel tantillus es) venerandam antiquitatem tantopere ſpernis, in periculoſaſque novitates tam æſtuanter exardes? Revereare miſer, revereare eos, quos ſuſpicere, audire, & imitari (non negligere contemnere, aut horrêre, ut tu facis)*

Digitized by Google

tis) omni jure convenit. Memento ſi veneratus fuiſſes, quos omnes leges adorandos, nedum ſequendos præſcribunt, nentiquam tibi eventurum id, quod tanto cum dedecore tibi accidit, ut cap. 1. retuli. Præterea poſtea perverſam illam tuam malignitatem, quâ deſpiciens omnia Eccleſiæ encomia, omneſq; revelationes habitas de celſitudine doctrinæ Divi Thomæ, dicis per hæc Aquinatem non reddi majoris auctoritatis Scoto. Et hinc jam contra Scotum,ita ut inferiùs dicat: *Et mirum eſt revelationem illam S. Amadei, cujus Poza meminit, non perveniſſe ad notitiam Epiſcopi Jovij, Joannis Gerſon Cancellarij Pariſienſis & aliorum, qui de Scoto parùm honorificè (& meo quidem judicio immeritò) loqui ſolent, quorum dicta non refero tum reverentiæ gratiâ, tum ne videar Scoti injuriâ Divi Thomæ ulciſci velle injuriam.* Ad Paulum Jovium R. A. P. Xantes non mittamur, nam loquitur ſicut tu. De Joan. Gerſone miror quomodò auſus ſis dicere eum parùm honorificè ſcripſiſſe de Scoto, cùm nec verbum contra ipſum invenies. Sed cùm hîc non agamus de vendicatione S. Bonaventuræ & Scoti, tranſeant iſta quia omnia tempus habent, & nunc non curamus de minoribus; quia tendimus ad majora Sanctiſſimæ Dei Matris præconia & ejus incontaminatæ Puritatis elogia. Subvertamus turrim Babylonicam oſtendendo confuſionem linguarum, & poſtea curabimus de alijs.

Pro approbationibus doctrinę Sancti Thomæ concludit cum illa, quæ in hac materia præcipua eſt Innocentij VI. ut videbimus infrà Nodo IV. & ſtatim proſequitur inquirendo hoc: *Sitne in D. Thomæ doctrina aliquid ab Eccleſia damnatum ut impius Poza blaſphemat?* Et incipit ſic: *At videamus jam quæ ſint illa, quæ in doctrina D. Thomæ ſomniavit Poza ab Eccleſia damnata? Primum eſt, ait, dogma de Sanctificatione Virginis, quod noviſſimè per Paulum V. & Gregorium XV. ſuppreſſum eſt; hac de re, replico ego, vetitum eſt per præfatos Pontifices loqui. Quid tu ſathanizans tentans nos, nos ad loquendum provocans?* Et adducit ad litteram decretum Gregorij XV. quod explicat ſuo modo: *Alia verò quæ adducit ſub iſto titulo; antidotum cæleſte adverſus mortaliora novatorum venena.* Vide Nodum V. de approbatione Univerſitatis Pariſienſis. Nota ſolùm modum loquendi iſtius Patris; & pro iſtis non eſſet cenſoria virga? Benedictus Deus, qui non dedit in commotionem pedem meum, &c. Ex iſto ultimo Scriptore adducente pro approbatione doctrinæ ſui Angelici Doctoris, præter iſta ad omnium oculos poſita, alijs hujuſmodi relictis, cognoſcetur qualiter ſcribant, & quid ſentiant de doctrina ſui Angelici Doctoris; & ex quibus ortum habeant ita deſpicere, ac contemnere omnium SS. Patrum doctrinas, Summorum Pontificum decreta, ac Sancti Concilij Tridentini ſeſſionem; quia par in par, inquiunt,

immò inferior in ſuperiorem non habet imperium: & cùm doctrinam Sancti Thomæ dicentem Virginem MARIAM contraxiſſe maculam peccati originalis ſolùm Sacra Scriptura ſuperet, quia ſuprà illam eſt, poteſt illa ſola Thomæ opinionem corrigere: Concilia verò Summorum Pontificum atque omnium Sanctorum Doctorum placita non dirigunt, ſed diriguntur; non regulant, ſed regulantur à S. Thomæ doctrina. Et iſte eſt ſcopus ad quem tendunt omnes hucuſque relati Auctores, & auctoritates in communi loquentes; particulares autem deinceps ſuum proferent teſtimonium. Et hæc de CORTICE, doctrina, & Conceptu mentis Angelici Doctoris S. Thomę Aquinatis in communi dicta ſufficiant: ut jam de VIRGA, ideſt, de Conceptu ventris, & Virginis MARIÆ puritate etiam in communi aliquid proponamus.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

DUo. principaliter diximus in antecedenti Cortice pro Conceptu mentis, ſeu pro doctrinâ Sancti Thomæ in communi: primò, ſcilicet, de ejus principio, medio, & fine: ſecundò quid de illa dictum fuerit à ſuis diſcipulis. Hęc etiam duo inquiremus modò de ſententia Immaculatæ Conceptionis, ut utrumque, doctrinam ſcilicet, ac ſententiam æquali ponderêmus lance, & eâdem regulâ menſuremus. Et quantum ad primum, de illius principio, medio, & fine; dico ſententiam Conceptionis præceſſiſſe doctrinam Thomiſticam per tria ſæcula & ampliùs, cæpiſſe tamen publicari in mundo ſub expreſſa voce Feſtivitatis Conceptionis à duobus ferè ſæculis, ante nativitatem S. Thomæ. Nam circa annum 1060. facta fuit illa celebris, & publica revelatio Venerabili Elſino Abbati in naufragio conſtituto, ut infrà latiùs dicemus. Et S. Thomas natus fuit anno 1224. (eodem anno, quo Seraphicus Pater N. Franciſcus in ſacro Monte Alvernæ quinque à Chriſto Domino recepit vulnera) & cæpit ſcribere anno 1254. Quare an. illum 1060. reputabimus pro principio & exordio certo, ac determinato piæ ſententię de Immaculata Virginis Conceptione: in quo ſpatio illorum ducentorum annorum, S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus ſcrip-

Digitized by Google

ſit pro pia ſententia quatuor diverſa opuſcula; in uno refert revelationem Elſini; in altero alias duas revelationes quòndam factas cuidam Clerico Diacono Hungariæ Regis Germano, qui poſtea factus fuit Epiſcopus, & Patriarcha Aquilejenſis, de quo etiam loquitur Speculum antiquum exemplorum. Alia revelatio, ſeu miraculum eſt de quodam Canonico Gallo, quorum hiſtorias integras potes videre in P. Bivario, in Bibliotheca Virginali, & in Armamentario Regeſt. col. 9. Itaque ante nativitatem S. Thomæ jam pia ſententia habebat tres revelationes pro ſua veritate, neque hic invenies aliquam factam mulierculis, ſed Diacano, Canonico, & Abbati. In altero opuſculo adducit S. Anſelmus Officium Conceptionis, in cujus introductione affirmat, quòd Celebritas iſta in occiduis Regionibus Angliâ, Britanniâ, Daciâ, Normanniâ, & Germaniâ valdè celebraretur. De Gallia nullam facit mentionem, quia in eam non fuit introducta uſque ad annum 1135. quo ipſam recepit Sancta Eccleſia Lugdunenſis, ut infrà videbimus; igitur ante nativitatem S. Thomæ jam in ſex ampliſſimis Regionibus celebrabatur communiter Conceptionis Feſtivitas. Tertium & quartum opuſculum S. Anſelmi ſunt pro defenſione & commendatione myſterij. Poſt aliquot annos ab iſtis opuſculis S. Anſelmi ſcripſit B. Bernardus Epiſtolam ad Canonicos Lugdunenſes contra celebrationem Feſtivitatis; quia, inconſultâ Romanâ Eccleſiâ, illam ſolemnizare non videbatur decens, nec congruum: ſed gratis conceſſo, quòd hæc Epiſtola eſſet directè contra myſterium hoc (ut inſtant & conſtantiſſimè volunt defenſores opinionis contrariæ) quid inde habebunt? Contra hanc Epiſtolam, & celebrationem Feſtivitatis ſcripſerunt tractatus integros (nam de iſtis loquimur tantùm, non de illis qui incidenter aliquid dixerunt, pro vel contra) magis vel minùs extenſos, Petrus Abeilardus, Petrus Comeſtor, & Petrus Cantor, quorum opuſcula extant apud nos manuſcripta. Nicolaus Albanus ſcripſit duas Epiſtolas, quarum ſecunda reperitur in Bibliotheca Veterum Patrum tomo 12. Item Richardus de S. Victore, cujus tractatum ferè integrum adducit per partes P. Franciſcus Martini Carmelitanus, in ſuo tractatu de Conceptione prope finem, ſcripto anno 1390. Scripſit etiam ſermonem pulchrum Alexander Nekam, teſte eodem Franciſco Martini, ex quo adducit quinque auctoritates. Sed hujus Alexandri Nekam nihil authenticum invenire potui, niſi expoſitionem in Cantica Canticorum, quæ extat Oxoniæ in Anglia, in Bibliotheca Collegij novi, volumine 285. Et ibidem in Bibliotheca Ballioſenſi, volumine 38. Et in civitate Cantabrigenſi in eo-

Digitized by Google

dem Regno Angliæ in Bibliotheca publica, numero 122. Et in Aula Penbrochiana, volumine 132. in quibus capit. 3. extant hæc verba. *Ego firmiter teneo, & dico B. Virginem (quamvis, ut aliæ Sanctæ mulieres, originale contraxiſſe peccatum ego credam) in ſua Conceptione non parùm eſſe honorandam, immò talem diem ſanctificandum fore, &c. Hoc dico; quia cùm paucis abhinc annis egomet ad hanc Oxonij Univerſitatem, cauſâ de hujuſmodi Feſto diſputandi, vocatus fuerim, &c. & me conſtanter negante talem diem eſſe ſanctificandum, accidit quòd in tali die per multos annos ego diriſſimis doloribus per totam diem cruciabar, & neſcio quomodò: me autem poſtea palinodiam canente, ab illis torſionibus liber evaſi. Concludendo igitur dico, quòd propter honorem Virginis ejus dies Sanctificationis (id eſt Conceptionis, quia ſtatim, ac ſua anima fuit corpori unita fuit ſanctificata, & à peccato originali mundata) celebrandus eſt, &c.* Alia, quæ in hac auctoritate deſunt, videbis in illuſtrantibus omnia RADIIS SOLIS VERITATIS. Quæ autem indè reſultant pro quodam inextricabili Nodo, lege infrà. Ex omnibus ergò ſupra-relatis pro principio, & exordio ſententiæ Immaculatæ Conceptionis deducitur, quòd, antequam doctrina S. Thomæ eſſet in mundo, extarent pro ejus immunitate tres revelationes, per totum terrarum orbem divulgatæ: pro celebratione Feſtivitatis ſex Regna, in quibus etiam hodiè Celebritas perſeverat: Et pro ejus defenſione ſex graviſſimi ſcriptores, quorum tractatus uſque nunc ſubſiſtunt. Et contra ipſam ſolummodò unica Epiſtola ſancti Bernardi, quæ fuit quaſi exceptio iſtius regulæ univerſalis, quia nullus alius expreſsè, & ex profeſſo invenîtur, nec invenietur, qui contra eam directè, vel indirectè ſcripſerit in illa ætate, ſeu initio controverſiæ.

Medium, ſeu ſecunda ætas piæ ſententiæ numeranda eſt à tempore, quo ſcripſit S. Thomas; ab anno, ſcilicet, 1254. uſque ad 1470. quo electus eſt in Summum Pontificem Sixtus IV. Nam ex tunc tranſijt controverſia ad alterum ſtatum. In his ergò duobus ſæculis fuerunt aliqua generaliter communia pro utraque parte. Fuerunt aliqui Auctores nimirum, qui ſcripſerunt tractatus, quæſtiones & ſermones agentes in eis ex profeſſo, vel incidenter, unuſquiſque pro defenſione ſuæ opinionis. Et licet ſine ulla comparatione exceſſerit numerus pugnantium pro pia ſententia intenſivè, & extenſivè, in qualitate & quantitate; ut videre eſt, & ſenſibiliter demonſtratur in duobus libris, quorum unus eſt SOL VERITATIS, in quo ponuntur Auctores pro parte contraria, qui cum fictis multiplicatis, ſine ullo fundamento adductis, ab ipſis adverſarijs citatis, ac alijs de novo à nobis inventis pro augmento, & ultimo complemento iſtius materiæ in ſecunda impreſſione, ſolùm ſunt qua-

drin-

dringenti viginti octo; formales autem, ac veraciter ſubſiſtentes ſolùm viginti octo. Attamen pro pia præſervationis ſententia, ut proponitur in ſecundo libro, *Militia Immaculatæ Conceptionis*, cum omni veritate, & legalitate reperiuntur ſex mille. Itaque pro unoquoque alterius opinionis ſunt quindecim ſecundùm latiorem computationem; ſed ſecundùm ſtrictam & veram pro unoquoque alterius opinionis ſunt in pia ſententia ducenti. Tamen præter iſtum ingentem exceſſum, numeranda ſunt alia particularia, & ſingulariter reperta in pia ſententia, quæ in altera nec quoad totum, nec ſaltem quoad partem inveniuntur, nec reperientur. Et primum eſt, quòd Feſtivitas Conceptionis fuerit recepta ab Eccleſia univerſali Catholica Romana in Kalendario, Breviario, & Miſſali. Secundum, quòd ab omnibus alijs Eccleſijs particularibus totius orbis fuerit ſub eodem ritu ſtatim admiſſa, ut conſtat ex earum officijs, de quibus alibi. Tertium, quòd octava dies Decembris ſub titulo Conceptionis fuerit habita per totam Chriſtianitatem ut ſolemnis, & feſtiva. Quartum, quòd prima Alma Univerſitas Pariſienſis, & cum ipſa omnes aliæ Catholicæ Academiæ, litteris & ſtatutis ipſam ſint patrocinatæ. Quintum, quòd Concilia ab illo tempore celebrata, declaraverint piam ſententiam eſſe probabiliorem, & magis conformem principijs Sacræ Scripturæ. Sextum, quòd in omnibus civitatibus, populis, pagis fuerint erectæ Eccleſiæ, Capellæ, altaria, vel aliqua particularis memoria habita pro myſterio Immac. Conceptionis. Septimum, quòd fundatâ Archi-confraternitate Conceptionis in Eccleſia S. Laurentij in Damaſo de Urbe confluxerint ad ipſam pro unione, & aggregatione, innumerabiles Conceptionis Confraternitates Orbis. Octavum, quòd, ex quo cæperunt vota, juramenta, & ſtatuta, ferè nullus ſit in noſtra Hiſpania, & Regnis ipſi adjacentibus, qui ad defenſionem non ſit jurejurando adſtrictus. Nonum, quòd pro nulla ex Feſtivitatibus Beatiſſ. Virginis MARIÆ, nec pro qualibet alia totius anni, ſint inſtituta tot officia, preces, orationes, gratiæ, indulgentiæ, prærogativæ, &c. Decimum, quòd de nullo myſterio legantur tot revelationes, miracula, & mira prodigia. Quorum omnium ut præcipuum nota illud, quòd, ubicumque facta fuit aliqua oppoſitio ex parte contraria, ut diminueret myſterium, inde aliquod receperit ſingulare augmentum. Undecimum, quòd ſub hoc titulo ſit erecta Religio Monialium, atque Ordo Militaris cum ſpeciali regula, officio, & conſtitutionibus. Duodecimum & ultimum eſt, aſſenſus univerſalis, & communis devotio totius populi Chriſtiani, præcipuè Sacrarum Religionum, quarum nulla eſt, quæ pro

Digitized by Google

veritate hujus myſterij non ſe impendat, & expendat à maximo ad minimum, à majori ad minorem, ſcribendo libros, tractatus, ſermones, &c. exceptâ unicâ ſacrâ Religione Dominicanâ, quæ vult, ut exceptio iſta ſua prævaleat univerſali. Et nota hoc pro Nodo.

Finis, ſeu ultimus ſtatus piæ ſententiæ cæpit à Pontificatu Sixti IV. id eſt, ab anno 1470. uſque ad iſtum 1661. in quibus duobus ſæculis, unanimi conſenſu fatentur defenſores opinionis contrariæ, jam excluſam ab omnibus ad familiam ſuam confugiſſe, ubi illam recipientes, jam quieſcit ſecura, omnes ridet, & contemnit, &c. ut ſuprà vidimus ex R. P. Turco totius ſuæ Religionis Capite ac Generali. Sed quieſcat, lætetur, & dormiat, &c. ſuppoſito, quòd ibi invenerit ſibi requiem æternam: quia nos non quærimus opinionem Sanctificationis in hoc tractatu, ſed doctrinam Thomiſticam. Quæ autem, & quanta fecerit Sixtus IV. pro ſententia Immaculatæ Conceptionis, dicemus infrà Nodo III. Pro nunc autem ſufficit ſcire, approbaſſe ſententiam Conceptionis de probabilitate in duabus Extravagantibus *Grave nimis gerimus*, *&c.* in quarum unâ vocat Conceptionem *miram*, & in alia *Immaculatam*. In altera approbavit officium Immaculatæ Conceptionis Leonardi à Nogarôlis. Ac denique in quarta approbavit alterum officium editum à Bernardino de Buſtis.

Secundus Pontifex poſt Sixtum fuit Innocentius VIII. qui anno 5. ſui Pontificatus confirmavit, & approbavit Religionem Immaculatæ Conceptionis Monialium Toletan. Et officium ſpeciale Conceptionis pro eiſdem Monialibus, cujus Bulla incipit: *Inter innumera Divinæ Majeſtati*, *&c.* Item eodem anno 5. conceſſit duas Bullas pro Monaſterio Monialium Conceptionis de Beja Elboren. Diœceſis. Una incipit: *Injunctum nobis*, *&c.* & altera: *Juſtis, & honeſtis*, *&c.* Anno 6. conceſſit indulgentiam pro die Conceptionis Eccleſiæ Caliſiæ Morinen. Diœceſis, & incipit: *Romanus Pontifex*. Et eodem anno altare Conceptionis in Eccleſia Tricen. incipit: *Dignum arbitramur*. Anno 7. approbavit erectionem Monaſterij Conceptionis de Murcia, incipit: *Pia devotarum*, *&c.*

Tertius Summus Pontifex fuit Alexander VI. conceſſit altare Conceptionis in Eccleſia Tullen. incipit: *Dilecto filio*, *&c.* Item eodem anno approbavit erectionem hoſpitalis Conceptionis in Prioratu S. Marci Legionen. incipit: *Romanorum geſta*, *&c.* Anno 3. conceſſit altare in Eccleſia Conceptionis Toletan. incipit: *Vitæ ac morum*. Et indulgentiam pro Capella de Balpueſta Burgen. incipit: *Virgo prudentiſſima*, *&c.* Anno 5. altare Conceptionis in Eccleſia S. Stephani Piſtorien. incipit:

Digitized by Google

Ex Apoſtolica, &c. Item aliam Bullam pro Monaſterio Conceptionis Toletan. incipit: *Inter innumera, &c.* Anno 8. altare Conceptionis in Eccleſia S. Caſſiani Immolen. incipit: *Dignum, &c.* Anno 9. conceſſit indulgentiam pro Capella de la Scala Sauſinien. incipit: *Aſcenſurus in cælum, &c.* Item anno 10. conceſſit magnam indulgentiam pro die Conceptionis in Eccleſijs Hiſpalen. Valentin. Cæſar-auguſtan. Burgen. & Seguntin. incipit: *Regina cælorum, &c.* Denique anno 11. confirmavit Extravagantem Sixti IV. *Grave nimis; &c* ubi vocatur Conceptio Immaculata, dicens: *Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, &c.* incipit autem Bulla Alexandri: *Illius, qui ſe pro Dominici, &c.* Pius III. ejus ſucceſſor parùm vixit, ſiquidem non pervênit ad menſem, & ſic nihil conceſſit.

Poſt iſtos, & quartus ſecundùm noſtrum ordinem fuit Julius II. qui anno 2. approbavit conſtructionem Monaſterij Conchenſis ſub titulo Conceptionis, incipit: *Regimini univerſalis, &c.* Et dedit alteram pro eodem Monaſterio, quæ incipit: *Inter univerſa, &c.* ubi agit de officio Conceptionis. Et pro Monaſterio Conceptionis de Belau Ulixbonen. dedit alteram incipientem: *His quæ pro, &c.* Anno 3. confirmavit Religionem Sancti-monialium Immaculatæ Conceptionis, & incipit: *Paſtoralis officij, &c.* Eodem anno dedit indulgentiam pro die Conceptionis Eccleſiæ Narnien. *Dum præexcelſa, &c.* Et alteram pro Eccleſia de la Guardia, incipit: *Regina cælorum.* Anno 6. conceſſit indulgentiam pro Conceptione in Conventu Senen. *Dum præexcelſa.* Anno 7. conceſſit indulgentiam deferentibus imaginem Conceptionis: *Dum præclara, &c.* & in hac vocat *Sanctam Conceptionem.* Anno 8. explicuit regulam Monialium Conceptionis, & incipit: *Ad ſtatum proſperum;* & hic vocat *Immaculatam Conceptionem,* & infrà: *Puriſſimæ Conceptionis.* Anno 10. conceſſit indulgentiam pro die Conceptionis Monaſterio Caſtildelenz. incipit: *Licet ijs, &c.* Hic Summus Pontifex etiam conceſſit, recitantibus ad pulſum pacis manè ſeroque ſequentem orationem, indulgentiam viginti duo millia annorum: *O glorioſiſſima Regina miſericordiæ! ſaluto venerabile templum Uteri tui, in quo requievit Dominus meus.* Amen. Ave Maria. *O glorioſa Regina miſericordiæ! ſaluto Virgineum Cor tuum, quod puriſſimum fuit ab omni contagione peccati.* Amen. Ave Maria. *O glorioſiſſima Regina miſericordiæ! ſaluto nobiliſſimam Animam tuam, ornatam omnibus pretioſiſſimis donis omnium donorum gratiarum & virtutum.* Amen. Ave Maria. Sic extat impreſ. in libro antiquo, dicto *Refrigerium Animæ*, in 8. quem vidi cum alijs in Monaſterio PP. Carthuſianorum Ruremundæ lit. K. numero 108. Extat in Breviario antiquo PP. Canonicorum S. Crucis Coloniæ;

Digitized by Google

niæ; & habet hanc rubricam: Julius Papa ſecundus pro teſtamento reliquit deditque ad preſcriptas orati-unculas octoginta millia annorum dicentibus ad pulſum pariter manè & ſerò, &c. Et inter iſtas oratiunculas ponit etiam illam: *Ave Roſa ſine ſpinis, tu quam Pater in Divinis Majeſtate ſublimavit, & ab omni væ purgavit.*

Quintus fuit Leo X. & anno 4. conceſſit indulgentias, unam pro die Conceptionis in Eccleſia Edanenſi incipit: *Ineffabilis glorioſæ.* Et alteram pro Eccleſia de los Formiquios Cæſar Auguſtan. & incipit: *Cum præ-excelſa, &c.* Anno 5. approbavit officium Conceptionis, editum à Leonardo Nogarôlis, incipit: *Suprà gregem.* Et confirmavit omnia conceſſa à Sixto IV. novis & relevantibus clauſulis. Eodem anno approbavit erectionem Monaſt. de Guadalxara: *Inter cætera:* ſicut & Monaſterium Malacienſe: *Inter univerſa.* Eodem anno extat decretum pro ſororibus Conceptionis Peruſin. incipit: *Vniverſis, &c.* Anno 6. fecit illam inſignem conceſſionem oppido de Molina, ut in die Conceptionis poſſint dici matutinalia officia, ſicut in nocte Nativitatis Domini, & à media nocte celebrare Miſſas, incipit: *Piæ Chriſti fidelium, & præſertim Immaculatæ Conceptionis, &c.* Eodem anno approbavit erectionem Monaſterij Conceptionis Vallis-oletan. *Animas lucrifacere.* Et etiam alteram in oppido de Lebrixa, incipit etiam: *Animas lucrifacere*; ſed in hac ſecunda vocat: *Conceptionem Immaculatam.* Anno 7. conceſſit, ut Moniales Conceptionis gaudeant privilegijs Clariſſarum, incipit: *Quia nuper.* Eodem anno conceſſit indulgentiam pro die Conceptionis & S. Antonij Paduani in loco de Arenzana: *Salvatoris noſtri.* Anno 8. expedivit Bullam pro Sororibus tertij Ordinis Conceptionis de Alpeitia, incipit: *In domo Domini.*

Sextus, Adrianus VI. qui approbavit, & confirmavit inſignem Confraternitatem Immaculatæ Conceptionis Toletan. & incipit: *Romanus Pontifex.*

Septimus, fuit Clemens VII. qui anno 1. expedivit Bullam pro Moniali. Conceptionis Legionenſis, incipit: *His, quæ in favorem.* Et eodem anno alteram pro altari Conceptionis in oppido de Belmonte, incipit: *Rationi congruit, &c.* Anno 2. dedit unam circa diviſionem provinciæ Conceptionis: *Exponi nobis.* Et eodem anno confirmavit fundationem Monaſterij Hiſpalenſis: *Inter cætera.* Anno 3. expedivit Bullam unam, ubi de privilegijs Conceptionis: *Dum conſideramus.* Et etiam alteram de eiſdem, quæ incipit: *Dudum ſiquidem.* Et anno 9. pro Monialibus Conceptionis del Atabal Gaudixen. *Vt Virgines.* Eodem anno indulgentiam pro die Conceptionis in Eccleſia Angelorum Malacitan. *Glorioſæ Virginis.* Eodem anno conceſſit beneficium Monaſterio Conceptionis de Aſpeitia:

Digitized by Google

tia : *Grata devotionis.* Anno 10. approbavit fundationem Monaſterij de Zahorejas Conchen : *Animas lucrifacere.*

Octavus fuit Paulus III. qui anno 2. ſui Pontificatus approbavit officium Conceptionis in Breviario Cardinalis Quignionis, incipit : *Breviarium Divini.* Et eodem anno approbavit memoriam Conceptionis in oppido de Salteras : *Romanus Pontifex.* Item eodem anno extat teſtimonium indulgentiarum confraternitatum Conceptionis : *Franciſcus miſeratione.* Anno 3. dedit quoddam privilegium monialibus Conceptionis : *Sacræ Religionis.* Et eodem anno conceſſit ampliſſimas indulgentias pro confratribus Conceptionis in Regnis Hiſpaniarum, incipit teſtimonium : *Hodie Sanctiſſimus.* Anno 4. conceſſit privilegium Monialibus Conceptionis Hiſpaniarum, *Nuper pro parte.* Item confirmavit & approbavit Archi-confraternitatem Conceptionis S. Laurentij in Damaſo de Urbe, incipit : *Dum præexcelſæ.* Anno 11. approbavit erectionem hoſpitalis Conceptionis de Tariffa: *Ex ſupernæ diſpoſitionis.* Anno 13. pro capella Conceptionis hoſpitalis oppidi del Villar del Saz : *Grata devotionis.* Anno 14. de erectione hoſpitalis Conceptionis Piſtorien. *Exponi nobis :* & in hac dicit : *Immaculatè concepta, ſeu de Conceptione.* Eodem anno pro Monaſterio Conceptionis de Berlanga : *Ex injuncto.* Et pro Monaſterio Conceptionis de Logroño : *Ad ſummi Apoſtolatus.*

Nonus fuit Julius III. qui anno 1. aliqua conceſſit Monaſterio Conceptionis civitatis Oppidenis, incipit : *Devotionis ſinceritas.* Et beneficium pro Eccleſia Conceptionis del Villar de canto: *Vitæ at morum.* Anno 2. confirmavit erectionem conventus Conceptionis Caſſanen. *Exponi nobis.* Anno 5. pro capella Conceptionis de Llerena : *Ex commiſſo nobis.* Dedit etiam recitantibus hanc orationem viginti duo millia annorum indulgentiam. *Ave Sanctiſſima Mater Domini mei Ieſu Chriſti, Regina Cælorum, paradiſi porta ſpecialiſſima, Domina Angelorum. Tu es caſtiſſima Virgo concepta ſine peccato. Tu concepiſti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſine omni peccato. Tu peperiſti Creatorem & Salvatorem mundi, in quo nulla eſt nobis diffidentia. Obſecramus libera nos ab omni malo, & ora pro peccatis noſtris.* Amen. Sic extat in Breviario Canonicorum Regularium S. Crucis Colonien. in principio. Ubi rubris characteribus extat talis rubrica: *Iulius Papa III. innovavit preſcriptam orationem ſecundùm preſcriptam formam, & indulgentias duplicavit, quarum numerus ſe extendit ad 22. millia annorum.* Marcellus II. parùm vixit in Pontificatu, ideò nihil conceſſit.

Fuit in ordine Decimus, Paulus IV. qui anno 2. approbavit fundationem Monaſteri de Valdeigleſias : *Ex ſolita Apoſtolicę.* Item anno 5. expedivit ſingularem indulgentiam pro

die Conceptionis, incipit: *Salvatoris*.

Undecimus fuit Pius IV. & anno 1. pro altari Conceptionis Eccleſiæ Maceraten. conceſſit Bullam: *Rationi congruit*. Et beneficium Conceptionis in altari S. Nicolai Valentin. *Litterarum ſcientia*. Et pro Monialibus Conceptionis de Berlanga: *Ad Apoſtolicæ dignitatis*. Anno 3. pro capella Conceptionis in oppido de Quintaba Bracharen. *Expoſcit debitum*. Item eodem anno dedit indulgentiam ſingularem pro die Conceptionis in Monaſterio PP. Prædicatorum de Baëza Corduben. incipit: *Dum præexcelſa*. Item beneficium in Eccleſia Conceptionis Carleratin. Siracuſan. *Grata familiaritatis*. Anno 4. conceſſit indulgentiam in die Conceptionis pro Eccleſia Elvoren. *Cupientes, ut Eccleſia*. Et pro Monaſterio Conceptionis de Tabora: *Salvatoris, ac Domini*. Et pro Conventu de la Varga oppidi de Uzeda, pro die Conceptionis: *Dum præexcelſa*. Et pro oppido Conceptionis de Alenquerque: *Regiminis univerſalis*. Et pro Eccleſia Beatæ MARIÆ de Angelis montis majoris: *Dum præexcelſa*. Et pro Conventu de Torres Blancas, & Villa-vitioſa duplex indulgentia conceſſa eſt: *Dum præexcelſa*. In Conventu S. Franciſci de Vermeyo: *Super gregem*. Et alia in Monaſterio de Alberda: *Glorioſæ Virginis*. Anno 5. pro hoſpitali Conceptionis de Tordeſillas: *Ex incumbenti*. Et indulgentiam conceſſit pro Monaſterio Conceptionis del Olivar Majoricen. *Unigeniti Dei*. Et pro Monaſterio Sancti Petri Bellanen. *Salvatoris*. Et eodem modo aliam pro Eccleſia Ferien.

Duodecimus Pius V. multa conceſſit pro Conceptione, ut infrà ſuo loco videbimus.

Decimus tertius fuit Gregorius XIII. qui anno 1. conceſſit indulgentiam pro die Conceptionis civitati Cæſenaten: *Unigeniti Dei*. Et pro Eccleſia S. Salvatoris Toletan. *Salvator noſter*. Et capellaniam in altari Conceptionis S. Antonij Illerden. *Dignum arbitramur*. Et indulgentiam pro die Conceptionis in hoſpitali Beneventan. Oveten. *Ex debito paſtoralis*. Anno 2. pro Conventu Conceptionis de la Innojoſa: *Catholicorum Ducum*. Et pro Monaſterio Conceptionis de Logroño: *Debitum paſtoralis*. Et pro confraternitate Conceptionis oppidi Granullariarum Barchinonen. *Ex ſuperna*. Et indulgentiam pro oppido de Houren. Vlixbonen. *Salvatoris Domini*. Anno 3. Conceptionis beneficium in Eccleſia Illerden. *Vitæ ac morum*. Anno 4. conceſſit capellaniam Conceptionis Forolivien. *Dignum*. Et in altari Conceptionis S. Andreæ: *Apoſtolicæ Sedis*. Et indulgentiam pro die Conceptionis in Conventu civitatis de Quito in Indijs: *Regina cælorum*. Anno 5. indulgentiam pro die Conceptionis in hoſpitali Sancti Sebaſtiani Chi-

Digitized by Google

Chilen. etiam in Indijs: *Salvator noſter.* Et in civitate de Valdibia: *Ex commiſſo.* Et in oppido Rivitali ejuſdem Provinciæ: *Salvator noſter.* Capellaniam Conceptionis in Eccleſia Sancti Blaſij Forolovin. *Vitæ ac morum.* Et confraternitatem Conceptionis in hoſpitali Burgen. *Paſtoris æterni.* Anno 6. pro confraternitate Conceptionis civitatis Regum Peruan. *Apoſtolicæ dignitatis.* Et aliam pro eadem: *Ad augendam.* Item pro Conceptione Panormitan. *Supernâ diſpoſitione.* Et indulgentiam pro confraternitate Conceptionis Parmen. *Romanus Pontifex.* Et altare Privilegiatum pro capella Conceptionis: *Salvatoris noſtri.* Anno 7. indulgentiam pro confraternitate Conceptionis Granaten. *Super gregem.* Capellam Conceptionis in loco de Marte longo Sicilien. *Vitæ ac morum.* Pro confraternitate Conceptionis in Eccleſia S. Firmi Veronen. *Glorioſi Principis.* Et pro confraternitate oppidi de Monza Mediolanen. *Apoſtolicæ dignitatis.* Pro Monaſterio civitatis Regum Peruan. *Romanus Pontifex.* Et pro confraternitate Conceptionis civitatis de Lorca: *Glorioſi Principis.* Et capellaniam Conceptionis in Eccleſia S. Franciſci terræ Bellantis: *Dignum.* Anno 8. de confraternitate Conceptionis civitatis de Tunjar: *Ex ſalute gregis.* Item conceſſit indulgentiam Conceptionis Eccleſię Sanctæ MARIÆ del Græco Neapolitan. *De ſalute.* Beneficium Conceptionis in Eccleſia S. Laurentij Valentin. *Dignum.* Confraternitates Conceptionis in S. Andrea Giennen. *Circumſpecta ſedis.* Et in Eccleſia Conceptionis Nicoſien. *De ſalute.* Et beneficium Conceptionis Fagnani: *Vitæ ac morum.* Et alterum Typoli Nicoſtren. *Vitæ ac morum.* Anno 9. exêmit Moniales Conceptionis à ſolutione decimarum: *Paſtoralis officij.* Et pro confraternitate Conceptionis Valentin. *Unigeniti filij.* Et pro confraternitatibus Conceptionis de Sanctia villa Corduben. *Glorioſi Principis.* Et in Eccleſia S. Joannis de Prata Vlixbon. *Unigeniti filij.* Capellaniam in Eccleſia Lucan. *Dignum.* Conceſſit etiam indulgentiam pro Conceptione in Eccleſia Patrum Prædicatorum de urbe ſupra Minervam: *Vt ſanctiſſimum:* De confraternitate Conceptionis in Eccleſia Conceptionis de Valparaiſo: *De ſalute.* Indulgentiam Conceptionis in Segorue: *Unigeniti filij.* Et capellam Conceptionis in Eccleſia S. Caſſiani Florentin. *Dignum arbitramur.* Anno 10. approbavit confraternitatem Conceptionis in Eccleſia Conceptionis Melevitan. *Super gregem.* Idem fecit de Parochia Conceptionis in oppido de Onuſa Vlixbon. *Dignum.* Approbata etiam ab ipſo eſt confraternitas Conceptionis Melfiten. *Super gregem.* Et in Parochiali S. Joannis de la Palma Hiſpalen. *Super gregem*, & hic dicit: *Sub invocatione Sanctiſſimę Conceptionis.* Et in oppido de Miranda: *De ſalute.*

Et indulgentiam alteram dedit in oppido de Herrera Toletan. *Romanus Pontifex*. Et in oppido de Monchatura Tulloren. *Unigeniti filij*. Et in oppido de la Fonte terræ Feliciani Montisferrati: *Cùm ſic accepimus*. Anno 11. fuit pro confraternitatibus Concept. Hortan. *De ſalute gregis*. Et pro Monialibus Conceptionis Giennen. degentibus ſub cura PP. Prædicator. *A ſummo Patre*. Pro confraternitate Conceptionis Quinciani: *De ſalute*. Conceſſit etiam indulgentiam pro Conceptione Eccleſiæ PP. Prædicatorum de Regina cæli Hiſpalen. *Glorioſi Principis*. Et anno 12. de capellis Conceptionis civitatis Caſtellan. *Ex commiſſo*. Et in Eccleſia Vicen. *Vitæ ac morum*. Et in S. Joanne Lucan. *Apoſtolicæ Sedis*. Et anno 14. de capella Conceptionis Ceſſaneten. *Apoſtolicæ Sedis*. Et pro Monaſterio Conceptionis de Beja: *Proviſionis noſtræ*. Et pro capellanijs Conceptionis Riovæ: *Dignum*. Et Sancti Michaëlis loci de Trebiaco: *Dignum*. Et indulgentia ab eodem conceſſa eſt pro Conceptione in Eccleſia Sancti Michaëlis de Bendotio Faventin. *Paſtoris æterni*.

Decimo quarto loco numerandus eſt Sixtus V. qui anno 3. ſui Pontificatus conceſſit, quòd Feſtivitas Conceptionis celebraretur cum octava: *Ineffabilia beatæ, & glorioſæ*. Et beneficium Conceptionis in Eccleſia Belliternen. *Vitæ ac morum*. Et approbavit capellam Conceptionis in Sancta Barbara Hortunen. *Dignum*. Conceſſit etiam privilegium Monialibus Conceptionis Mexican. *Decet ex benigna*. Et pro Monaſterio Conceptionis de Beja: *Ex commiſſo nobis*. In erectione collegij Puellarum agit de Conceptione Virginis: *Sacroſanctæ*. Et anno 4. de capellania Conceptionis de Pedrograo Conimbricen. *Vitæ ac morum*. Anno 5. approbavit erectionem Monaſterij Conceptionis Placentin. Salmonen. *Religioſos viros*. Et confraternitatem Conceptionis S. Michaëlis Nolan. *Pijs fidelium*. Et capellaniam ad altare Conceptionis de Mondejar. *Vitæ ac morum*. Et pro Monaſterio de Torrijos: *Immenſa Dei*. Et pro Monaſterio Conceptionis de Truxillo: *Ex injuncto*. Et Monaſterio Conceptionis S. Jacobi de Scalona: *Summo Patre*. Et pro Monaſterio de Succurſu Conceptionis Hiſpalen. *Ex injuncto*. Et anno 6. in Bulla de confraternitate Chordigerorum agit de indulgentijs Conceptionis: *Mirabilis Deus*. Urbanus VII. penè vixit per tres dies, & Gregorius XIV. etiam parùm vixit in Pontificatu. Et idem dico de Innocentio IX. Et ſic

Decimus quintus fuit Clemens VIII. de quo infrà videbimus, quid egerit pro myſterio Conceptionis. Leo XI. paucos vixit dies. Proinde

Decimus ſextus fuit Paulus V. de quo ſuo loco dicemus.

Decimus ſeptimus eſt Gregorius XV. qui anno 1. ſui Pontificatus approba-

Digitized by Google

probavit conſtructionem Monaſterij Conceptionis Terræ Montis S. Sabini Aretin. *In Apoſtolicæ Sedis dignitatis*. Et confraternitatem Conceptionis Firmanen. *Ex injuncto*. Item conceſſit indulgentiam pro Conceptione in Eremitorio de la Puente de Pennaflor. Oventen. *De ſalute*. Et in oppido Montis Supelli Lugdunen. *De ſalute*. Et in Eccleſia de Flaſco Novarien. *Conſiderantes*. Et in Eccleſia de Carcere Paduan. *Illius vices*. Et capellam in Monaſterio Conceptionis Hiſpalen. *Rationi congruit*. Et altare in Eccleſia de Campano Placentin. *Dignum*. Et capellam in Eccleſia S. Michaëlis Piſtorien. *Ex injuncto*. Et beneficium Conceptionis in Eccleſia Sancti Michaëlis Hiſpalen. *Rationi congruit*. Anno 2. edidit illud inſigne decretum, quo prohibuit, ne in Divino officio uterentur aliâ voce, quàm *Conceptionis*, excluſâ voce *Sanctificationis*, quâ utebantur Patres Prædicatores, incipit: *Sanctiſſimus Dominus*. Deditque etiam alterum indultum, ſeu privilegium, ut inter ſe tantùm Patres Prædicatores poſſent de contraria opinione confabulari: *Eximia*, *&* *ſingulares*. Expedivit item epiſtolas ad Regem Hiſpaniarum pro Conceptione: *Catholicæ Religionis*. Ad Hiſpalenſes pro eodem myſterio: *Opulentæ Indiarum*. Ad Margaritam Auſtriacam circa idem: *Angelicis choris*. De confraternitate Monialium Conceptionis Mexican: *Conſiderantes*, ubi vocat *Conceptionem limpidam*. Pro Monialibus Conceptionis de Toro: *Ex paſtoralis*. Et pro Monialibus Conceptionis de Zamora: *Ex injuncto*. Pro capella Conceptionis de Spiano Sabinitan. *Dignum*. Et pro beneficio Conceptionis Eccleſiæ de Reus: *Vitæ ac morum*. Conceſſit indulgentiam in Eccleſia S. Annæ Venetiarum: *Conſiderantes*. Et altare Conceptionis in oppido Tribian. Lunen. *Litterarum ſcientia*. Et capellam Conceptionis in Eccleſia lucis Vicignan. *Dignum*. Et beneficium in oppido civitatis Novæ Firman. *Perſonam tuam*. Et capellam in S. Angelo Parmen. *Vitæ ac morum*. Anno 3. conceſſit beneficium in Conventu laci Buneti S. Domini: *Vitæ ac morum*: & hîc vocat *Conceptionem Sanctiſſimam*. Conceſſit indulgentias Conceptioni in Eccleſia de Logroño: *De ſalute*. Et in Eccleſia caſtri-novi Carnoten. *De ſalute*.

Decimus octavus Pontifex eſt Urbanus VIII. qui annò 1. erexit, confirmavit, & approbavit Ordinem Militarem Conceptionis: *In-perſcrutabilis*, *&c*. Conceſſit indulgentiam Conceptionis in Eccleſia de Borjia Eluoren. *De ſalute*. Et altare in Eccleſia de Pruna Piſtorien. *Grata devotionis*. Indulgentiam in Eccleſia S. Gregorij Comeracen. *Illius vices*. Et beneficium in oppido de Villa-nova Tarraconen. *Vitæ ac morum*. Indulgentiam Conceptionis S. Pharaildis Gandaven. *Illius vices*. Et Eccleſiæ

Digitized by Google

S. Catharinæ Squilacen. *Rationi congruit* : & hîc vocat *Conceptionem Sanctiſsimam*. Anno 2. ſcripſit ad Reginam Catholicam Eliſabetham pro habitu Conceptionis : *Quâ Pietate*. Confirmavit confraternitatem in loco de Rertubos Granaten. *De ſalute*. Et alteram in loco de Bubaſaña, Burgen. *De ſalute*. De Eccleſia Conceptionis in loco de Orellano la Vieja Placentin. *Vitæ ac morum*. Et beneficium in loco de Patore Aberſan. *Apoſtolicæ Sedis*. Altare & capellaniam in Eccleſia Urbinaten. *Dignum*. Conceſſit indulgentiam in Eccleſia Averſan. *Illius vices* : & hîc vocat *Conceptionem Immaculatam*. Pro altari & confraternitate in Monaſterio Clariſſarum Audomaren. *De ſalute*. De confraternitate in Monaſterio Clariſſarum Mexican. *Illius vices* : & hîc vocat *Conceptionem Sanctiſsimam*. Anno 3. conceſſit altare Conceptionis in Eccleſia Collen. *Dignum*. Et pro Eccleſijs Conceptionis, Canæ Anglonen. *Dignum*. Et oppido de Feria Ægittanen. *Litterarum ſcientia*. Cappellaniam. Et altare ad Eccleſiam Camplen. *Dignum*. Et indulgentiam pro Eccleſia S. Cecilij Granaten. *De ſalute*. Et pro Eccleſia Sanctę Urſulæ Neapolitan. *Conſiderantes*. Et pro Eccleſia Conceptionis Duaphiæ Tropidien. *Vitæ ac morum*. Ac indulgentiam in Eccleſia de Anſclona in Popayam : *Illius vices*. Et beneficium in Eccleſia Camplen. *Vitæ ac morum*. Et capellaniam in loco de Mura Vincen. *Apoſtolicæ Sedis*. Altare & capellaniam in S. Laurentio Florentin. *Dignum*. Item idem confirmavit confraternitatem in oppido de Calorpa Taxcalen. *De ſalute*. Et alteram in S. Georgio Meten. *De ſalute*. Atque indulgentiam in loco de Coſpitello Vintimilien. *Illius vices*. Et in loco de Aleanis Agittanen. *De ſalute*. Item altare & capellaniam in Eccleſia SS. Trinitatis loci de Sinalonga Bicentin. *Laudabilis* : & hîc vocat *Conceptionem Sanctiſsimam*. Anno 4. pro Ordine Conceptionis, ſeu Militiæ Chriſtianæ : *Militans Eccleſia*. De capellania in Eccleſia Aquilan. *Dignum* : & hîc vocat bis *Conceptionem Sanctiſsimam*. Beneficium in Eccleſia S. Laurentij Illerden. *Dignum* : & hîc vocat *Conceptionem Immaculatam*. Altare item in villa de la Freſneda Cæſar-Auguſtan. *Vitæ ac morum* : & hîc etiam vocat *Conceptionem Immaculatam*. Et in eadem Eccleſia alterum beneficium : *Dignum*, ubi etiam dicitur: *Conceptio Immaculata*. Et alterum in Eccleſia Seziæ Terracinen. *Vitæ ac morum*. Et ibi alteram capellaniam: *Dignum*. Alterum beneficium in Eccleſia Cappuccinarum Novarien. *Dignum*. Aliud in Eccleſia Mirti Meſſanen. *Vitæ ac morum*. Confraternitatem in Eccleſia de Donge Lingonen. *De ſalute*. Et ibi capellaniam alteram : *De ſalute*. De Monaſterio Conceptionis Siracuſan. *Ex injuncto*. Et beneficium in oppido Flix Deturſen. *Dignum* : & capellaniam,

niam, & altare in terra Camini Caſtren. *Dignum.* Conceſſit indulgentiam in loco de la Corte Mauriandren. *De ſalute.* Et confraternitatem in Eccleſia de Monticello Burgen. *De ſalute.* Et anno 5. conceſſit indulgentiam, & confraternitatem in Orellano Placentin. *De ſalute.* Et in Eccleſia S. Gelaſij Hiſpalen. *De ſalute.* Et in S. Joanne de Navelgas Oveten. *De ſalute.* Ac Beneficium in Eccleſia Illerden. *Dignum.* Capellaniam, & in S. MARIA ad Nives Amalfitan. *Dignum.* Anno 6. Beneficium in S. Triquillino Viterbien. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia S. Bartholomæi Valentin. *Dignum:* & hîc vocat *Conceptionem Immaculatam.* Item beneficium in Eccleſia de Camayore Lucan. *Dignum.* Pro Monaſterio Conceptionis Giennen. *Ex debito.* Anno 7. pro Eccleſia Conceptionis in loco de Auſſicio Colimbrien. *Vitæ ac morum.* Beneficium in oppido de Jerica Segrobicen. *Apoſtolicæ Sedis.* Et alterum in Eccleſia B. MARIÆ Camplen. *Vitæ ac morum.* Et alterum in terra Baxeti Burgi S. Domini: *Apoſtolicæ Sedis.* Approbavit erectionem Eccleſiæ in fundo de Sanarino, in oppido Regalbuti. *Ex commiſſo:* & hîc vocat *Conceptionem Immaculatiſſimam.* Beneficium in Faralela Deturſen. *Apoſtolicæ Sedis:* & vocat *Conceptionem Immaculatam.* Anno 8. Beneficium in Eccleſia S. Margaretæ Fulginaten. *Apoſtolicæ Sedis.* Approbavit confraternitatem conventûs Caſtrimaris, *Ex injuncto:* & hîc vocat, *Sanctiſſimam Conceptionem.* Anno 9. Beneficium in Eccleſia de Vermeola Lamacen. *Vitæ ac morum.* Indulgentiam conceſſit in Eccleſia de Viana Conchen. *Illius vices.* Capellam & beneficium in Eccleſia Averſan. *Vitæ ac morum.* Et eodem modo in Eccleſia Prinaſcuñas Viſen. *Dignum.* Et in Eccleſia Conceptionis Ruris Caſtronij Nicoteren. *Litterarum ſcientia:* & hîc vocat *Sanctiſſimam Conceptionem.* Et in Eccleſia de Almora Valentin. *Dignum:* & hîc vocat *Conceptionem Immaculatam.* Et in Eccleſia Villæ de Polpuente Segovien. *Dignum.* Approbavit confraternitatem in Conventu de Logroño Calaguritan. *De ſalute gregis.* Et erectionem Monaſterij Minervien. *Debitum Paſtoralis:* & hîc vocat *Conceptionem Immaculatam.* Quòd in Eccleſia S. Jacobi Hiſpanorum de Urbe reticeatur officium Conceptionis, etiamſi inciderit in 2. Dominicam Adventûs: *Sanctæ & Immaculatæ.* Anno 10. beneficium in Villa de Petra Majoricen. *Dignum.* Et capellam in Eccleſia Corduben. *Vitæ ac morum.* Beneficium in Eccleſia Barchinonen. *Vitæ ac morum:* & hîc vocat *Conceptionem puriſſimam.* Similiter in Eccleſia S. Bartholomæi Valentin. *Dignum.* Et in Eccleſia Derturſen. *Apoſtolicæ Sedis.* Et in Eccleſia Caſſalis Camparni Militen, & vocat *Conceptionem Sanctiſſimam.* Et pro Beneficio loci de Ponte Lucan. *Apoſtolicæ Sedis*, ubi vo-

Digitized by Google

vocat etiam *Conceptionem Sanctiſſimam.* Et in eadem Eccleſia alterum Beneficium : *Apoſtolicæ Sedis*, ubi ſimiliter vocat *Conceptionem Sanctiſſimam.* Anno 11. conceſſit indulgentiam pro Patribus Cappuccinis. *Ad augendam.* Et pro Eccleſia S. Joannis de Piro Policaſtren. *De ſalute* Et pro Vicaria Conceptionis Vladiſlavin. *Vitæ ac morum.* Anno 12. Diviſio Provinciæ Recollectorum Franciæ ſub titulo Conceptionis : *Religioſos viros* : & hîc vocat *Conceptionem Immaculatam.* Beneficium in Eccleſia S. Joannis Papien. *Vitæ ac morum,* & hîc vocat *Conceptionem Sanctiſſimam.* Conceſſit etiam capellanias Conceptionis in Eccleſijs ſequentibus, in loco Aguatæ Mediolanen. *Dignum.* Et in Villa Antinoci Valentin. *Dignum.* Et in S. Petro majori Florentin. *Dignum.* Et alteram pro eadem Eccleſia : *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia Barchinonen. *Apoſtolicæ Sedis.* Et pro Monialibus Conceptionis oppidi de Sinula Salamantin. *Vitæ ac morum.* Et pro Eccleſia Sancti Andreæ terræ Emporij Florentin. unam, quæ incipit : *Vitæ, ac morum* : & alteram : *Grata devotionis.* Anno 13. pro prioratu Conceptionis Tiburtin. *Vitæ ac morum,* & vocat *Conceptionem Sanctiſſimam.* Conceſſit indulgentiam Conventui Bootendalenſi Bruxellen. *Cum ſicut accepimus.* Anno 14. altare, & beneficium in oppido de Xaſona Valentin. *Vitæ ac morum.* Et in Villa-Nova de Pertinao Faraonen. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia Marchetti terræ Cellarum : *Dignum.* Et in Eccleſia S. Colaiari Militen. *Vitæ ac morum.* Anno 15. Beneficium in Eccleſia Forolivien. *Vitæ ac morum.* Oratorium in S. Ginerio Camerinen. *Dignum.* Beneficia in oppido de Caringent. Valentin. *Dignum.* Et in Eccleſia Valleronæ Deturſen. *Dignum.* Anno 16. beneficium in Eccleſia Mutabij Militen. *Dignum.* Et in Eccleſia S. Marci de urbe : *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia Conceptionis civitatis Selvin, Faraonen. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia S. Mariæ de urbe : *Litterarum ſcientia.* Conceſſit indulgentiam pro die Conceptionis in Eccleſia Annuntiatarum Belgij : *Ad augendam.* Anno 17. pro Monaſterio Conceptionis S. Hieronymi Matriten. *Cum itaque.* Et pro Mariæ Barchinonen. *Apoſtolica Sedis.* Et pro eadem alteram etiam: *Apoſtolica Sedis.* Et pro Eccleſia Maceraten. *Vitæ ac morum.* Et pro terra Canoni Corticen. *Grata devotionis.* Anno 18. conceſſit indulgentiam pro confraternitate Roſarij in loco de Barcena Burgen. *Illius vices.* De commenda Equitum Conceptionis. *Decet Romanum* : & hîc vocat *ſalutiferam Conceptionem* : Anno 19. beneficium Eccleſiæ de Vermeoſa Lamacen. *Dignum.* Et in clauſtro Eccleſiæ Vicen. *Vitæ ac morum.* Item circa recitationem officij Conceptionis Singulis Sabbathis exceptis Adventus, & Quadrageſimæ: *Obtento*

tento aliàs. Anno 20. beneficium in Eccleſia S. Tranquilini Viterbien. *Apoſtolicæ Sedis.* Et in loco de Renula Melivitan. *Vitæ ac morum.* Et in Uribanova de Portineo Faraonen. *Dignum.* Anno 21. approbat erectionem Monaſterij Conceptionis civitatis Cayacen. *Sacri Apoſtolatus.* Et beneficium in Eccleſia Marſican. *Litterarum ſcientia.* Hæc omnia Urbanus VIII.

Decimus nonus fuit Innocentius X. qui anno 1. conceſſit jus Patronatûs Monialium Conceptionis loci de Viſiedo Terullen. *Ex commiſſi.* Beneficium in Eccleſia Leodien. *Vitæ ac morum.* Et in Eceſia Corduben. *Rationi congruit.* Et in Eccleſia Sanctorum Petri Martyris, & Nicolai Valentin. *Cùm itaque.* Et in Eccleſia de Valdeteſa Legionen. *Dignum.* Et in Eccleſia S. Andreæ Valentin. *Vitæ ac morum.* Conceſſit inſuper, ut Feſtum Conceptionis eſſet dies feſtivus, & feriatus in Regno Hiſpaniarum : *In his, per quæ.* Anno 2. in Eccleſia Conceptionis Matriten. capellaniam : *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia Seguntin. *Dignum.* Item in confraternitate oppido de Atienza Seguntin. *Conſiderantes.* Et in conventu Buxi S. Domini : *Vitæ ac morum.* Et in S. Laurentio de Podio Lucan. *Dignum.* Et in oppido de Buzes Toletan. *Dignum.* Anno 3. beneficium in oppido de Avillano, de Ambon Egitanen. .... Et in Eccleſia Sunen Sarlatan : *Regimini.* Et in ſuperiori Eccleſia Mazanen. *Dignum.* Anno 4. beneficium in Eccleſia de Agenſalis Celſonen. *Dignum.* Et in clauſtro Eccleſiæ Barchinonen. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia de Galiaſio Novarien. *Cùm itaque.* Et indulgentiam in oppido de Monte Aragon Toletan. *Illius vices.* Et in Eccleſia S. Nicolai loci Soleti Ydruntin. *Litterarum ſcientia.* Anno 5. Abbatiam in oppido Recalbutin Catanen. *Dignum.* Capellaniam in oppido de Aylon Seguntin. *Dignum.* Et in Eccleſia Lauretana : *Dignum.* Et in Eccleſia Maturanen. *Cùm itaque.* Et in loco de Domingo Perez Toletan. duas deſtinatas incipientes : *Vitæ ac morum.* Et altare in Vinaroz Dertuſen. *Cùm itaque.* Anno 6. capellaniam in Eccleſia Taurinen. *Cum itaque.* Et altare in Eccleſia Majoricen. *Litterarum ſcientia.* Anno 7. capellaniam in Eccleſia Crucifixi Senen. *Cùm itaque.* Et in Eccleſia Cæræ Portuen. *Vitæ ac morum.* Anno 9. pro confraternitate Conceptionis. In Eccleſia Recollectorum Colonien. *Cùm ſicut accepimus.* Anno 10. pro Monialibus Monaſterij Conceptionis Liman. *Nobis nuper.*

Vigeſimus Summus Pontifex & ultimus, qui hodie regnat, & vivit ALEXANDER VII. (quem clementiſſimus Dominus Eccleſię ſuę incolumen in annos perpetuos ſervet!) plures edidit Bullas pro Myſterio Conceptionis, quarum in particulari ſolùm habeo notitiam de decem expeditis pro Conventibus Provin-

Digitized by Google

ciæ S. Antonij Charcatum in Regno Peruano. Item anno 6. ſui Pontificatus confirmavit confraternitatem ſitam in inferiori parte Capellæ Regalis Palatij Chriſtianiſſimi Regis Francorum, quæ communiter dicitur Pariſijs Capella Sancta, incipit: *Cùm ſicut dilecti filij moderni Rectoris, ſeu Adminiſtratoris congregationis ſub invocatione, ſeu denominatione Conceptionis* B. MARIÆ *Virginis*, &c. Conceſſit etiam huic confraternitati varias ac ſingulares indulgentias per aliud Breve, quod incipit: *Cùm ſicut accepimus ad Altare majus interioris ſanctæ Capellæ, &c.* Præcepit etiam, licet non per Breve, aut Bullam, ſed Vivæ vocis oraculum, quòd Magiſtri ſacri Palatij non impedirent, ut in libris diceretur: *Immaculata Conceptio*; de quo videre poteris Dedicatoriam R. P. Hippolyti Maracci, Clerici Regularis Matris Dei, in ſuo libro, *Caſares Mariani*, circa medium. Item Summus hic Pontifex ſequendo veſtigia ſuorum prædeceſſorum Clementis VIII. Gregorij XV. Urbani VIII. & Innocentij X. qui varias fabricarunt monêtas cum imagine Conceptionis (de quibus latè agimus in *Militia Immaculatæ Conceptionis*, verbo, Monêtæ) in initio ſui Pontificatus fabricavit etiam Monêtam argenteam cum imagine Conceptionis, de qua in opuſculo ſpeciali tractat Venerabilis P. Joannes Euſevius Nierembergius Soc. Jeſu. Hęc ſolummodò ſunt, quæ de hoc Summo Pontifice moderno ALEXANDRO VII. dicenda pro nunc occurrunt. Quæ autem ſucceſſu temporis adhuc dicenda occurrent, dependet ab ijs quæ eventura ſunt. Quæ? Novit, qui novit omnia, unigenitus Dei Filius; novit & unigeniti Mater intemerata ſemper & Immaculata Virgo; novit & forſan de facto ſua Sanctitas ipſa. Etenim in ſpem maximam, & quemadmodum confido, veriſſimam adductus ſum, ſub ejus tam fęlici, ac tam optato Regimine futurum aliquando; ut quemadmodum Bellum illud diuturnum, longè latèque diſperſum, propemodum inexpiabile attenuavit, ſuſtulit ac omninò ſepelivit, deſideratæ Pacis veræque concordiæ unitatem inter utramque coronam, Catholicum Monarcham, & Chriſtianiſſimum Regem, Deo propitio, conciliando: ita etiam ſub eodem Regimine diuturnam hanc, longè latèque diſperſam, inexpiabilem propemodum controverſiam de Conceptione Virginis Matris Dei, numquam ſatis laudandæ, inter utramque, Dominicanam ſcilicet, & Franciſcanam familiam tandem aliquando dirimat, ſufferat ac penitùs ſepeliat: & hoc tum motu proprio, tum ad inſtantium partium jugiter pro deciſione clamantium ſupplicantiumque: de quo aliàs. Et hæc ſummatim de prima parte propoſita: quid ſcilicet actum ſit à principio controverſiæ circa ſententiam Immaculatæ Concep-

cep-

ceptionis in principio, medio, & fine.

Quantum ad ſecundum, id eſt, quid dixerint defenſores partis adverſæ de pia ſententia immunitatis Virginis MARIÆ à peccato originali, ex quo contraria opinio *in Dominicanam familiam ſe recepit, ubi ſecura conquieſcit, omnes ridet, & contemnit, &c.* ut dicit Reverendiſsimus Pater Turcus: etiam claritatis gratiâ, & ut in omnibus ſervetur æqualis correſpondentiâ, idem eodem modo dividendum eſt in principium, medium, & finem. Principium enumerandum erit ab anno 1314. in quo ſcriptum fuit primum opuſculum contra Immaculatam Conceptionem uſque ad annum 1480. in quo Sixtus IV. ad ſedanda ſcandala, ſuas promulgavit Decretales: *Grave nimis gerimus, &c.* Medium verò erit ab illo anno uſque ad Concilium Tridentinum. Et finis erit uſque ad præſentem annum 1661. Primus ergò, qui fecit tractatum integrum pro contraria opinione circa annum 1314. fuit Guilielmus de Gannoco Ordinis Prædicatorum Gallus, de quo agit Joannes Capreolus ejuſdem Ordinis in 3. diſt. 3. quęſt. unicâ, ſub titulo: *De vera innocentia Matris Dei.* In quo pro ſua opinione adduxit quadraginta Auctores, & de pia ſententia affirmat eſſe contra Scripturam & Fidem. Et licet iſtius non invenerim tractatum, habeo tamen opuſculum editum à Petro Aureolo Ordinis Minorum contra prædictum tractatum, *De vera innocentia Matris Dei*, ſub titulo: *Repercurſorium contra adverſarium innocentiæ Matris Dei.* Et incipit: *Juſtificationem meam, quam cæpi tenère, non deſeram, &c.* Ubi refert præcipua, quæ in illo tractatu de Gannaco continebantur. Poſt iſtum ſcripſit Guilielmus Jordanus, ſed neſcio quid in ejus opere contineatur. Deinde ſcripſit Joannes de Monteſono, cui anno 1387. tam in veſpertinis Sorbonicis, quàm in alijs ſuis defenſorijs unicus & præcipuus ſcopus erat non ſolùm probare Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, ſed hoc eſſe de Fide, & contrarium erroneum & hæreticum, ut latè videbimus Nodo V. Parùm pòſt, ſcilicet, anno 1359. ſcripſit duos tractatus contra Immaculatam Virginis Conceptionem ille inſignis Inquiſitor, qui fecit Directorium Inquiſitorum; ubi tot tantaque finxit contra Fratres Minores, Raymundum Lutium, & alios: de quo ſuo tempore mira detegentur. Iſte fuit Nicolaus Eymericus, qui in tractatu 2. dicato Benedicto XIII. (nam primum obtulit Clementi VII.) cujus titulus eſt: *Contra calumniantes præeminentiam Chriſti, & Virginis Matris ejus*, in prologo, ſeu dedicatoria incipiente: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo in Chriſto Patri, ac DD. N. D. Benedicto dignâ Dei providentiâ Sanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ huius nominis Papæ XIII. Frater Nicolaus Eymeri-*

meriti Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſter in Theologia inutilis, atque Inquiſitor in Aragonia hæreticæ pravitatis, &c. Et poſtquam ibi dixiſſet plura materialiter & formaliter, parvi quidem momenti, ſic proſequitur: *Quibus prælibatis ſententiis edocemur, quod ſi, & quando in Dei Eccleſia ſacro-ſancta emerſerit aliquod in Fide obſcurum, ambiguum, vel ſuſpectum, non ad alium deducendum, quam ad Romanum Pontifi-cem Domini Jeſu Chriſti Vicarium eſt, & meritò producendum. Sane, Beatiſſimè Pater, nuper tempore D. Clementis prædeceſſoris veſtræ Sanctitatis, quemdam tractatum ſatis extenſum de peccato originali, & Conceptione glorioſæ Virginis Matris Chriſti compilavi duodecim articulos continentem, quem tunc ejuſdem Domini Clementis Sanctitati corrigendum, approbandum vel reprobandum, rejiciendum ſeu revocandum deſtinavi devoto animo meo toto; quem & nunc veſtræ Sanctitati in omnibus; & per omnia offero pari modo. Noviſſimè verò diebus iſtis, quia, teſte Ioanne, noviſſima hora eſt; Apoſtolo etiam acclamante: Nos ſumus, in quos fines ſæculorum devenerunt. Ecce, Pater Beatiſſime, Scribiteti, Phariſæi hæretici inſurrexerunt in medium, palàm & publicè proſilierunt imprudenter & impudenter, improbè & perversè ſeminarunt buccis crepantibus ore ſuo pleno, ſed polluto auſu nefario ventilantes, docentes, & dogmatizantes contra præeminentiam, prærogativam, & præexcellentiam Domini Ieſu Chriſti, & glorioſæ Virginis Matris, eamdem præeminentiam, quàm eorum eſt, calumniantes, denigrantes, & quintuplo offuſcantes, contra quos nonnullos proceſſi, & punivi, &c.* Statim infrà declarat, qui fuerint iſti, contra quos inquiſitoriâ auctoritate, ac ſeverâ punitione proceſſit, & quæ erat eorum hæreſis, ſic dicens poſt alia: *Calumniantur me talem, ac tantam ſuperbi; ſed qui ſunt iſti ſuperbi? Vtique hæretici Phariſæi. Hæretici namque ex ſuperbia hæreſes exquirunt, concipiunt, & confingunt. Ex ſuperbia hæreſes concipiunt, pariunt, & producunt. Ex ſuperbia hæreſes dogmatizant, affirmant pariter & defenſant. Ex ſuperbia namque in hæreſibus pertinaces & contumaces, indurato & obſtinato animo perseverant. Cupiunt namque ſuperbi hæretici Phariſæi præ aliis, inter homines ſingulares, ſingulariter apparere. Hi enim, ſuperbi, cæci, hæretici Phariſæi calumniantur me, inquit, Virgo* MARIA, *Domini mei, Dei & hominis Genitricis præeminentiam, prærogativam, & præexcellentiam, quàm eorum fas eſt, obſcurant & denigrant detrahendo; & hoc quinque calumniis meo valori, decori, & honori mendaciter derogando; quæ eorum mendaciis non indigeo, cùm ſim plena gratiâ, & veritate: immò ſum Genitrix excellentiſſimæ veritatis. Et nedum calumniantur me, ſed in me calumniantur meum Vnigenitum, Dei Patris Primogenitum, mei & omnium Redemptorem, ſuper me, & Creatorem omnium Angelorum, & omnium venerandum, adorandum, & glorificandum in ſæcula ſæculorum. Prima calumnia & blaſphemia, quâ calumniantur me, & filium in me ſuper-*

Digitized by Google

ſuperbi, & hæretici, inquit Virgo MARIA, *eſt, quòd per quatuor mundi partes crepante tubâ non corneâ, ſed carneâ intonant me in originali culpa non fore conceptam. Hæc eſt gravis calumnia, hæc eſt grandis blaſphemia, &c.* Et his atque alijs ſimilibus eſt totus ille libellus plenus, quorum aliqua videbimus in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS, & præcipuè quomodò ipſemet fateatur ſe propter iſtam calumniam, blaſphemiam, & hæreſim, *Beata Virgo* MARIA *fuit concepta ſine peccato originali*, dum eſſet Inquiſitor, ſevero ſupplicio affeciſſe aliquos, & propter hoc fuiſſe exiliatum à Regno Aragoniæ, ſicut fuerat exiliatus S. Joannes filius Zebedæi. Iſte autem pro ſua opinione adducit quinquaginta duos Auctores antiquos.

Poſt Eymericum tempore Concilij Baſileenſis anno 1435. ſcripſit P. Joannes de Montenigro Provincialis Lombardiæ ſuas allegationes, probando in eis ſuam opinionem eſſe de Fide, & piam de Immaculata Conceptione hæreticam. Deinde anno 1437. ſcripſit Joannes de Turrecremata illum magnum librum, poſtea typis mandatum anno 1547. Romæ, in quo nititur probare piam ſententiam eſſe contra Scripturam, Sanctos Patres, Concilia, & Doctores antiquos, ex quibus adducit centum, per quos probat Conceptionem Virginis MARIÆ non eſſe puram, Sanctam, Immaculatam; ſed potiùs è contrà Feſtivitatem illius non eſſe celebrandam. Poſtea circa annum 1450 ſcripſit S. Antoninus, de quibus latè diximus in SOLE VERITATIS. Circa annum 1470. ſcripſit P. Gyrandus Renerius látiſſimum tractatum contra Immaculatam Conceptionem, qui incipit. *Quia de Epiſtola Bernardi ad Clerum Lugdunenſem per eum ſcriptâ, &c.* Ubi paſſim dicit piam ſententiam eſſe ſomnium, chymeram, erroneam, hæreticam, contra Scripturam Sacram, & omnes Sanctos Patres; & folio 44. addit: *Verùm etiam omnes Doctores illius Ordinis*, id eſt Minorum, *uſque ad Scotum, qui fuit ſaltem in ſtudio Pariſienſi primus ſeminator prædicti erroris, vel ſecundùm Auguſtinum, dictam perniciem hæreticæ pravitatis, quam ſequuntur multi moderni, ex quadam, ut dicunt, pia devotione ducti; ſed meliùs debet dici, quantum ad Litteratos in Theologia, ex impia devotione ducti. Unde ſicut in primitiva Eccleſia fuerunt quidam Hæretici ex pia, ut dicebant, devotione ducti, qui dicebant, quòd ſub ſpeciebus panis ſtatim, quo tangebant labia peccatoris, deſinebat ſub ſpeciebus eſſe Corpus Chriſti; horrentes quòd Corpus Chriſti intraret ſub illis ſpeciebus ventrem peccatoris; & ſic moti, non ex pia, ſed impia & ficta devotione, negabant veritatem Fidei Catholicæ; ſic nec plùs, nec minùs iſti, &c.* Nota quibus comparet Auctor iſte defendentes myſterium Immaculatæ Conceptionis: & paſſim de hoc habet alia quam-plura, demonſtranda in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS. Anno 1457.

 ſcrip-

Digitized by Google

ſcripſit quidam incognitus Anonymus Ordinis Prædicatorum librum illum de veritate Conceptionis ad Comitem Petrum de Gambara, cujus initium eſt: *Veritatem meditabitur cor meum, & labia mea deteſtabuntur impium.* Et ſicut promittit in titulo, ſic in toto libro deteſtatur piam ſententiam de Immaculata Conceptione, tamquam impiam, erroneam, & hæreticam. Sed ut cognoſcatur brevi compendio, qualis ſit totus ille tractatus, tranſcribo ſolùm verba, quæ extant 3. viâ partis ſecundæ Ratione 13. fol. 146. colum. 3. *Ex his enim quadraginta tribus auctoritatibus maniſeſtè clares B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Omitto alias auctoritates, ex quibus poteſt idem concludi apertè; ſed ſufficiant iſtæ, & quæ in ſuperioribus rationibus adductæ ſunt, maximè in 12. Ratione 2. Viæ. Ecce quàm præclara & aperta Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus efficaciſſimè concluditur B. Virginem in originali fuiſſe peccato conceptam. Aliter enim non pertineret ad redemptionem, pacificationem, & reconciliationem, ac mediationem per Chriſtum factam, qui ſolus ſine pecato fuit, & redemptione non indiguit. Sed quidam fabricatores mendacij ſanam doctrinam non ſuſcipientes ad fabulas ſe converterunt, & ſententiam ſermonibus imperitis involvunt; dicentes, & obſtinatâ fronte prædicantes, Beatiſſimam Virginem numquam originali peccato infectam fuiſſe, & tamen ad Chriſti redemptionem, & ſalvationem pertinêre. Tales profectò Scripturas Sacras deprâvant pernicioſè, & hæreſim Pelagij, Cæleſtis, Juliani ſuis expoſitionibus defendunt. Adversùs quos B. Auguſtinus in libro Ipognoſticon fortiter clamans dicit: O malum dogma, quod pacis inimicus adinvênit! O dogma peſtiferum, quo ſcinditur unitas Matris Eccleſiæ! O dogma peſſimum, quod ſub nomine pietatis evertere, & mutare nititur Eccleſiæ Chriſti fundamenta! O dogma nefandum, cui mille ſunt, & mille nocendi artes, quibus Evangelium ſubvertere conatur! O dogma diabolicum, quod in ſui perniciem diverſa mendacia fingens provocat ad mendacium veritatem, &c.* Et proſequitur latè vocando nos adverſarios veritatis, & piam ſententiam errorem pernicioſum, deliramentum, inſaniam; & totus liber eſt hujuſmodi. Hîc eſt ille Anonymus, de quo ſæpè loquêmur in hoc tractatu; & in auctoritate præſenti ſolùm pro Nodo notandum eſt illud verbum: *Dicentes, & obſtinatâ fronte prædicantes, Beatiſſimam Virginem numquam originali peccato infectam fuiſſe, & tamen ad Chriſti redemptionem & ſalvationem pertinêre.* Ergò noſtri Auctores ſemper dixerunt non eſſe incompatibilem præſervationem cum redemptione.

Medium tempus computandum eſt à Sixto IV. qui anno 1476. ſui Pontificatus. 6. promulgavit primam Extravagantem, *Cùm præexcelſa.* Et anno 1481. ſecundam, *Grave nimis.* Et eodem anno prodijt Bononiæ tractatus Vincentij Bandelli de Ca-

Digitized by Google

Caſtro-novo poſteà ſuæ Religionis Generalis, qui ſecundò fuit excuſus abſque anno & loco impreſſionis; & tertiò Mediolani, anno 1512. ſemper in 4. ac etiam quartò cum additionibus ſui Correctoris, ſeu Continuatoris anno 1502. Occaſio illius libelli, ut in ipſo dicitur, fuit illa magna diſputatio habita Ferrariæ coram Epiſcopo & Duce Hercule Eſtenſi in proprio Palatio cum fratribus Bartholomæo Feltrenſi Ordinis Minorum, & Patre Cæſtario Magiſtro Ordinis ſervorum Beatæ MARIÆ. Quanta autem in iſto libro ſint contra piam ſententiam, & illius defenſores, ſuperant hujus parvi libelli magnitudinem: quarè ſolùm referam aliquorum capitulorum titulos. In 34. in quo incipit probare ſuam concluſionem ſic inquit: *Omne dictum, quod contradicit Sacræ Scripturæ, eſt impium; ſed opinio, quæ dicit B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali, contradicit Sacræ Scripturæ: igitur talis opinio non eſt pia. &c.* In cap. 35. & ſecundâ ratione: *Omne dictum, quod contradicit auctoritatibus Sanctorum ab Eccleſia approbatorum, eſt impium; ſed propoſitio, quæ dicit B. Virginem non contraxiſſe originale peccatum, contradicit auctoritatibus Sanctorum, &c. ergò eſt impia, & non pia.* Et eiſdem verbis diſcurrit per titulos alios capitulorum, ut videre eſt in SOLE VERITATIS. Item infrà folio 161. cæpit impugnare Extravagantem, *Cùm præexcelſa.* à ſex annis tantùm publicatam. Relinquendo tamen hæc omnia, intereſt pro Nodo clauſulam unam tranſcribere ex prologo ad Ducem Herculem, ubi inter alia ſic inquit: *Quod ubi eorum, quos ſuprà memoravi, attigit aures, clamoribus cœperunt templa complère, ineptiſſimas voces depromere, veſanâ mente deſipiſcere, ac veluti delirantes Divinam deteſtando veritatem, in Sanctiſſimos clarosq; viros deſævire. Et quo ſeminandi erroris ſui major ſe cauſa offerret, forum eaq; loca, quibus advertebat in-eruditam vulgi frequentiam, aſſiduè perluſtrabant (vulgi enim audaciâ contenti peritas Doctorum aures aſpernabantur) atque vſque adeò eorum operâ pernicioſus error ille increverat, ut popularium multi venenatis illorum illecti fabulis, Virginem Sacram aſſererent de Spiritu Sancto fuiſſe conceptam, minimeq; pretioſo Chriſti ſanguine redemptam inverecundâ fronte latè prædicarent. O ſcelus in-auditum; O facinus deteſtandùm! O ſtultas mentes! O pectora cæca! O deliramenta nequitiæ! Vnde (æterne genitor) funeſtum hoc virus obrêpit, &c.* Multa quæ hîc deſunt vide in SOLE VERITATIS. Anno 1502. ut dixi, prodijt liber iſte Bandelli cum multis additionibus, & marginalibus notis, appoſuitque iſte Continuator ſeu Corrector aliqua de novo in integrum, ut fuit Decretum Concilij Baſilëenſis, Extravagantem ſecundam, *Grave nimis*: ubi vocatur Conceptio Immaculata; ex quo conſtat quòd nòn fuerit à nobis ficta. Appoſuit etiam viſionem illam de ſtatuâ Nabuchodono-

donoſoris oſtenſâ S. P. N. Franciſco, ſed quâ intentione, ipſe videat. Item in principio appoſuit epiſtolam ad omnes fratres ſui Ordinis, in qua inter alia inquit: *Duellum autem hoc non leve, immò graviſſimum; non debile, ſed maximum judicandum eſt; ex quo non in hoſtes, ſed in cives; non in hæreticos aut infideles, ſed in Catholicos, in Chriſti tamen via ſub quadam devotione, ac Sanctitatis imagine errantes inſurrexit. Bellum inquam grande, quod jam à priſcis temporibus Patres noſtri veluti Fidei non modò cultores, immò cuſtodes & defenſores pro tuendâ unicâ Chriſti & Immaculatæ Conceptionis prærogativa aggreſſi ſunt, &c.* Et de hujuſmodi extant in illa epiſtola plura alia.

Ante iſtum correctorem Bandelli anno 1494. ſcripſit Pater Petrus de Vincentia tractatum de Conceptione Virginis Mariæ, inſertum in catena aurea S. Thomæ: & eſt quoddam compendium Vincentij Bandelli nullâ mutatâ ſyllabâ, quoad auctoritates Sanctorum, atque Doctorum. Tractatulus iſte his noſtris temporibus ter fuit reimpreſſus, Toloſæ, Panormi, & Venetijs, qui etiam condemnat ut hæreticam piam ſententiam.

Inter omnes relatos ſingularis fuit Thomas de Vio Cajetanus, qui in ſuo tractatu anno 1515. ad Leonem X. ipſam piam opinionem ut probabilem admiſit: licet non careat alijs cenſuris, de quibus in Sole Veritatis. Sed ſtatim ſurrexit contra ipſum, & piam ſententiam Reverendiſſimus Pater Bartholomæus de Spina Magiſter Sacri Palatij cum duobus tractatibus, uno ſub titulo: *De univerſali corruptione generis humani ſeminaliter propagati, &c.* elaborato anno 1525. ſed impreſſo Venetijs cum alijs anno 1535. altero directè contra Cajetanum, quia dixerat piam opinionem eſſe probabilem ſub hoc titulo: *Tractatus contra opuſculum Cajetani de Conceptione B. Mariæ Virginis.* Præter iſtos duos, qui modò extant, edidit alterum opuſculum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, ut ipſemet fatetur in primo opuſculo, de univerſali corruptione cap. 4. quartæ partis fol. 70. col. 4. Nam loquendo de propoſitionibus inquit: *Et alias plures, quarum ad hoc ipſum propoſitum in alio noſtro libello, dum juvenis eſſem, edito mentio fit, per ſingulas accuratiùs, &c.* Quæ autem dixit quando juvenis, colligi poſſunt ex aliquibus aſſertionibus ab ipſo prolatis quando ſenex. Etenim præter illa, quæ dixit de Summo Pontifice Sixto IV. circa illas Decretales, *Cùm præexcelſa*, & *Grave nimis*, de quibus ſuperficialiter propter ſupremam dignitatem, & venerandam Religionem locuti ſumus in Sole Veritatis, poſt omnia ibi relata ex parte 5. de Pontifice materialiter hæretico, depoſito in cælo, concludit ſic: *Modò ex prædictis ad propoſitum deſcendendo patet manifeſtiſſimè, omnes homines ab Adam ſeminaliter propaga-*

pagatos contrahere de facto peccatum originale, &c. Qui enim hoc negaret, jam ſacris litteris ſacriſq́; Concilijs contradiceret, & eſſet formaliter hæreticus, Religioni Chriſtianæ infeſtus, & Fidei apertiſſimus inimicus, juxta verba Auguſtini; ſicut etiam & olim Pelagiani fuerunt, ut ex determinatis in quæſtione cuilibet poteſt eſſe manifeſtum. Unde ſi Sixtus in ſua Extravaganti contrarium ſentiret, aut ſentiendum præciperet, procul dubio hæreticus eſſet, & conſequenter à Pontificali dignitate dejectus tam quoad Deum, quàm quoad Eccleſiam: cùm hæc omnia ſint ab Eccleſia jam vulgata, & in Concilijs ſub anathêmatis damnatione determinata; & nullum ligaret ab eo fulminata ſententia. Sed neque etiam verus Papa poſſet præcipere, ne quis hanc prædicet veritatem; quoniam eminet neceſſitas Fidei confitendę, vel prædicandę, &c. Beatam etiam Virginem fuiſſè à peccato redemptam ſupponit Eccleſia ſecundùm Fidem tenendum, ſed fuiſſe à peccato de facto contrahendo, eo quòd ſit Mater Chriſti, excipiendam; licet in rei veritate falſum ſit, & hæreticum, quia tamen non eſt adhuc per Eccleſiam ſpecialiter decîſum, quòd hoc expreſſè ſacris litteris contradicat, aut Conciliorum adverſetur Decretis, & nonnulli putent in ſacris litteris exemptionem fieri, &c. Et poſt alia iſtis ſimilia concludit ſic: *Aſſerere autem, quod verum eſt, & Fidei conſentaneum, immò in Eccleſia prædicandum ut ad Fidem pertinens, non poteſt Summus Pontifex inhibêre, aliàs eſſet Fidei inimicus, non defenſor, quod de nullo indubitato Pontifice audeat quis efferre. Unde non poteſt Pontifex pręcipere ſimpliciter & abſolutè, ne aliquis aſſerat, eos, qui tenent B. Virginem eſſe conceptam vel non conceptam in peccato originali, eſſe hæreticos, nec determinare has aſſertiones omnibus modis eſſe falſas, ſed ſolùm aliquo modo, vel ſenſu paulo inferiùs explicando, &c.* Si radicitùs eſſent examinanda, quæ in hac ſola auctoritate dicit Rss. P. M. Sacri Palatij Spina contra ſupremam dignitatem Summi Pontificis, alter liber neceſſarius eſſet; ſed cùm noſter ſcopus in hoc libello ſolùm ſit proponere, quæ hucuſque dicta ſunt ab Auctoribus Ordinis Prædicatorum, omnia concedere, & nulli contradicere, tranſeant illa: attamen Catholici, & docti poſſunt iſtas & alias hujus Scriptoris propoſitiones pro ſuo captu ruminare, ubi ſola poteſt eſſe controverſia, an ſint omnes ejuſdem generis, vel aliqua ab univerſali illa corruptione excipiatur.

Anno denique 1547. typis mandatus prodijt liber Turrecrematæ de veritate Conceptionis Virginis: ubi Pater Albertus Duimius diſcipulus Reverendiſſimi P. Bartholomæi de Spina, ad finem prædicti libri dixit & affirmavit in quodam parvo opuſculo, quòd ex hac propoſitione: *Virgo* MARIA *fuit concepta ſine peccato originali*, fuiſſent diſſeminati in Eccleſia Dei quinquaginta octo errores magni, & maximi in Fide, atque nonnullæ blaſphemiæ, quas enumerat ſigillatim, de quibus etiam nos latiſſimè in RADIIS SOLIS

VERITATIS illuſtrantibus tum ſententiam communem pro, tum opinionem ſingularem contra. Et hæc de medio.

De fine dicimus, quòd poſt Concilium Tridentinum etiam aliqui dixerint eſſe de Fide Virginem MARIAM contraxiſſe peccatum originale de facto, & contrarium aſſerere eſſe hæreticum; ut P. Paulus Gryſaldus in Catalogo Auctorum pro ſua opinione in libro impreſſo Venetijs anno 1587. in 4. P. Joannes Dominicus Montagnollus in opere Theologico impreſſo Neapoli anno 1610. in folio, etiam aliqua dicit, ut videbimus infrà ſuo loco. Doctores Salmanticenſes in illo libello pro doctrina Sancti Thomæ excuſo anno 1632. in 8. ut perſuadeant votum & juramentum, inter alias adducunt hanc rationem ſeu paritatem: *Multæ & inſignes communitates jurant opinionem ſanctam, & piam* Immaculatæ Conceptionis *B. Virginis, & inter eas Academia Salmanticenſis; hoc juramentum eſt in aliquod præjudicium doctrinæ S.Thomæ, & ordinis Dominicani, nullus tamen ſuper illud litem movit.* Non curemus de aſſerti veritate; quia non tantùm unam, ſed multas lites excitarunt: ſed admittamus illud, quòd iuramentum de Immaculata Conceptione tuenda fuerit in aliquod præjudicium doctrinæ S.Thomæ, & Ordinis Dominicani. R.P. Dominicus Gravina in tomo 4. ſuarum Catholicarum præſcriptionum impreſſo Neapoli anno 1639. quæſt. 6. art. 3. ſub quodam palliato titulo contra hæreticos, movit à fundamentis quæſtionem: & licet multa ab ipſo prolata pertineant ad præſentem libellum, illa relinquimus pro RADIIS SOLIS VERITATIS: & hîc ſolùm notamus quòd à pag. 374. uſque 415. nitatur probare ſententiam de Immaculata Conceptione uſque modò non eſſe approbatam ab Eccleſia, immò neque receptam, aut admiſſam, ſed tantùm permiſſam. Prior libellator Romanus illud ſuum reſcriptum editum poſt annum 1644. ad Eminentiſſimos Cardinales, ſic incipit: *Ad agnoſcendum, quàm providè Sancta Romana, & Univerſalis Inquiſitio decrevit titulum,* Immaculatæ, *non eſſe addendum Conceptioni, ſed Virgini; annotanda maximè eſt diverſa acceptio hujus nominis,* Conceptio, *ante Gregorium XV. & poſt illum. Licet enim nomen,* Conceptio, *in ſuo proprio ſignificato ſolùm importet formationem fœtûs in utero, ante Gregorium tamen apud multos idem valuit uſus hujus nominis,* Conceptio, *quòd* Conceptio Immaculata. *Unde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquivocationem, & meliùs propriam ſententiam, explicandam, utebantur voce,* Sanctificationis, *& cavebant à nomine,* Conceptionis, *quaſi idem importaret,* Conceptio, & Immaculata Conceptio; *& ideò contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eundem Gregorium, ut præciperet omni-*

omnibus, quòd in celebratione Feſtivitatis non alio, quàm Conceptionis *nomine uterentur: quod Pontifex, ut cultus eſſet magis uniformis, conceſſit innuens nomen* Conceptionis *eſſe de ſe indifferens ad utramq; ſententiam, &c.* Hoc idem poſtea confirmavit ſecundus Libellator dicens: *Ante Decretum fæl. record. Gregorij XV. de officio recitando ſub nomine*, Conceptionis, *retentâ à Dominicanis voce*, Sanctificationis, *ex nominum diſtinctione inferebatur opinionum diſtinctio, ita ut* Conceptio *præſervationem apud ejus vocis aſſertores importaret*; Sanctificatio *verò alteram ſententiam exprimeret. Itaque tunc idem erat apud illos dicere*, Conceptio, *ac* Immaculata Conceptio; *& Fratres Prædicatores à nomine* Conceptionis, *&* Immaculatæ Conceptionis *æquè abſtinebant, &c.* Et parùm infra: *En ergò temporum diſtinctio neceſſariò attendenda: ſiquidem aliquando idem erat dicere apud plures*, Conceptio, *&* Immaculata Conceptio, *& poſt Gregorium non idem ſonat.* Recipiendum eſt ergò ut principium jam apud ipſos ſtabilitum, quòd ante Gregorium XV. idem eſſet dicere præcisè *Conceptio* Virginis MARIÆ, ac ſi diceretur expreſsè, *Immaculata Conceptio.* Cùm ergò habeamus hanc partem; de alia, ſcilicet, quòd à tempore Gregorij vox, *Conceptio*, facta ſit indifferens, (licet falſiſſimum ſit) non curamus. Idem Libellator num. 32. fatetur, quòd Summi Pontifices, licet dederint in aliquibus Bullis titulum *Immaculatæ* ipſi Conceptioni, hoc fuit *recitatione, non tamen illi diffinitivè adhærendo.* Et concludunt ſic: *Recentiora ergò ex utraque parte ſequenda ſunt: nam ſi vetuſta revolvantur, plura multò pro Fratrum Prædicatorum, hoc eſt, Sancti Thomæ ſententia, quàm pro oppoſita ſtabunt, quæ modò reticentur, cùm de principali quæſtione non agatur. Nec nos ad apocryphas Apoſtolorum diffinitiones, ad conficlas revelationes, ad ſomniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.* Nota hæc ultima verba, quia ſunt præcipuè in hoc libello inculcanda, non per ordinem ad revelationem S.Catharinæ Senenſis, aut miracula patrata in civitate Bernenſi, quorum hîc non eſt locus; ſed per reſpectum ad doctrinam S.Thomæ, de qua inquirimus, an Apoſtolicæ diffinitiones pro ipſa adductæ ſint apocryphæ, revelationes confictæ, miracula ſomniata, & Bullæ Summorum Pontificum adulteratæ, ut infrà de unaquaque ſigillatim demonſtrabimus.

Sed loquendo jam de hoc noviſſimo tempore Reverendiſſimus Pater Thomas Turcus in tractatu contra Immaculatam Conceptionem laborato anno 1648. ut diximus ſuprà in Cortice, poſt plura fol. 35. inquit: *Colligere ergò facilè licet, ex Conceptionis Feſto nullum argumentum validum inferri poſſe ad vincendam ſententiam Sanctitatis Conceptionis, niſi piæ credulitatis: quod ut adverſarijs parùm prodeſt, ut ſuam ſententiam propugnent, ita nobis ut noſtram defendamus, &c.* Et infrà fol. 37.

Digitized by Google

adductâ clauſulâ ex prima Decretali Sixti IV. *Cum præexcelſa* ſic concludit: *Vides laudari, & de pietate commendari ordinationem illam, ſeu contexturam officij Conceptionis à Nogarolo compoſitam? Qua ex re, ut ſæpiùs notavimus, nihil aliud colligent adverſarij, quàm per Sedem Apoſtolicam ſententiam illam ut piam, & devotam commendatam fuiſſe, ventoſaq́, & ampulloſa illa epitheta eſſe, quòd illa ſit canonizata, quòd ſit proximè diffinibilis, quòd quaſi de Fide certa ſit, & indubitata, &c.* Veritatem dicit in illo verbo: *Qua in re, ut ſæpiùs notavimus*; quia totum ſuum opuſculum dirigit ad hoc, ut notet ex nullo capite auctoritatum, Sanctorum Patrum ſcilicet, Revelationum, Miraculorum, Summorum Pontificum Decretis, Conſtitutionibus, Bullis, Indulgentijs, Privilegijs, Religionum erectionibus, votis, juramentis, & ſtatutis, ac denique Eccleſiæ univerſalis officijs Eccleſiaſticis, Breviarijs, Miſſalibus, &c. conſtare, hucuſque piam ſententiam de Immaculata Conceptione eſſe approbatam, vel receptam in Eccleſia, aut admiſſam per Sedem Apoſtolicam; ſed ad ſummum ex omnibus illis in tantum numerum conglomeratis undique atque collectis haberi eam ſolùm commendatam fuiſſe, ut piam, & devotam: omnia enim alia, quæ extra iſtam meram pietatem, & nudam devotionem eſſe dicuntur, ventoſa quædam ſunt & epitheta ampulloſa.

His omnibus ultimam clavem imponit R. P. Thomas Leonardi Moſæ-Trajectinus Ordinis FF. Prædicatorum (ſicut omnes alij ſuprà relati) Sacræ Theologiæ Doctor, & Univerſitatis Lovanienſis publicus profeſſor, qui in libro ſub hoc titulo: *Angelici Doctoris Divi Thomæ Aquinatis ſententia, &c.* impreſſo hoc an. 1661. in folio Bruxellis, fol. 123. cap. 15. de cauſa tranſmiſſionis peccati à parente in prolem ſub hac propoſitione: *Traductio originalis peccati fit per traductionem corporis cum libidine ſeminati*: & introductis tribus auctoritatibus S. Thomæ, tractat quæſtionem ex profeſſo. Deinde ſub hoc titulo: *Digreſſio ad ſubiectam Dorſchæi theſim: Beata Virgo in originali peccato concepta eſt.* Sub capite, nomine, & perſona illius hæretici Dorſchæi dicit ſequentia.

Proponit primò Eccleſiam juſtis de cauſis indixiſſe Patribus Prædicatoribus ſilentium in actibus publicis, quod non habent aſſertores piæ ſententiæ. Nec ex indictione ſilentij, inquit, intelligitur contrariam opinionem eſſe reprobatam. Et aſſignans cauſam, quare ſilentium fuerit ipſis impoſitum, inquit: *Hujuſce ergò ſtrictioris ſilentij impoſiti cauſa eſt, ut patet ex Bullis Sixti IV. Pij V. Pauli V. & Gregorij XV. ſubmotio rixarum, jurgiorum, diſſenſionum, atque ſcandalorum, quæ occaſione aſſertionis affirmativæ oriri referebantur.* Et concludit ſic: *Silelimus, ſilebimus, donec placuerit Sanctiſſimo laxare ora noſtra in laudes Virginis, docendo nos*

ex

ex cathedra veritatem, ad quod ſummoperè anhelamus. Non enim exiſtimamus conſultum adorare, quod neſcimus. Habitâ autem Sanctę & Apoſtolicę Sedis deciſione, adorabimus in Spiritu, & veritate, &c. Non enim conſultum judicant homines adeò docti, ac attenti adorare, quod neſciunt; ſed quando Summus Pontifex ex cathedra docuerit veritatem Conceptionis, adorabunt in Spiritu, & veritate, quouſque ſilent, & ſilebunt in illo ſtrictiori ſilentio ipſis impoſito, non quia ſententia pia ſit vera, & contraria falſa, ſed ad ſedandas rixas, & ſcandala, non quæ in rei veritate orta fuerant, ſed quæ oriri referebantur. Proſequitur infrà: *Indecens namque eſt pro re incerta, & nondum ab Eccleſia diffinita, tamquam pro aris, & focis certare. Pro Fide etiam cum vitæ diſcrimine pugna ſit; pro his, quæ Fidei non ſunt, ſit pugna, ſi ita placet, ſed incruenta, &c. Porrò ex præclaro iſto diſcurſu in primis elucet, nondum à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede eſſe deciſum, quid de Conceptione glorioſiſſimæ Virginis Genitricis Dei tenendum ſit, ſed liberam unicuiq; facultatem eſſe relictam opinandi hujus controverſiæ quamlibet partem, prout magis pium, vel magis probabile eſſe judicaverit. Hoc enim teſtantur Summi Pontifices ſuprà allegati, &c.* Et refert aliquos Summos Pontifices. Deinde ut ſolvat impudentiſſima mendacia Joannis Pomeriani, Martini Kemnitij, Matthiæ Illyrici, Tilmani Heshuſtij hæreticorum, affirmantium eſſe articulum Fidei apud Catholicos, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali, eamque perperàm defendi contra verbum Dei, reſpondet Pater Leonardi ſic. *Sed velim ab illis puri verbi Dei crepatoribus oſtendi ex eodem Dei verbo expreſſam ſententiam, quâ Beatiſſima Virgo dicatur concepta in peccato originali. Oſtendent quidem generales ſententias, quibus unicus tantùm homo Jeſus Chriſtus à Spiritu Sancto conceptus excipitur: ſed generales illæ de originalis peccati contagio ab omnibus (excepto unico Chriſto) contracto, accipi poſſunt ſenſu quodam, qui Virginem Chriſti Matrem non ſubjiciat corruptioni, & contagio peccati originalis, ſed tantùm debito contrahendi illud, niſi ex ſpeciali gratia à Deo in primo inſtanti animationis fuiſſet præſervata. Chriſtus verò non ex gratia, ſed ex vi Conceptionis fuit immunis à peccato.* Nota qualiter ad ſolvendum argumentum quatuor hæreticorum, recurrat ad veram ſententiam de præſervatione Virginis.

Denique proponit hoc argumentum: *Ex eo, quòd Eccleſia celebrat Feſtum Virginis ſub nomine Nativitatis; S. Thomas, cæteriq; Doctores concludunt B. Virginem fuiſſe Sanctam in ſua Nativitate. Ergò ſimiliter ex eo, quòd Eccleſia celebrat Feſtum Virginis ſub nomine Conceptionis, rectè infertur ipſam fuiſſe Sanctam in ſua Conceptione.* Oppreſſus hujus argumenti vi in alias ſe conjecit anguſtias, de quibus aliquas dicemus infrà in Nodo de officio Eccleſiaſtico. Nàm pro nunc loquendo de doctri-

na S. Thomæ, & ſententia Conceptionis in communi, ſolùm duæ ultimæ faciunt ad rem. Prima ſic ſe habet: *Notandum autem, quòd S. Thomas ſolùm habeat iſtam propoſitionem in argumento, ſed contra: ubi non ſemper ſolet efficaciter & juxta propriam mentem argumentari: nam etiam aliquando ſolvit argumentum, ſed contra; ſed ponit illud argumentum, ut quæſtio propoſita in utramque partem ventiletur, atque ita hîc ex ſuppoſitione, quòd B. Virgini exhibeatur cultus in ſua Nativitate, infert eam tunc fuiſſe Sanctam.* Exiſtimo quòd nihil abſurdius in re ſcholaſtica, & à doctrina S. Thomæ magis devium huc uſq; excogitatum fuerit. Sed admittamus, quòd Angelicus Doctor inefficaciter argumentatus ſit, ac ex ſuppoſitione ibi loquatur, & quòd ſit inſtantia vaga, & non reſolutio propria; ſaltem non poterunt effugere à Nodo indiſſolubili, de quo infrà. Secunda ſolutio P. Leonardi ſic ſe habet: *Vrgebis Sixtum IV. in capitulo, Grave nimis, aſſerere quòd S. Romana Eccleſia ſpeciale, ac proprium officium de Conceptione ordinaverit. Sed reſpondeo, illud non eſſe intelligendum de ordinatione officij, quatenùs in eo dicitur* Conceptio Immaculata, *ſed quatenùs habetur* mira, *& Eccleſiæ utiliſſima, ut propterea gratiæ, & laudes referantur Deo, ut dicit in Conſtitutione: Cùm præexcelſa. Quæ autem dicuntur ibi de* Immaculata, *tamquam devotioni populi accommodata, & in pia credulitate fundata, laudat, & commendat. Indulgentiæ etiam, quarum ſuprà fit mentio, non opinioni, ſed devotæ illius Feſti celebrationi conceſſæ ſunt.* Nota illud: *In capitulo, Grave nimis:* neſcio ubi invenerit P. Leonardi iſtud novum & inauditum capitulum. Quis enim umquam vel dixit, vel audivit dicentem: Sixtus IV. *in capitulo: Grave nimis?* ſicut & illud: quòd Summus Pontifex ordinaverit officium, prout Conceptio dicitur *mira*, non prout dicitur *Immaculata*, cùm in toto officio illo numquam Conceptio dicatur *mira*, ſed tantùm in Bulla approbationis officij? Sed concedamus totum, quia hic non controvertimus de præmiſſis, ſcilicet Cortice, & Virga, doctrina S. Thomæ, & ſententia immunitatis; ſive interim ea, quæ de illa dicta ſunt ab Auctoribus Ordinis Prædicatorum ſint vera, & quæ ſcribunt de immunitate ſint falſa, ſive non. Ex ſupra-dictis in communi pro utraque, doctrina ſcilicet, & ſententia Immaculatæ Conceptionis, argumenta reſultantia ad hominem, & ex conceſſis tamquam Nodi indiſſolubiles, ſunt ſequentia.

Digitized by Google

PRO NODO

§. TERTIUS.

EX principijs in communi poſitis pro Doctrina S. Thomæ, & ſententia immunitatis Virginis MARIÆ, etiam in communi, deducitur argumentum à parte contraria factum eſſe indiſſolubile, hoc modo diſcurrendo. Et ſit.

NODUS PRIMUS.

Omnis doctrina Sancti Thomæ ut vera & Catholica, eſt à Summis Pontificibus & Eccleſia recepta & approbata, ſicut decreta Conciliorum generalium; ſed in multis ſuæ doctrinæ locis dicit Sanctus Thomas Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali: ergò verum eſt & Catholicum, à Summis Pontificibus receptum, & ab Eccleſia approbatum, quòd Virgo MARIA in ſui Conceptione contraxerit peccatum originale. Quòd autem Nodus iſte ſit indiſſolubilis, patet: Nam ſyllogiſmus eſt in forma & figura ritè diſpoſitus; & conceſſis majori & minori, non poteſt negari conſequentia; quia eſſet ſumma ſtultitia & ignorantia principiorum. Si recurrimus ad præmiſſas, qui negaret majorem, dicendo doctrinam S. Thomæ non eſſe ut veram & Catholicam, ſeu canonicè approbatam ab Eccleſia; ſed tantùm commendatam, tamquam utilem & neceſſariam, &c. eſſet ſervus Nequam, detractor famæ Sanctiſſimi Doctoris, denigrator illius gloriæ, cavillator Summorum Pontificum, &c. Si conceſſâ majori, deſcendimus ad minorem, & illam volumus negare, dicendo S. Thomam expreſsè & formaliter non dixiſſe Virginem MARIAM contraxiſſe peccatum originale in anima in primo inſtanti ſuæ formationis, ſed tantùm in cauſa & debito; quia loquitur de carnis infectione, libidine & concupiſcentia primæ generationis, aut contagione morbidæ qualitatis, &c. improperabimur ut idiotæ, ſine ſcientia, intelligentia, aut diſcurſu; quia hoc evidenter conſtat non ex uno aut altero loco doctrinæ S. Thomæ, ſed ex viginti. Quomodò ergò ſolvendus erit Nodus iſte? Major & minor non poſſunt negari, quia eſſet ponere in cœlum os ſuum in doctrinam, ſcilicet, S. Thomæ. Conſequentia non poteſt concedi, licet ſit in forma diſpoſita, quia ex illa maculatur Sanctiſſima Dei Mater MARIA. Quis igitur ſolvet Nodum iſtum? Si negamus majorem vel minorem, ſolvimus à culpâ, maculâ, & peccato ipſam Dei Matrem & Reginam Angelorum MARIAM; ſed

ſed læditur doctrinâ Sancti Thomæ, quòd Dominicani non patiuntur. Si concedimus majorem & minorem, doctrina manet illæſa, ſed maculata Dei Mater, quòd Eccleſia non permittit; nec Franciſcani poſſunt ferre: & ſic in tota Sacra Theologia ſolum argumentum hoc manebit indiſſolubile, niſi Deus provideat de remedio; & Magnus ALEXANDER iſtud vel ſolvat, vel ſcindat.

NODUS SECUNDUS

Tota Doctrina S. Thomæ continetur in ſeptendecim tomis, vel viginti tribus; & iſta ſeptendecim librorum corpora fuerunt formata & diſpoſita ſine ullo prorsùs errore, defectu, labe, macula, &c. & quòd unicus Dei liber, in cujus corporis membrana ſcriptum fuit unicum ſolùm Verbum ęternũ operatione Spiritûs Sancti, in ſua prima formatione & diſpoſitione habuerit errorem, defectum, maculam & culpam; non eſt parva innodatio. Quòd in illis ſeptendecim libris ſint opuſcula ſeu tractatus diverſi centum ſeptuaginta, & in iſtis quęſtiones, articuli, opiniones, argumenta, concluſiones, objectiones, ſententiæ, verba, dictiones, ſyllabæ & litteræ ſine numero, in omni ſcientia, & materia Divina & humana; & omnia iſta ſint approbata, confirmata, & recepta ut vera, Catholica, & canonica; in cælo à Chriſto Domino, Beata ejus Matre, & aliis Sanctis: in terra ab Eccleſia, Summis Pontificibus & aliis, ut infrà videbimus; & hoc non quomodocunique, ſed unâ approbatione in communi, & quatuordecim particularibus: & hæc unica ſententia, concluſio, ratio, ſeu propoſitio; MARIA *fuit concepta ſine peccato originali*, pertinens ad puritatem, excellentiam, gloriam, & honorem Sanctiſſimæ Dei Matris, in qua nihil Ariſtotelicum, aut Platonicum, ſed totum Divinum & Deificum invenitur, poſt ſeptendecim ſæcula laborando ſtrenuè ad ipſius confirmationem pluſquam centum ſeptuaginta mille ingenia uti SS. Patrum, Summorum Pontificum, Doctorum, Expoſitorum, atque Concionatorum; & de qua ſola ſcripti ſunt plures libri, tractatus, opuſcula, ſermones, capita & ſententiæ, quàm litteras habeat S. Thomas in ſuis ſeptendecim vel viginti tribus libris; quòd inquam, hæc reperiatur hodie tantummodò ſub quadam piâ credulitate, devotione levi, dubia, incerta, indeterminata, excluſa, & rejecta ab Eccleſia: & quod plus eſt, quòd à ſexcentis quinquaginta annis nec unam aſſecuta fuerit approbationem ſeu confirmationem in cœlo, aut in terra à Sanctiſſimo vel à non Sancto; & à trecentis ſolùm annis habeat doctrina S. Thomæ quatuordecim ſingulariſſimas approbationes; Nodus mihi difficilis apparet.

NODUS TERTIUS.

In operibus doctrinæ Sancti Thomę continentur quàm plura opuſcula, quæ

quæ non ſunt Angelici Doctoris; ſed edita ab aliquibus fratribus incognitis, dubia, incerta, falſa, aliena & ſpuria, ſed Sancto Thomæ ſolùm adſcripta, ut ſuprà manet ex ipſiſmet Auctoribus Dominicanis demonſtratum: & quia opera iſta, ſententiæ, & verba in illis contenta fuerunt impreſſa ſub nomine S. Thomæ, ſunt recepta & approbata, & ſic debent recipi ab omnibus, tamquam Catholica & vera, ita ut de aliqua ſententia dubitare, vel ab illa recedere, vel illi contradicere, ſit nefas, piaculum, ſcandalum, & nequitia magna, quia in iſta non eſt libera facultas eligendi magis pium, aut ſequi magis probabile; ſiquidem omnia & ſingula edita ſub nomine S. Thomæ, licet nihil aliud habeant commendationis, niſi quòd fuerint ſubſcripta ejus nomine (licet in rei veritate non ſint opera illius) ſunt Sancta, Sanctiſſima, Divina, &c. Sententia autem de Immaculata Conceptione Matris Dei, nec eſt Divina, ſed purè humana, ſicut aliorum hominum, nec Sanctiſſima, immò neque Sancta; ſed fœda & maculata in conſpectu Dei & hominum, propter peccatum reproba, & maledicta: & in ea poſt tot Summorum Pontificum decreta, ſemper eſt libera facultas eligendi, ſequendi & opinandi, quod unicuique magis placuerit. Inſuper quòd nomen S. Thomæ habeat hoc privilegium, ut valeat hæc conſequentia: *Hæc eſt opus editum ſub nomine Sancti Thomæ, ergò eſt Sanctum, purum, & ab omni errore, & defectu immune:* & quòd nomen Dei Matris Mariæ non habeat, nec habere potuerit ſaltem ſimile privilegium, ut poſſimus in veritate dicere: *Hæc Conceptio, ſeu corporis & animæ unio eſt opus & primum opus* Mariæ, *ergò fuit opus Sanctum, purum, & ab omni errore & defectu immune*: & quòd in eadem ſchola, ubi conceditur illud de Sancto Thoma, negetur hoc de Beata Maria; Nodus videtur mihi non facilè ſolubilis.

Nodus quartus.

Quod eſt conceptus mentis, & ſapientia in Doctore Eccleſiæ, eſt Conceptus ventris, & puritas in Matre Dei. Doctrina non pertinet ad eſſe Doctoris, ſed ad operari: Unde approbatio eſt prædicatum non naturæ, ſubſtantiæ, individui, animæ, ſeu perſonę S. Thomę; ſed eſt effectus intellectus illius, vel alicujus accidentis excellentia. Conceptio è contrà non pertinet in Virgine Maria ad operationem, ſed ad eſſe, immò ad primum eſſe. Unde prædicatum, *Immaculata*, aut *immunis*, non eſt accidentis, vel effectus gloria; ſed tranſit ad ſubſtantiam, individuum, animam, & perſonam propriam B. Virginis. Hæc omnia ſcholaſtici explicant duobus terminis: in primo modo dicendi per ſe, vel in quarto modo dicendi per ſe. Hoc ſuppoſito: Si eſſet aliquod prædicatum, gratia, privilegium; vel donum, quod eſſet

Digitized by Google

poſſibile utrique, ſive ſit hoc, vel illud, (de quo modò non curamus, quia loquimur ſolùm generaliter & in communi) & Deus, vel homines gratuitum illud donum poſſibile utrique tribuerent de facto, & in re doctrinæ S. Thomæ, & non Conceptioni Virginis; ille, vel illi plus diligerent, vel plus æſtimarent, ſeu majus meritum crederent eſſe in accidente S. Thomę quàm in ipſa perſona Virginis. Dicere vel excogitare, quòd in Sancto Thoma, vel aliquo prædicato ejus accidentali fuerit excellentia, vel prærogativa abſoluta, cujus capax eſſet Virgo MARIA, quæ tamen in ipſa non reperitur, eſſet ponere Nodum indiſſolubilem inter Fidem & doctrinam S. Thomæ. Angelicus Doctor affirmat in tertio ſententiarum, & in tertia parte Virginem MARIAM fuiſſe ſanctificatam in utero, non ob aliam rationem, niſi quia hoc fuit conceſſum Joanni Baptiſtæ & Hieremiæ; ſed de doctrina S. Thomæ dicitur, quòd fuerit Sancta, pura & Immaculata, ſine ullo prorſùs defectu, aut errore, ſemper vera, numquam falſa; pro quolibet tempore, inſtanti, & momento; in principio, medio, & fine: ergò hoc etiam affirmandum erit de B. Virgine MARIA: aut tenentur præferre doctrinam S. Thomæ ſanctitati Joannis, immò & puritati Dei Matris. Qui nolunt admittere unum errorem in doctrina S. Thomæ antequam per ducentos annos eſſet denunciatus Doctor Eccleſiæ; quomodò admittunt culpam unam in Matre Dei antequam actu eſſet Mater ejus per tredecim annos? Quia Sanctificatio quæ fuit in anima B. Joannis debuit eſſe in anima Virginis ſecundùm doctrinam Angelici præceptoris; & immunitas ab omni defectu, quæ eſt in doctrina S. Thomæ, non poteſt eſſe in Virgine MARIA ſecundùm diſcipulos illius, quia hoc eſt privilegium doctrinę S. Thomæ, nulli alteri conceſſum, nec concedendum. Et Nodus iſte eſt ne tam facilè ſolubilis?

NODUS QUINTUS

Quæ proponit Rss. Pater Thomas Turcus in ſua latiſſima auctoritate poſitâ in Virga de minùs pia opinione, plena ſunt Nodis undique indiſſolubilibus. Nam illa: *Tot pugnantium ſtudijs exagitata, tot arietibus impetîta, tanto ardore impugnata, inexpugnata, inexpugnabilis ſemper extiterit, inſtar palmæ ſuperior evaſerit, omniumq; conatus, qui miris modis eam, vel opprimere, vel evertere curarunt, eluſerit, &c.* neſcio quam veritatem habeant. Nam diſcurrendo per omnes pugnas & præcipuas controverſias in hac materia habitas; & incipiendo à prima & præcipua in Gallia, quando P. Joannes de Monteſono & diſcipuli ejus aperto marte dimicarunt contra Univerſitatem Pariſienſem, tot fuit eruditiſſimis ſtudijs exagitata, arietibus argumentorum impetîta, atque ardore devotionis impugnata,

nata, ut ipſa expugnata à trunco fuerit in terram projecta; ita ut, cùm ſe videret victam, dejectam, & profligatam an. 1387. ab illa inſigni Academia, & Civitate Pariſienſi, noctu aufugerit ad Civitatem Avenionenſem, ubi curia Romana reſidebat. Sed ibi ſecundò à Clemente VII. & Cardinalium conſiſtorio adeò fuit reſtricta juridicè, & ad tam miſerum ſtatum redacta, ut coacta fuerit iterum aufugere; ita ut numquam ampliùs auſa fuerit comparêre in Gallia; quouſque tempore Concilij Baſilëenſis, ſociata Patribus Montenigro & Turrecrematâ, iterum faciem ſuam oſtenderit; & à planta pedis uſque ad verticem capitis armata palàm proceſſerit ad bellum. Sed antequam perveniret ad ultimum conflictum diffinitionis, & exiret in campum Decretum illud adeò favorabile pro pia ſententia, etiam clandeſtinè & nullo ſciente à conſpectu illorum Patrum aufûgit ad Romanam curiam anno 1438. Poſtea an. 1480. tempore Sixti IV. apparuit in Lombardia velatâ facie in Anonymo & revelatâ in Vincentio Bandello de Caſtro-novo; ad novum bellum quaſi in inexpugnabili caſtro conſtituta. Sed ibi ex Romana Curia fuit percuſſa fulminibus præexcelſis, & gravibus nimis, ut referunt illa duo Decreta Apoſtolica: *Cum præexcelſa*, & *Grave nimis*; quibus adeò graviter & ſenſibiliter fuit vulnerata; ut Bandellus & Spina, atque omnes alij hucuſque (exemplum in Reverendiſſimo P. Generali Turco) ſtrideant, & fremant præ nimio dolore. A Lombardia relegata aufûgit ad Germaniam & in Bernenſi Civitate in terminis Helvetiorum conſtituta anno 1509. cum Patribus Wigando & Wernero aliam excitavit occultam hoſtilitatem: ſed torturâ, gladio, morte, & flammis territa ab omnium oculis tamquam fumus evanuit. Tempore Concilij Tridentini anno 1536. iterum deſcendit ad palæſtram, à quo miſerabiliter confuſa & lacerata receſſit: licet quatuor Epiſcopi Dominicani ipſius agerent partes, & ipſa contenderet, ut B. Virgo Maria comprehenderetur intra lineam regulę generalis, ipſâ cernente in illa non fuit comprehenſa, ſic adhuc extra murum peccati originalis libera & incolumis divagatur. Tempore Pauli V. an. 1617. apparuit in Hiſpania; & propter magnos tumultus & ſcandala per ipſam orta cum ingenti confuſione ab omnibus actibus publicis, concionibus, concluſionibus, diſputationibus, &c. turpiter ejecta. Et ſtatim poſtea a. 1622. tempore Gregorij XV. ab Eccleſijs, Choro, Miſſali, Breviario Ordinis Patrum Prædicatorum, immò & à colloquijs ipſorum publicis, & ſæcularium privatis fuit expuncta, & in æternum relegata. Quando ergò inexpugnabilis extitit, vel ut inſtar palmę ſuperior evaſit? Denique hoc noſtro tempore non inveneris jam locum

cum ampliùs pro eâ in Europa, quaſi ad Indos magnæ Americæ ſe contulerit. Inde contra eam anno 1660. egreſſus eſt SOL VERITATIS, patefaciens ejus machinas, dolos & ſtratagemata, denudans eam uſque ad medullam cordis. Videbimus igitur modò, quomodò ab iſto ſe expediat, inexpugnabilis exiſtat, & ut palma ſuperior evadat. Quia ſi in hoc ultimo duello præſentato ALEXANDRO VII. non vincat, in omnibus alijs, non ut palma reportavit victoriam; ſed ut funeſta cypreſſus victa & plorans, oppreſſa & ſubverſa remanſit.

NODUS SEXTUS.

Major Nodus continetur in ſequentibus verbis ejuſdem Turci: *Etenim quot ſubdola pietatis deliramenta conficta! Quot revelationum fabulæ contexta! Quot monumenta è ruderibus antiquitatis ſomniata! Quot Patrum, Doctorum, Scholaſticorum loca depravata, ad decipiendos ſimplices, ad faſcinandas mulierculas, ad plebem dementandam! & tamen illa omnia, horrentibus & ſtupentibus adverſarijs, in fumum abierunt.* Omnia iſta accumulat Reverendiſſimus P. Generalis contra defenſores Virgineæ puritatis in generali dicta; ſed nihil in particulari probat. Nos tamen diſcurrendo per ſingula in individuo reperimus in Auctoribus, & in auctoritatibus adductis à ſuo Eymerico, Capreolo, Turrecremata, Pornaſio, Anonymo, Bandello, & alijs ſubſequentibus, in libro, qui dicitur SOL VERITATIS, cui talia competant: & ſi in prima impreſſione aliquid defuit, in ſecunda omnibus numeris abſolutus, auctus & completus, uſque al ultimos apices manifeſtabit. Sed nunc pro præſenti materia concedamus totum dictum à Reverendiſſimo Patre Generali, ſicut in hoc libello ſemper facimus & faciemus; & diſcurramus pauliſper ſuper verba præpoſitæ auctoritatis. Nos quidem ſimplices, ſed devoti, ignorantes profectò, ſed pij; exiſtimantes aliquod Virginem Dei Matri præſtare obſequium, fabricavimus *tot ſubdola pietatis deliramenta conficta.* Sed quare, aut quo prætextu homines peritiſſimi atque doctiſſimi, ſolùm ut exaltarent doctrinam Sancti Thomę ſuper omnes alias doctrinas Doctorum Eccleſiæ, ubi nulla eſt devotio, aut ſpecies pietatis, ſed potiùs jurgij & contentionis, fabricarunt ſimilia, vel majora deliramenta conficta, quæ in ſequentibus detegentur? Nos creduli nimis, vel hallucinati affectu, pro majori gloria Dei Matris contexuimus & ſparſimus illas revelationum fabulas ſcriptas à S. Anſelmo & alijs, antequam Ordo Prædicatorum & Minorum eſſent in mundo: ſed hoc non fecimus abſque exemplo; nam vigilantiſſimi ſuper gregem Dominicum Magiſtri & Doctores, zelantes omnium aliorum ſuperſtitiones, machinati ſunt ex proprijs tot, *quot revelationum fabulæ contexta*, falſæ, & ſuppoſitæ manifeſtantur

ſtantur in hoc Opuſculo. Si nos ut ruſtici rudes è ruderibus antiquitatis aſportavimus monumenta illa ſomniata, fuit quia ex antiquis, & approbatis Patribus volebamus offerre holocauſta noſtra puritati Virginis Virginum. Sed ad quid *tot monumenta è ruderibus antiquitatis ſomniata*, & tot tantaque non ſomniata neque antiqua, congregata ſunt in unum à modernis ſcriptoribus ob quamdam phantaſticam præſumptionem de primaria, & præexcellentia ſuæ doctrinæ? Si depravavimus Patrum, Doctorum, & Scholaſticorum loca; fuit ut non depravaremus locum, ubi Deus collocaverat Tabernaculum, & Verbum ſuum. Sed quid dicendum de illis, qui adducunt *tot Patrum, Doctorum & Scholaſticorum loca depravata*, non aliâ intentione & fructu, niſi ut depràvent omnes Sanctos Patres, Doctores, & Scholaſticos Catholicos, còndemnent eorum ſcripta, & doceant non eſſe legenda, vel audienda; ſed ſolùm illa, quæ ſunt ſcripta ſub titulo & nomine Sancti Thomæ? Denique ſi nos *ad decipiendos ſimplices & faſcinandas mulierculas, & ad plebem dementandam* diximus: omnes fuiſſe conceptos in peccato originali, exceptâ unâ ſacratiſſimâ Dei Matre MARIA; quid retributionis expectant, qui non ad decipiendos ſimplices, ſed Magiſtros, Doctores; non ad faſcinandas mulierculas, ſed ad faſcinandos clariſſimos viros; nec ad plebem ignorantem dementandam, ſed ad captandam auram Univerſitatum finxerunt illa, quæ tandem horrentibus & ſtupentibus omnibus in fumum abibunt? Expecta tantillum, nondum finitus Nodus: fractus eſt, & ligamus funiculum.

NODUS SEPTIMUS.

Majores Nodos habet P. Generalis, clauſula ſequens: *Et ipſa litibus ſuperatis, è voraginibus emergens, in Dominicanam familiam ſe recipit, ubi ſecura conquieſcit, omnes ridet, & contemnit, &c.* Si opinio Sanctificationis ſuperavit lites: quare aufugit, & in Dominicanam familiam ſeſe recipit? Si ſuperatis voraginibus emerſit, jam in voraginibus ſubmerſa fuerat: quare ergò Dominicana familia iterum illam extraxit, vel jam fugitivam recepit? Vel à quo fugiebat? Fortè dicent fugiebat ex conſuetudine, nemine perſequente, quia ab incunabilis profuga, immò quia erravit ab utero, ponens maculam, defectum & culpam in Sacratiſſima Dei Matre MARIA; in utero, non tantùm à Nativitate, ſed à primo Conceptionis puncto, ut rea errabunda fugam arripuit. Nec exiſtimo illam in Dominicanam familiam ſe recepiſſe: nam ſacra Prædicatorum familia non reciperet, quam nulla Religio, nec Eccleſia voluit admittere, & quam ſæculares à proprijs domibus ignominiosè propulſarunt; & ejecta à plateis, ab his expulſa, ut primogenitus Adami deambulabat. Fortè lugens hoc, tamen aliquando ad Dominicanam fami-

liam aufûgit, & illam charitativè receperunt. Verum Summus Pontifex Gregorius XV. anno 1622. ab ipſorum Eccleſijs, ab altari & choro, à cubilibus, Breviarijs & Miſſalibus ſub anathêmatis pœna illam ejecit. Et ſi adhuc dicatur remanere; vel in aliquo angulo latitat, vel P. Generalis non benè vidit. Immò non deſunt qui dicunt, non ad præclariſſimam Dominicanam familiam, ſed ad peſſimos hæreticos Centuriatores aufugiſſe. Et quòd ab iſtis fuerit recepta, indicant ſcripta ipſorum Proteſtantium, Lutheri, Calvini, Eraſmi, Agricolæ Turacij, Jacobi Sankij, Guilielmi Roſingi, Davidis parvi, Davidis Caillet, Michaëlis Baddy, Joannis de Poliaco, Franciſci Gomara, Innocentij Gentilet, Hieronymi Welter, Saccrij, Witack, Riveti, Mornæi, Abbatij, Othingerij, Hermani Springiltij, Rodulphi Hoſpiniani, Henrici Rhomæi, Nicolai Videli, & aliorum ſimilium; de quibus latiùs dicetur Nodo duodecimo. Omnes iſti dicunt ſe illam recepiſſe. An verò inter ipſos omnes rideat, & contemnat Univerſitates, Religiones, Epiſcopos, Eccleſias, & Romanos Pontifices? neſcio: ſcio tamen, quòd quando inter Catholicos palàm deambulabat, & nondum aufugerat, omnes ipſam irridebant: nunc autem ipſa ridet & contemnit omnes. Propoſitio univerſalis eſt, omnes; cum omnibus ridet, & nullum excipit. Et quare hoc? quia ſolâ doctrinâ S. Thomæ protegitur. Ecce quomodò jam deſtruere incipiunt cum ſententia Immaculatæ Conceptionis, quod ædificare intendunt in doctrina S. Thomæ. Si opinio ponens maculam in Virgine eſt doctrina S. Thomæ, & quidem in viginti locis, ut ipſi dicunt, & hæc aufugiens à ſyrtibus & voraginibus in ſolam Dominicanam familiam ſe recepit: ergò jam Conceptus mentis S. Thomæ aliquando erravit, &c. Et nec erit facilè ſolvere Nodum.

Nodus octavus.

Concludit ſic P. Generalis: *Et certè in admirationem rapit, quid Divinum protendit, quòd ſola Dominicana Religio, ſimplex, pauper, parvula, nullis actibus ſuffulta, nullis præſidijs ſubnixa, ſolâ Thomæ doctrinâ contra tot humanæ poteſtatis fulmina illam ſic defenderit, ut à Sancta Sede per Gregorium XV. ab impoſturis vindicata, de probabilitate canonizata, ſi de palma non exultat, de pugna tamen fœliciter triumphet.* Hujus auctoritatis Corticis ſuperficiem tangam, ne medulla hiſpida nimis, & inſipida appareat. Quomodò ſolâ doctrinâ Sancti Thomæ ſuffulta triumphet opinio contraria, cùm ipſemet P. Generalis affirmet ſuprà, milliades Sanctorum Patrum & Theologorum pro illa ſtare opinione? immò cùm communiter dicant non eſſe ſententiam S. Thomæ, ſed omnium antiquorum Patrum, de quibus conficiunt latiſſimos catalogos? Itaque ad pugnandum ſunt milliades Sanctorum pro ipſa,

Digitized by Google

ipſa; ſed triumphus tantùm doctrinæ S. Thomę tribuitur tamquam Generali omnium Sanctorum Patrum , & Doctorum antiquorum. *In admirationem rapit, & quid Divinum protendit, quòd ſola Dominicana familia ſimplex, pauper & parvula, & ſolâ doctrinâ Sancti Thomæ ſuffulta* in hac acri pugna fœliciter triumphaverit, licet de palma non exultet : & tamen non eſt admiratione dignum, nec quid Divinum protendit quòd Religio Franciſcana ſimplex, pauper & parvula ſolâ doctrinâ Scoti (quia pro contraria ſtant omnes Sancti Patres & Doctores , ut ipſimet clamant) ſuffulta contra omnem doctrinam antiquam Sanctorum Patrum , atque Doctorum tranſcendens probabilitatem, de certitudinis & infallibilitatis palma exultet ! Dicebat antiquitùs Dominicana Religio ſimplex, pauper & parvula ſuam opinionem eſſe de Fide , Catholicam , Canonicam, Romanam, Apoſtolicam, quia ſic diffinitum erat à Sancto Thoma : piam verò ſententiam hæreticam , blaſphemiam, erroneam, & impiam. Et cùm hoc non poſſet defendere ſolâ doctrinâ S. Thomæ , quia nullus actibus erat ſuffulta , nullis præſidijs ſubnixa, in conflictu corruit. Poſtea ſurrexit aliâ viâ dicendo , ſuam opinionem eſſe certam, irrefragabilem, atque infallibilem ; & piam ſententiam præſumptuoſam, chymericam, incertam & improbabilem : ſed cecidit etiam ab iſto gradu. Tertiò denique redijt ad arenam dicens , ſuam opinionem eſſe approbatam, confirmatam, receptam , ſanam , firmam, ſtabilem , &c. & è contrà piam opinionem ſolùm commendatam ut piam , devotam , & minùs probabilem , Conceptionemque non eſſe ſanctam , Immaculatam , illibatam, immunem , &c. Et in his omnibus conflictibus , licet in primo ſtudijs exagitata, extremitatibus amputatis, manſerit ut truncus: in ſecundo arietibus impetita , fuerit à planta pedis vulnerata ; & in tertio ex ardore impugnationis ſemiviva aut ſemimortua relicta; impugnabilis tamen ſemper extitit , inſtar palmæ ſuperior evaſit , & de pugna fœliciter triumphat. Quid ergo dicemus de pia ſententia, quæ actibus ſuffulta Sixti, pręſidijs ſubnixa Pauli , fulminibus defenſa Gregorij , palmam aſcendit in Alexandro, & plenam victoriam Deo dante reportabit in eodem , & de ultimo triumpho exultabit in altero ?

Dicit denique P. Generalis, quòd *illa omnia, horrentibus & ſtupentibus adverſarijs, in fumum abierunt.* Et quis intelliget Nodum iſtum ? Quia pijſſimus Gregorius XV. opinionis contrariæ vulnera ligavit , manſit vindicata, & de probabilitate canonizata : & de pia ſententia , ut ſtatim dicit ipſe Rss. P. Generalis : *Quæ ex re, ut ſæpè notavimus , nihil aliud colligent adverſarij, quàm per Sedem Apoſtolicam ſententiam illam ut piam & devotam commenda-*

mendatam fuiſſe, ventoſaq́; & ampulloſa illa epitheta eſſe, quòd illa ſit canonizata, quòd ſit proximè diffinibilis, quòd quaſi de Fide certa ſit & indubitata. Verùm licet hæc ſolidè & ſubtiliter edicta ſint, &c. Si contraria opinio fuit per Gregorium de probabilitate canonizata, qui rem,nomen,& vocem ipſius profligavit,expunxit, & totaliter ejecit, ut numquam in Eccleſiaſtico, vel Sæculari foro, aut Dominicanorum foris exiſteret,videretur, vel audiretur, & illam canonizavit de probabilitate: quomodò poſt tot privilegia non ſolùm Gregoriana, ſed etiam aliorum Summorum Pontificum dicit, per Sedem Apoſtolicam ſententiam illam ſolùm ut piam & devotam fuiſſe commendatam, ventoſaque & ampulloſa eſſe epitheta illa de canonizata, &c? Potuit Gregorius canonizare de probabilitate contrariam opinionem reprobando illam: & non potuit idem Gregorius approbando piam ſententiam canonizare illam de infallibilitate, & certitudinê? Indulgêre Summi Pontificis pro Domicana Religione ſimplici, paupercula & parvula, ut inter ſe tantummodò in privatis colloquijs, ſubmiſsâ voce poſſent loqui de ſua opinione,fuit eam ore pleno canonizare: & ſtatuere,ordinare, & præcipere pro paupercula, pàrvula & ſimplici Religione Minorum, ut poſſet piam ſententiam publicare, defendere,elucidare, prædicare, exaltare, &c. non fuit eam canonizare: quia pro ſola doctrina S. Thomæ poteſt Pontifex approbare, non autem illa, quæ ſunt pro puritate Virginis Dei Matris; omnia enim hujuſmodi ſunt ventoſa & ampulloſa, & commendationes, quæ in fumum abierunt. Nodum iſtum Gregorianum non facilè quis ſolvet, niſi fuerit ALEXANDER cum eo.

NODUS NONUS.

R. P. Raphaël dè Pornaſiò Ordinis Prædicatorum Inquiſitor Januenſis, de quo ſuprà egimus; edidit tractatum ſatis diffuſum contra Immaculatam Virginis Conceptionem; cujus præcipuus ſcopus eſt probare, Virginem MARIAM non fuiſſe exemptam ab illis regulis generalibus: *Omnes in Adam peccaverunt. Omnis conceptus ex commixtione ſeminum viri & mulieris contrahit peccatum originale. Omnes, qui habent fomitem, habuerunt culpam. Omnes homines ſanctificantur à peccato & macula contracta.* Ex quibus regulis generalibus ſemper deducit pro conſequentia, Virginem MARIAM ſub illis fuiſſe comprehenſam. Hîc idem P. Inquiſitor edidit tractatum de poteſtate Concilij, dicatum D. Joanni de Caſſa-nova Cardinali Sancti Sixti, habentem viginti & unum càpita. Et cap. 10. ſub hoc titulo: *Quòd Papa non ſubijcitur generalibus Concilij legibus*; & incipit ſic: *Licet autem ſtatuta Conciliorum, &c.* Et in eo latiſſimè probat Summum Pontificem nullo modo aut pacto contineri, aut poſſe comprehendi in uni-

univerſalibus regulis, aut legibus generalibus Conciliorum. Et en Nodus indiſſolubilis. Scriptura Sacra, & Concilia eamdem habent auctoritatem, & vim pro omnibus Chriſti fidelibus: & pro Summo Pontifice invênit Auctor iſte plures rationes, argumenta, & congruentias, ut probet fuiſſe, & eſſe exemptum, & excluſum ab illis ex vi juris, &c. & pro Virgine Dei Matre Maria non invenit unam, immò pro viribus contendit, quòd non debeat excipi ab illis regulis generalibus. Vicarius Chriſti ab omnibus legibus generalibus excipitur, & ad hoc inveniuntur fundamenta ſolidiſſima in doctrina Sancti Thomæ; & pro Matre Chriſti non reperitur in ea vel unica exceptio. Purus homo, quia caput hominum, excipitur; & pura creatura, quæ caput eſt hominum & Angelorum, non poteſt excipi. Sed tranſeat hoc, Summus Pontifex eſt exemptus à regulis generalibus: Virgo Maria etiam eſt exempta à legibus communibus; ſiquidem concepit & peperit ſine amiſſione virginitatis, caro & corpus ejus non vidit corruptionem, nec incinerationem, & quantum ad peccata actualia non comprehenditur in illis univerſalibus: *Omnis homo mendax: Omnes declinaverunt*, & ſic de cæteris. Et his non obſtantibus, Summus Pontifex, qui eſt exemptus à legibus generalibus, pro Virgine Maria, quę eſt exempta etiam ab univerſalibus regulis, non poteſt declarare eam fuiſſe exemptam à lege communi peccati originalis. Judex cauſæ exemptus, contenta in cauſa exempta, cauſa ipſa eſt de exemptione, jus ſeu doctrina, juxta quam ferendum eſt judicium, ſcilicet doctrina S. Thomę eſt exempta, ut infrà videbimus, fiſcales & defenſores ſunt exempti; & inter tot exemptiones, & exemptos Virgo Maria Dei Mater non poteſt reperire, nec invenire pro ſe vel unicam exceptionem.

Nodus decimus.

Anno Domini 1653. R. P. Leonardus Bertrandus Loth Ordinis Prædicatorum in ſuo libro Reſolutionum Theologicarum illuſtrium difficultatum contingentium in Belgio tractatu 15. ſub hoc titulo: *De quodam Belga formato ex femore viri*; folio 374. affirmat ex quodam authentico teſtimonio & fide dignis Auctoribus, quòd anno 1350. quidam Ludovicus Rooſeel habuerit in dextero femore intolerabilem dolorem; & poſt novem menſes exierit ex femore illo quidam infans vivus, qui baptizatus, & vocatus ſicut Pater ejus Ludovicus, poſt aliquod tempus mortuus eſt. Hoc ſuppoſito, quærit in primo articulo: An puer iſte, ſic formatus tantùm ex viro, contraxerit peccatum originale? Et probat latè quòd non; & adducit hanc inſtantiam: *B. Virgo* Maria *ſecundùm doctrinam S. Thomæ contraxit peccatum originale; ergò à fortiori idem aſſerendum eſt de tali* pue-

puero. Et procedit ad reſolutionem ſic: *Reſpondeo tamen ex doctrina S. Thomæ communiter recepta certò conſtare, quòd talis non contraxerit peccatum originale*, quod probat latè. Et infrà: *Petes; Quid ſit eſſe in Adam ſecundùm ſeminalem propagationem, & quid ſecundùm corpulentam ſubſtantiam?* Et explicat latè, quomodò iſta ſint inter ſe diverſa. Deinde proponit aliam inſtantiam ſic: *Dices: Caro illa, ex qua fuit formatus puer ille, erat infecta; cùm tota caro Adæ fuerit infecta propter peccatum: ergò infecit ejus animam, eo quòd anima tali carni fuit unita.* Et reſpondet cum S. Thoma: quòd caro illa non inficiat animam ex eo quòd ſit materia ipſius, in qua recipitur; ſed ex eo quòd ſit cauſa efficiens generationis illius hominis, aut unionis animæ ad corpus, atque ita non eſſet cauſa unde contraheretur peccatum originale in iſto homine. Adde, quòd caro non dicatur infecta infectione, quæ ſit culpa, quia caro non eſt capax culpæ: ſolùm ergò dicitur infecta, quaſi virtualiter & cauſaliter, quia eſt cauſa & inſtrumentum, cujus actione contrahebatur culpa originalis: quia ergò in noſtro caſu iſte puer non fuit effectivè ex carne, aut per ſeminalem rationem, non fuit cauſa efficiens unde traheretur peccatum. Deinde reſpondet ad argumenta in contrarium. Tandem proponit aliam inſtantiam ſic: *Petes: Quòd ſi ille puer formatus ex femore viri, poſtea generaſſet alios filios propagatione carnali, an tales filij contraxiſſent peccatum originale?* Et reſpondet negativè. Et pro confirmatione tertij argumenti proponit principalem quæſtionem: *Utrum B. Virgo contraxerit peccatum originale ſecundùm S. Thomam?* Et reſpondet, quòd D. Thomas apertè ſenſerit & docuerit contraxiſſe peccatum originale; adducitque loca litteralitèr ex prima ſecundæ quæſt. 81. & ipſum ex Pſalmo 13. & 45. & ex alijs. Nunc verò ad propoſitum noſtrum: Puer ille Belga ſecundùm P. Bertrandum Loth, fuit ſine peccato originali, & hoc certum eſſe conſtat ex doctrina S. Thomæ communitèr recepta; & Virgo Dei Mater, ut Angelicus Doctor apertè ſenſit & docuit, contraxit peccatum originale. Ubi videtur non eſſe parvus Nodus: quia caro illius pueri erat ex Adamo, quæ in primo parente fuerat infecta; & ſic caro illa erat peccati. Hæc omnia ſunt per ſe nota. Dubium autem eſt: an fuerit ſub pacto, nec ne? & magis probabile eſt fuiſſe ſub eo; quia ille verè & realiter fuit filius Adæ & fortè contentus ſub pacto: & tamen invenîtur in doctrina S. Thomæ communitèr recepta pro certa & conſtanti reſolutione, quòd talis puer non contraxerit peccatum originale, & non ſolùm ipſe, ſed & filij ejus, dato quòd haberet filios. Et Virgo MARIA Dei Mater, cujus Filius non habuit originale peccatum, non poteſt ſalvari in doctrina S. Thomæ: quia ita aper-

apertè ſenſit & docuit contraxiſſe peccatum originale, ut nulla in hac parte ſit redemptio, nec interpretatio. Quid eſt hoc, quod habet doctrina S. Thomæ contra puritatem Virginis Mariæ, quòd in ipſa non poſſit ſalvari, quod in puero Belgico facillimè diſſolvitur? Iſte puer, qui originale peccatum non contraxit, fuit redemptus à Chriſto Domino, vel non? Si non; ergò non fuit Redemptor omnium hominum; quia jam illa propoſitio univerſalis habet exceptionem in iſto puero. Si iſte puer fuit redemptus, ut fuit, & ut talis baptizatus, ut dicit P. Loth ad cautelam: ergò non eſt neceſſe contrahere peccatum originale ad hoc, ut homo dicatur verè redemptus; nec puer iſte habuit aliud peccatum actuale, à quo poſſit dici redemptus; quia poſt paucos dies mortuus eſt; & ſic corruit prima ac præcipua ratio S. Thomæ. Item, ut ligemus undique Nodum: Duabus rationibus principalibus utitur S. Thomas, vel Diſcipuli ejus ex ipſo, ut probent Virginem Mariam contraxiſſe peccatum originale, ad quas reducunt omnes alias, ut videbitur in ſecunda impreſſione Solis Veritatis, in Guilielmo Eſtio, & Nicolao Eymerico. Prima ratio eſt iſta: Si Virgo Maria non contraxiſſet peccatum originale, non eſſet redempta, nec ſolus redemptor diceretur immunis ab omni peccato. Propter hanc rationem ſcripſerunt omnes adverſarij libros ſuos non ſub titulo Conceptionis, ſed de unica prærogativa Chriſti, dicentes: quòd unicam hanc prærogativam auferrent Franciſcani à Chriſto Domino. Secunda ratio eſt iſta: Virgo Maria fuit per copulam carnalem, & ex commixtione ſeminum generata; ergò contraxit originale. Sed hæc adeò fragilis eſt, ut P. Vincentius Cibus, & Chryſoſtomus Jabellus invenerint in ipſa doctrina S. Thomæ tres ſolutiones ad ipſam diluendam. Ex his ergò duabus rationibus puer ille Belgicus fuit ſine peccato originali, & tamen fuit redemptus, & nulla ex hoc prærogativa adimittur à Chriſto Domino: quia invenitur in doctrina S. Thomæ modus conciliandi redemptionem ſine peccato originali: & pro Virgine Maria Dei Matre non invenitur in eadem doctrina modus conciliandi eamdem redemptionem. Si propter honorem Chriſti & gloriam ejus univerſalis redemptionis conſtituit S. Thomas peccatum originale in Virgine: quomodò Diſcipuli ejus admittunt puerum ſine peccato originali & redemptum? Non eſt contra prærogativam Redemptoris & doctrinam S. Thomæ, fuiſſe puerum Belgicum ſine peccato originali, & eſt contra prærogativam ejuſdem Redemptoris fuiſſe Matrem illius ſine illo peccato? Nodus iſte non eſt ex infimis.

Nodus undecimus.

Sanctus Thomas in ſuis ſcholaſticis ope-

Digitized by Google

operibus duobus modis loquitur: *Philoſophicè opinando, & Theologicè determinando.* Hoc eſt, agit de rebus ſublunaribus, & Divinis; de natura, & gratia; de creatura, & Creatore; & ex his duobus ſciendi modis dicebat Academia Pariſienſis, quòd, licet S. Thomas non erraverit in Theologiæ determinationibus loquendo de rebus ſupernaturalibus, & Creatore, ſive pertinentibus ad ordinem gratiæ; erraverit tamen, quando Philoſophicè locutus eſt de naturalibus opinando. Quoad ſupremam ſcientiam Theologiæ de Deo, jam Pariſienſes concedebant doctrinæ S. Thomæ quidquid Thomiſtæ deſiderare poterant; non ſic quoad doctrinam Philoſophicam de naturalibus, in qua dicebant ipſum aliquando opinativè erraſſe. Sed contra hanc ultimam partem acritèr inſurgebant Thomiſtæ, dicentes: quod nec ut Philoſophus loquendo de creaturis opinativè aliquando erraſſet Angelicus Doctor: nam hoc eſſet *inconveniens, abſurdum, & injurioſum* doctrinæ S. Thomæ. Tunc ſic: In Conceptione Virginis MARIÆ etiam fuit aliquid Philoſophicum, id eſt, naturale & totum humanum; & aliquid Theologicum, id eſt, pertinens ad Deum, & ordinem gratiæ; & in his duabus partibus conceptum Virginis MARIÆ fuiſſe defectuoſum, id eſt, non ſolùm in Conceptione naturali, verùm etiam in Conceptione formali, in eſſe naturæ, & in eſſe gratiæ, eſt controverſia inter duas ſcholas, Thomiſticam & Scotiſticam. Aliqui ex Scotiſtis ad ſedandam litem concedebant Thomiſtis defectum ex parte naturæ Philoſophicæ & generationis; ſed ſimul affirmabant nullum fuiſſe defectum ex parte Creatoris, ſeu Theologicæ gratię. At nec huic condeſcenſioni volebant, nec volunt adhuc ſubſcribere Thomiſtæ affirmantes B. Virginem non ſolùm phyſicè, & quoad naturalem generationem Parentum erraſſe in ſua Conceptione; verùm etiam in Theologica animatione, & infuſione gratiæ habuiſſe defectum, culpam, & maculam, & quòd hoc non eſſet inconveniens, abſurdum, aut injurioſum Virgini. Et ecce Nodus. Si (ut ipſi aiunt) fuit inconveniens, abſurdum & injurioſum quòd S. Thomas erraverit in conceptu mentis Philoſophico, naturali, & opinativo; quomodò non eſt inconveniens, abſurdum, & injurioſum Sacratiſſimæ Dei Matri, quòd in conceptu mentis erraverit utroque modo in corpore, & in anima, Philoſophicè & Theologicè, in natura & in gratia? Ponere vel minimùm errorem etiam in naturali ſcientia, & quandò opinabatur S. Thomas ut Philoſopus, & non determinabat ut Theologus, eſt inconveniens, abſurdum, & injurioſum doctrinæ ejus; quòd Virgo MARIA habeat defectum & culpam in corpore & anima, in naturali generatione, & in ejus Deifica animationa-

matione, non eſt inconveniens, vel ejus puritati injurioſum, & abſurdum? Et quis ſolvet Nodum iſtum? Etenim unum è duobus neceſſario fatendum erit; vel quòd ſit majus Doctorem Eccleſiæ errare in una Philoſophica opinione, quàm Dei Matrem habere maculam peccati originalis: vel quòd S. Thomas, & doctrina ejus debeant præcedere Virginem, & ipſius Sanctiſſimam puritatem. Quod primum non poſſit dici ſecundùm Fidem Catholicam, hoc affirmo: de ſecundo ipſi videant, quid dicendum ſit.

Nodus duodecimus.

Concedebant Doctores Pariſienſes, quòd doctrina S. Thomæ eſſet vera abſolutè, ſimpliciter, & in communi, non autem in particulari; quia in aliqua ſui parte, ſaltem una, fuerat falſa, & erronea. Sed huic poſitioni ſe opponebant, & adhuc ſe opponunt Thomiſtæ, dicentes ut ſuprà: quòd ſit abſurdum, inconveniens, & injurioſum præclaræ doctrinæ S. Thomæ. Et quando univerſalis Eccleſia fidelium, & omnes Sancti Patres unanimi conſenſu affirmant Virginem Mariam eſſe totam Sanctam, integrè puram, ubique Immaculatam & gratiâ plenam; dicunt Thomiſtæ hoc non eſſe verum pro parte Conceptionis, quia tunc non fuit Sancta, pura, Immaculata, & gratiâ plena. Et hinc non minor reſultat Nodus. Quia ſi de Conceptu mentis Sancti Thomæ ſit injurioſum dicere, quòd in unica ſui parte non fuerit verus; quomodò de Conceptu ventris Virginis Mariæ affirmatur, & adhuc tenaciter defenditur, quòd in aliqua ſui parte ſit maculatus? Si errabant Pariſienſes, ſecundùm Thomiſtas, quia cum iſta univerſali: *Omnis doctrina S. Thomæ eſt vera*, volebant componere hanc particularem: *In aliqua ſui parte non eſt vera*; quomodò ijdem ipſi, qui hoc tunc defendebant, & adhuc defendunt pro doctrina ſui Angelici præceptoris, de puritate Matris Dei dicunt ad Sanctorum Patrum auctoritates, quòd iſta univerſalis: *Virgo* Maria *ſemper fuit pura, ſemper Sancta, & immaculata*, compatiatur cum iſta particulari: *Virgo* Maria *in aliqua ſui parte*, id eſt, *in Conceptione non fuit pura, Sancta, & Immaculata*? Nónne hoc dicere eſt deſtruere idipſum unâ manu, quod intendunt altera ædificare? Vel concedant utrumque, ſcilicet, quòd nec Virgo Maria, nec D. Thomas erraverint in aliqua ſui parte: vel dicant palàm & apertè, quòd S. Thomas ut Doctor Eccleſiæ habuerit majorem connexionem in communi & in particulari cum veritate ſpeculativa, quàm Virgo Maria, ut Mater Dei cum puritate practica: nam alitèr neſcio, quomodò aut quando ſolvetur Nodus iſte.

Nodus decimus-tertius.

Contra propoſitionem illam Doctorum Pariſienſium: *Doctrina S. Thomæ in opuſculis ſuis contenta, eſt per Eccle-*

ſiam approbata tamquam utilis & probabilis, ſicut eſt doctrina aliorum Doctorum Catholicorum, reclamabant fortitèr Thomiſtæ; & adhuc clamant, dicentes hoc eſſe temerarium, & injurioſum Angelico Doctri; quia Eccleſia approbavit doctrinam Sancti Thomæ, non ut doctrinas aliorum Doctorum, ſed alio excellentiori & ſingulari approbationis modo, nulli alteri Doctorum conceſſo: S. Thomas enim nihil commune habuit cum alijs, nec de ipſo aliquid commune, ac triviale, ſicut de litterarum Principe eſt proferendum. Et qui hoc dixerunt, & dicunt, loquendo de ſuo S. Thoma, agendo de B. Virgine MARIA conantur ſtabilire propoſitionem iſtam: *Deus in utero ſanctificavit Matrem ſuam, ſicut ſanctificavit alios Sanctos, Joannem Baptiſtam, & Hieremiam*, ſcilicet, poſt contractionem peccati originalis. Et hinc jam reſurgit alius non levis Nodus. Quia, ſi dicere doctrinam Sancti Thomæ fuiſſe approbatam ab Eccleſia, ſicut eſt approbata doctrina aliorum Doctorum, eſt error, inconveniens, & abſurdum maximum, quia S. Thomas nihil commune habet cum alijs Doctoribus; quomodò ipſimet affirmant, quòd Sanctificatio Matris Dei fuerit ſicut aliorum ſanctificatorum in utero, & iſte non ſit error, inconveniens, neque abſurdum? S. Thomæ doctrina in approbatione non debet comparari cum aliorum Catholicorum Doctorum doctrina; quia cùm S. Thomas ſit Princeps ſupra omnes Doctores, nihil habens commune cum illis, non debuit habere eamdem approbationem, ſed aliam excellentiorem totaliter diverſam, ſuperiorem & ſingularem: ſed Virginis MARIÆ Sanctificatio, quæ eſt ejus puritatis approbatio, debet eſſe communis cum alijs, & nullo modo diſtincta à Sanctificatione aliorum Sanctorum.

NODUS DECIMUS QUARTUS.

Pro Conceptu mentis, id eſt, doctrina S. Thomæ (dicebant Montiſoniſtæ) ipſam in omni ſui parte eſſe veram, ita ut in nulla parte eſſet falſa; cui tamen contradicebat Academia Pariſienſis, affirmans hoc eſſe injurioſum, evidentiſſimèque derogarę doctrinæ Divinæ Sacræ Scripturæ, cui ſolùm competit prærogativa illa, *ut in omni ſui parte ſit vera, atque in nulla ſui parte falſa, &c.* Huic objectioni reſpondebant Montiſoniſtæ, & adhuc reſpondent Thomiſtæ, dicentes quòd ex hoc nulla injuria irrogetur Sacrę Scripturę Divinæ: quia Scriptura Sacra habet veritatem, & infallibilitatem ex ſe, ab intrinſeco, & ex natura ſua; nam ita eſt vera, ut nullo modo poſſit eſſe falſa: at S. Thomæ doctrina non habet veritatem ex ſe, ab intrinſeco, & ex natura ſua, ſed ex manu-tentione, gratia, ac privilegio ſpeciali: quia licet ſit actu vera, potuit tamen eſſe falſa; & ſic facillimè expediunt ſe ab argumento iſto Doctorum Pariſienſium. Sed non

Digitized by Google

non tam facili negotio expediunt ſe Franciſcani, licet ſit idem, ab illo facto à Dominicanis contra Conceptionem Virginis MARIÆ. Dicunt ergò defenſores piæ ſententiæ: Conceptio Virginis MARIÆ ita in omni ſui parte fuit pura, ut in nulla ſui parte fuerit maculata. Contra hoc arguunt Thomiſtæ, ut videre eſt in Eymerico, Turrecremata, Anonymo, Bandello, Spina, & alijs. (Nam eſt primum, ac præcipuum ipſorum ſub titulo defenſionis prærogativæ Chriſti Domini) dicentes, quòd hoc ſit injuriam facere, ac derogare puritati noſtri Redemptoris, cujus unica ac ſingularis prærogativa eſt, ut ipſe ſolus ſit in ſua Conceptione ex omni parte purus, & in nulla ſui parte maculatus. Sed ad hoc reſpondent Franciſcani, ſicut Dominicani reſpondebant Pariſienſibus Doctoribus, videlicet, quòd ex hoc, quòd Conceptio Virginis MARIÆ ex omni ſui parte ſit pura, ita ut ex nulla parte ſit maculata, ſicut fuit Conceptio Salvatoris, nulla ſequatur æqualitas inter utramque, neque aliqua injuria irrogetur dignitati Divinæ: nam Conceptio Chriſti habuit illam puritatem, & ſummam ſanctitatem ex ſe, ab intrinſeco, & ex natura ſua; quia ita fuit pura, ut nullo modo potuerit eſſe maculata: at Conceptio V. MARIÆ hoc non habuit ex ſe, ab intrinſeco, & ex naturâ ſua; ſed à manutentione, privilegio, & gratia ſpeciali; nam licet fuerit pura de facto, potuit tamen eſſe maculata. Et hæc ſolutio, quæ eſt ipſamet, quâ Thomiſtæ ſalvant puritatem Conceptûs mentis Sancti Thomæ, pro Conceptione Virginis MARIÆ nihil valet; ſicque in ore ipſorum, & pro defenſione doctrinæ S. Thomæ ſolutio eſt efficax, & concludens; & pro Dei Matris puritate eſt inefficax, & nullius momenti. Solutionem ipſorum non poſſumus impugnare quia eſt pro doctrina S. Thomæ; & noſtram impugnant, quia non eſt pro doctrina S. Thomæ, ſed pro puritate Dei Matris. Antequam tamen latiùs pergant ſolutionem impugnare noſtram, ſtudeant priùs reſolvere Nodum iſtum & noſtram & ipſorum inſeparabiliter connectentem.

NODUS DECIMUS-QUINTUS.

Contra Univerſitatem Pariſienſem defendebant Thomiſtæ, quòd in conceptu mentis ſui Angelici Doctoris nulla fuiſſet umquam propoſitio *hæretica*, tranſeat hoc; nulla etiam *erronea in Fide*, tranſeat & hoc; ſed inſuper addebant, quòd nulla eſſet in ea *contradictio*, immò neque *diſcordantia aliqua*, & quod plus eſt, nec aliquid *retractatione* dignum, aut *emendatione*; ſed quodlibet ab omni *ſuſpicione* totaliter alienum, & alieniſſimum, immò ſimilium defectuum in ejus ſcriptis fuiſſe ne vel *minimam apparentiam*: & quando hoc volebant probare, ut hodie probant ex ſola decentia, gravitate, auctoritate,

San-

Sanctitate, & magnitudine Angelici Eccleſiæ Doctoris S. Thomæ; (nam nullam aliam habebant rationem, ſeu comprobationem, aut ſaltem congruentiam, quia ad oculum cernebant in ipſiſmet ſcriptis S. Thomæ demonſtratum oppoſitum) eodemmet tempore, quo pro hac indemnitate dimicabant, impugnabant Conceptum ventris B. Virginis Mariæ, dicentes in eo fuiſſe non tantùm apparentiam carnis peccati, ſeu ſuſpicionem culpæ; ſed in rei veritate defectum, peccatum, maculam, deformitatem, &c. immò quòd contrarium aſſerere eſſet erroneum in Fide, & hæreticum. Ubi eſt ergò decentia, gravitas, dignitas, auctoritas, Sanctitas, & magnitudo Dei Genitricis, & Angelorum Reginæ? Pro doctrina Angelici Doctoris attendenda eſt dignitas perſonæ, ut nulla in ea admittatur vel minima indecentia, umbra, ſuſpicio, aut apparentia illius; & pro puritate Dei Matris hæc decentia, & dignitas perſonæ nullum in doctrina Thomiſtica per quingentos annos potuit invenire locum. Sanctus Thomas in ultimo gradu, ac puncto ſuorum meritorum & dignitatis, infinito intervallo ſuperabatur à dignitate, & meritis Virginis Mariæ in primo inſtanti ſui conceptus; unde ergò provenire poteſt, quòd in ſchola Thomiſtica prò conceptu ſui Angelici Doctoris adeò attendatur ad dignitatem perſonæ, quam totaliter excludunt in Conceptione Dominæ, ac Matris Sancti Thomæ, & omnium Angelorum? Ego in his, ac ſimilibus tantùm excutio arborem, ut alius frangat teſtam, & eruat nucleum.

Nodus decimus-sextus.

Puritas illa, quæ juxta doctrinam S. Thomæ intenditur per receſſum à contrario, & acceſſum ad perfectionem, gratiam, & Deum, fuit in ſupereminenti gradu in conceptu mentis Angelici Doctoris S. Thomæ: quod ſic explicant ſui diſcipuli, ut ſuprà manet oſtenſum, primum de receſſu à malo per carentiam defectûs exprimunt illæ univerſales negativæ: in doctrina S. Thomæ *nihil fuit impium, aut infidele, nihil ineruditum, nihil præpoſterum, nihil ſupervacaneum, nihil redundans, nihil conciſum, nihil abditum, nihil remotum, nihil ambiguum, nihil obſcurum, nihil infimum, nihil medium; ſed totum ſublime, ſupremum, ac primum. Nihil fuit ibi, nec eſt maledictione dignum; nulla inanis repetitio; nil minùs perfectum, minùs pulchrum; quia idem ſemper manens nec in tantillo eſt diminutus*, & cum iſtis hîc in communi dictis enumera omnia particularia infrà proponenda. Quantum ad ſecundum, de acceſſu ad bonitatem, ſuam doctrinam extollunt ſub his univerſalibus regulis; *Quidquid in veterum Patrum monumentis eſt dignum obſervatu; quidquid umquam mortalibus à natura conceſſum eſt; quidquid purum, & ſelectum; quidquid ſummum, & perfectiſſimum; quidquid cæleſte, ac Divinum*, &c. omnia

nia coincidunt in unum, ita ut poſterius correſpondeat priori, & totum ſit recedere à malo, & facere bonum; pro alijs autem, quæ in hoc catalogo deſunt, recurre ad ſuperiùs poſita, & illa hîc annecte in ſingulari. Et cùm hoc dicant de conceptu mentis, ac doctrina S. Thomæ, nota etiam quid doceant de Conceptione Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, quia ſunt his omnibus contraria, & oppoſita; videlicet, quòd in ea receſſerit à bonitate gratiæ, & ſolùm habuerit malitiam peccati; quòd non fuerit pura, ſed impura; non clara, ſed obſcura; non perfecta, ſed imperfecta; non pulchra, ſed turpis; non cæleſtis, ſed terrena; quòd habuerit aliquid & illud magnum, reprehenſione dignum, quod purgationis, ac emendationis limam mereretur; ac tandem non ſolùm fuerit maledictione digna, ſed de facto, ac cum effectu maledicta; quare Virgo Maria non manſit eadem ſemper, quia fuit aliquando diminuta, ſcilicet, infirma, ſordida, immunda, & maculâ peccati coinquinata: & ecce ſtatim inextricabilis Nodus. Cadetnè ſub captum aut conſiderationem humanam, quòd Patres, qui tot tantaque concedunt ſuo Fratri, nec micam unam ex ſuprà relatis velint tribuere ſuæ Matri? Aut iſta, quæ dicunt de doctrina Sancti Thomæ, ſunt vera, vel falſa? Si vera; quomodò cœli ipſi non vocantur ad judicium? & ſi falſa; quomodò terra non confunditur? In hoc ſtatu, & via relinquo Nodum, ne confuſio illius pervertat judicium.

Nodus decimus-ſeptimus.

Doctrina S. Thomæ data eſt à Deo Mundo, & Academijs, ut illum, & illas *à peſtifero hæreſum contagio, & periculo labendi in errorem præmuniret ac præſervaret*. Eſt enim Angelicus Doctor, Catholicæ Fidei tutelaris, protector, univerſaliſque Advocatus, ut in libris, litteris, & doctrinis non introducatur peſtis errorum: cujus ſana doctrina omnem aliorum Doctorum doctrinam ab imminentibus periculis liberat, protegit, & defendit: quia non ſolùm ipſa eſt libera & immunis ab omni defectu, & labe; ſed & omnia alia verba ſacra protegit, à caſu tuêtur & lapſu, *verum à falſo, mundum ab immundo, pulchrum à turpi diſcernens, & relêgans*, ut inquiunt P. Galyan, & P P. Salmanticenſes. Excellentia iſta abſolutè prolata aliquam habet difficultatem; at reſpectivè conſideratâ, neſcio quomodò ipſam component? Dicimus nos: V. Maria meritis paſſionis Chriſti à contagio peccati originalis, ſeu peſtiferâ illa lue primę pęrvaricationis Adę fuit in ſua Conceptione ventris præſervata, & præventa. Hoc, dicunt ipſi, prorsùs impoſſibile eſt, quia nulla præſervatio fuit in Chriſti redemptione: nam licet de potentia abſoluta potuerit pręſervare, & prę munire aliquam creaturam, tamen de potentia ordinaria, nec potuit, nec voluit pręſervare Matrem ſuam. Iterum

rum Nodus, quatenùs præſervationem, quam negant de Deo reſpectu ſuæ Matris, concedunt Sancto Thomæ reſpectu omnium doctrinarum Eccleſiæ. Si redemptio præſervativa,& præventio lapsûs ſit phantaſtica quædam chymêra adinventa à modernis Doctoribus imperitis ſine fundamento, argumento aut veritate, & ideò illam negent in Chriſto reſpectu ſuæ Matris; quomodò tam amplè concedunt eamdem prçſervationem SanctoThomę non reſpectu unius, vel alterius doctrinæ, ſed reſpectu omnium Doctorum ac doctrinarum quę erunt in mundo? Bonum ſemen doctrinæ ſeminavit cæleſtis agricola Chriſtus in agro ſuæ Eccleſiæ; ſed inimicus homo, id eſt, diabolus ſuperſeminavit zizania,&c. Ab iſto peſſimo hæreſum contagio, & errorum peſte præſervat S. Thomas. Benè. Bonum ſemen juſtitiæ originalis ſeminavit omniumCreator Deus in paradiſo terreſtri, ſed inimicus homo Adam ſuperſeminavit culpæ contagium,& peſtem peccati, &c. & ab iſto nec Matrem ſuam potuit, nec voluit præſervare Dei Filius; & ſi potuit, congruum tamen non fuit nec decens. Componamus extrema iſta, ut videamus, ex qua parte ſolvendus ſit Nodus. Chriſtus non prçſervavit Matrem ſuam à contagio ſeminato ab homine: & Thomas præſervat totam Eccleſiam à contagio ſeminato à diabolo. Chriſtus non præſervavit Matrem ſuam, quia in redemptione Crucis non eſt ingreſſa præſervatio à lapſu, ſed tantùm erectio poſt lapſum; ſed cum doctrinâ Angelici Doctoris ingreſſa fuit de novo in Eccleſia, & introducta quædam eximia præſervatio à contagio, & periculo labendi in errorem,quam Chriſtus aut non potuit invenire, aut de facto non invenit in ſuo pretioſo ſanguine, ac copioſa redemptione. Si hoc habeat ſolutionem, mihi ea non occurrit. Item, duo concedunt doctrinæ S. Thomæ. Primum, quòd ipſa ſit immunis ab omni defectu & contagio. Secundum, quòd alios immunes faciat. Et ex his duobus nec unum ſaltem volunt concedere puritati Dei Matris. Si MARIA in ſua Conceptione non liberavit parentes ſuos à contagio, & periculo errandi, ſaltem concedamus ei primum,ſcilicet,quòd ipſa in ſe à contagio culpæ, & periculo labendi fuerit immunis: ſed nec unum volunt concedere nec alterum. Et quare? Quia hæc eſt hæc, & ille eſt ille, τὸ iſte, magis τὸ-mas. Sed ſiſtamus hîc, ne veritas periclitetur in verbis.

NODUS DECIMUS-OCTAVUS.

Multa dixit in ſuperioribus P. Galvan. Ex quibus ſeligo illud: quòd Angelicus doctor S. Thomas in tot librorum voluminibus, in quibus immenſam rerum congeriem ſapientiſſimè digeſſit, *lapſus numquàm fuerit*. Et hoc laudat prædictus Auctor, ut prodigium inauditum, *quia*

ſire

ſors iſta non labendi nulli alteri conceſſa eſt. Unde colligit, quòd hæc doctrina fuerit lux ſingularis, & puriſſima, *numquam coinquinata, nec coinquinabilis,* quæ errorum & ignorantiæ tenebras depulit, noctem ſuâ claritate fugavit, &c. Nodus reſultans ex verbis iſtis non indiget ponderoſâ conſideratione; ſed tantùm levi reflexione ad antecedentem. Si S. Thomas in tot librorum voluminibus, quæſtionibus, articulis, reſolutionibus, atque ſententijs immenſis numquam lapſus eſt; quomodò Virgo Maria in primo ſuæ formationis inſtanti lapſa fuit? Immenſa rerum congeries non fuit offendiculum, ut Angelicus ille conceptus in principio, aut fine laberetur, quia in omnibus ſapientiſſimè proceſſit: & immenſa, infinita, æternaque Dei Sapientia non potuit coaptare ſine lapſu & defectu unius corporis & animæ Matris ſuæ unionem. Si iſta duo, ut ipſi proponunt, ita contigerunt, ſanè ut prodigium inauditum gloria Angelici Doctoris declamanda eſt; ſiquidem conceſſit illi Dominus per ſpatium viginti quatuor annorum (tot enim conſumpſit annos in ſuorum librorum voluminibus digerendis) in quibus fuerunt immenſa inſtantia, quod negavit, vel non conceſſit Matri ſuæ per unicum inſtans. Ut oſtenderet Deus ſuam infinitam Sapientiam, atque Omnipotentiam immenſam, debuit alicui puræ creaturæ concedere, ut numquam in vita ſua laberetur. Franciſcani dicunt, quòd ſors iſta non ceciderit ſuper Sanctum Thomam, ſed ſuper Virginem Mariam Dei Matrem, & Angelorum Reginam. Et quòd hoc fuerit prodigium, quia nulli alteri conceſſum. Dominicani verò è contra affirmant ſortem iſtam non cecidiſſe ſuper Dei Matrem Mariam, ſed ſolùm ſuper Divum Thomam Aquinatem Angelicum Doctorem; & quòd hoc nulli alteri fuerit conceſſum: & hîc ſiſtit tota controverſia iſtarum Religionum. Pro Franciſcanis dicunt omnes ſcriptores ſententiam eorum eſſe veram, rationabilem, piam, & receptam ab Eccleſijs, Summis Pontificibus, Prælatis, Ordinibus, Univerſitatibus, &c. Pro Dominicanis dicit ſuus Anonymus ſcriptor, poſtea totius Religionis Generalis, quòd ſic ſentire ſit ſcelus inauditum, facinus deteſtandum, ſtultitia, cæcitas, ac deliramentum nequitiæ: Do ipſius verba: *O ſcelus inauditum! ô facinus deteſtandum! ô ſtultas mentes! ô pectora cæca! ô deliramenta nequitiæ! Unde (æterne genitor!) funeſtum hoc virus eorum mentes obrepit, qui caſtiſſimæ Eccleſiæ laribus educati, à primis, ut aiunt unguiculis, veritatem Divinarum rerum ſuxiſſe debuerant? Quid porrò hâc peſte pernicioſius? Quid tantâ labe exetrabilius excogitari poterit? Nefandum ſanè eſt id alteri attribuiſſe, quod ſolùm Redemptori Chriſto in Divinas laudes Fides Immaculata donatum fuiſſe profitetur. Verùm cùm pro noſtra conſuetudine,*

eorum flagitioſis dogmatibus, pro veritate Chriſtianæ Fidei tutanda, illuſtrium virorum clariſſimas ſententias objiceremus, ad conſueta vulgi populariumq; confugia ſe conferebant, clamoribus atque vociferationibus ſe armantes, in quibus ſuæ erroneæ opinionis fundamenta jeciſſe, atque omnem ſpem, & præſidium collocaſſe viderentur, &c. Hucuſque ille graviſſimus, atque Reverendiſſimus Pater. Interim vincant verba iſta acerba; ſed componant hoc: Si ſoli Redemptori Chriſto conveniat laus iſta Divina, quòd numquam lapſus fuerit; quomodò eamdem concedunt Angelico Doctori? Et non ſolùm eamdem, verum etiam alteram ſublimiorem? Quia de S. Thoma non tantùm dicitur, quòd numquam in ſua doctrina fuerit lapſus, ſeu quòd doctrina illiûs fuerit incoinquinata, ſed etiam quòd fuerit incoinquinabilis, id eſt, quòd coinquinari non potuerit. Hoc (meherclè) prodigium eſt inauditum, immò etiam incomportabile. Nam licet dicant Franciſcani, quòd puritas ſacratiſſimę Virginis Mariæ numquam fuerit coinquinata, tamen ſimul fatentur ſecundùm Catholicam Fidem, quòd potuerit coinquinari; & ſic non fuerit ex ſe incoinquinabilis, quia ſolius Chriſti Domini ſingularis prærogativa eſt, quòd incoinquinabilis fuerit, id eſt, coinquinari non potuerit. Et hoc conceditur, & affirmatur ſine ullo ſcrupulo de doctrina S. Thomæ; & tamen nos non audemus dicere illud: *O ſcelus inauditum! ô facinus deteſtandum! ô ſtultas mentes! ô pectora cæca! ô deliramenta nequitiæ!*

Nodus decimus-nonus.

Ad comprobandam immunitatem Virginis Mariæ à peccato originali, quatuor utuntur medijs Defenſores piæ ſententiæ, ſcilicet, Determinationibus Apoſtolicis, Revelationibus, Miraculis, & Bullis Summorum Pontificum: & de omnibus iſtis dicunt adverſarij univerſaliter, & in communi eſſe apocrypha, conficta, ſomniata, adulterata, chymerica, & prorsùs falſa: & nullam in particulari adducunt rationem, niſi quia referuntur à teſtibus ſuſpectis, videlicet, ſcribentibus pro Immaculata Virginis Conceptione. Pro ſua approbatione doctrinæ S. Thomæ etiam ipſi adducunt eadem media, Determinationes Apoſtolicas, Revelationes, Miracula, atque Bullas, de quibus affirmant eſſe omnia vera, ſubſiſtentia, rara, firma, & comprobata, licet ſolùm adducantur à ſuis ſcriptoribus. Pro gloria & honore Virginis Dei Matris omnes ſunt teſtes ſuſpecti, Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Religioſi, Clerici, Sæculares, &c. & pro doctrina S. Thomæ, ejus fratres, ſorores, ac diſcipuli non ſunt teſtes ſuſpecti. Relinquamus propoſitiones iſtas univerſales, & deſcendamus ad aliquam particularem. Unus ex præcipuis pro opinione contraria eſt Alexander Nekam, ut diximus in Sole Veritatis,

& in antecedenti §. ubi, ut viſum eſt in ejus auctoritate, duo dicit; unum, quòd licet *fuerit concepta in peccato originali, ſuæ Conceptionis Feſtivitas debet celebrari*; alterum eſt, quòd dum Feſtivitatem impugnavit, ſingulis annis *in ipſo Conceptionis Feſto vehementibus cruciaretur torſionibus*, quouſque palinodiam recantavit, & deinceps illo die ſemper benè ſe habuit. Contra hoc Turrecremata inſignis S. Eccleſiæ Cardinalis, in ſuo tractatu de Conceptione: admitto Alexandrum Nekam pro mea opinione, quatenus dicit Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali; ſed de miraculo, & retractatione ſua non conſtat, & illam debent probare defenſores piæ ſententiæ, & interim Alexander Nekam inter Auctores pro noſtra opinione expreſſos erit numerandus. Quis ergò intelliget Nodum iſtum? Quoad ſententiam admittunt illum, & non quoad retractationem. Utrumque dicit Alexander, & quòd Maria fuerit concepta in peccato originali, & quòd miraculosè retractaverit ſuam opinionem circa Feſtivitatem. Si illi præſtetur fides de primo; quare non de ſecundo? ſicque pro puritate Dei Matris, neque amici, neque inimici, ut ita loquar, ſunt teſtes fide digni, cùm interim pro doctrina S. Thomæ omnes teſtes ſint legales, & majores omni exceptione: licet ſint ejuſdem Patris, ac Matris Filij. Si hic non reputetur Nodus, pergamus ad alium.

Nodus vigesimus.

Inter alia ſuprà relata de Angelico Doctore iſta ſunt præcipua: ab illo die quo conditus, ſeu formatus fuit in utero, aptus etiam fuit, ut ſummus Artifex gemmis omnium virtutum illum ornaret; tunc enim ſortitus eſt animam bonam, ita ut à die, qua condita fuit, illam Deus præparaverit, ut paulò pòſt omnium lapidum pulchritudine illam decoraret: fuit enim fons parvus à primis vitæ momentis, qui in ſolem converſus, ex quo in ea prima lux fuit creata, ſtatim nihil remanſit indiſtinctum, aut inordinatum; quia omnia illuminavit, & illuſtravit: unde à teneris ungviculis, ab utero fuit Doctor, ab ubere Magiſter, ac ruminator ut animal mundum illius Angelicæ Salutationis: *Ave* Maria *gratiâ plena, &c.* Multa hìc forent examinanda; ſed ſuperficialiter tranſcurret calamus. Ab utero fuit præparatus, diſpoſitus, & aptus S. Thomas, ut à ſupremo Artifice gemmis virtutum, & gratiarum pulchritudine decoraretur; ſed licet haberet aptitudinem, non tamen habuit actum: & ubi fuit potentia pro S. Thoma, non potuit ibi eſſe actus pro Matre Dei? Quod S. Thomas habuit à primis vitæ momentis in plurali; quare non concedemus Reginæ Angelorum in ſingulari à primo vitæ momento? In utero Matris ſuæ ſortitus eſt D. Thomas animam bonam, meliorem ſortitus eſt, ni fallor, S. Joannes Bapti-

Digitized by Google

ſta : concedamus ergò Virgini MARIÆ animam optimam. Beati Thomæ anima paulò pòſt fuit ornata virtutibus , ſemper Thomas venit paulò pòſt, damus teſtes & cænaculum , & ſepulchrum ; ſed paulò antè aſſumpta fuerat Virgo MARIA in corpore & anima , & paulò antè ſemper prævenerunt reliqui Apoſtoli. Quomodò S. Thomas ab utero Doctor, & ab ubere Magiſter ruminavit ut animal mundum illa novem mundiſſima folia : *Ave* MARIA *gratiâ plena , Dominus tecum, benedicta tu in Mulieribus*, ſi in utero adſcripſit ipſis ſordidam immunditiam ? Ubi Thomas fuit animal mundum , potuit MARIA eſſe agnicula immunda ? Ubi primò fuit creata lux animæ S. Thomæ , ſtatim omnia remanſerunt diſtincta,illuminata,& illuſtrata poteratne aliquis dicere : exceptâ MARIA gratiâ plenâ? Sed cùm propoſitiones univerſales non admittant in hac ſchola exceptionem, debent pro Nodo iſto quærere aliam ſolutionem.Vel ab Ave volabit gratia,& ab animali munditia.

NODUS VIGESIMUS-PRIMUS.

In auctoritatibus S. Antonini duo præcipuè ſunt notanda.Unum eſt illud : quòd ex primo actu ſcholaſtico oſtenderit Spiritus Sanctus , qualis futura eſſet doctrina S. Thomæ. Quæ licet à principio eſſet excellentiſſima , nec de ea motum primum habuiſſet inanis gloriæ , qui ejuſdem Angelici Doctoris *moveret animum*, quia , antequam ſurgerent illi primi motus inanis gloriæ , illos depreſſit judicio rationis , &c. De quo aliqua diximus in Cortice. Illis adde ſequentia : ideò ex primo actu ſcholaſtico oſtendit Spiritus Sanctus, qualis Doctor futurus erat Thomas, quia ille primus actus fuit miraculosè diſpoſitus, præter omnium ſpem habitus , & omnibus numeris perfectus, & cùm benè cœpiſſet à principio,jam pro ſuo doctoratu habuit dimidium facti. Ideò Thomas eximius factus eſt Doctor in medio Eccleſiæ , & in fine ; quia rectum , ac perfectum habuit in ſcholis ſuum primum actum ſcholaſticum : & hoc quod per excellentiam conceditur Magiſterio Thomæ , quomodò negatur Maternitati Virginis MARIÆ? Tam ſoliciti in depingenda pulchritudine primi actûs Doctoris Angelici , & ſimul propalanda fœditate primi actûs puritatis Matris Dei ? Spiritus Sanctus totus occupatus in diſponendo primo actu Thomiſtico, & ſolus dæmon intruſus pro primo actu Mariano? Et arctiùs intricatur Nodus. Si S. Thomas non habuit primum motum inanis gloriæ ; unde ortum habuit,quòd in Virgine MARIA ponamus primum motum inanis gratiæ ? Primus motus inanis gloriæ non invênit locum in conceptu mentis Sancti Thomæ,quia antequam accederet præveniente judicio rationis ſupprimebatur ; & primum peccatum habuit locum in

Con-

Digitized by Google

Conceptione animæ ſacratiſſimæ Virginis Mariæ? Qui ſolo judicio rationis ducti deprimunt primum motum inanis peccati pro ſuo Doctore, quia futurus erat vas electionis in Eccleſia; quomodò eodem judicio rationis non deprimunt primum peccatum grave, & lethale pro Virgine, quæ futura erat ſacrarium totius Sanctiſſimæ Trinitatis? Siſtamus in judicio rationis. Secundùm rationis judicium, quid eſt primum, majus & deteſtabilius? An peccatum originale, vel primus motus inanis gloriæ? Qui in gravitate præferret primum motum inanis gloriæ, videretur certè privatus judicio rationis. Item ſecundùm judicium rationis, quid eſt primum, ac ſuperius? Eſſe Matrem Dei, aut eſſe Doctorem Eccleſiæ? Qui hoc vocaret in dubium ſanè eſſet extra omne judicium rationis. Quomodò ergò Deus, qui ſemper, & ubique ſecundùm judicium rationis operatur, permitteret quòd major Mater ſua caderet in majus, & primum peccatum, quando minorem Thomam liberavit à primo minori defectu? Habuitne majorem oppoſitionem primus motus inanis gloriæ cum quodam Fratre Dominicano, quam primum peccatum cum Matre Redemptoris? Ideò Sanctus Antoninus exaggerat hoc elogium de S. Thoma, & rectè, quia vana gloria eſt quaſi quoddam originale peccatum in hominibus doctis, quia ſcientia inflat, &c. & ab hoc peccato originali præventus & præſervatus fuit S. Thomas facillimè, ſine ulla contradictione: & quando agitur de liberatione Virgi- Mariæ à peccato originali, dicunt præventionem, & præſervationem eſſe quaſdam chymericas modernorum fictiones, quia gratia Dei, & merita Chriſti ſublevant à culpa commiſſa, ſed non præveniunt, aut præſervant ante caſum. Quando ſolvetur Nodus iſte?

Nodus vigesimus-secundus. Alterum dictum S. Antonini eſt, quòd tranſactis multis diebus, & menſibus à morte, & ſepultura Sancti Thomæ, licet corpus ejus fuerit pingue, groſſum & magnum, & locus ſepulturæ eſſet humidus, ac profundus, exhumatus, ſpeciali privilegio & gratiâ inventum fuerit integrum, & abſque ulla corruptione: & jure optimo ſic factum fuiſſe cum corpore, à quo fœtor mortalis criminis numquam exijt, &c. O eximia Dei providentia, quibus exemplis deducis imbecillitatem humanam ad perfectam veritatis cognitionem! Corpus S. Thomæ per illam ſacræ Scripturæ univerſalem regulam: *pulvis es, & in pulverem reverteris*, tenebatur obnoxium corruptioni, & incinerationi, ſed ſpeciali privilegio, inquit S. Antoninus, & cum ipſo alij ejuſdem Religionis ſcriptores, ſacrum illud corpus à præfata univerſali regula fuit exemptum atque præſervatum ab incineratione. Et hoc

eſt

eſt certum & certiſſimum; quia ſic refertur à quodam Sancto Ordinis Prædicatorum: qui, licet vixerit poſt duo ſæcula à tranſitu S. Thomæ, eſt magnæ fidei, & auctoritatis ſcriptor. Sed hoc non obſtante, adhuc aliquis poſſet dubitare de hoc ſpeciali privilegio; & ratio eſt: quia communiter in ſchola Thomiſtica docetur tamquam principium irrefragabile, & per ſe notum; quòd regulæ generales Scripturę ſacrę nullam admittant exceptionem, niſi id in ipſomet ſacro textu exprimatur. Cùm ergò ſit regula generalis, quòd omne corpus in ſuo fine ſit corruptibile, & de facto corrumpatur, ſicut eſt regula generalis, quòd omnis anima in ſuo principio ſit obnoxia peccato originali, & illud contrahat: ſi ab iſta non potuit eſſe, vel non fuit præſervata anima illa Beatiſſima Dei Matris; quomodò potuit præſervari corpus Sancti Thomæ? Ubi eſt pro iſto exceptio expreſſa in Scriptura? Ubi illud privilegium ſpeciale? Vel corpus S. Thomæ fuit in hac parte majoris meriti, quàm anima Virg. MARIÆ, vel judicium inter utramque cauſam non eſt æquale, aut Nodus erit indiſſolubilis. Item, omne corpus corruptibile eſt, quia procreatum ex infecta carne Adami; ſed præter hanc rationem generalem corpus S. Thomæ habuit quinque particulares augentes corruptionem ſignatas à Sancto Antonino, tres ex parte corporis, ſcilicet, quòd fuerit pingue, groſſum, & magnum, & duas ex parte loci, videlicet, quia ſepultura erat humida, & profunda. Virgo MARIA, quia genita ex commixtione ſeminis viri ac mulieris, neceſſariò contrahere debuit peccatum originale, ſed hæc ratio à priori, & formalis habuit quinque rationes diminuentes in MARIÆ generatione. Prima eſt, quia fuit à patre, & matre in decrepita ſenectute genita, emortuâ libidine, & totaliter ſopitâ concupiſcentiâ. Secunda, quòd parentes eſſent ſteriles. Tertia, quòd convenerint non ex aliquo appetitu carnali, ſed ex mandato Angeli, & merâ obedientiâ. Quarta, quòd ab illa generatione inciperet Lex gratię & non videretur decens, ut initium gratiæ inciperet à peccato. Quinta, quòd ex illa numero carne formandum eſſet Corpus Chriſti, cujus morte & ſanguine redimendus eſſet Mundus; & non obſtantibus illis quinque rationibus augentibus corruptionem ex parte corporis Sancti Thomæ, & iſtis quinque diminuentibus ex parte animæ Virginis MARIÆ, pro corpore S. Thomæ inventa eſt præſervatio, & privilegium ſpeciale, quod pro anima Dei Matris numquam potuerunt reperire. An ſolutio iſtius Nodi invenietur umquam?

NODUS VIGESIMUS-TERTIUS.

Nullam aliam rationem à priori, & concludentem invênit Angelicus Doctor ad probandum Virginem MARIAM fuiſſe ſanctificatam in ute-

Digitized by Google

utero, ſicut Joannes, & Hieremias, niſi iſtam; Eccleſia celebrat ejus Nativitatem, ergò fuit Sanctè nata, & ſic ſanctificata in utero ante nativitatem. Videns Pater Thomas Leonardi, quòd ſi hæc ratio eſſet concludens, etiam hęc eſſet concedenda; Eccleſia celebrat Conceptionem, ergò eſt Sancta; excogitavit illam ſolutionem hucuſque inauditam inter Thomiſtas, ſcilicet, quòd S. Thomas ibi non fuerit argumentatus *efficaciter*, & *juxta propriam mentem*, *ſed ex ſuppoſitione, quòd B. Virgini exhibeatur cultus in ſua Nativitate.* Et quòd argumentum illud ſit ſub titulo, *ſed contra*: cui aliquando etiam reſpondet Sanctus Thomas, &c. Quæ omnia nimiùm diſtant à veritate: & miror, quomodò ſui hoc permittant; nam hac unicâ ſolutione reddit inefficacem, inermem, & frivolam totam doctrinam S. Thomæ contentam in ejus egregia Summa. Nam poſito Articulo, ſeu quæſtione, refert argumenta partis contrariæ, & poſt iſta argumenta ſemper dicit: *ſed contra eſt hoc & hoc, &c.* Et ſecundùm iſtam rationem reſolvit quæſtionem, ita ut numquam inveniatur quod ſolvat illam rationem ultimam, *ſed contra*: quia eſt ſemper pro ſua ſententia, ſive fons, à quo ipſe deducit ſuam reſolutionem; & ſic eſt falſum, quòd tunc non loquatur juxta propriam mentem, & quòd aliquando reſpondeat S. Thomas ad argumentum, *ſed contra*. Et multò magis, quòd loquatur ibi ex ſuppoſitione, ſed abſolutè; quia ejus verba ſunt iſta: *Sed contra eſt, quòd Eccleſia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur Feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto: ergò B. Virgo in ipſa ſua Nativitate fuit Sancta; fuit ergò in utero ſanctificata.* Et ſecundùm hanc reſolvit, quòd Virgo fuerit ſanctificata in utero, & ſanctè nata; ubi eſt ergò hîc ſuppoſitio, aut conditionalis quòd ſi Virgini exhibeatur cultus in Nativitate? Sed, ut facimus in alijs, concedamus etiam hanc ſolutionem P. Leonardi eſſe veram, & genuinam mentem S. Thomæ. Si in hoc argumento, *ſed contra*, non loquatur Angelicus Doctor ex proprijs & efficaciter, ergò neque in alijs ſimilibus argumentis, *ſed contra*: quia non eſt major ratio de iſtis, quàm de alijs, cùm omnia ſint ſub eadem diſpoſitione, & forma, ut cuilibet ex ipſis poteſt conſtare; & cùm in quolibet Articulo ſuę Summę habeat argumentum, *ſed contra*, pro ſuæ reſolutionis fontali principio, ſequitur quòd in tota ſua Summa Theologiæ, ne quidem ſemel argumentetur efficaciter, ſed ſemper inefficaciter; nec ex proprijs, ſed ex alienis. Quid ergò reſtat de doctrina S. Thomæ? vel quid eſt approbatum ab Eccleſia, Summis Pontificibus, Chriſto, Virgine Maria, Apoſtolis, &c. ut Canonicum, Catholicum, verum, indubitatum, concludens, &c. ſi reſolutiones ejus ſunt inefficaces, loquentes ex ſuppoſitione, & non

Digitized by Google

propriæ, ſed alienæ? Concedamus iterùm aliquid amplius, ſcilicet, quòd in omnibus alijs quæſtionibus & argumentis, *ſed contra*, argumentatus fuerit Sanctus Doctor efficaciter, & ex proprijs, non ex ſuppoſitione, ſed abſolutè, exceptâ hâc quæſtione, ſi in hac agit de Conceptione Virginis MARIÆ; ergò ex illa nullum efficax argumentum, abſolutum, & proprium S. Thomæ poteſt deſumi contra Immaculatam Conceptionem. Sed fortè dices: quòd ſi non hîc, in alijs locis locutus ſit de hac materia tunc ex proprijs, efficaciter, & abſolutè; ſed ut videas, quòd dum unum conantur ſolvere Nodum, alium majorem detegant, attende ad ſequentem.

NODUS VIGESIMUS-QUARTUS.

Præcipuus locus ubi S. Thomas agit, & fatetur Virginem MARIAM contraxiſſe peccatum originale, eſt in 3. ſententiarum diſt. 3. quęſt. 3. hic eſt etiam penitùs vitiatus, ergò ubique invenimus Nodum indiſſolubilem. Hoc probo ex præcipuo, primo, ac præſtantiori ſcriptore contra Immaculatam Virginis Conceptionem Joanne de Turrecremata S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, in opere edito pro informando Concilio Baſilëenſi, ad annum 1437. in quo part. 6. cap. 3. fol. 105. à tergo adducit clariorem, atque expreſſiorem auctoritatem ſic: Item in ſequenti Articulo, in quo quærit, an ante animationem ſanctificata fuit, ita dicit: *Sanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ, quia gratiæ nondum capax erat, ſed neque etiam in ipſo inſtanti infuſionis, ut ſcilicet per gratiam ſibi infuſam conſervaretur, ne culpam originalem incurreret; Chriſtus enim hoc in humano genere ſingulariter habuit.* Hæc S. Thomas in 3. & hucuſque Turrecremata in ſuo opere de Conceptione ad Patres Concilij Baſilëenſis. Sed ſcribendo idemmet Turrecremata ſuper Decretum tomo 3. de Conſecratione diſt. 4. § *Ad tertiam ſic proceditur, &c.* fol. 101. col. 3. ad medium, ſic dicit: Duodecimò arguitur teſtimonio S. Thomæ de Aquino, qui lumen Eccleſiæ eſt ſuâ doctrinâ, hic verò in 3. ſent. diſt. 3. quæſt. 2. ſic dicit: *Sanctificatio B. Virginis ante infuſionem animæ non fuit, nec eſſe potuit; quia nondum erat capax gratiæ: neque in ipſo inſtanti infuſionis, ut ſcilicet per gratiam ſibi infuſam præſervaretur, ne culpam originalem contraheret; Chriſtus enim, &c.* Si conferas iſtam auctoritatem cum antecedenti, invenies quòd in prima dixerit Turrecremata, *non potuit eſſe*, & ſic invenîtur hodie in textu S. Thomæ. Sed in hac ſecunda ſcripſit, *non fuit*, quæ ſunt valdè diverſa, ſicut diſtinguuntur potentia, & actus. Item vocem illam, *decenter*, quę etiam reperîtur in textu S. Thomæ, abſolutè prætermiſit Turrecremata in ſecunda auctoritate. Item in ſecunda auctoritate addidit ex proprio calamo illa verba, *nec eſſe potuit*, quæ in nullo originali impreſſo, aut manu-

ſcripto

ſcripto reperitur; quia volebat, quòd præſervatio Virginis non fuiſſet, nec potuiſſet eſſe. Item ubi in prima auctoritate dixerat juxta textum Sancti Thomæ, *conſervaretur*, in ſecunda judicans Turrecremata eſſe frivolam vocem, illam correxit dicens: *præſervaretur*. Denique ubi in prima dixerat, cum littera etiam S. Thomæ, *incurreret*; in ſecunda tranſmutavit verbum dicens: *contraheret*; & ſic in una brevi auctoritate extant quinque vitia capitalia, & in uno eodemque Auctore graviſſimo ac præcipuo: de quibus latè agemus in ſecunda impreſſione Solis Veritatis. Si ergò S. Thomas loquendo de Conceptionis ſententia in una parte habeat vitia expoſita, & in alia loquatur inefficaciter, ex ſuppoſitione, & ſententia aliorum; ergò ex nulla poteſt ſumi argumentum in ejus doctrina contra ſententiam Immaculatæ Conceptionis. Pro doctrina S. Thomæ communiter dicunt, & clamant eſſe à primo uſque ad ultimum verbum ſine ullo prorsùs defectu, errore, labe, &c. & deſcendendo ad particularia ipſimet dicunt contrarium. De ſententia Conceptionis dicunt in communi eſſe maculatam & immundam, cum defectu, errore, ac labe, & hoc reperiri expreſsè, & clarè in doctrina S. Thomæ; & deſcendendo ad particularia nihil oſtendunt, niſi novos & indiſſolubiles Nodos.

Nodus vigesimus quintus.

Pater Nicolaus Eymericus ſub nomine B. Virginis Mariæ, dixit verba illa: *Et ne dum calumniantur me, ſed in me calumniantur meum Unigenitum, Dei Patris primogenitum, mei, & hominum Redemptorem, &c. Prima calumnia, & blaſphemia, quâ calumniantur me, & Filium meum in me ſuperbi, & heretici, inquit, Virgo* Maria, *eſt, quòd per quatuor mundi partes crepante tubâ non corneâ, ſed carneâ inton ant me in originali culpa non fore conceptam.* Dicere Virginem Mariam eſſe conceptam ſine peccato originali, eſt calumnia, & blaſphemia, quá calumniantur Matrem, & Filium, Chriſtum, & Mariam: quia eſt comparare, æquareque creaturam cum Creatore, fœminam cum Deo, &c. Et comparare, atque adæquare S. Thomam Auguſtino, quid erit? Nihil; quia ambo continentur intra claſſem creaturarum. Et anteponere doctrinam S. Thomæ omnibus doctrinis aliorum Eccleſiæ Doctorum, Ambroſij, Hieronymi, Gregorij, Leonis, Chryſoſtomi, &c. quid eſt? Nihil, quia comparatio iſta eſt inter puras creaturas. Et proponere doctrinam S. Thomæ Scripturæ ſacræ Canonicę, ſacrorum Conciliorum, eſtne calumnia, aut blaſphemia? Non; quia Summus Pontifex dedit doctrinæ S. Thomæ hoc privilegium. Et conformare, & ęquiparare doctrinam S. Thomæ in omnibus, & per omnia cum doctrina Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & determinationibus ejus Canonicis, quid erit?

Digitized by Google

Et quòd Angelici Præceptoris doctrina præſervet à contagio, peſte, & lue omnium aliorum Doctorum Catholicorũ doctrinas, quando omnium hominum Redemptori negatur præſervatio, eſt ne calumnia, aut blaſphemia? Minimè; quia aliud eſt præſervare ab hæreſi, & errore in Fide, & aliud præſervare à peccato originali, & macula: unum non fecit ſemel Chriſtus, & aliud continuò fecit D. Thomas. Et quòd in Religione Dominicana fuerit quidam Pater vocatus, Gratia Dei, qui doctrinam S. Thomæ poſſet complere, perficere, & in ſummo nitore conſtituere, & in Domo Domini non fuerit aliqua Gratia Dei, quæ Conceptionem Marianam poſſet ad ſummum nitorem reducere, quid erit? Omnia iſta quaſi parva reputantur, & nullius momenti. Magna quidem eſſent & dicerentur, ſi per quatuor Mundi partes concedatur doctrinæ alicujus Doctoris, & conceptui ejus mentali id ipſum, quod negatur puritati, & Conceptioni Dei Matris, & Reginæ Angelorum, ſicut in communi, ſic & in particulari.

Nodus vigesimus-sextus.

Quia quidam Frater Minor Samuel dixerat de Angelico Doctore illud: *In Philoſophia autem naturali, & in Metaphyſica atque Logica cæcutijt & ipſe aliquando*, cum tamen ſuperadderet: *in his dico, quæ ſunt ſpeculabilia dumtaxat*: Non obſtante iſto addito diminuente, adhuc vocatur à P. Dodi ſtultus, fatuus, invidus, arrogans, mordax, lacerator, ineptus, miſer, cachinnator, proprio laqueo ſuſpendendus ut Aman, corroſor gloriæ Sanctorum, ponens in cœlum os ſuum, quòd non Samuëlis ſed Iſmaëlis officium gereret, in cælum & in terram evomens coleram, debacchans ſimia, & catulus, oblocutionibus ſuis non Divum Thomam, ſed ſe ipſum obnubilans, & ſuæ congregationi infamiam ac maximum dedecus adferens. Et quid mirum? Dicere enim, Sanctus Thomas cæcutijt aliquando etiam adhuc in ſcientijs naturalibus & ſpeculativis, erat falſum, mendacium, temerarium quid & injuſtum. Iſta dicuntur pro defenſione honoris S. Thomæ; de Sacratiſſima autem Virgine Dei Matre, Angelorum & hominum Reginâ Maria dicitur & defenditur quòd aliquando fuerit non cœcutiens, ſed penitùs cæca, deformis, fæda, horrida, polluta, exoſa, abjecta, imperfecta, contaminata, turpiſſima, abominabilis, miſerrima, Dei inimica, dæmonis ſerva, filia iræ, damnata, maculata à diabolo & peccato conſpurcata. Et ecce Nodus uſque ad extremum judicij diem non ſolvendus. Doctrina tamquam ex materia & forma, corpore & anima componitur ex humanis ac Divinis principijs, ſive naturalibus & ſupernaturalibus concluſionibus, in quibus Sanctus Thomas adhuc ſpeculando nec per unicum inſtans cæcutijt, numquam vel in minimo errando cir-

Digitized by Google

circa præcipuam partem rerum ſupernaturalium ac Divinarum, quia hoc jam concedebat P. Samuel; ſed neque in naturali corpore Metaphyſicæ aut Logicæ, quia adhuc in ipſamet ſpeculatione numquam hæſit ambiguus inter ſcientiam & opinionem, verum & falſum, ſic & non: hoc enim eſt cæcutire in ſpeculativis. Et ſpeculum illud juſtitiæ, ſpeculum ſine macula, & Aquila illa magnarum alarum, quæ tulit medullam cedri, cujus oculi fuerunt columbarum, non ſolùm cæcutijt; ſed totaliter facta eſt cæca, non tantùm aliquando, ſed per ferè tres menſes, vel ut dixerunt aliqui, per duos integros dies, vel ſaltem per aliquas morulas; non in materiali corporis formatione tantùm, ſed in iſtâ & in anima; nec aliquo errore intellectuali ſpeculativo, ſed in practico peccato & macula actuali. Immò in una eademque ſchola ligant iſtos duos Funiculos, & non erubeſcunt de reſultante Nodo ab Angelico intellectu practicè non ſoluto, nec fortè ſpeculativè ſolvendo; ſed in eadem perſiſtunt ac perſeverant ſententiarum incongruentia: & nos pro honore & gloria Dei Matris (cui infra Filium omnis laus, omnis honor, omnis gloria abundantiſſimè debetur) non debemus retundere illud ſtultus, fatuus, &c? Neſcio quem res habitura ſit exitum.

Nodus vigesimus-septimus.

In illa inſigni ac pulcherrima imagine, in qua eſt depictus S. Thomas circumdatus à quatuor ſuæ Religionis Doctoribus, Alberto Magno Epiſcopo, Thoma Jorſio Cardinali, Joanne Capreolo, & Franciſco Ferrarienſi, extat Angelicus Præceptor cinctus illis verbis Malachiæ cap. 2. *Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt in labijs ejus.* Omnia benè ac laudabiliter. Nihil invidêmus, nihil contemnimus; ſed è contrà approbamus, laudamus, commendamus omnia. Qui tamen hoc tam celebre elogium depromptum ex ore tanti Prophetę admittunt ut verum, & ut propriam Angelicæ doctrinæ teſſeram; quomodò in anima Virginis Dei Matris, cum qua Dominus ſemper, quę ſuper omnia benèdicta veritatis alumna, conſtituunt iniquitatem? Si lex veritatis fuit in ore & labijs Sancti Thomæ, ita ut iniquitas per illud naturæ oſtium ab intrinſeco vel ab extrinſeco non haberet aditum; quomodò in illa, de qua dixit Spiritus Sanctus & Eccleſia canit quotidiè: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis,* potuit aliquando fuiſſe deformitas? quomodò labia ejus tincta iniquitate? Nodus iſte ex utroque Funiculo intricatiſſimus eſt, & meo judicio non facilè ſolvendus. Quintus Eccleſiæ Doctor (hâc enim ſubſcriptione gaudet in diademate prædictæ imaginis) meruit habere diſpenſationem ab illa regula generali & lege communi: *Omnis homo mendax*, ut tamquam de exempto ac privilegiato dicatur

catur & prædicetur iſta totaliter oppoſita & contraria: *Lex veritatis fuit in ore ejus.* Et ab altera univerſali lege: *Omnes in Adam peccaverunt,* nolunt invenire exceptionem unam pro prima ac majori poſt Deum creatura. Quod concedunt Thomæ pro lege firma & inviolabili, indulgeant MARIÆ ſaltem ut gratioſum privilegium. *Magna petis Phaeton.* Perpendamus cauſam quare non fuerit iniquitas in labijs D. Thomæ, neque in ore ejus mendacium. Quia in ore & labijs, inquiunt, habuit verum ac Sanctum Verbum Dei. Et ſi Verbum Dei coagulatum in ore ac labijs Angelici Doctoris habuit vim ac efficaciam ipſum præſervandi à mendacio & iniquitate non tantùm quando ſcribebat Divina, ſed etiam diſcurrendo in ſcientijs naturalibus, humanis & ſpeculativis, in principio, medio, & fine; quare hoc privilegium non conceditur ori, ac labijs, corpori & animæ primæ Eccleſiæ Matris, quæ Verbum Dei æternum in corde & viſceribus tanto tempore cum tam fideli cuſtodia portavit? An os & labia S. Thomæ habuerunt majorem connexionem cum veritate mediante verbo Dei ſcripto, quàm B. MARIÆ anima & potentiæ cum gratia mediante Verbo Dei æterno, ut quæſita non inveniatur iniquitas in illo, & in iſta inveniatur & aſſeratur? Quiſquis voluerit ſolvere Nodum, applicabit os quidem & labia, interim Nodus Nodus manebit.

NODUS VIGESIMUS-OCTAVUS.

Ut Patres illi Salmanticenſes, ut ſuprà vidimus, ſtabilirent doctrinam S. Thomæ fuiſſe prorsùs liberam ac immunem ab iniquitate, errore, mendacio, &c. ac præſervatam in ſe à quolibet inficiente contagio; conantur probare ipſam eſſe præſervativam doctrinarum Eccleſiæ; & vice versâ ipſam fuiſſe præſervatam in ſe, quia modò præſervat alias doctrinas. Et quando actualiter habebam præ manibus iſtum furfurem, pervenit ad illas etiam Pharetra magna, cujus Auctor eſt Mathias Farinator, impreſſa anno 1482. in qua titulo 7. verbo MARIA ſic dicitur: *Cælum continet terram à caſu præſervans pariter & à ruina; ſic nimirùm per omnia ipſa Virgo* MARIA *continet totum mundum, à caſu & ruina præſervans mortis æternæ.* Hanc Farinatoris ſententiam credo, ac affirmo eſſe veram; ſed demus etiam quòd altera non ſit falſa, ut ſaltem teneantur ſolvere Nodum. Si doctrina Sancti Thomæ, quia actualiter præſervat omnes Eccleſiæ doctrinas à caſu & ruina, debuit in ſuo originali fuiſſe præſervata ab omni errore ac defectu: ergò à fortiori Virginis MARIÆ originaria puritas, quæ totum cælum & mundum, & cum iſtis doctrinam S. Thomæ à caſu & ruina præſervavit ac præſervat, immunis fuit in ſe à caſu & ruina. Quod concedunt ac defendunt in contento & ſpecie atomâ, defendant vel ſaltem concedant in continente & ſpecie ſupre-

ſupremâ; ſed neque unum aut alterum volunt admittere in Matre, ut in ipſa non ſit ſpecies neque decor. Hæc eſt propoſitio vera, & ab omnibus Sanctis conceſſa. Si MARIA non fuiſſet concepta, mundus non fuiſſet præſervatus à ruina & caſu, nec doctrina S. Thomæ fuiſſet in terra, neque in cęlo: & ſtante hoc principio in doctrina Angelici Doctoris fuit juſtitia originalis, quia in ſuo initio & origine fuit pura, Sancta, innocens, vera, abſque ulla macula, nævo, mendo aut errore; & originale eſſe Sacratiſſimæ Redemptoris Matris maculatum fuit, & impurum, cum culpa, peccato, ac Dei offenſa, &c. Et hic nónne videtur Nodus?

NODUS VIGESIMUS-NONUS.

R. P. Abrahamus Bzovius in concione de Sancto Thoma in Pancarpio folio 42. loquens de excellentia animæ Angelici Doctoris & ejus puritate ſic dicit: *Puritate animę paulò minùs ille minoratus ab Angelis parte quâ fuit, ut ita dixerim, adhuc Virgo tabella, nullis exarata characteribus, &c. ſuſcepit jam tum in tutelam novum filiolum Dei parens, quem aſpexerat rarâ indole natum, & gratiâ præformatum, à cujus patrocinio illud obtinuit, ut nullius mortalis criminis umquam ſenſerit contagium. Jactas firmamentum illime? Immaculatus Thomas. Angelos ſufflaminatos? Obfirmatus in gratia Thomas ipſo gratiæ ſufflamine.* Et poſt aliqua proſequitur: *Innocentia & pudor æquè ut in puero, ſic poſtea in viro, tam fulgentes ut ipſa Virgo, aut Gemelli cæleſtes, non tam radiantes, ut hæ ſororiæ virtutes. Vbi aliquid, etiamſi honeſtum fuiſſet dicendum, verecundiam non potuit excutere, adeò illi ex alto ſuffuſus erat pudor.* Et concludit ſic: *Scio Beatiſſimam Deiparam, lumine quo amicta, non ſemel viſam mentem illius illuſtraſſe. Scio & Chriſtum ipſum in ſua imagine cruci affixâ Neapoli Thomæ teſtimonium veridicæ doctrinæ dediſſe, voce quam exanimis imago protulit: Benè ſcripſiſti de me Thoma, &c.* Omnia iſta rectè, ac verè dicta eſſe iudico de S. Thoma, & ſolùm inquiro; ſi concedamus nos, ſicut & vos de Angelico Doctore habuiſſe animam puram paulò minùs ab Angelis *nullis* exaratam extraneis characteribus, natum tamquam à gratia *præformatum* (obſervare licet vim præformationis) ut nullius mortalis criminis *umquam* ſentiret contagium: an hoc ipſum velitis nobiſcum concedere de anima Beatiſſimæ Virginis? quia ſi non; Nodus remanet inter vos in æternum ſolvendus. Si autem nobis hoc dare velitis & conſentire nobiſcùm: & Virgo MARIA habuit animam puram nullis exaratam characteribus; peccatum originale character vocatur ab omnibus Catholicis Doctoribus. Concepta erat Virgo MARIA tabella, fuitne tunc à gratia præformata nullis exarata characteribus ſicut natus extitit D. Thomas? Neque erit ſolutio, recurſus ad mortalia crimina; quia originale mortale eſt, non veniale, cùm peccatum primâ ſui diviſione diſtinguatur

à

à Theologis in mortale & veniale,& deinde mortale in actuale & originale:& dato quòd non includeretur, ſed eſſent ſpecies ſubalternæ diverſæ, ubi ſervus accepit, *ut nullius mortalis criminis umquam ſentiret contagium*; non potuit accipere Domina, *ut nullius originalis criminis umquam ſentiret contagium*? Diſtabatne plus mortale à Doctore Eccleſiæ, quam originale à Dei Matre? Si anima Angelici Doctoris fuit ſemper tabella pura & candida paulò minùs minorata ab innocentia Angelorum; anima Reginę Angelorum debuitne eſſe tabella impura & immunda, nec minorata ab Angelis, ſed æqualis in hac parte flagitioſis ac facinoroſis hominibus? *Immaculatus & obfirmatus in gratia ipſo gratiæ ſufflamine* fuit diſcipulus Thomas; & Magiſtra MARIA maculata & lapſa à primi peccati ſufflamine? Ille *ſicut puer, ita poſtea in viro*, & illa non ſicut poſtea fęmina,antea in puella? Puritatem aſcendentem in ſervo ſaltem permittite quòd deſcendat in Reginam.

NODUS TRIGESIMUS. Nullum eſt verbum apud P. Xantes Mariales(ſi attente legantur poſita in Cortice, & operibus ſuis) ex quo non poſſet aliquis texere pro libito Nodum, cùm omnia & ſingula ſint contradictionibus plena; ſed quando ex illis nihil deducitur contra Immaculatam Virginis Conceptionem,de ipſorum incongruentia parùm curamus. Illæ tamen duæ propoſitiones ab ipſo noviſſimorum noviſſimo ſcriptore tam ſeriò repetitæ, quarum prima eſt: *Omnes Doctores Eccleſiæ erraverunt*; & ſecunda illa: opera vel ſcripta S. Thomæ, *nec umbram erroris continent, &c.* præcipuæ in Apologia, vel invectiva, confirmant omnia ſuperiùs dicta & infrà dicenda. Quia non alijs indigêmus Funiculis, neque ad aliquid aliud tendit noſter labor, niſi ad oſtendendum quòd errantibus univerſaliter & in communi omnibus Doctoribus Eccleſiæ ſingulariter, ſolus Angelicus Doctor Sanctus Thomas Aquinas neque umbram habuerit erroris. Et ecce tota noſtra quęſtio clarè,diſtinctè,ac breviter propoſita coram omnium oculis: omnes Doctores Eccleſiæ erraverunt (dicit P. Xantes)& ſolus unus nec umbram habuit erroris. In propoſitione iſta univerſali contra Sanctos Doctores, & ejuſdem unica exceptione, Xantes nihil omninò novi dicit: quia fuit & eſt commune proloquium ſuorum ſcriptorum. Et quando in ſua univerſali falsâ & fictâ ab ipſis, ut maculent omnes Sanctos Doctores, & magis ficta & falſa exemptione,ut falſo ac ficto honore extollant doctrinam S.Thomæ conſumunt vires ſuas; contra hanc verò univerſalem inter peccatores: *Omnes in Adam peccaverunt*, *exceptâ Dei Matre*, quæ vera eſt, probabilis, pia, recepta, devota, Sancta, &c. reſumunt vires, ac quaſi juveneſcentes arripiunt omnis generis arma, occaſio-

ſionem undequaque quærendo, ut illam juſto vel injuſto marte per fas & nefas quomodocumque tandem impugnent, ex cordibus piorum evellant oblivioni tradendo, extraque terrarum orbem ad ipſum quodammodò ſpatium imaginarium numquam reverſuram amandando. Quid adeò mirum? Oculis ipſam fugiunt, auribus reſpuunt, animo aſpernantur, recordatione illius tremuli perhorreſcunt. Cùm eam viderint execrantur, cùm audierint deteſtantur, nomen ipſum erubeſcentes vitant, fugiunt, oderunt. Quis illam aditu, quis honore? Quis illam cultu, quis veneratione? Quis illam pretio, quis luce exiſtimat eſſe dignam? Hinc paſſim quidquid clamatur, contra eam clamatur, & ſemper ab eiſdem: quidquid ſcribitur, contra eam eſt, & ſemper ab eiſdem. Quantum ingenio aſſequi, quantum litteris depingere, quantum ſtudijs acquirere poſſunt, id omne ad eum finem diligentiſſimè conferunt; ut docent & digito cuilibet monſtrant tot libelli famoſi, quibus excellentiam puritatis Virgineæ ſi non extirpare, ſaltem conſpurcare non ceſſant. Et hoc eſt quod declarare intendimus: hoc eſt præſentis Libelli noſtri thema ſpecialis: hic ſcopus unicus & principalis, cui totus noſter deſudat labor, cui perpetuò invigilamus, nullas moleſtias neque diurnas, neque nocturnas prætermittendo; ſed omnem ingenij induſtriam, omnia ſtudia, omnem operam, omnem curam, mentem denique omnem applicantes, ſedulò ac ſeriò laborantes pro hoc ſolo negotio ut excludatur vel peccatum à Matre, vel idem introducatur pro Fratre.

NODUS SECUNDUS PRINCIPALIS

Inter condemnationem certam aliquorum articulorum doctrinæ Sancti Thomæ, & abſolutionem eorumdem factam à Stephano Epiſcopo Pariſienſi; ubi conſequenter agitur de prohibitione Feſtivitatis Conceptionis factâ à Mauritio Epiſcopo Pariſienſi, & receptione ejuſdem Feſtivitatis ab altero Epiſcopo, vocato Ranulpho.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

EGimus hucuſque de approbationibus doctrinę Angelicę Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis in communi, referendo quidquid generaliter ab ejus diſcipulis Patribus Dominicanis tum antiquioribus, tum recentioribus atque modernis ſive verè, ſive falsò relatum hactenùs per quoſcumque tandem in lucem prodijt: jam nunc in ſequentibus incipimus agere in particulari de teſtimonijs, ſeu auctoritatibus in ingentem ac vix numerandum numerum adductis etiam à diverſis Auctoribus antiquis, recentibus ac modernis Ordinis Prædicatorum circa approbationes, & confirma-

ſirma-

Digitized by Google

firmationes in particulari ejuſdem doctrinæ Angelicæ Angelici Doctoris S. Thomæ. Et quamvis hæc in hoc ſecundo Nodo referenda approbationis auctoritas non ſit prior dignitate, quia ſunt aliæ Chriſti Domini, Beatæ Virginis, S. Pauli, Sancti Franciſci, & Summorum Pontificum, eſt tamen prior tempore, & antiquitate: ſiquidem ab illa inceperunt omnes aliæ, quas ſuo ordine, ut manifeſtatæ fuerunt, proponemus. Ad præſentis igitur intelligentiam, neceſſe erit ſumere exordium à remotiſſimis principijs, ut ad ultimam cum omni claritate perveniamus concluſionem. Licet quatuor miracula, ſeu revelationes factæ fuiſſent pro manifeſtatione myſterij Conceptionis, præcipua tamen fuit illa facta Helſino Abbati circa an. 1060. tempore Guilielmi Ducis Normannorum. Quâ occaſione S. Anſelmus circa annum 1090. ſcripſit epiſtolas duas de Conceptione B. Virginis ad Coëpiſcopos Angliæ, commendans celebrationem Feſtivitatis: quę anno 1135. recepta fuit ab Eccleſiâ Sanctâ Lugdunenſi, ut ex quodam inſtrumento authentico conſtat, ut infrà dicemus. Circa annum verò 1145. Sanctus Bernardus ſcripſit contra dictam Feſtivitatem ad Canonicos Lugdunenſes epiſtolam illam ſatis tritam, quæ eſt in ordine 174. Contra iſtam, & pro defenſione Feſtivitatis ſcripſerunt ſpeciales tractatus Petrus Abaillardus, Richardus de S. Victore, Petrus Comeſtor, Petrus Cantor Ciſtercienſis, & Nicolaus Albanus Monachus; quorum opuſcula manuſcripta apud nos extant. Tum temporis erat Epiſcopus Pariſien. Stephanus hujus nominis primus, cognominatus de Senlis Silvanectenſis, qui ſedit ab anno 1123. uſque 1140. quo tempore primo florêre cœpit Academia Pariſienſis illis excellentiſſimis viris Hugone de S. Victore, Petro Lombardo Magiſtro ſententiarum, cum omnibus diſcipulis ſuis, Petro Comeſtore, & alijs. Et licet cum iſtis ſummoperè clareſcere cœpiſſet iſta Alma Univerſitas, & primus orbis litterarum paradiſus; ab anno tamen 1220. rigata ſcientiâ & ſapientiâ ab illis quatuor Theologiæ Scholaſticæ fluminibus, ſcilicet Alberto Magno, & S. Thoma de Aquino Ordinis Prædicatorum, Alexandro de Ales, atque S. Bonaventurâ Ordinis Minorum: quorum duobus Thomâ & Bonaventurâ circa an. 1250. (cùm eſſet Aymericus de Barriq, vel ſecundùm alios Reginaldus de Corbeil) ad doctoratûs lauream aſcendentibus majoribus crevit fructibus, & quaſi ultimum incrementum Academia iſta recepit. Prædicto Epiſcopo mortuo, ſucceſſit in ejus locum alter Stephanus hujus nominis ſecundus, dictus de Templier Aurelianenſis, qui electus anno 1268. deceſſit è vita anno 1285. & ſub hoc Epiſcopo ad ſupremam patriam tranſlati fuerunt illa duo luminaria majus & mi-

minus, S. Bonaventura, atque Angelicus Doctor S. Thomas de Aquino, anno ſcilicet 1274. Mortuo Angelico Doctore, & deficiente à ſcholis hâc ſtellâ matutinâ, Eccleſiæ inſigni candelabro, & luce, & hoc clariſſimo ſole; aliquæ tenebroſæ umbræ in Fide, & errores peſſimi in doctrina Catholica inter calamos & linguas ſtudentium in prædicta Univerſitate pullulare cœperunt. Unde coactus fuit prædictus Stephanus Epiſcopus, utpotè in cauſis Fidei ordinarius judex, poſt tres annos à morte Sancti Thomæ, id eſt anno 1277. publicè damnare ducentos viginti duos errores, propoſitiones malè ſonantes, ſeu hæreſes in ſana doctrina ſuperſeminatas: ut conſtat ex ejuſdem litteris patentibus, quæ ſic ſe habent:

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Eccleſiæ Miniſter indignus ſalutem in Filio Virginis glorioſæ. Magnarum & gravium perſonarum crebra, zeloq; Fidei accenſa inſinuavit relatio, quòd nonnulli Pariſiis Studentes in artibus, propriæ facultatis limites tranſcendentes, quoſdam manifeſtos, & execrabiles errores (immò potiùs vanitates, & inſanias) in rotulo, ſeu cedulis annexo, ſeu annexis contentos, quaſi dubitabiles in ſcholis tractare, & diſputare præſumunt, non attendentes illud Gregorij: Qui ſapientèr loqui nititur, magnoperè metuat, ne ejus eloquio audientium ſanitas confundatur: præſertim cùm errores prædictos gentilium muniunt, quos (proh pudor) ad ſuam imperitiam aſſerunt, ſic cogentes, ut neſciant reſpondere. Non autem quòd ſic, aſſerere innuunt, videantur reſponſiones eſſe; & ita palliant, quod dum cupiunt vitare ſcyllam, incidunt in charybdim. Dicunt enim ea eſſe nota ſecundùm Philoſophum, ſed non ſecundùm Fidem Catholicam, quaſi eſſent duæ veritates contrariæ, & quaſi contra veritatem ſacræ Scripturæ ſit veritas in dictis gentilium damnatorum; de quibus ſcriptum eſt: Perdam ſapientiam Sapientum, quia vera ſapientia perdet falſam ſapientiam. Utinam tales attenderent dictum Sapientis, ſeu conſilium dicentis: Si tibi eſt intellectus, reſponde proximo tuo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris. Ne igitur incauta locutio trahat ſimplices in errorem, nos tàm Doctorum ſacræ Theologiæ, quàm aliorum communicato conſilio, diſtrictè talia fieri, & conſimilia prohibemus, & ea totalitèr condemnamus; excommunicantes omnes illos, qui dictos errores dogmatizaverint, vel aliquem de eiſdem, aut defendere, vel ſuſtentare præſumpſerint quoquo modo; & audientes eorum, niſi, infrà ſeptem dies nobis vel Cancellario Pariſienſi duxerint revelandum; nihilominùs proceſſuri ad pœnas contra eos pro qualitate culpæ, prout Dominus dictaverit infligendas. Librum etiam de amore, ſive de Deo amoris, qui ſic incipit: Cogit me multùm, &c. & ſic terminatur: Chare igitur Gualtere amoris exerce mandata. Item etiam librum Geometriæ, qui ſic incipit: Æſtimaverunt inde, &c. & ſic terminatur: Ratiocinare igitur ſuper eam, & ſic invenies. Item libros, & rotulos, quaternos

ternos Nigromanticos, aut continentes experimenta ſortilegiorum, invocationes dæmonum, ſeu conjurationes, in periculum animarum, ſeu in quibus de talibus & ſimilibus Fidei orthodoxæ, & bonis operibus adverſantibus tractant, per eamdem ſententiam condemnamus; & omnes, qui dictos rotulos, libros, quaternos dogmatizaverint, & audierint, niſi infra ſeptem dies nobis vel Cancellario Pariſienſi revelaverint, eo modo, quo ſuperiùs eſt expreſſum, in his ſcriptis ſententiam excommunicationis ferentes, & ad alias pœnas, prout gravitas culpæ exegerit, nihilominùs proceſſuri. Datum anno Dom. 1277. die Dominicâ, quâ cantatur: Lætare Hieruſalem, in curia Pariſienſi. Hucuſque litteræ Stephani ſecundi; condemnatio, & prohibitio errorum ſub excommunicationis pœna in rotulis, ſive ſcedulis contentorum; (nam omnia alia ad noſtrum propoſitum minimè faciunt) & immediatè ſequitur catalogus errorum, ſeu propoſitionum damnatarum; quarum prima eſt: *Quòd Deus non eſt Trinus & Vnus, quoniam Trinitas non ſtat cum ſumma Simplicitate. Vbi eſt enim pluralitas realis, ibi neceſſaria eſt additio. Exemplum de acervo lapidum. Error.* Ultimus verò ſic ſe habet: *Quòd ſubſtantiæ ſeparatæ nuſquam ſunt ſecundùm ſubſtantiam. Error, ſi intelligatur ita, quòd ſubſtantia non ſit in loco: ſi intelligatur ita, quòd ſubſtantia ſit ratio eſſendi in loco, verum eſt, quòd nuſquam ſunt ſecundùm ſubſtantiam.* Prętermittimus alios errores intermedios, quia ad noſtrum non faciunt propoſitum, & in libris ſtatim citandis paſſim repeꝛiuntur.

Supra-dictę litterę Stephani Epiſcopi, & errores ab ipſo anathematizati extant ad finem ferè omnium impreſſionum Magiſtri ſententiarum. Et in quarto tomo Bibliothecæ veterum Patrum ſecundæ, tertię, & quartæ editionis Pariſienſis, atque etiam Colonienſis tom. 13. Item ad finem operum Sancti Thomę impreſſionis Venetianę per Doctorem Henricum Gorrichen anno 1489. in folio. Et in tabula ſuper libros ſententiarum Sancti Bonaventuræ, impreſſionis Venetianæ anno 1525. per Doctorem Joannem de Beckenhaud. Et in antiqua impreſſione operum Scoti facta anno 1490. in folio. In libris verò manu-ſcriptis extant in Bibliotheca Parcenſi Ord. Præmonſtratenſis, cum Vigintiloquio Petri de Aliaco, & etiam ibi in Monaſterio Dunenſi Patrum Ciſtercienſium in duobus originalibus manuſcrip. claſſe 6. num. 45. & claſſe 4. num. 68. Tornaci in Bibliotheca Dionyſij Villerij. Cantabrigiæ in Anglia, in Bibliotheca Collegij Emanuelis, volumine 1. Pariſijs in archivo Univerſitatis. Et in Collegio Navarræ apud illuſtriſſimum Andream Saouſayum Epiſcopum & Comitem Tullenſem: & apud Doctorem Joannem Lannoy, ſummum veritatis antiquæ indagatorem. Sed notare debet lector pro erroribus iſtis à Stephano Pariſienſi Epiſcopo

Digitized by Google

damnatis, quòd in libris impreſſis litteræ, & errores habeant incongruam diſpoſitionem, immò ſcateant vitijs & corruptionibus; ſive hoc interim factum fuerit incuriâ Typographorum, ſive aliorum curâ.

Nam primò, in antiquis impreſſionibus extant cum iſtis etiam errores damnati in Univerſitatibus Angliæ, qui quidem expuncti inveniuntur in modernioribus. Secundò, in aliquibus impreſſis extant litteræ condemnatoriæ, ſed non errores condemnati; & in alijs vice verſâ reperiuntur errores, ſed non litteræ Stephani. Tertiò, in nonnullis ponuntur litteræ Stephani in principio ſine erroribus; & poſt tria folia proponuntur ij errores abſque litteris Stephani. Unde nullo modo colligi poteſt, quales errores damnaverit Stephanus, vel à quo Epiſcopo, aut quando errores iſti ſeorſim poſiti fuerint damnati. Quartò, in aliquibus ſignantur tantummodò centum nonaginta errores; in alijs ducenti tres; in alijs ducenti decem & novem; ac tandem in alijs ducenti viginti duo; in originalibus Conventûs Duacenſis ſunt 217. quia tempore impreſſionis unuſquiſque ſui dictaminis arbitrio utebatur ad ſubtrahendum, vel addendum. Quintò & præcipuè, reperitur alius defectus maximus in omnibus originalibus impreſſis: & hic eſt, quòd cum iſta condemnatio facta fuerit à Stephano Epiſcopo, & publicata in Dominica, *Lætare Hieruſalem*, anno 1277. in impreſſionibus dicatur eam fuiſſe factam anno 1227. & licet error iſte primâ facie videatur tribuendus impreſſoribus, quia loco primi numeri 7. appoſuerint 2. cùm nullus tamen hucuſque errorem iſtum correxerit, nec Joannes Aleamius, nec Antonius de Mocharijs Doctores Pariſienſes, qui diverſis temporibus curarunt de recognitione Magiſtri ſententiarum, quouſque noviſſimè illum correxit, & emendavit D. Buovot Bedellus, & Archiviarius Univerſitatis Pariſienſis ex originalibus manuſcriptis, & ex ipſamet veritate; magnam ingerebant legentibus confuſionem. Siquidem eo anno 1227. nulli fuerunt errores damnati; nec erat Epiſcopus Pariſienſis aliquis Stephanus, ſed Bartholomæus Carnotenſis. Item hoc etiam patet ex Gallia Chriſtiana tomo 1. folio 449. ubi loquendo de Stephano Templier, ſic dicitur: *Ubi propterea de conſilio Theologorum damnati fuerunt ab hoc Præſule 1277. plurimi articuli erronei circa Fidem, qui ſigillatim enumerantur in Bibliotheca Patrum, &c.* Et in codice Dunenſi poſitis litteris Stephani expeditis anno 1277. dicit conſequenter: *Hi autem ſunt articuli damnati, &c.* Et facit catalogum omnium articulorum, licet tantùm ponat 217. Confirmatur etiam ex Henrico de Gandavo quodlibeto 2. quæſt. 9. folio 36. à tergo; ubi loquendo de iſta condemnatione articulorum facta

ﬆi ab Epiſcopo Pariſienſi,ſic inquit: *In hoc ergò concordabant omnes Magiſtri Theologiæ congregati ſuper hoc,quorum ego eram unus*, *&c.* Cùm ergò Henricus de Gandavo ſcripſerit ſua quodlibeta poſt mortem S. Thomæ, quem in multis acerrimè impugnat circa annum 1298. ſi condemnatio articulorum eſſet facta anno 1227. ut dicitur in originalibus impreſſis ante ſexaginta tres annos; quomodò poterat Henricus de Gandavo aſſiſtere condemnationi prædictarum propoſitionum jam Magiſter, & Doctor factus in Theologia? Joannes Gerſon in 1. tomo ſuorum operum in epiſtola miſſa ad quemdam Fratrem Minorem colum. mihi 555. loquens de hac condemnatione,ſic dicit: *Reperta eſt eadem damnatio ejuſdem articuli de æternitate veritatum per Dominum Stephanum Pariſienſem inter illos* 219. *articulos famoſiores anno* 1276. *ſcilicet, per duos annos poſt felices obitus S. Thomæ, & verè Sancti & glorioſi Domini Bonaventuræ, &c.* Et parùm infrà. *Damnaverat prius ipſe idem Stephanus pauciores articulos,viventibus adhuc præfatis Doctoribus, ſcilicet, anno Domini* 1270. *die Mercurij poſt feſtum Beati Nicolai.* Differentia eſt in uno anno,quia Gerſon ponit condemnationem factam anno 1276. ſed debebat dicere 1277. iſte autem abſque dubio fuit error Typographiæ, vel æquivocatio cum articulis damnatis in Anglia. Henricus Gorrichen loquendo de iſtis erroribus revocatis in impreſſione factâ anno 1510. apud Nicolaum Keſerler, adducit iſtos errores ad annum 1277. & ſunt numero 220. licet poſtea in aliquibus variet. Adducit etiam errores damnatos in Anglia anno 1276. Standum ergò eſt veritate, ſcilicet, quòd condemnatio illa errorum facta fuerit ſtatim poſt mortem S. Thomæ anno 1277. ut dicitur in originalibus manu-ſcriptis,& non anno 1227. ut eſt in impreſſis, quod ad decipiendum ignorantium animos introductum fuiſſe exiſtimo ut hallucinarentur,ne ictus ad ſuum proprium tenderet ſcopum.

Poſtquam igitur Stephanus Epiſcopus damnavit prædictos errores, ſtatim exijt ſermo inter Doctores Pariſienſes, & crevit rumor per totum terrarum orbem inter ſcholaſticos parùm affectos, immò & inter ſuos proprios Diſcipulos ſequentes doctrinam S. Thomæ; quòd condemnatio iſta Stephani ex majori, & ferè ex integra parte tangeret doctrinam Thomæ de Aquino; & quòd ad ſenſum & explicationem illius fuiſſent damnati, quia in ſuis ſcriptis, & doctrina reperiebantur ad litteram. Et hoc ita indies vires ſumpſit,ut aliqui apertè, & clarè dicere,& publicè ſcribere non formidarent doctrinam Thomæ Aquinatis eſſe damnatam, & ſub pœna excommunicationis relegatam à ſchola Pariſienſi; nullique licère eam docere,vel audire,&c. Sed aliqui ejus Diſcipuli (ut ferè ſemper con-

Digitized by Google

contingere ſolet) conati ſunt ipſam pro viribus defendere. Et pro hac veritate ſtabilienda produco in medium tres teſtes omni exceptione majores.

Primus ſit Ægidius Romanus Ordinis S. Auguſtini, qui in ſuo Defenſorio doctrinæ S. Thomæ, quod intitulavit: *Caſtigatorium incorruptorum librorum S. Thomæ de Aquino à quodam æmulo depravatorum* impreſ. Argentinæ 1501. & alibi, in principio ſic inquit, explicando quamdam auctoritatem Job. 6. *Quæſtio propoſita in perſona Fratris Thomæ Doctoris eximij, cujus doctrinâ fulget Eccleſia, poteſt proponi quibuſdam, qui ejus doctrinam, immò veritatem, quam docuit, depravare nituntur, ipſius ſermonibus veritate plenis, & ſpiritu veritatis inſtigante conſcriptis detrahentes. Et hæc eſt eorum ſententia de verbo ad verbum per ſingulos articulos digeſta, & convenienter ex dictis ejuſdem venerabilis Doctoris exterminata, ut Deo juvante patebit, &c.* Et proſequitur defenſionem doctrinæ S. Thomæ. Si libri S. Thomæ fuerunt in ſuo principio depravati à quodam æmulo; quomodò nunc diſtingvemus inter depravatos, & non depravatos? In Monaſterio Dunenſi propè Brugas in Belgio, claſſe 5. num. 50. extat opuſculum hoc ſub tali titulo: *Solutiones argumentorum, quibus doctrina S. Thomæ impugnatur*, ex quo patet fuiſſe illo tempore maximam contentionem ac pugnam de doctrina Sancti Thomæ Aquinatis.

Secundus teſtis ſit Godefridus de Fontibus, qui vixit ante an. 1300. in quodlibeto 12. quæſt. 5. cujus liber ingens quodlibetorum, licet numquam fuerit typis mandatus, extat manu-ſcriptus in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis, volumine 589. & in Bibliotheca S. Victoris extra muros Pariſien. volum. 254. & in Bibliotheca Sorbonica, & Dunis, & alibi, ubi loquens de doctrina S. Thomæ Aquinatis, ſic inquit: *Deinde ad quartum arguebatur, quòd Epiſcopus Pariſienſis non peccet committendo talem correctionem, oſtendendo quòd tales articuli non ſunt corrigendi, quia quod factum eſt de conſilio ſapientium, non videtur corrigendum, ſed id, quod circa dictos articulos eſt actum, factum eſt de conſenſu ſapientum, ut dicit Dominus Stephanus quondam Pariſienſis Epiſcopus, ergò, &c. Contra arguitur, oſtendendo quòd ſunt corrigendi articuli, qui ſunt non intelligibiles, & qui manifeſtè videntur falſi, & impoſſibiles, ſunt meritò corrigendi; ſed inter prædictos articulos ſunt plures tales, ut patet inſpicienti, ergò, &c.* Ecce argumenta pro utraque parte circa correctionem, vel non correctionem prædictorum articulorum à Stephano Epiſcopo damnatorum, quorum aliqui non erant intelligibiles; alij manifeſtè videbantur falſi, & alij impoſſibiles. Cujus autem fuerint iſti articuli; & ſententiam ſuam ſic manifeſtat Godefridus: *Reſpondeo dicendum: quòd illud, quod eſt impeditivum perfectiue ſtudentium, & quod eſt occaſio ſcandali inter ſtuden-*

Digitized by Google

ſtudentes, & quod eſt in propoſito; ergò, &c. Primum patet, quia cum aliqua, &c. Et adductis in exemplum viginti quatuor articulis erroneis, & ſcandaloſis, ad probandum ex illis ſuam minorem propoſitionem, proſequitur ſic: *Sed omnes iſti ſunt occaſio ſcandali inter audientes, tam Doctores, quàm auditores: quia cùm frequenter oporteat exponere aliquos de prædictis articulis, non quidem contra veritatem, nec contra intentionem, quam habere debuerunt illi, qui prædictos articulos ediderunt; ſed tantùm contra id, quod videtur prætendere ſuperficies litteræ, aliqui minùs periti, & ſimplices reputant ſic exponentes excommunicatos; & formant ſibi ſcientias, quòd tales malè ſentiunt; & tales ſimplices, bonos, & graves tamquam notatos de excommunicatione & errore Cancellario, vel Epiſcopo deferunt, & plura inconvenientia, & ſchiſmata ex hoc inter ſtudentes oriuntur. Sunt etiam in detrimentum non modicum doctrinæ & ſtudentibus perutilis Reverendiſſimi, & excellentiſſimi Doctoris, ſcilicet, Fr. Thomæ, qui ex prædictis articulis minùs juſtè aliqualiter diffamatur: quia articuli ſupra-poſiti, & quam-plures alij videantur ſumpti ex his, quæ tantus Doctor ſcripſit in doctrina tam utili, & ſolemni Et ideò in hoc, quòd tales articuli tamquam erronei reprobantur, dicta doctrina ut ſuſpecta à ſimplicibus habeatur, quia erronea, & reprobabilis invenitur; propter quod plures poſſent habere occaſionem retrahendi ſe à ſtudio in tali doctrina; in quo non ſolùm ipſa doctrina læditur, ſed & ipſi ſtudentes verè damnum maximum ſuſtinent: quia ſalvâ reverentiâ aliquorum Doctorum, exceptâ doctrinâ Sanctorum, & eorum, quorum pro auctoritatibus allegantur, prædicta doctrina inter cæteras videtur utilior, & laudabilior reputanda; ut de Doctore, qui hanc doctrinam ſcripſit, poſſit dici in ſingulari illud, quod Dominus dixit in plurali de Apoſtolis: Matthæi 5. Vos eſtis ſal terræ, &c.* Et infrà proſequitur ſic: *Et ideò per tales articulos præbuit ſuis opinionibus modicum fulcimentum. Cùm ergò quæritur; Utrùm Epiſcopus peccet? Dicendum, quòd licet Dominus Epiſcopus Pariſienſis ſit homo eminentis litteraturæ, & in jure Canonico, & Civili, & etiam ſufficientis in Theologica Facultate: quia tamen in iſta non tantùm ſtuduit, quantum ad correctionem dictorum articulorum indigeret conſilio Magiſtrorum, qui in dictis articulis non ſunt benè concordes, à correctione illorum poteſt aliqualiter excuſari: Sed eam ſententiam ſui Prædeceſſoris ad dictos articulos appoſitam, poſſet ſine periculo ad pacem, & utilitatem plurimorum faciliter amovere; licet non videatur, quomodò in hoc valeat ſufficienter excuſari: ipſum tamen in nullo audeo condemnare, ſed concedo, quòd prædicti articuli eſſent meritò corrigendi, &c.* Hæc ſecundus teſtis condemnationis articulorum, & defenſor doctrinæ Sancti Thomæ, & nihil ampliùs, quia Godefridus tranſit ad alia, nempè ad argumentorum ſolutionem pro quæſtione principali: nam omnia iſta incidenter fuerunt ab eo dicta.

Ex iſta auctoritate, ſeu quæſtione aliqua evidentèr patent ex ipſiſmet verbis, aliqua verò inferuntur. Patet pri-

primò, quòd articuli ſupra-poſiti, & quam-plures alij condemnati à Stephano Pariſienſi, fuerint deſumpti ex his, quæ S. Thomas ſcripſit in ſua doctrina tam utili, & ſolemni; & hoc fatetur ipſemet, qui doctrinam defendit. Secundò fatetur, quòd per illos ducentos viginti duos articulos ab Epiſcopo, & Magiſtris Univerſitatis Pariſienſis damnatos, præbuerit Sanctus Thomas ſuis opinionibus & doctrinæ modicum fulcimentum. Tertiò (quod tandem ipſemet defenſor ſtrenuus Godefridus doctrinæ S. Thomæ fatetur) quòd prædicti articuli eſſent meritò corrigendi. Videatur nunc, an ſtantibus his tribus propoſitionibus poſſit dici aliquo fundamento, quòd in doctrina S. Thomæ nullus umquam prorsùs fuerit error? Quartò, notanda eſt illa clauſula: *Quia, ſalvâ reverentiâ aliquorum Doctorum, exceptâ doctrinâ Sanctorum & eorum, quorum pro auctoritatibus allegantur, prædicta doctrina inter cæteras,* S. Thomę *videtur utilior, & laudabilior*. Hoc elogium diverſiſſimum eſt ab alio poſtea adinſtar iſtius introducto: *Hujus Doctoris ſapientia, præ cæteris exceptâ canonicâ, &c.* Sed de hoc infrà Nodo IV. Supra-dicta omnia ex ſuperficie litteræ patent. Sed deducitur hoc unum, ſcilicet, quòd ante canonizationem Sancti Thomæ actum fuerit in Univerſitate Pariſienſi de annullatione ſententiæ à Stephano Epiſcopo, ut amoveretur interdictum, excommunicatio, & condemnatio, ſed non viderit, quomodò in hac amotione, ſeu retractatione potuiſſet Pariſienſis Epiſcopus ſufficienter excuſari, manente causâ in priſtino ſtatu.

Tertius eſt quidam Anonymus & antiquus ſcriptor, cujus quodlibeta manu-ſcripta extant in Bibliotheca Sanctæ Eccleſiæ Cathedralis Canonicorum Regularium Pampilonen. in 4. & liber habet folia 178. cujus prima quæſtio quodlibetalis eſt iſta: *Vtrùm Prælatus teneatur conferre beneficium meliori, poſtpoſito minùs bono?* Et characteres ſunt ita antiqui, ut nullo modo potuerim legere duo verba, punctis in ſequenti auctoritate ſignata. In hoc ergò circa finem folio 158. quærens: *Utrùm licitè poſſit doceri Pariſijs doctrina Patris Thomæ quantum ad omnes concluſiones ejus*; ſub hoc quæſtionis titulo proſequitur ſic: *Et videtur quòd non: quia per talem doctrinam* . . . . *cùm multæ concluſiones ejus ſint ſub pœna excommunicationis, & ut erroneæ condemnatæ fuerunt; videlicet, quòd multi Angeli non poſſunt eſſe in una ſpecie, & de multis alijs & cætera. Sed contra: hæc doctrina ubique recipitur tamquam probabilitèr vera, & continens Fidem & bonos mores, quia veritas non eſt dimittenda propter quamcumque pœnam. Reſpondeo: videtur mihi, ſalvo meliori judicio, quòd nullus articulus Pariſijs pro errore condemnatus ſit contra doctrinam Fratris Thomæ; & per conſequens, quòd poſſit licitè ejus doctrina doceri Pariſijs, ſicut alibi tamquam Catholica, nihil continens*

nens

nens contra Fidem, & bonos mores; & probabiliter vera. Quod patet diſcurrendo per illos articulos condemnatos, qui videntur eſſe expreſsè contra ejus doctrinam; oſtendendo, quòd ſecundùm veritatem non ſunt. Primus enim articulus, &c. Et diſcurrit per novem articulos, quos judicavit contineri expreſsè in doctrina S. Thomæ; & illos nititur ſalvare ab omni majori cenſura. Suppoſito ergò, quòd Auctor iſte, quicumque ille fuerit, ſcripſerit & ante canonizationem S. Thomæ, & defendendo doctrinam ejus; duo præcipuè ex ejus auctoritate colliguntur. Primum, multas concluſiones contentas expreſsè in doctrina S. Thomæ ſub pœna excommunicationis fuiſſe ut erroneas condemnatas ab Epiſcopo, & Univerſitate Pariſienſi. An autem hoc factum fuerit juſtè, vel injuſtè, eſt alia quæſtio. De facto conſtat: de jure ſub judice lis eſt. Etiam probatur evidenter ex verbis Magiſtri Dominici Gravina Ordinis Prædicatorum in ſuo Cherubim Paradiſi, id eſt, de excellentijs Sancti Thomæ libro 4. cap. 1. fol. 287. ubi fatetur, quòd olim circumferebatur impreſſus libellus cum Magiſtro ſententiarum de articulis Pariſijs damnatis, in cujus titulo dicebatur: *Liber continens articulos reprobatos à Facultate Pariſienſi contra doctrinam Sancti Thomæ.* Et infrà, ſeu in concluſione proſequebatur ſic: *Sancti Thomæ doctrina ſecundùm quaſdam eſt in Fide erronea, ſeu in aliqua ſui parte de hujuſmodi errore ſuſpecta; & in hac concluſione non aſſertivè, ſed ſolùm recitativè loquimur, &c.* clauſulaſque iſtas juſſu Sancti Tribunalis Inquiſitionis juſtis de cauſis fuiſſe ablatas. Hucuſque P. Gravina; ſed non ſignat à quo Sancto Tribunali Inquiſitionis fuerint verba iſta expuncta; & ſic ſolùm affirmo, me numquam reperire potuiſſe Decretum iſtud Sancti Tribunalis. Et ex illis duabus clauſulis pariter teſtificor ſecundam, quæ principalis eſt, extare modo in multis originalibus impreſſis, & in omnibus manu-ſcriptis. Sed quidquid ſit, ſaltem conſtat de antiqua articulorum reprobatione. Secundum notandum in auctoritate Anonymi eſt, quòd ipſe defendat doctrinam S. Thomæ poſſe docêri Pariſijs licitè, ſicut alibi, tamquam Catholicam. Hanc concluſionem probat: quia doctrina illa nihil continet contra Fidem, bonos mores, & eſt probabiliter vera. Quaſi diceret aliter: Illa eſt Catholica doctrina, quæ nihil continet contra Fidem, bonos mores, & eſt probabiliter vera; ſed doctrina Sancti Thomæ nihil continet contra Fidem, bonos mores, & eſt probabiliter vera; ergò doctrina S. Thomæ eſt Catholica. Atqui doctrina Catholica poteſt docêri Pariſijs, ſicut alibi; ergò. Hoc eſt argumentum illius antiqui Doctoris defenſoris doctrinæ Sancti Thomæ. Majorem ſupponebat ut certam; minorem, in qua eſt tota difficultas, ſcilicet, in doctrina

S.Thomæ nihil contineri contra Fidem, bonos mores, & eſſe veram, probat diſcurrendo per ſingulos articulos S.Thomę,in quibus expreſsè videbatur eſſe aliquid hæreticum in Fide,erroneum quoad mores, & falſum quoad ſententiam. Ex his verbis vel ſimilibus prolatis ab alijs Doctoribus (ut infrà videbimus) quomodò deducuntur iſtæ conſequentiæ: doctrina S. Thomæ poteſt docêri *tamquam Catholica*; ergò illam impugnare,vel non ſequi,eſt impugnare, ſeu derelinquere Catholica dogmata? Catholica eſt doctrina Sancti Thomæ, quia nihil continet contra Fidem,aut bonos mores,quia omnes ejus opiniones in una,& altera materia ſunt probabiliter veræ, ſed ideò ipſa non eſt Catholica, Canonica, Romana, ipſamet Fides, aut ipſamet veritas; ita ut, qui eam impugnaverit,ſit de Fide Catholica,vel de veritate ſuſpectus.

Reſtat nunc, ut aliquis ſcriptor modernus Ordinis Prædicatorum fateatur omnia relata à Doctoribus antiquis (ne fortè ſurgat iterum notitioſus Complutenſis §.12.num.44. dicens: *Tandemq; convincam manifeſtè, uſque modò opinioni Sancti Thomæ nullam à legitimo judice adhibitam eſſe cenſuram: immò ſicut de Eccleſia, ita de ejus doctrina verificari illud Iſaiæ* 54. *verſiculo* 17. *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur & omnem linguam reſiſtentem tibi in judicio judicabis, &c.* Hæc Pater ille de opinionibus, & doctrina S. Thomæ) & expreſsè confirmet antedicta. Primus eorum inter omnes alios ſit primus P. Vincentius Dodi paginâ 12. loquens de iſtis articulis damnatis ab Univerſitate inquit: *De illis tamen ac ſimilibus articulis Gothfredus quodlib.* 8. *quæſt.* 5. *dicit illos indigere magnâ correctione,quia nonnulli ſunt falſi, nonnulli ſibi ad invicem contradicunt. Henricus etiam fatetur ſe illos non intelligere.D.Ægidius aſſerit illos fuiſſe factos non convocatis omnibus Doctoribus Pariſienſibus, ſed ad requiſitam quorumdam capiſotorum, &c.* & pag.8. inquit: *Nec extat authenticè Scripturę locus in quo tamquam hæreticæ damnentur. Debilem profectò & neſcium Philoſophię ſe oſtendit Samuel,dum nucleo rejecto paſcitur teſtâ. Verumtamen nec damno,quòd quis improbet vel dicat illas vel alias propoſitiones S. Thomæ eſſe falſas; unicuique enim Deus propriam intelligentiam impartivit; propterea judicia in rebus ſpeculabilibus ſcio fore diverſa: Quot enim homines,tot ſententiæ, & velle ſuum cuique eſt: quòd autem quis dicat illas propoſitiones eſſe hæreticas, hoc inquam damno, hoc temerarium cenſeo, & falſum, cùm nec ab Eccleſia,nec ab habentibus poteſtatem id determinatum ſit, &c.* Multa dicit, & omnia vera Pater iſte in relatis verbis. In primis fatetur articulos illos fuiſſe improbatos ſeu reprobatos ab Univerſitate Pariſienſi. Secundò concedit, quod omnes PP. Dominicani nunc negant, illud ſcilicet. *Nec damno, quòd quis improbet, vel dicat illas,vel alias propoſitiones Sancti Thomæ eſſe falſas.* Tertiò denique con-

condemnat dicentes illas propoſitiones damnatas eſſe hæreticas; poſſent enim dicere illas eſſe falſas, ſed non hæreticas, *cùm nec ab Eccleſia, nec ab habentibus poteſtatem id determinatum ſit*. Hoc etiam verum eſſe judico; ſed reſpondebat Univerſitas Pariſienſis, quòd, licet ipſa non eſſet Eccleſia, quæ ſola poteſt diffinitivè determinare, qualis ſit vel non ſit propoſitio hæretica, tamen & hoc ipſa poſſet magiſtraliter. Sed quidquid ſit de hoc, jam P. Dodi admittit articulos illos fuiſſe damnatos, ſi non ut erroneos in Fide, ſaltem ut falſos. Nec hoc auſus eſt negare prædictus Pater, quia ſcribebat in Gallia & in conſpectu Pariſienſis Academiæ, & viderat originalia ipſa, ut infrà patebit.

Secundus eorum ſit doctiſſimus P. Didacus Alvarez Archiepiſcopus Tranenſis, & Salpenſis in 2. opere de Auxilijs, diſp. 5. folio 27. ubi loquendo de approbationibus doctrinę Angelici Doctoris, inquit ſic: *Adeò Doctor Angelicus S. Thomas doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ ſuam in omnibus conformavit, ut à multis impugnata numquam expugnata fuerit, ſed ſemper eadem permanſerit, & adinſtar inſulæ, cùm fluctibus inſurgentibus tunditur, fortior efficitur, & clarior; neque ab impugnatoribus umquam frangi potuit, nec poterit, ſed uſque ad finem ſæculi firma permanebit. In Univerſitate Pariſienſi (ut quidam referunt) adverſùs S. Doctorem quam-plurimi Theologi Pariſienſes, ſtatim poſt ejus obitum inſurrexerunt, auctoritateq; doctrinæ multas ejus propoſitiones erroris notâ damnarunt: unde factum eſt, ut Pariſienſis Epiſcopus ſententiam excommunicationis contra ſectatores talium propoſitionum inconſideratè proferret; ſed modico tempore fracti ſunt fluctus iſti. Etenim anno Domini 1325. Stephanus tunc ibi Epiſcopus ſimul cum omnibus Doctoribus Theologiæ, Eccleſiæ, & Univerſitatis, qui numero erant 72. habitâ longâ conſultatione de propoſitionibus S. Thomæ, & magno ſtudio examinatis, omnes & ſingulas Catholicas eſſe judicarunt. Hæc in laudem doctrinæ Sancti Thomæ, &c.* Ex hac auctoritate tria colligimus. Primum, ut certum ac indubitatum, & pro hac materia præcipuum, ſcilicet, doctrinam S. Thomę quoad multas ejus propoſitiones, ut erroneas fuiſſe à Doctoribus Pariſienſibus, & Epiſcopo damnatas. Secundum eſt dubium, an videlicet hoc factum fuerit à judice legitimo, vel ſententia illa prohibitionis fuerit inconſideratè prolata. Tertium multùm à veritate diſtat, quia fluctus illi ſunt fracti à Stephano anno 1324. non 1325. nec fuerunt præſentes ad fractionem illam omnes Doctores Eccleſię Pariſienſis, ſed tantùm tres; & multo minùs Univerſitatis, quia non fuerunt 72. ſed 62. quorum 39. fuerunt Baccalaurei; nec circa hoc habita fuit longa conſultatio, nec brevis; neque multæ illæ propoſitiones condemnatæ fuerunt magno, aut parvo ſtudio examinatæ: ſiquidem nullus Doctor ex illis 62. fuit in

Digitized by Google

Gentiliaco, ſed omnes locuti fuerunt per ſchedulas ſignatas; nec judicatum fuit omnes, & ſingulas eſſe Catholicas, vel non Catholicas; ſed levato interdicto, & excommunicatione, illas diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè reliquerunt, ut unuſquiſque pro ſuo arbitrio eas defenderet vel impugnaret, diceret eſſe probabiles vel improbabiles, erroneas vel ſanas, Catholicas aut non Catholicas; ſed omnia hîc relata, infrà in Nodo, quaſi ſub prælo ſudabunt. Pater Seraphinus Caponi à Porrecta in proloquio de altitudine doctrinæ Thomiſticæ libror. impreſ. Venetijs 1588. in 4. regali, loquens de hac epiſtola Univerſitatis Pariſienſis, ut ipſe etiam dicit in Bertiliaco, anno 1325. fatetur doctrinam S. Thomæ fuiſſe quoad illos articulos damnatam, ſed poſtmodùm fuiſſe approbatam. Nota ejus verba: *Quaſi ex hoc argumentando ſic: Si S. Thomæ doctrinam, quæ velut ſuſpecta tangi à nobis videbatur, dicimus eſſe ſanam; ergò multò magis omnis alia Sancti ejuſdem, quæ non videbatur ſuſpecta, teneri debet ſana, &c.* Igitur aliquando fuerant damnati aliqui articuli ut non ſani, & ſuſpecti in doctrina S. Thomæ.

Relinquimus pro nunc illa, quæ dixit Guilielmus Okam de articulis S. Thomæ damnatis etiam in Anglia; atque alia dicta à Petro de Caſtrobol in Symbolo Athanaſij, ad illa verba: *Vnus ergò Pater, &c.* quia ex tribus antiquis, qui non fuerunt ex Ordine Minorum, ſed Diſcipuli Sancti Thomæ, vel vixerunt parùm poſt ipſum, & ex quatuor modernis ex Ordine Prædicatorum, conſtat evidenter de damnatione articulorum factâ à Stephano Epiſcopo Pariſienſi. De damnatione autem factâ in Anglia conſtat ex antiquis impreſ. Magiſtri ſententiarum, & ex manuſcripto Dunenſi in Belgio propè civitatem Brugenſem, claſſe 6. numero 45. ubi ſic dicitur: *Collectio errorum in Anglia, &c. Iſti ſunt errores condemnati à Fratre Roberto de Kilvardbi Archiepiſcopo Cantuarienſi, de conſilio omnium magiſtrorum tam non regentium, quàm regentium apud Oxoniam, die Jovis 20. ante feſtum S. Clithovei in quadrageſima anno Dom.* 1276. & iſte Archiepiſcopus non erat Franciſcanus, ſed Dominicanus; nec tunc erat doctrina Scoti in mundo, ſed tantùm illa S. Thomæ, de qua locuti ſumus. Rebus enim ſic ſub lite, & controverſiâ exiſtentibus; an ſcilicet damnatio, reprobatio, & anathematizatio Stephani de articulis, propoſitionibus, & doctrina Sancti Thomæ eſſet quoad totum, aut tantùm ex parte; vel an poſſet docêri ut Catholica, nihil continens contra Fidem, & bonos mores; vel ſaltem ut probabiliter vera; contigit, quòd (cùm anno 1323. fuiſſet Angelicus Doctor à Joanne XXII. in Sanctorum numerum relatus, & tunc temporis eſſet Epiſcopus Pariſienſis alius Stephanus hujus nominis tertius, cognominatus de Borreto, qui ſedit ab anno 1320. uſque 1326.)

Pa-

Digitized by Google

Patres Prædicatores per ſuos nuntios, voce & nomine totius ſuæ ſacræ Religionis anno 1324. id eſt, anno ſequenti à canonizatione S. Thomæ inſtantiſſimè petierint à prædicto Epiſcopo Stephano de Borreto, ut ob honorem & gloriam tanti Doctoris (cujus fama, opinio, & doctrina videbatur denigrata ex prohibitione factâ à ſuo prædeceſſore Stephano de Templier) dignaretur relevare, ſeu annullare condemnationem prædictam, & excommunicationem poſitam, prout articuli illi tangebant, vel tangere poterant doctrinam Sancti Thomæ: quod factum fuiſſe dicitur litteris ac verbis ſequentibus. Videlicet:

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus, ſalutem in omnium Salvatore. Magiſtra rerum experientia certis indicijs evidentèr demonſtrat, multa quibuſdam temporibus ordinata conſultè, novis emergentibus cauſis, ſuccedentibus temporibus in contrarium debere conſultiùs immutari. Dudum ſiquidem felicis memoriæ quidam prædeceſſores noſtri Pariſien. Epiſcopi, quoſdam articulos, ne forſitan eos malè intelligentes caderent in errorem, tamquam erroneos per excommunicationis ſententiam damnarunt, & interdixerunt expreſsè. Quorum tamen nonnulli doctrinam eximij Doctoris B. Thomæ de Aquino de Ordine Prædicatorum tangere ab aliquibus aſſeruntur. Quam articulorum condemnationem, & ſententiarum promulgationem, venerabiles viri Decanus & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Pariſien. ſicut veritatis zelatores intimiùs conſiderantes, nec non doctrinæ & famæ B. Thomæ prædicti injuſtam denigrationem, veritatis occultationem, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aliqualem dehonorationem, per venerabiles viros Magiſtrum Annibaldum Decanum Atrebatenſem, Archidiaconum, ſacræ Theologię Doctorem, & Dominum Petrum de Fageilo, Pariſienſes Canonicos, eorum propter hoc nuntios ad nos ſpecialitèr deſtinatos, nos requiſiverunt, nobiſq́; ſupplicaverunt, quatenùs vocatis omnibus ſacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eiſdem communicato conſilio, & diligente habitâ deliberatione, & cum alijs, qui de talibus, & in talibus ſcire poſſunt, veritatis viam aperiremus, per quam in prædictis articulis, in quantum doctrinam Beati Thomæ prædicti tangere poſſunt & S. Romanæ Eccleſia, & prædicti S. Thomæ honorem, & reverentiam ſervaremus. Nos igitur attendentes cum eis, quòd Sacroſancta Romana Eccleſia fidelium omnium mater, & magiſtra in firmiſſima Petri Chriſti Vicarij confeſſione fundata, ad quam velut univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & conſultatio errorum; præfatum Doctorem venerabilem, cujus doctrinâ fulget Eccleſia, ut ſole luna, nuper Sanctorum confeſſorum catalogo adſcribendum decrevit; diligenti diſcuſſione, & examinatione præhabitâ ſuper vitâ ipſius, & doctrinâ, ipſumq́; quoad vitam puram, & doctrinam ſalubrem orbi terræ commendabilem prædicavit.

vit. Cupientes igitur glorioſum Dominum in Sanctis ſuis apud fidelium devotionem in terris glorioſius exaltari, ac ſanctiſſimæ Matris noſtræ prædictæ deſiderantes veſtigia ſancta pro viribus imitari; dictumq́ confeſſorem feliciter in cælis regnantem, apud terrigenas devotiùs & celebriùs honorari; præſertim cùm fuerit, & ſit univerſalis Eccleſiæ lumen perfulgidum, gemma radians clericorum, flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſien. ſpeculum clariſſimum, & inſigne; claritate vitæ, famâ doctrinæ velut ſtella ſplendida & matutina refulgens. Per venerabiles ac dilectos conſiliarios noſtros fideles, Magiſtrum Hugonem de Biſuntio Cantorem Pariſienſem, Magiſtrum Stephanum de Novavilla, & Dom. Odonem de Senonis Canonicos Pariſien. inquiſitione factâ ſuper dictis articulis apud Doctores Theol. Facultatis in eorum congregatione generali, regentium, & non regentium Secularium, & Regularium, ad hoc ſpecialiter convocatâ; comperto per Dei gratiam dictum confeſſorem beatum nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur. De conſilio venerabilium virorum Decani, & Capituli Pariſienſis, & venerabilis Patris Domini Guilielmi Dei gratiâ Archiepiſcopi Viennenſis ſacræ Theologiæ profeſſoris, & aliorum viginti trium Magiſtrorum in Theologia; unà cum reverendo Patre prædicto, in litteris ſub eorum ſigillis, per præfatos commiſſarios nobis miſſos; nec non & triginta novem Baccalaureorum in Theologia ſuper hoc per litteras eorum propriis ſubſcriptionibus & ſigillis munitis, nobis ſuper hoc conſulentium, & rogantium humiliter & devotè, & aliorum diſcretorum ſolemni, ac maturo conſilio ſuper hoc habito; ſupra-dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantum tangunt, vel tangere aſſeruntur doctrinam B. Thomæ prædicti, ex certa ſcientia, tenore præſentium totaliter annullamus Articulos ipſos non propter hoc approbando ſeu etiam reprobando, ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo. In cujus rei confirmationem, & teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum apud Gentiliacum anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo quarto, die Iovis ante ſacros cineres.

Hujus Decreti editi à Stephano Epiſcopo Pariſienſi illius nominis tertio, litterarum ſive approbationis relevantis interdictum, excommunicationem, & condemnationem articulorum tangentium doctrinam S. Thomę, impoſitam à ſuo prędeceſſore Stephano ſecundo, extant originalia ſequentia manu-ſcripta in archivo Univerſitatis Pariſienſis. Primum in uno parvo libello, & habet præfixum titulum iſtum: *Exemplar litterarum Domini Stephani tertii, dicti de Borreto, Epiſcopi Pariſienſis, circa revocationem cenſuræ quorumdam articulorum per ſuos prædeceſſores latæ, in quantum tangunt doctrinam B. Thomæ, in cujus favorem de conſilio Capituli Eccleſiæ Pariſienſis, ac facultatis Theologiæ eaſdem revocavit apud Gentiliacum anno Domini 1324. die Jovis ante ſacros cineres, quas frater Joannes de Monteſono obtulit deputatis, dum fuit vocatus in præſentia Magi-*

Digitized by Google

Magiſtri Ioannis de Guinicurte Cancellarij Eccleſiæ Pariſienſis Baccalaurei in Theologia in Sorbona; coram Dominis Galerano de Pendre, Henrico Herunt, Petro de Alliaco fratrum Henrici Ordinis fratrum B. Catharinæ de Valle-ſcholarum, & Chriſtiani Ordinis Eremitarum S. Auguſtini anno 1387. *Iunij decimâ-tertiâ*: Et deinde ſequuntur litteræ, ut ſuprà. Secundum extat in alio magno libro ad finem ſub hoc titulo: *In nomine Dei, amen. Noverint univerſi, quod hoc eſt tranſumptum, copia ſive exemplum ſumptum per me Notarium publicum infrà ſcriptum, ex quibuſdam originalibus litteris felicis memoriæ D. Stephani olim Pariſienſis Epiſcopi; nec non vidimus ejuſdem litteras ſigillo D. Guilielmi olim Pariſienſis Epiſcopi, eorum ſigillis ſigillatas, ut primâ facie apparebat, & ſigno alicujus publici Notarij non ſignatas, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.* Tertium originale incipit ſic: *Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, &c.* & alia, ut ſuprà in antecedenti; & proſequitur: *Et dictus Magiſter de Monteſono tenens in ſuis manibus quaſdam litteras ſigno publici Notarij non inſignitas, ſigillo D. Stephani olim Pariſienſis Epiſcopi, nec non vidimus ejuſdem litteras ſigillo D. Guilielmi olim Pariſienſis Epiſcopi, eorum ſigillis ſigillatas, ut primâ facie apparebat, &c.* Et alia, ut in antecedenti; ſed proſequitur infrà: *Præfatus verò Magiſter Petrus de Alliaco proteſtatus fuit, quòd de dicto facto ſe non intromittebat, aut intromittere, aut arguere volebat, nec umquam fuerat deputatus ad diſputandum contra ſæpè dictum fratrem de Monteſono. Simili modo reſponderunt Magiſtri, &c.* Quartum extat in charta expanſa pellicea cum alijs inſtrumentis jam temporis injuriâ aliquàntulum corroſis, munitum ſigillo, & teſtimonio Joannis Cousbelli Notarij Apoſtolici, & ejuſdem Univerſitatis; ſed originale hoc nullum habet titulum præfixum, quia incipit à litteris Stephani: *Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Stephanus, &c.*

Ex hujuſmodi inſtrumentis, ſeu principijs conſtitutis ſecundùm veritatem deducuntur, ſeu notanda ſunt ſequentia: Primò, quòd quatuor iſta originalia manu-ſcripta (nullum enim aliud originale impreſſum, aut manu-ſcriptum reperire potui in civitate Pariſienſi, nec in alia qualibet Galliæ Bibliotheca) in omnibus & per omnia nullo mutato apice, correſpondeant cum ſupra-poſitis litteris Stephani: collationavimus enim omnia ſimul coram teſtibus fide dignis die 26. Auguſti horâ quintâ poſt meridiem in ipſo archivo exiſtente apud D. Philippum Bouvot. Secundò, quòd ex his quatuor originalibus tertio loco poſitum videatur eſſe primum, à quo alia tranſcripta ſunt, propter illas duas circumſtantias: *Et dictus Magiſter de Monteſono tenens in ſuis manibus quaſdam litteras, &c.* Et alteram: *Præfatus verò Magiſter Petrus de Alliaco proteſtatus fuit, &c.* Sed iſtæ parùm interſunt pro noſtro aſſump-

Digitized by Google

to, cùm in omnibus originalibus litteræ Stephani eodem modo inveniantur. Tertiò, quòd de prædictis litteris nulla memoria parva, vel magna, aut teſtimonium aliquod ſaltem ſimplex pro tunc, nec modò reperiatur in archivis Eccleſiæ Cathedralis, nec in archivis Univerſitatis Pariſienſis, niſi ſupra-relata extracta è copiâ, ſeu originali exhibito à Joanne de Monteſono. Et quod plus eſt, & admiratione dignum; quòd, cùm condemnatio articulorum Sancti Thomæ facta fuerit à Stephano II. anno 1277. & abſolutio hæc Stephani III. anno 1324. ad annum 1387. quando facta fuit controverſia Monteſoni cum Univerſitate; de abſolutione pręcedente ſolùm per ſexaginta tres annos nulla reperta fuerit tunc memoria, nec modò reperiatur in archivis aut ſcriptoribus illius temporis; & de condemnatione Stephani II. tranſactâ poſt centum & decem annos reperiatur notitia certa in quam-plurimis libris manu-ſcriptis, & in impreſſis abſque numero; ac denique paſſim in hiſtorijs, & actis Stephani II. & hinc Nodus iſte: Quòd antiquior condemnatio articulorum S. Thomæ fuerit adeò publica, & ipſorum prohibitio omnibus notoria; & quòd abſolutio eorum remanſerit ſemper tam occulta & incognita, ut nullo modo reperiatur niſi extracta ex quodam tranſumpto ſimplici, exiſtente apud Patres Prædicatores, & hoc non ſignato manu alicujus Notarij, &c. Sed de hoc infrà iterum redibit aliquid. Quartò, quòd etiam obſervatione præcipuâ dignum eſt, ſcilicet, quòd hæc approbatio doctrinæ S. Thomæ ſive tempore Stephani facta, ſive Monteſoni ſæculo adinventa, tantumdem latuerit, quouſque excitata fuit controverſia Conceptionis. Nam cùm Monteſonus charitativè, & extra-judicialiter monitus eſſet, ut retractaret ſuas propoſitiones, quarum quinque ultimæ & principales erant contra Immaculatam Conceptionem: ipſe firmiter renuit canere palinodiam (& circa hoc contigerunt mirabilia, de quibus locuti ſunt Gerſon, & Alliaco) protectus ſuo argumento, ſcilicet: Doctrina S. Thomæ eſt approbata per Stephanum Epiſcopum; ſed in hac doctrina expreſsè continetur Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, & hoc eſſe de Fide, atque contrarium erroneum; ergò quòd Beata Virgo Maria ſit concepta in peccato originali, eſt concluſio de Fide approbata per Epiſcopum Pariſienſem, & Doctores Univerſitatis, &c. Cùm autem in hac aſſertione obſtinatus perſtitiſſet per multos dies, propter contumaciam, & reus factus premeretur excommunicatione, & alijs pœnis, ut illas judicialiter abjuraret; eodemmet argumento de approbatione doctrinæ S. Thomæ ſe protegebat contra Decreta Univerſitatis, ſic dicens: Doctrina, quæ eſt approbata

bata per ſuperiores, non poteſt ab inferioribus condemnari; atqui doctrina mea, quæ eſt eadem S. Thomę, extat approbata à ſuperiori Epiſcopo Pariſienſi: igitur non poteſt condemnari ab Univerſitate, quæ inferior eſt. Et ſic Monteſonus approbatione doctrinæ S. Thomæ defendebat ſuas aſſertiones, & ſeipſum, dimicando utrâque manu à dextris, & à ſiniſtris contra Conceptionis myſterium, & Virginem MARIAM omnium Matrem, & contra præcepta Univerſitatis Pariſienſis matris ſuæ.

Hanc unicam approbationem Stephani adduxerunt Joannes de Monteſono, & ſui Diſcipuli Pariſijs anno 1387. quia aliam non invenerunt: illâ tamen non obſtante per ſententiam juridicam, & diffinitivum decretum præcepit illi Facultas Pariſienſis, ut publicè revocaret ſuas quatuordecim propoſitiones. Ab iſta ſententia appellavit Monteſonus ad Summum Pontificem Clementem exiſtentem Avenione; at non obſtante iſtâ ſuâ appellatione novis cenſuris adſtrictus fuit ad revocationem ſibi impoſitam. Qui quidem poſt multas inſtantias, replicas, & tergiverſationes juridicas, tandem pollicitus fuit ſe poſt triduum illas revocaturum: ſed intra triduum noctu aufugiens, nunquam ampliùs Pariſijs comparuit; ita ut de tali fuga diceret Joannes Gerſon in quodam tractatu manuſcripto exiſtente in Monaſterio Sancti Victoris Pariſien. volum. 1076. hæc verba ad finem: *Facultas Theologiæ per Bedellum ſuum, & Notarium ad illum miſit; ſecundùm cujus tenorem pollicitus eſt ea, quæ dixerat infra triduum retractare: ſed Iudæi Meſſiam, Arturum Britones, illud nos triduum ſpectamus.* Poſt ſuam verò fugam in Capitulo Generali Toloſano deſtinati fuerunt decem Magiſtri, ut ipſum juvarent ad defenſionem doctrinæ S. Thomę, & ejus approbationis: Et tunc invenerunt aliam Urbani Papæ, ut in ſequenti Nodo principali dicemus.

In approbatione exhibita à Joanne de Monteſono ſub nomine Stephani Epiſcopi, de qua nunc agimus, ſolùm extant duæ clauſulæ, quæ de approbatione doctrinarum loquuntur. Prima eſt: *Nos igitur attendentes cum eis*, id eſt, Doctoribus, *quòd ſacroſancta Romana Eccleſia fidelium omnium mater & Magiſtra in firmiſſima Petri Chriſti Vicarij confeſſione fundata, ad quam velut univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, &c.* Sed hæc non eſt approbatio doctrinæ S. Thomæ, ut de ſe patet. Nam ſi ipſemet Stephanus declarat ad ſolam Romanam Eccleſiam, & Chriſti Vicarium pertinêre approbationem, & reprobationem doctrinarum; igitur Stephanus Epiſcopus Pariſienſis ſecundùm ejus propoſitionem, nec potuit reprobare, nec approbare doctrinam S. Thomę; aliâs ſibi

Digitized by Google

bi ipſi contradiceret. Secunda clauſula & principalis, ubi agit Stephanus de approbatione, eſt illa: *Ac maturo conſilio ſuper hoc habito ſupra-dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantum tangunt, vel tangere aſſeruntur doctrinam B. Thomæ prædicti; ex certa ſcientia tenore præſentium totaliter annullamus.* Hucuſque optimè; ſed notanda eſt clauſula ſequens: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando, ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo. In cujus rei confirmationem, &c.* Ubi eſt ergò hìc approbatio doctrinæ S. Thomæ? Quando ipſemet Stephanus expreſſis verbis affirmat: *Articulos ipſos non propter hoc approbando*; ergò articuli illi non fuerunt approbati à Stephano, ſed tantùm cùm eſſent reprobati, admiſſi ad diſcuſſionem ſcholaſticam, ſicut erant articuli, & opiniones aliorum Doctorum?

Quòd in hac Stephani epiſtola ſeu reſcripto non eſſet aliqua approbatio doctrinæ Sancti Thomæ, benè præviderunt Joannes de Montenigro, & Joannes de Turrecremata. Nam cùm in Concilio Baſilëenſi iterùm fuiſſet excitata controverſia de Conceptione, & pro ſua opinione latiſſimas confeciſſent allegationes, immò libros integros, ubi omnia à fundamentis ventilarunt; de approbatione doctrinæ S. Thomæ nec unicum ſolum verbum protulerunt: quia ad ſacrum Concilium tenebantur proponere veritatem: & clauſula prædicta, *Articulos ipſos non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo*, deſtruebat à fundamentis, & radicitùs evellebat quidquid fabricare vellent, aut plantare pro approbatione doctrinæ S. Thomæ. Hoc ipſum judicavit P. Gyrandus Renerius Doctor Pariſienſis, qui in Gallia poſt prædictos latiſſimum compaginavit tractatum de Conceptione pro ſua opinione. Qui quidem ratione 21. fol. 43. adducit approbationem doctrinæ S. Thomæ pro argumento contra Immaculatam Conceptionem, & clauſulam litterarum Stephani ab illis verbis: *Nos attendentes, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia, &c.* quam legaliter & fideliter tranſcripſit; ſed perveniens ad prædictam clauſulam: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, &c.* illam abſolutè prætermiſit recognoſcens ipsâ totaliter ruere, quidquid fabricare intendebat. Anonymus, qui ſcripſit ad annum 1475. tempore Sixti IV. & quando tota Lombardia erat in contentione magna circa controverſiam Conceptionis, tertiâ viâ ſecundæ partis paginâ 114. adducit de verbo ad verbum litteras Stephani; ſed vitiatas valdè in quam-plurimis clauſulis. Ratio à priori fuit, quia ex una littera, ſive ex uno indiviſibili reſcripto Stephani duas de facto diſpoſuit, atque compoſuit approbationes doctrinæ S. Thomæ, ut tertio Nodo principali videbimus; ſed in utraque

ſub

Digitized by Google

ſub ſilentio prætermiſit præpoſitam clauſulam. Vincentius Bandellus de Caſtro-novo (& idem dico de ſuo Continuatore, ſeu Correctore) in illis quatuor repetitis tractatibus contra Conceptionem; cùm in omnibus adducat clauſulas præcipuas ex litteris Stephani pro confirmatione doctrinæ S. Thomæ, & peccato originali Virginis, ſemper aufugit ab illis verbis: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, &c.* Idem fecit Petrus de Vincentia in ſuo tractatu de Conceptione inſerto in Catêna aurea S. Thomæ; ubi in principio ponit litteras Stephani, ſed non clauſulam, de qua loquimur. Idem invenitur in Tabula aurea operum S. Thomæ, impreſ. anno 1480. & 1490. ubi P. Petrus de Bergamo in principio proponit litteras Stephani. Et ſic diſcurrendo per omnes ſcriptores Ordinis Prædicatorum nullo dempto, clauſulam iſtam, ut minùs aptam ſuæ intentioni, & totaliter deſtructivam approbationis doctrinę S. Thomæ, ſpontè omiſerunt. Vidi enim litteras iſtas Stephani in ſexdecim auctoribus antiquis; ſed nullus adducit clauſulam iſtam, niſi P. Vincentius Dodi, ut infrà patebit.

Sed prætermiſſis Auctoribus iſtis communibus, & antiquis, qui ſcribentes abſque delectu, omnem veritatem circa hanc materiam quaſi in caſum projecerunt: tranſeamus ad ſcriptores communes, ſupponentes pro tota Religione, ut videamus, quâ legalitate litteræ Stephani ab eiſdem tranſcriptę ſint. Et in primis, qui juſſu Pij V. Pontificis Maximi ſub nomine totius Religionis anno 1570. typis mandarunt conjunctim opera omnia Sancti Thomæ, à quibus poſtea omnes aliæ editiones diſpoſitæ fuerunt, ad ultimum tomum illas præfixerunt, ut ſignificarent omnia antecedentia in ſeptendecim tomis eſſe rata, & probata, hoc modo illas adducunt.

Titulum ſic: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in laudem, defenſionem atque favorem doctrinæ ejuſdem D. Doctoris Sancti Thomæ de Aquino.* Et ipſas litteras ſic: *Univerſis præſentes litteras inſpecturis Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus ſalutem in omnium Salvatore. Magiſtra rerum experientia certis indicijs evidenter demonſtrat, multa quibuſdam temporibus ordinata conſultè, novis emergentibus cauſis ſuccedentibus temporibus in contrarium debere conſultiùs immutari. Dudum ſiquidem felicis memoriæ quidam prædeceſſores noſtri Pariſienſes Epiſcopi quoſdam articulos, (ne forſitan eos malè intelligentes caderent in errorem) tamquam erroneos per excommunicationis ſententiam damnarunt, & interdixerunt expreſſè. Quorum tamen nonnulli doctrinam eximij Doctoris B. Thomæ de Aquino de Ordine Fratrum Prædicatorum tangere ab aliquibus aſſeruntur. Quam articulorum & ſententiarum promulgationem, venerabiles viri Decanus, & Capitulum Eccleſiæ Dominæ noſtræ, ſicut veritatis zelatores intimiùs conſide-*

Digitized by Google

rantes; nec non doctrinæ ac famæ Beati Thomæ prædicti injuſtam denigrationem, veritatis occultationem, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aliqualem dehonorationem, per venerabilem virum Magiſtrum Annibaldum Decanum, Atrebatenſem Archidiaconum, ſacræ Theologiæ Doctorem, & D. Petrum de Fagello Pariſienſem Canonicum, eorum propter hoc nuntios ad nos ſpecialiter deſtinatos; nos requiſiverunt, nobiſq; ſupplicarunt, quatenùs vocatis omnibus ſacræ Theologiæ Doctoribus, ac cum eiſdem communicato conſilio, & deliberatione habitâ diligenti; & cum aliis etiam, qui de talibus plura poſſunt, veritatis viam aperiremus, per quam in prædictis articulis, in quantum doctrinam Beati Thomæ prædicti, & Doctoris egregii tangere poſſunt, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Sancti prædicti, & Doctoris venerabilis honorem, & reverentiam ſervaremus. Nos igitur attendentes cum eis, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia, mater omnium fidelium, & Magiſtra Fidei & veritatis, in firmiſſimæ Petri Chriſti Vicarii confeſſione fundata, ad quam velut ad univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum; præfatum Doctorem eximium, & venerabilem, cujus doctrinâ fulget Eccleſia ut ſole luna, nuper Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcribendum decrevit, diligenti diſcuſſione, & examinatione habitâ ſuper vitâ ſanctâ, & doctrinâ clara ipſius ipſumq; quoad vitam puram, & doctrinam ſalubrem orbi terræ dignum, & commendabilem prædicavit. Cupientes glorioſum Deum in Sanctis ſuis, apud fidelium devotionem in terris glorioſiùs exaltari, ac ſacratiſſimæ Matris noſtræ prædictæ deſiderantes veſtigia ſancta imitari, dictumq; confeſſorem & Doctorem glorioſum feliciter in cælis regnantem apud terrigenas devotiùs & celebriùs honorari, & præſertim cùm fuerit univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Univerſitatis noſtræ Pariſien. ſpeculum clariſſimum, & candelabrum inſigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident, claritatis vitæ, famæ claræ, & ſcientiæ lucidæ, velut ſtella ſplendida, & matutina refulgens. Per venerabiles ac dilectos conſiliarios noſtros fideles Magiſtrum Agonem de Biſuntio Cantorem Pariſien. Magiſtrum Stephanum de Novavilla, & D. Odonem de Senonis Canonicum Pariſienſem, inquiſitione factâ ſuper dictis articulis apud Doctores Theologicæ Facultatis, & eorum Congregatione generali regentium, & non regentium, ſæcularium, & regularium, ad hoc ſpecialiter convocatâ; comperto per Dei gratiam dictum confeſſorem Beatum, & Doctorem egregium nihil ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur. De conſilio venerabilium virorum Decani, & Capituli Pariſienſis, & venerabilis P. D. Guilielmi Dei gratiâ Viennenſis Archiepiſcopi ſacræ Theologiæ profeſſoris, & aliorum viginti trium Magiſtrorum in Theologia, unà cum R. P. ſupra-dicto, in litteris cum eorum ſigillis per præfatos

Com-

Commiſſarios nobis commiſſos, nec non & triginta novem Baccalaureorum in Theologia, ſuper hæc per litteras eorum proprijs ſubſcriptionibus, & ſigillis munitis, ſuper hoc conſulentium, & rogantium humiliter, & devotè; & aliorum diſcretorum ſolemni ac maturo conſilio ſuper hoc habito; ſupra-dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantum tangunt, vel tangere aſſeruntur ſanam doctrinam Sancti Thomæ prædicti, & Doctoris eximij, *ex certâ ſcientia tenore præſentium totaliter annullamus. In cujus annullationis teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum: Datum apud Bertilliacum anno Domini* 1325. *die Jovis ante ſacros cineres.*

Iſtæ ſunt litteræ Stephani, ut adducuntur in prima impreſſione Romana, juſſu Summi Pontificis Pij V. editâ, & per conſequens in omnibus alijs modernioribus, nullâ demptâ. Sed iſtæ collatæ & regulatæ cum antiquo exemplari exhibito à Joanne de Monteſono, & exiſtente in archivo Univerſitatis Pariſien. & alio adducto à Gyrando Renerio, teſte oculari, & Ord. Prædicatorum, & à Vincentio Dodi (quem ſolùm invêni quoad totam litteram legalem ſcriptorem) in multis diſcrepant à veritate. Et non curando de verbis parvi momenti, quæ non mutant ſenſum, alia graviter vitiata ſunt ſequentia. Inprimis titulus eſt ſuppoſitus, quia in originali Monteſoni nullus extat, & in alijs ſolùm dicitur, quòd fuerint revocatoriæ cenſurarum, ſeu annullatoriæ condemnationis, & excommunicationis latæ à prædeceſſoribus contra quoſdam articulos, prout tangebant doctrinam Sancti Thomæ, &c. Et quoad hanc partem rectè appoſuit titulum Anonymus ſic: *Aliæ litteræ præfatæ Univerſitatis quamdam condemnationem contra doctrinam Beati Thomæ annullantes. Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus, &c.* In impreſſione Summæ Theologiæ Sancti Thomæ factâ Pariſijs anno Domini 1639. apud viduam Tuſani, ſic extat titulus iſtarum litterarum: *Stephanus Epiſcopus cum Guilielmo Archiepiſcopo Viennenſi, & Univerſitate Pariſienſi.* Et nihil amplius. Iſte multiplicavit approbatores, ſed non approbationes, quod alij fecerunt è contrà, ut videbimus Nodo V. Fuit ergò poſitus extra omnem veritatem titulus ille: *In laudem, defenſionem, atque favorem doctrinæ ejuſdem Divi Doctoris Sancti Thomæ de Aquino.* Et multò magis diſtat à veritate titulus poſitus in hac littera Stephani, in opere de anima Lamberti de Monte, qui talis eſt: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in favorem, & laudem maximam, atque excellentiam ſanæ, ac invictiſſimæ doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis; qui nihil ſenſiſſe, nihil dixiſſe, nihilq́ ſcripſiſſe reperitur, quod veritati vel bonis moribus adverſetur: qui propter nomen ejus ſplendiſſimum per orbem terræ longè latèque prædicatur, uſque adeò quòd à nonnullis Doctor communis appelletur; incipit feliciter.* Et adducit litteras ut ſuprà. In opuſculis

San-

Digitized by Google

Sancti Thomæ impreſſis Venetijs 1508. ſub hoc titulo : confirmatio doctrinæ Sancti Thomæ; de hac ſic dicitur : *Epiſtola Univerſitatis Pariſien. in favorem doctrinæ Sancti Doctoris.* Sicque pro libito jam Stephani, jam Univerſitatis, jam approbationem, jam confirmationem, jam commendationem, unam indiviſibilem Epiſtolam appellabant. Et titulum eſſe additum infrà evidentiùs demonſtrabitur ex P. Vincentio Dodi. Et hæc de mutationibus tituli.

In corpore autem litterarum ſunt alia majoris momenti:nam ubi in originali à Monteſono exhibito dicebatur : *Quam articulorum condemnationem, & ſententiarum promulgationem,* in iſtis noviſſimè impreſſis abſtulerunt ly, *condemnationem*, ut occultarent articulos Sancti Thomæ fuiſſe aliquando condemnatos. Item infrà consequenter, ubi Stephanus : *Pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum,* abſtulerunt vocem : *reprobatio*, ut fecerant ſuperiùs; quia hæc duo verba condemnatio, & reprobatio nimis nocebant propoſito ſuo. Item infrà, ubi in originali ſolùm dicitur : *Doctorem venerabilem*; additum fuit epithetum: *& eximium*. Item ubi in originali tantummodò dicebatur : *Et examinatione præhabitâ ſuper vitâ ipſius, & doctrinâ, ipſumq́, ad vitam puram, & doctrinam ſalubrem orbi terræ commendabilem prædicavit*; in noviſſimis impreſſionibus ſic : *Et examinatione habitâ ſuper vitâ Sanctâ, & doctrinâ clarâ ipſius, ipſumq́ quoad vitam puram, & doctrinam ſalubrem orbi terræ dignum & commendabilem prædicavit*; addendo illa adjectiva : *Sancta*, & *clara*, ut non manerent ſubſtantiva abſque illis honorificis encomijs : & inſuper addiderunt ly, *dignum*, ut commendatio caderet ſupra dignitatem. Similiter ubi in originali : *Doctumq́, confeſſorem feliciter, &c.* additum fuit: *& Doctorem glorioſum*; confeſſor enim de multis dicitur, & deficiebat illud de glorioſo magiſterio. Plus quàm omnia relata diſtant à veritate verba addita à R. P. Joanne Ruipckel dicente : *Sanæ doctrinæ Divi Thomæ maturo ac diligentiſſimo præmiſſo examine veritatis teſtimonium perhibuère, &c.* illud *ſanæ doctrinæ* extat in originali vitiato, alia autem verba neque in vitiato, neque in vero; ſupplevit enim Auctor iſte illud, quod ſibi videbatur deficere. Nota quid ad iſta addiderit Auctor ſeu compilator Analythicæ doctrinæ Sancti Thomæ, impreſ. Pariſijs anno 1615. in prologo; ubi dicit : *Stephano Epiſcopo Pariſienſi aſſiſtentibus 72. Magiſtris, &c. & poſt rigidam diſcuſſionem unanimiter eas omnes Catholicas eſſe pronuntiarunt; atque de univerſa viri Dei doctrina eodem tempore teſtati ſunt, ipſam nihil continere, quod Fidei, aut bonis moribus adverſetur.* Quantum diſtent verba iſta à contentis in litteris Stephani, de ſe patet.

Præcipuè verò notandum eſt, quòd ubi in originali ſolummodò dicebatur : *Speculum clariſſimum vitæ, famæ do-*

Digitized by Google

doctrinæ; ampliatum fuerit ſic: *ſpeculum clarum, ac candelabrum inſigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident claritatis vitæ, famæ claræ, & ſcientiæ lucidæ*. Nota quot, quantaque ſint inſerta in hac brevi clauſula; & pariter obſerva, quòd nec in P. Vincentio Dodi, nec in manu-ſcripto Gyrandi Renerij teſtis, ut ipſemet dicit, prædictarum litterarum oculati, & qui tranſcripſit ab ipſomet originali exiſtente in Sancti Jacobi Conventu Ordin. Prædicatorum Pariſien. ſint hujuſmodi verba. Nec in Anonymo, qui tot tantaque vitiavit in prædictis Stephani litteris, ut proponetur infrà Nodo principali V. Item ubi Stephanus pro maximo Thomæ encomio dixerat: *Flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſien*. judicàverunt illi doctiſſimi Patres hoc eſſe infimum elogium pro gloria S. Thomę, quia ſolùm reſpiciebat perſonam individuam, non autem doctrinæ ſuæ magiſterium; quia flos eſt ſolùm pulcher viſu, uni tantùm utilis quoad vaporis exhalationem, qui uno eodemque die rutilat, & marceſcit, &c. Ideò mutarunt epithetum dicendo: *Fons Doctorum*, quia fons eſt perennis, die noctuque ſcaturiens, non tantùm utilis, ſed neceſſarius ſitientibus, & à quo omnes inceſſanter hauriunt, &c. Sequendo in hoc quæſtiones diſputatas impreſ. Argentinę anno 1507. per P. Joannem Ruinckel, qui etiam pro, *flos*, poſuit, *fons*, & ſic etiam extat in opuſculis impreſ. Venetijs 1508. & ferè omnes ſic legunt, cùm ſit contra veritatem; nam in originali exhibito à Monteſono non dicebatur, *fons*, ſed, *flos*. Item ubi in originali dicitur: *Confeſſorem beatum*; appoſitum fuit ultra confeſſorem beatum, *& Doctorem egregium*. Et ubi in originali dicitur: *Doctrinam prædicti*; additum fuit: *Sanam doctrinam Sancti Thomæ prædicti, & Doctoris eximij*.

Sed tranſeant omnia iſta, ut perveniamus ad ultimam clauſulam pręcipuam litterarum Stephani; videlicet illam: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, nec etiam reprobando; ſed eoſdem diſcuſſioni Scholaſticæ liberè relinquendo*; quæ integra fuit prætermiſſa in editione illâ factâ auctoritate Summi Pontificis Pij V. & in omnibus alijs ſubſequentibus uſque ad ultimam Antverpienſem incluſivè. Quo concluſum manet, quòd omnes ſcriptores Ord. Prædicatorum omiſerint clauſulam iſtam, cognoſcentes in illa, & per illam deſtrui in approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, quidquid ſine illa ædificare conabantur. Sed non eſt juſtitia, æquitas, vel doctrina Catholica evellere quidpiam à veritate, ut aliquid plantetur in falſitate. In reliquis alia ſunt incongruentia; nam ubi in originali tantummodò dicitur: *In cujus rei teſtimonium*; appoſitum fuit: *cujus annullationis teſtimonium*: volebant enim quòd hęc eſſet ſtricta annullatio

Digitized by Google

litterarum prædeceſſoris,& non tantùm abſolutio ab excommunicatione,vel levatio interdicti poſiti. Et ubi in originali dicitur: *Datum apud Gentiliacum*; neſcio quo fundamento appoſitum fuit: *apud Bertilliacum*: quia circa magnam civitatem Pariſienſem nullus eſt pagus vocatus Bertilliacus; benè tamen eſt Gentiliacus quoddam territorium Epiſcopale diſtans à Pariſienſi civitate per quinque milliaria. Illud autem de anno 1325. quando dicendum erat ſecundùm veritatem, & omnes antiquas impreſſiones etiam editas à Patribus Dominicanis,anno 1324. potuit eſſe error Typographiæ. Et hæc de variatióne primâ iſtius approbationis Stephani, factâ à Patribus Romanis tempore Pij V. & conſequenter in omnibus alijs.

Secundum exemplum reperitur in illo inſigni libro edito à Doctoribus Salmanticenſibus de tenenda, ac docenda doctrina Sancti Auguſtini, & Sancti Thomæ. De cujus ſtructura materiali,& formali latè dicemus infrà. In illo ergò, paginâ 191. numero 129. reſpondendo ad quamdam objectionem ſic dicitur: *Non poſſumus non aperire, quòd Auctor objectionis videatur quaſi latenter per ignominiam exprobrare Academiæ Salmanticenſi, quòd videlicet ipſa ſe Thomiſtam faciat, dum ſe doctrinæ Sanctorum Auguſtini, & Thomæ addicit: ſed Academia Salmanticenſis hunc titulum honorificum reputat, ſperatq; ſe illo ornatâ toti Europæ fore conſpicuam, tantùm abeſt, ut erubeſcat vocari Auguſtiniana, vel Thomiſtica. Stephanus Epiſcopus Pariſienſis in quadam epiſtola, quæ incipit: Magiſtra rerum experientia, de doctrina Doctoris Angelici, ſic locutus eſt:* Nota auctoritatem ſequentem extrâctam à citatis litteris Stephani hoc noſtro ſæculo, id eſt, anno 1632. à Doctoribus, & graviſſimis Salmanticenſibus. *Sic locutus eſt: Qui denigrat doctrinam B. Thomæ, occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam; ipſe eſt enim univerſalis Eccleſiæ fulgentiſſimum lumen, fons Doctorum, candelabrum inſigne lucens, per quod, quotquot ingrediuntur vias vitæ, & ſcholas doctrinæ lumen vident.* Ex hac parva auctoritate deſumpta, ut ipſi dicunt,ex litteris Stephani,inferunt pro conſequentiâ iſta quæ ſequuntur: *Si talis eſt Doctor Angelicus, ut qui ab illius doctrina ſe ſeparat, injuriâ afficit Eccleſiam Romanam; ſi eſt lumen fulgentiſſimum Eccleſiæ,fons Doctorum:ſi ejus beneficio,qui ſcholas ingrediuntur,doctrinæ ſecuræ lumen intuentur,quomodo dedecus patietur Academia,unde Eccleſia Romana ſplendorem,& decus accipit?* Ut non retrocedat lector ad legendas litteras Stephani ſupra poſitas, ut quærat unde Doctores iſti Salmanticenſes extraxerint ſuam auctoritatem; proponere decrevi iterum clauſulas formales, ex quibus deſumpta fuit,& illas transcribere. Inquit ergò Stephanus in narrativa ſua: *Quorum tamen nonnulli*, id eſt articuli, *doctrinam eximij Doctoris Beati Thomæ de Aquino, de Ordine Prædicatorum tangere*

ab

ab aliquibus aſſeruntur. Quam articulorum condemnationem, & ſententiarum promulgationem, venerabiles viri Decanus, & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Pariſien. ſicut veritatis zelatores, intimiùs conſiderantes; nec non doctrinæ & famæ Beati Thomæ prædicti injuſtam denigrationem, veritatis occultationem, & Sanctæ Romanæ Eccleſię aliqualem dehonorationem per venerabiles viros Magiſtrum Annibaldum, &c. Hæc Stephanus in narrativa; & poſt viginti lineas in determinatione ſic proſequitur: *Cupientes igitur glorioſum Dominum in Sanctis ſuis, apud fidelium devotionem in terris glorioſiùs exaltari, ac Sanctiſſimæ Matris noſtræ prædictæ deſiderantes veſtigia Sancta pro viribus imitari, dictumq; confeſſorem feliciter in cœlis regnantem apud terrigenas devotiùs, & celebriùs honorari, & præſertim cum fuerit, & ſit univerſalis Eccleſiæ lumen perfulgidum, gemma radians Clericorum, flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſien. ſpeculum clariſſimum, & inſigne, claritate vitæ, famâ doctrinæ velut ſtella ſplendida, & matutina refulgens. Per venerabiles ac dilectos, &c.* Sic extant clauſulæ iſtæ in originali vero & legitimo Stephani.

Ex quibus deducitur, quòd Doctores Salmanticenſes ex duabus clauſulis inter ſe ſummè diſtantibus, narrativâ unâ, deciſivâ alterâ, ſuam brevem conflaverint auctoritatem. Et ex illis verbis: *Quam articulorum condemnationem, & ſententiarum promulgationem, venerabiles viri Decanus, & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Pariſienſis, ſicut veritatis zelatores, intimiùs conſiderantes, nec non doctrinæ & famæ Beati Thomæ prædicti injuſtam denigrationem, veritatis occultationem; & Sanctæ Romanæ Eccleſię aliqualem dehonorationem;* compoſuerunt iſtam: *Qui denigrat doctrinam Beati Thomæ, occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam.* Quo nihil longius à veritate in hac materia excogitari potuit; verba enim Stephani ſolùm dicunt, quòd conſiderantes illi Doctores, zelatores veritatis, ex una parte antiquam condemnationem articulorum Sancti Thomæ, & quòd inde ſequeretur aliqua injuſta denigratio famæ ipſius Angelici Doctoris; & ex altera etiam quòd Romana Eccleſia aliqualem poſſet participare dehonorationem, quatenùs fortè auderent dicere blaſphemi, ſeu hæretici, quòd Eccleſia inſcia, & præcipitantèr canonizaſſet Sanctum Doctorem illum, in cujus doctrina ante quadraginta ſex annos Epiſcopus Pariſienſis, & Doctores Facultatis Theologiæ invenerant, ſeu condemnarant ducentos viginti duos articulos, ut hæreticos, aut erroneos in Fide. Et quod tunc prudenter timebatur, anno præterito 1660. in publicis Theſibus propoſuit quidam hæreticus in Germania. Et circa hoc prudentiſſimè allegabant Procuratores, & Commiſſarij Ordinis Prędicatorum; & maturè Doctores illi, veritatis zelatores, conſulebant Epiſcopo Stephano, ut levaret prædictam re-

Digitized by Google

probationem propter ſcandalum imminens, famam Sancti Thomæ, & honorem Eccleſiæ. Et hæc fuit potiſſima cauſa, quâ motus Stephanus levavit articulorum interdictum, ſuſpenſionem, & excommunicationem poſitam à ſuis prædeceſſoribus. Sed verba iſta quantum mutata ab illis: *Qui denigrat doctrinam Beati Thomæ, occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam*? Item nota pluralitatem, quia quod unus promulgavit, alij ſubſequentes, vel tacitè, vel expreſsè confirmarunt: de quo nullum invenio inſtrumentum, nec eſt; ſed ſolummodò illa verba prolata à Stephano: *Quidam prædeceſſores noſtri Pariſienſes Epiſcopi quoſdam articulos tamquam erroneos per excommunicationis ſententiam damnarunt*. Sed tranſeat hoc; oſtendant quando, ubi, vel quomodò dixerit Stephanus: *Qui denigrat doctrinam Beati Thomæ, occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam*. Illi finxerunt verba iſta, ut de ſe patet; & ſtatim in hanc foveam incidit alter Hiſpanus ſcriptor ſcilicet, P. Didacus Nuño Cavezudo, qui in 3. part. impreſ. Coloniæ 1630. ſub hoc titulo: *Comprobata doctrinæ Thomiſticæ firmitas, celſitudo, &c.* inter alia inquit: *Stephanus Pariſiorum Epiſcopus, cum tota Univerſitate Pariſienſi in Bulla: Magiſtra rerum experientia, qui denigrat doctrinam Sancti Thomæ, occultat veritatem, & dehonorat Sanctam Romanam Eccleſiam*. Falſum eſt, quòd illa Stephani ſit Bulla, falſum quod cum tota Univerſitate Pariſienſi ipſam expedierit, & plus quàm falſum, quòd in prædicta Bulla extent talia verba. Suntne iſta tolerabilia in Eccleſia Dei? ſed pro nunc admitto illa ut dicta à Patribus Dominicanis, ut ex ipſis ſolvant Nodum: quis, videlicet, plus dehonorat Sanctam Eccleſiam Romanam, qui denigrat doctrinam Sancti Thomæ, vel qui denigrat puritatem Dei Matris? Et hæc de prima particula auctoritatis adductæ à Salmanticenſibus.

Secunda ſic ſe habet: *Ipſe eſt enim univerſalis Eccleſiæ fulgentiſſimum lumen, fons Doctorum, candelabrum inſigne lucens*. De primis verbis non curamus, quia ſic extant in litteris: *Præſertim cum fuerit & ſit univerſalis Eccleſiæ lumen perfulgidum*; & ferè idem ſunt; licet hic ſonent aliter, quia eſt ratio motiva. Sed ſequentia non correſpondent veritati, nam ita poſita abſolutè. *Fons Doctorum, candelabrum inſigne lucens*; auferendo taxativam clauſulam Stephani: *Univerſitatis noſtræ Pariſien.* abſolutè & ſimpliciter mutarunt ſenſum, affirmando Sanctum Thomam eſſe Doctorum Eccleſiæ fontem, & ſic depingunt modò Angelicum Doctorem ſupra fontem mittentem rivulos aquæ, ex qua, ideſt, doctrina, bibunt omnes Doctores Eccleſiæ: & nullum aliud fundamentum extat ad hoc, niſi verba propoſita pro ſuo arbitrio ab aliquibus PP. Dominicanis, qui de flore fecerunt Sanctum Thomam fontem;

tem; ſed qua veritate jam vides; Stephanus enim ſatis clarè & expreſsè dixit: *Flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſienſis*. Quantum enim diſtent inter ſe, eſſe fontem, ſeu florem Doctorum Univerſitatis Pariſienſis, & fontem omnium Doctorum Eccleſiæ, non indiget ponderatione. Ultima clauſula à primo uſque ad ultimum verbum eſt ficta, falſa, & ſuppoſita; quia nec ſyllaba illius extat in originali antiquo & legitimo Stephani: & ſi antecedens eſt hoc modo, videant Doctores Salmanticenſes, quid dicendum ſit de ſua deducta egregia conſequentia.

Inſuper valdè notandum eſt, quod P. F. Vincentius Dodi in illa ſua quæſtione Apologetica, ſcripta circa annum 1500. contra P. de Caſſinis pag. 8. ad litteram adducat integram iſtam Stephani, ſeu Univerſitatis Bullam; ſed ita legaliter, ut neque in apice diſcrepet à veritate, neque à tranſumpto ſupra-poſito ex authographo Univerſitatis Pariſienſis. Unde evidenter comprobatur ex teſtimonio iſtius PP. Dominicani antiqui Univerſitatem legaliter eam tranſcripſiſſe, & nos ab ipſa, & per conſequens omnia ſuperiùs à nobis notata circa additiones factas, ac clauſulas integras demptas ab Anonymo, Petro de Bergamo, PP. Romanis & Salmanticenſibus & alijs eſſe vera. Siquidem in tranſumpto allegato à Patre Dodi non reperitur titulus, nec clauſula illa Salmanticenſium, & Patris Nuño, neque, *eximium*; nec, *clara ipſius ipſumq; quoad vitam puram, &c.* neque, *Doctorem glorioſum*; neque, *fons*, ſed *flos*; neque, *candelabrum lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen videant claritatis vitæ, famæ claræ & ſcientiæ*; nec, *Doctorem egregium*; nec, *Doctoris eximij*; nec illud, *in cujus annullationis*; nec dicitur, *in cujus annullationis*, ſed, *in cujus rei teſtimonium*; nec data eſt, *apud Bertilliacum*, ſed *apud Gentiliacum*; nec *anno* 1325. *ſed* 1324. & præcipuè ac principaliter quòd ſolus P. Dodi tranſcripſerit fideliter illam clauſulam ab omnibus alijs prætermiſſam. *Articulos ipſos non propter hoc approbando ſeu etiam reprobando, ſed eoſdem diſcurſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo*: Quid igitur ex hac ſincera confeſſione P. Dodi deducatur contra ejuſmodi ſcriptores, lectori conſiderandum relinquo. Ipſe ſcribebat contra Fratrem quidem Franciſcanum, ſed religioſè, quia non occultavit veritatem.

Sed dicent, illos non extraxiſſe auctoritatem ſeu Bullam ex proprio originali vero exiſtente Pariſijs, aut ex P. Dodi, neque ex aliquo ſcriptore antiquo ſuæ Religionis; ſed ex modernis operibus Sancti Thomæ, impreſſis mandato & auctoritate Summi Pontificis Pij V. ſed de hoc quid curat veritas? Immò inde ſuum ſumit argumentum: quòd, licet opera illa Sancti Thomæ fuerint impreſſa juſſu & mandato Summi Pontificis, non ſit deducenda illa conſe-

quentia communis, quam frequenter proponunt ſic : opera S.Thomæ ſunt impreſſa auctoritate, juſſu,& mandato Sedis Apoſtolicę;ergò omnia,quæ in illis operibus fuerunt edita, ſunt S.Thomę,& vera:non valet,inquam; quia iſtæ litteræ Stephani, & alia infrà detegenda ſunt in illa editione, & tamen non ſunt vera, quin potiùs ſcatent vitijs. An, quia ipſi inconſideratè fuerunt decepti,debemus nos & tota Eccleſia eidem ſubjici deceptionis incommodo? Sed admittamus recurſum, & videamus an ſecundùm illam editionem Doctores Salmanticenſes dixerint veritatem. In primis in ea non reperitur clauſula illa: *Qui denigrat doctrinam Beati Thomæ,occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam.* Sequentia etiam manent corrupta. Nam ab illo, *Fons Doctorum*, abſtulerunt illud: *Univerſitatis noſtræ Pariſien.* & pariter ubi Romani Doctores dixerunt: *ſanæ doctrinæ*; Salmanticenſes appoſuerunt: *Sanctæ doctrinæ*; quia dicere doctrinam Sancti Thomæ eſſe *ſanam*, judicarunt eſſe elogium infimum, & commune multis; & ſic mutarunt epithetum *ſanæ*,in *Sanctæ*,ut doctrina Sancti Thomæ ſemper & ubique,atque per antonomaſiam diceretur doctrina *Sancta*: tamen ex his duobus epithetis nec unum volunt concedere puritati Virginis, quia ipſam nolunt profiteri nec *ſanam*, nec *Sanctam*. Item ubi Romani ſcripſerunt: *omnes*; Salmanticenſes dicunt: *quotquot*,quia hæc,licet univerſalis etiam, ſicut *omnes*,eſt tamen alterius generis ſublimioris; ut poſtea notabimus cum P. Arriaga loquendo de hac eadem doctrina Sancti Thomæ: nam univerſalis, *omnis*, admittit exceptionem; hæc autem univerſalis individuativa, *quotquot*, nullo modo. Item ab illo: *lumen vident*, abſtulerunt Salmanticenſes ſequentia verba: *Claritatis vitæ, famæ claræ, & ſcientiæ lucidæ*;in quibus facit Stephanus relationem de vita, fama, & ſcientia Sancti Thomæ. Dixerat ſuprà in narrativa, quòd ex condemnatione articulorum tangentium doctrinam Sancti Thomæ, ſequeretur in doctrina, & fama Angelici Doctoris quædam injuſta denigratio,nunc autem in deciſione voluerunt, non Stephanus, & Doctores Pariſienſes; ſed illi doctiſſimi viri, qui de mandato Summi Pontificis Pij V. deputati fuerunt ad diſcernenda opuſcula Sancti Thomæ,ut inquit Pater Nazarius fol. 12. addere ex proprijs ad præpoſitas litteras Stephani, quòd ex relevatione interdicti, omnes qui ingrediuntur ſcholas, aut vias arripiunt doctrinæ ſacræ Theologiæ, vel Scripturæ, viderent lumen claritatis vitæ,& famæ claræ Sancti Thomæ, & pariter ſcientiæ lucidæ ejuſdem. Iſte eſt ſenſus grammaticalis ab illis doctiſſimis viris prætenſus in ſua addita clauſula ad verba Stephani; non autem ille expreſſus à Salmanticenſibus: *Sanctus Thomas eſt fons Doctorum, & univer-*

ſalis Eccleſia lumen, ac candelabrum inſigne lucens, per quod, id eſt candelabrum lucens, *quotquot ingrediuntur vias vitæ, & ſcholas doctrinæ Sanctæ, lumen vident*; nam hoc modo diſpoſitâ auctoritate facit hunc ſenſum: Quiſquis ingreditur vias vitę (Nota pluralitatem viarum, & etiam de qua vita hoc voluerunt intelligi) & ſcholas doctrinæ Sanctæ, cujuſcumque doctrinæ Sanctæ fuerit ſchola Theologica poſitiva, &c. *lumen vident*, per candelabrum inſigne lucens doctrinæ Sancti Thomæ: quia nullus poteſt videre lumen vitę & doctrinę in vijs, ſive in ſcholis, niſi quem doctrina S. Thomæ illuminaverit, vel qui illuminatus fuerit ab Angelica doctrina, quæ lux eſt. Nam Scotica nihil aliud eſt, quàm tenebrę, ut nudius-tertiùs dixit in oratione Sancti Thomæ quidam Pater Lovanienſis, ad quam invitati etiam fuerant Fratres Minores.

Denique R. P. Joannes Paulus Nazarius in illo inſigni opuſculo de ſcriptis Divi Thomæ Aquinatis, folio 71. inter alia teſtimonia pro recommendatióne, ſeu approbatione doctrinæ Sancti Thomę, ſic inquit in verbis curſivis characteribus ſignatis: *Vigeſimus eſt Stephanus Pariſienſis Archiepiſcopus*; Stephanus non fuit Archiepiſcopus, ſed Epiſcopus. *Cum tota nobiliſſima illius Civitatis Univerſitate*; non fuit cum tota, immò nec cum vigeſima parte. *Hic enim omnibus Doctoribus*; non fuerunt niſi viginti tres Doctores. *Numero* 72. adhuc numeratis triginta novem Baccalaureis relatis in epiſtola non ſunt niſi 62. *Simul congregatis*; nec duo fuerunt congregati, ſed ut dicitur ab eodem Stephano, per litteras, ſeu ſchedulas rubricatas ſubſcriptionibus & ſigillis munitas auditi. *Anno* 1325. non fuit niſi anno 1324. *Longâ præmiſſa conſultatione*; nec fuit longa, nec præmiſſa, nec conſultatio, ſed unicâ die, immò & horâ concluſa. *De multis propoſitionibus S. Thomæ*; nec unica fuit ad examen revocata. *Aliàs ad inſtantiam quorumdam invidorum ab eadem Univerſitate damnatis*: ecce qualiter fatetur propoſitiones S. Thomę fuiſſe damnatas. In eo autem quod dicit *ad inſtantiam quorumdam*, fallitur; nam nulla fuit inſtantia, ſed ex officio proceſſit Epiſcopus; nec propter quoſdam invidos, ſed propter ſcandalum ortum ex eiſdem articulis; nec ſolùm ab Univerſitate damnatis, ſed etiam ab Epiſcopo. *Poſt diligentiſſimum ſingularum examen*; nec diligens, nec non diligens fuit ſaltem unius propoſitionis examen, ut infrà videbimus. *Eas omnes & ſingulas Catholicas eſſe judicarunt*: nec omnes, nec ſingulas judicarunt eſſe Catholicas; ſed ſolùm permiſerunt ut poſſent inter ſcholaſticos liberè diſcuti ut opinabiles. *Suamq; diffinitionem hoc inſigni Sancti noſtri Doctoris elogio decorarunt*: non fuit illa diffinitio, ſed abſolutio cujuſdam excommunicationis. An autem hoc fuerit inſigne elogium, in ſuperioribus viſum eſt: *Fuit Sanctus Thomas*

uni-

Digitized by Google

univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſienſis, ſpeculum clariſſimum & candelabrum inſigne ac lucens, per quod omnes, qui vera vitæ, & Sanctæ doctrinæ vias ingrediuntur, lumen vident: claritate vitæ, fama clara, & ſcientiæ lucidæ velut ſtella ſplendida, & matutina refulgens. Sic adducit Nazarius auctoritatem Stephani, quæ nec concordat cum antiquo originali & vero adducto, etiam à Patre Dodi ſui ordinis ſcriptore; nec cum originali Romano à doctiſſimis ſuis viris diſpoſito, ut ipſe dicebat folio 12, immò ab illo ſunt pluſquàm duodecim verba variata; ſed ipſi ignoſcendum in omnibus, quia ſaltem non addidit illam clauſulam Salmanticenſium: *Qui denigrat doctrinam Beati Thomæ, occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam.* Et concludit Nazarius ſic: *Poſt quæ ſequitur ejuſdem Univerſitatis decretum, ſtatuens Divum Thomam Dei gratiâ nihil ſenſiſſe, docuiſſe, vel ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur.* Sed illud nec fuit decretum Univerſitatis, ſed Stephani. Et hoc magnum & eximium elogium, ſcilicet: quòd Sanctus Thomas per Dei gratiam, nihil umquam ſenſerit, dixerit, ſeu ſcripſerit, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur; tamquam verum recipimus, toto corde amplectimur, cujus vim infrà enodabimus.

Inter iſtas duas extremas litteras, antiquam Joannis de Monteſono, Univerſitatis Pariſienſis, & P. Vincentij Dodi veram, & noviſſimam omnium aliorum, decrevi adducere hîc aliam mediam, ex qua cognoſcetur clarè, quantùm omnes diſtent à veritate. P. Raphaël de Pornaſio in ſuo tractatu de prærogativa Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad finem ſic adducit litteras iſtius Stephani, ſub hoc titulo: *Magiſter Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, in quodam ſuo patenti reſcripto ſic habet.* Et ſine alio articulo proſequitur: *Ad futuram rei memoriam. Ad laudem, & honorem, & gloriam Beati Thomę de Aquino de Ordine Fratrum Prędicatorum: Noverint Univerſi has litteras inſpecturi, quòd nos Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus, unà cum venerabili viro Decano, & Capitulo Dominæ noſtræ, ſicut veritatis zelatoribus, nec non venerabili viro Domino Annibaldo de Cechino Sacræ Theologiæ Doctore, & Magiſtro Hugone de Biſunto, Cantore Pariſienſi, & venerabili Patre Guilielmo Dei gratiâ Archiepiſcopo Viennen. Sacræ Theologiæ Doctore, & alijs viginti tribus Magiſtris in Theologia, nec non triginta novem Theologiæ Baccalaureis, regentibus, & non regentibus, Regularibus, & Sæcularibus. Attendentes, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia ita magnificavit Sanctum ſuum Thomam de Aquino benedictum, & colendum dederit univerſis; cupientes glorioſum Deum in Sanctis ſuis apud fidelium devotionem in terris glorioſius exaltari, ac Sanctiſſimæ Matris noſtræ deſiderantes veſtigia Sancta imitari, dictumq; confeſſorem felicem jam in cælis reg-*

regnantem apud terrigenas devotiùs, ac celebriùs honorari, præſertim cùm fuerit & ſit univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians clericorum, fons Doctorum, Univerſitatis noſtræ Pariſien. ſpeculum clariſſimum, & inſigne, claritate famæ, & doctrina velut ſtella ſplendida, & matutina refulgens, & cùm noverimus luce clariùs eum numquam ſenſiſſe, dixiſſe, vel ſcripſiſſe quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur; propter quæ tam mirifica ſigna, & laudabilia de prædicto Sancto inventa, ipſum Sacroſancta Romana Eccleſia SS. Confeſſorum catalogo fecit aſſignari. Nos cum tota Univerſitate Pariſien. cum ſigillis noſtris, huic approbationi appenſis, inter ſummos Doctores Eccleſiæ locum habere feliciter & veraciter approbamus. Dat. Pariſijs die Iovis antè ſacros cineres anno Dom. 1324. Nullus ſani judicij dubitare poterit litteras iſtas eſſe ipſiſſimas Stephani Epiſ. præſentatas à Joanne de Monteſono, & ab alijs relatas. Sed ſi aliquis cernendo tantam variationem, diceret eſſe diſtinctas, atque totaliter diverſas, non loqueretur abſque aliquo fundamento, quia ingens inter iſtas eſt improportio à principio, & introductione illa: *Ad perpetuam rei memoriam, &c.* uſque ad ultimam: *Nos cum tota Univerſitate Pariſien. cum ſigillis noſtris, huic approbationi appenſis, inter Summos Doctores Eccleſiæ locum habere feliciter, & veraciter approbamus.* Propter hæc enim, & alià variata à Pornaſio, Anonymus, qui poſt aliquos annos ſcripſit, & ab ipſo tranſcripſit (ut in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS videbimus, ubi mirabilia nos expectant) auſus eſt affirmare litteras iſtas eſſe penitùs diſtinctas, & antecedentes fuiſſe expeditas à Stephano Epiſcopo, & iſtas à tota Academia Pariſienſi, & ſub iſtius titulo, ac nomine aliam introduxit approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, ut videbimus Nodo principali V. Fran. Sylvius orat. 2. de Sancto Thoma pag. 176. loquendo de illa revelatione facta Alberto de Brixia, de gloria Sancti Thomæ ac Sancti Auguſtini, de qua Sanctus Antonin. 3. par. titulo 23. capite 7. (& nos in SOLE VERITATIS) ſic inquit: *Ejus autem lateri vicinum extitiſſe Epiſcopum venerandâ canitie, nec ornatu minori, nec paucioribus inſignis, quàm ipſum Aquinatem, & dixiſſe: Thomas, quem vides, doctrinam meam, & Apoſtolicam in omnibus ſecutus eſt. Ipſe igitur mihi par eſt in gloria, virginali me excedens munditiâ, & ego illum Pontificali excellentiâ. Meritò igitur Stephanus Pariſiorum Epiſcopus pronuntiavit: hujus Sancti doctrinâ fulgere Eccleſiam, ut ſole luna. Fuit enim univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Univerſitatum ſpeculum clariſſimum, candelabrum inſigne, &c.* & ſic variatam tranſcribunt alij iſtam auctoritatem, ſeu clauſulam litterarum Stephani. Propoſuimus hucuſque non omnia, nec dimidiam partem illorum, quæ ſunt pro parte contraria ſcripta, & excogitata circa has litteras Stephani; ſed adminiſtravimus ſufficientia

Digitized by Google

ad dignoſcendum, quòd omnia alia ſint hujuſmodi; & ſimul ad reſtituendas litteras Stephani in tantis vitiatas, atque corruptas priſtino ſuo veritatis candori, atque legalitati.

Sed nolo recedere ab hâc unâ relatâ à Franciſco Sylvio de apparitione Sancti Auguſtini & Angelici Doctoris; quę revelatio ut ſingulariſſima recitatur in omnibus libris, immò etiam in officijs Eccleſiaſticis, ita ut omnes uno ore affirment eam fuiſſe oſtenſam cuidam diſcipulo Angelici Doctoris vocato Alberto de Brixia. De quo hoc unum aſſeverare audeo me legiſſe Summam prædicti Patris Alberti de Brixia in Monaſterio Floreſienſi Patrum Norbertinorum propè Namurcum in Flandria; ſed in tali Summa, quæ ſatis magna eſt, revelationem hujuſcemodi invenirę minimè potui. Sed tranſeat hoc, quia fortè extat in alio incognito libro hujus auctoris; vel fortè eſt traditio habita inter ipſos ſicut eſt illa: *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* At neſcio quid nobis dicendum erit dè P. Henrico Caldenhaven in libro de Archi-confraternitate Sanctiſſimi Roſarij impreſſo ſecundò Coloniæ anno 1627. ubi ad finem capitis 3. folio 253. loquendo de hac revelatione inquit: *Quem ex viſione Fratris Reginaldi Sancto Auguſtino virginali munditiâ prælatum, &c.* attribuit igitur Auctor iſte Fratri Reginaldo ſocio ac diſcipulo Sancti Thomæ revelationem, quam omnes antiqui nullo excepto affirmant fuiſſe factam Fratri Alberto de Brixia. Non intendo in his labefactare revelationem; abſit hoc, ſed tantùm deſidero demonſtrare quòd nulla fides præſtanda ſit talibus ſcriptoribus, quia fortè aliquis ſimilibus æquivocationibus deceptus exiſtimaret, & ſcriberet iſtas fuiſſe duas revelationes diſtinctas, factas diverſis perſonis ac temporibus; nam & hoc ipſum contigit cum illa de Chriſto Domino dicente: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, ex qua propter incautam variationem locorum fecerunt poſteà tres diverſas, vel quinque, ut ſuo loco dicetur.

Reſtat nunc inquirere aliud: an, ſcilicet, in prædictis litteris contineatur aliqua approbatio formalis, expreſſa vel tacita, in toto vel in parte doctrinæ Sancti Thomæ? Et pro fundamento ſolido, propono quid circa hanc materiam dixerit Univerſitas Pariſienſis in illo ſuo libro edito tempore Joannis de Monteſono: & relictis illis ſupra-dictis de approbatione in communi, circa hanc individuam *Stephani* proſequitur Univerſitas ſic: *Ex omnibus igitur prædictis clarè patet tertia concluſio principalis* (erat autem concluſio principalis, quòd doctrina Sancti Thomæ numquam fuiſſet per Eccleſiam approbata) *Sed adhuc circa præmiſſa occurrit dubitatio: cùm enim in prima concluſione dictum ſit doctrinam S. Thomæ aliquo modo eſſe per Eccleſiam approbatam, id eſt, tamquam utilem, & in Fide probabilem.*

divul-

divulgatam : dubium eſt; utrùm hujuſmodi approbatio ſit ſolùm tacita per Eccleſiæ tolerantiam, aut utrùm ſit expreſſa approbatio per Bullam Apoſtolicam, aut aliam litteram authenticam. Hic enim duplex modus approbationis in principio hujus capituli tangebatur. Ad hoc autem dicunt quidam, quòd doctrina Sancti Thomæ non ſolùm eſt tacitè approbata, ſicut doctrina quorumdam aliorum Doctorum; ſed eſt approbata expreſſè per Bullam Summi Pontificis, ac etiam per litteram authenticam D. Stephani Epiſcopi Pariſienſis, de conſilio Doctorum Theologiæ Facultatis : & ex hoc nituntur improbare proceſſum factum contra Fratrem Joannem per Facultatem Theologiæ, & deinde per Epiſcopum Pariſienſem, ſcilicet, quantùm ad aliquas aſſertiones damnatas, tangentes doctrinam Sancti Thomæ, ut aſſerunt. Sed circa hoc ad confirmationem priùs dictorum ſunt aliquæ propoſitiones notandæ. Prima eſt; quòd in dicto proceſſu numquam fuit exhibita aliqua Bulla Papæ, neque ipſius copia ſuper confirmatione vel approbatione dictæ doctrinæ; & ideò cùm idem ſit judicium de his, quæ non ſunt, & de his, quæ non apparent, ſicut dicunt jura, ſequitur quòd hoc non debuit dictum proceſſum impedire. Secunda propoſitio eſt, quòd eſto, de quo tamen non conſtat, quòd doctrina Sancti Thomæ eſſet expreſſè approbata per Bullam Papæ, &c. Ex quibus verbis deducitur, in illa gravi controverſia (in qua fuerunt nominati ex parte Religionis Fratrum Prædicatorum Procuratores, & Commiſſarij Generales, & præſentatæ per Joannem de Monteſono litteræ Stephani Pariſienſis) nullam Bullam Urbani V. fuiſſe exhibitam in judicio, nec de tali Summi Pontificis approbatione fuiſſe inter Patres Prædicatores, aut alios vel minimam notitiam; cùm ab electione Urbani V. uſque ad illam controverſiam tranſijſſent jam viginti quinque anni, & ab expeditione prætenſæ Bullæ viginti : ſed de hac approbatione dicemus latè in ſequentibus.

Accedit denique Univerſitas ad litteras, & approbationem Stephani Epiſcopi, de qua modò agimus, & dicit ſequentia : *Tertia propoſitio eſt, quòd littera D. Stephani Epiſcopi Pariſienſis ſuperiùs allegata, & coram dictâ Facultate per quoſdam Fratres Ordinis exhibita non debuit dictum proceſſum in aliquo impedire; nec probat intentionem partis adverſæ, ſed magis facit ad confirmationem dicti proceſsûs, & eorum, quæ ſupra-dicta ſunt. Et hoc declarabitur in multis clauſulis dictarum litterarum. Primò quidem, quia in prologo dicitur : Magiſtra rerum experientia, &c.* Et diſcurrit Univerſitas per ſingulas clauſulas litterarum Stephani, demonſtrando ex ipſiſmet nullam in eiſdem eſſe approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, ſed potiùs è contrà. Et hìc obſervare licet, quòd Univerſitati fuerint exhibitæ duæ copiæ litterarum Stephani : una à Joanne de Monteſono, & altera poſt ejus deceſſum à Procuratoribus Ordinis Prædicatorum : & hæc eſt illa copia ſimplex ſu-

ſuprà quarto loco poſita abſque aliqua ſubſcriptione, vel titulo: unde confirmatur illud ſupra-dictum circa titulum additum ad litteras Stephani Epiſcopi, ſcilicet: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in laudem, defenſionem, atque favorem doctrinæ ejuſdem D. Doctoris Sancti Thomæ de Aquino*; quia talis titulus nec extabat in originali Monteſoni, nec in illo poſtea exhibito per Fratres Ordinis, &c.

In diſcurſu ſuæ demonſtrationis inquit Univerſitas: *Quartò patet ex iſta clauſula, quòd relatio Conſiliariorum dicti Stephani Epiſcopi, ſuper deliberatione Theologiæ Facultatis, fuit multùm irrationabilis: quia ibi dicitur, quòd per eos fuit compertum, & relatum, dictum confeſſorem nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod Sanctæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur. Modò notandum eſt, quòd pro tunc non potuit conſtare dictæ Facultati Theologiæ de omnibus, quæ Sanctus Thomas ſenſit, aut verbo docuit; ſed ſolùm de his, quæ ſcripſit, & ſcripto reliquit; nec adhuc de omnibus, quæ ſcripſit, potuit conſtare in una congregatione, ſeu deliberatione Facultatis prædictæ; de qua tamen ſola fit mentio in prædicta littera; & illa locutio ideò eſt multùm irrationabilis, & exceſſivè favorabilis. Et hoc fortè contingere potuit ex ignorantia, vel inadvertentia Notarij dictam litteram componentis; nam illa littera non fuit data in ſolemni auditorio, ſed apud Gentiliacum extra Pariſios, ut in fine ipſius litteræ patet, &c.* Hæc dicebat Univerſitas Pariſienſis, & ſatis rationabiliter, circa annum 1390. quando in catalogo operum Sancti Thomæ non erant ſub ejus nomine divulgata quadraginta opuſcula ſeu tractatus: quid autem diceret, ſi modò videret editos eſſe ſub nomine Sancti Thomæ centum ſeptuaginta? Item obſervandum eſt; quòd omnia verba Univerſitatis hìc relata ſunt emphatica & palliata; prudentiſſimè tamen, quia plus ſignificant in medulla, quàm in cortice exprimunt, præcipuè contenta in illa clauſula: *Et hoc fortè contingere potuit ex ignorantia, vel inadvertentia Notarij dictam litteram componentis:* Licet enim apertè cognoſceret non eſſe Univerſitatis ſtylum, diſpoſitionem, & verba contenta in illa Epiſtola; noluit tamen indagare, an eadem epiſtola eſſet vera vel falſa, ideò loquitur per circumloquia vertendo calamum contra perſonam auctoris Epiſtolę, ſub nomine & prętextu Notarij litteram componentis.

Perveniendo ergò ad ultimam clauſulam, quæ præcipua eſt in hac materia, ſic inquit Univerſitas: *Secundò patet, quòd nec hujuſmodi littera eſt approbatio illorum articulorum prius condemnatorum; ſed ſolùm annullatio condemnationis eorum: & ideò Pariſienſis Epiſcopus cum conſilio Magiſtrorum Facultatis Theologiæ poſſet dictam annullationem revocare, & eoſdem, ſeu alios doctrinæ Sancti Thomæ articulos, ſi oſtenderetur cauſa rationabilis, condemnare. Et hoc quidem manifeſtè ex ſexta & finali clauſula ejuſdem litteræ: nam poſt dictam annulla-*

nullationem appoſitâ modificatione, quâ dicitur : Articulos ipſos non propter hoc approbando, nec etiam reprobando, ſtatim ſubjungitur : ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo. Ex his patet manifeſtè oppoſitum, quia quidquid in doctrina Theologica diſcuſſioni ſcholaſticæ ſic liberè relinquitur, ſi per hujuſmodi diſcuſſionem inveniatur erroneum, poteſt rationabiliter condemnari. Aliter enim fruſtrà eſſet hujuſmodi diſcuſſio : nam Theologicæ diſcuſſionis finis eſt veritas, & approbatio veritatis, & condemnatio falſitatis. Ex quibus omnibus patet, quòd dicta littera in nullo juvat partem adverſam, ſed magis eſt contra eam. Et hoc clarum eſt cuilibet, cui inordinata affectio non obtenebrat oculum rationis. Et hæc in generali ſufficiant circa approbationem doctrinæ Sancti Thomæ. Sed adhuc in ſpeciali quædam dicenda circa doctrinam ejus ſunt, &c. Nota quomodò conſonet veritas veritati : in quatuor originalibus litterarum Stephani extat clauſula illa : *Articulos ipſos non propter hoc approbando, nec etiam reprobando, ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo*; quæ etiam hîc formaliter invenitur in defenſorio Univerſitatis, & in alijs quatuor originalibus ejuſdem manu-ſcriptis. Hęc enim littera numquam fuit typis mandata, neque ad finem Magiſtri Sententiarum, neque in actis Univerſitatis Pariſienſis impreſſis anno 1651. in 4. regali abſque Auctoris nomine : quia ſemper fuit habita pro vehementer ſuſpecta de veritate. Poſt ſuprà relata de approbatione doctrinæ Sancti Thomę in generali ; deſcendit Univerſitas ad eamdem materiam in ſpeciali; & tot tantaque dicit, ut poſt multa concludat ſic : *Quinta concluſio, quòd prædicta Sancti Thomæ doctrina, ſecundùm quoſdam eſt in Fide erronea, ſeu in aliqua ſui parte de hujuſmodi errore ſuſpecta ; & in hac concluſione non aſſertivè, ſed ſolùm relativè loquimur. Dicunt enim aliqui, quòd iſta doctrina multos errores continet. Primus eſt : quia ponit aliquid aliud à Deo eſſe neceſſe eſſe, quod videtur contra ſacram Scripturam, &c.* Et uſque ad finem tractatus conatur aſſignare in individuo multos errores contentos in doctrina Sancti Thomæ. De quibus ego nec verbum volo proferre, quia ejuſmodi ad meum non pertinent inſtitutum ; ſed ad inſtitutum meum hîc principaliter pertinet ſolùm proponere rationes, è quibus conſtare poſſet litteras iſtas Stephani eſſe dubias, incertas, parùm conſtantes in veritate, quia multas patiuntur exceptiones.

Prima eſt : quia tales litteræ numquam fuerunt viſæ, nec auditæ in Univerſitate Pariſienſi à tempore ſuę expeditiônis, ſcilicet ab anno 1324. uſque ad annum 1387. quando Joannes de Monteſono illas exhibuit pro ſua defenſione, cum circumſtantijs ſuprà relatis de manu-tentione continua, & nulla ſubſcriptione Notarij, & alijs ſuprà jam tactis. Secunda exceptio eſt : quòd, cùm tempore controverſiæ juſſu ejuſdem Univerſi-

tatis ſcriberent contra Joannem de Monteſono, Joannes Vitalis, & Joannes Alanus Doctores Pariſienſes, perveniant ad argumentum factum à Monteſono de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ: & primus capite 16. & ſecundus collatione 12. in ſuis tractatibus de Conceptione unanimiter dicunt ſic: *Sed non eſt veriſimile eos habere veram litteram D. Stephani Epiſcopi Pariſien. quia iſte condemnavit plures articulos ejus ad ſenſum Sancti Thomæ, &c. ideò nonnulli dicunt, quòd littera ejus, quam oſtendunt, vel ſubreptitia eſt, vel à veritate aliena.* Si ergò hoc dictum fuerit tempore controverſiæ, & tunc, & poſt ducentos ſeptuaginta annos nullum contra hoc produxerint teſtimonium, nec extet in archivo Vniverſitatis, nec in Bibliothecis Pariſienſibus, quarum vidimus principaliores, ſive ferè omnes; ergò etiam poſſumus reputare ipſas ſubreptitias fuiſſe, vel à veritate alienas, præcipuè cùm ſemper Vniverſitas habuerit & de facto habeat omnes ſuos actus, & congregationes apud Sanctum Maturinum, vel apud Bernarditas, vel apud Sanctum Julianum pauperem: non autem in vico Gentiliaco diſtante à Sorbona per duas leucas; nec in toto archivo Vniverſitatis invenitur aliquod inſtrumentum datum, niſi in tribus relatis locis. Tertia: quia P. Joannes Thomæ in ſua revocatione ſolemni, factâ in Conventu Fratrum Minorum, ſub eadem declaravit talium litterarum notitiam nullam fuiſſe apud Patres ſui Ordinis. Ejus verba dabimus in ſequenti approbatione. Quarta: quia ſi expeditæ fuiſſent litteræ illæ abſolventes articulos condemnatos, & illos relevantes à cenſura impoſita, quando ad finem Magiſtri ſententiarum, & in alijs libris ſuprà citatis impreſſa fuit eorum damnatio Stephani II. apponeretur etiam abſolutio alterius Stephani III. ad relevandos ſcrupulos, quando tot & tanti erant, ut ſuprà notavimus, vel ſaltem hoc appareret in libris Vniverſitatis; interim ibi non extant; ergò. Quinta: quia omnes ſcriptores loquentes de Epiſcopis Pariſienſibus pervenientes ad Stephanum II. narrant condemnationem articulorum ab ipſo factam; & quando agunt de Stephano III. dicto de Borreto, qui vivebat anno 1324. nullum invenio, qui mentionem faciat de iſta articulorum abſolutione.

Sed dato quòd litteræ, & abſolutio articulorum ſint veræ, neſcio unde ex ipſis colligatur hæc prætenſa approbatio doctrinæ Sancti Thomę. Nam in prædictis litteris ſolùm ſunt duæ clauſulæ, quæ directè videntur tendere ad talem approbationem. Vna eſt illa: *Solemni ac maturo conſilio ſuper hoc habito, ſupra-dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantum tangunt, vel tangere aſſeruntur doctrinam Beati Thomæ prædicti, ex certa ſcientia tenore præſentium totaliter annullamus. Articulos ipſos non*

non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando, ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo Hæc, ut de ſe patet, non eſt approbatio doctrinæ Sancti Thomæ, immò eſt contra ipſam. Cujus rei teſtimonium evidens eſt; quòd omnes ſcriptores Ordinis Prędicatorum tranſcribentes litteras iſtas, vel adducentes auctoritatem relatam, omnes ſine exceptione, quotquot ſcripſerunt nullo dempto (niſi P. Vincentio Dodi) prætermiſerint clauſulam illam: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando, ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo.* Et dato quòd eſſet formalis approbatio, eſſet tantummodo illorum articulorum, & non totius doctrinæ. Ideò alij recurrunt ad ſecundam clauſulam, ſcilicet illam: *Comperto per Dei gratiam dictum confeſſorem Beatum nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur.* Sed neque hæc eſt approbatio: & ſi eſt, doctrina omnium Doctorum Catholicorum orthodoxorum eſt approbata; quia nullus habet, quod ſanæ Fidei vel bonis moribus adverſetur. Si enim aliquid iſtorum haberent, vel jam opera ipſorum eſſent combuſta, vel à Cenſoribus expuncta. Ideò aliqui, ut prædictam clauſulam facerent approbationem ſpecialem pro doctrina Sancti Thomæ, ubi in textu dicitur: *Quod ſanæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur*; ipſi ſcripſerunt: *Quod veritati vel bonis moribus adverſetur.* Quia etſi Fidei nullus Doctor Catholicus adverſetur, veritati tamen aliqui neceſſariò opponuntur; quia inter opiniones probabiles, affirmativam & negativam, una debet eſſe vera, & altera falſa; non tamen hoc patitur ſana Fides, quia non admittit opiniones, unam Catholicam & alteram hæreticam, & quæ bonis moribus adverſatur, ſanæ etiam Fidei repugnat. Et in hoc ſenſu doctrina Sancti Thomæ nihil habet, quod ſanæ Fidei vel bonis moribus adverſetur. Nam ſi aliquid hujuſmodi inveniretur in ipſa, neque Sanctus Thomas inter Doctores Eccleſiæ fuiſſet adſcriptus, immò neque in Sanctorum numerum relatus. Hoc dixerim, ut approbatio iſta prima hucuſque devians inter calamos ſcriptorum, conſtituatur deinceps in æquilibrio veritatis. Nam pro fine à nobis præfixo, utinam clauſulæ additæ eſſent propriæ litterarum Stephani, & ablatæ alienæ; & non una tantùm in ipſis, ſed tot continerentur approbationes quot verba, & ſyllabæ; quia inde Nodi noſtri evaderent fortiores.

PRO

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

DIximus latè de primo extremo, ſcilicet doctrinâ Angelici Doctoris Sancti Thomæ : reſtat nunc breviter aliquid proponere de altera parte, videlicet ſententia Immaculatę Conceptionis Virginis MARIÆ incipiendo etiam ab exordio, & unius Archiepiſcopi approbatione, & alterius Epiſcopi Pariſienſis prohibitione, ut veluti parallela inter ſe in omnibus correſpondeant. Circa annum noſtræ ſalutis 1190. Sanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis primò edidit Epiſtolam de Conceptione Beatæ MARIÆ, cujus principium eſt : *Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Paſtor Anglorum, Coëpiſcopis ſuis, cunctiſq; orthodoxis ſalutem, & perpetuam in Chriſto benedictionem. Conceptio venerandæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis* MARIÆ, *dilectiſſimi fratres, &c.* In qua agit quomodò Feſtum Conceptionis inceperit celebrari tempore Guilielmi Normannorum Ducis, per quamdam revelationem factam Helſino, vel Helvino venerabili, ac ſecundùm aliquos Sancto, Abbati Beccenſi, Remenſi, vel Remeſienſi, in quodam naufragio conſtituto, & quomodò præceperit illi quidam venerabilis vir pontificali infulâ decoratus, ut ſexto Idus Decembris celebraret Conceptionem Virginis MARIÆ eodem officio ac Feſtum Nativitatis ejus : in qua Epiſtola Sancti Anſelmi extant alia miracula pro ejuſdem Feſtivitatis celebratione. Scripſit etiam libellum de Conceptione Virginis MARIÆ; cujus initium capitis primi eſt : *Principium, quo ſalus mundo proceſſit, mihi conſiderare volenti, occurrit hodierna Feſtivitas, quæ de Conceptione Beatiſſimæ Matris Dei* MARIÆ *multis in locis recolitur, &c.* Et pro immunitate Virginis capite 3. inquit : *Sed cùm ipſa Conceptio fundamentum fuerit habitaculi ſummi Boni, ſi peccati alicujus ex prima prævaricationis origine maculam contraxit; quid dicemus? &c. Quis dicere audeat totius ſæculi propitiatorium mox in ſuæ Conceptionis exordio Spiritus Sancti gratiæ illuſtratione deſtitutum? Teſtante verò Scripturâ : Vbi ſpiritus Dei, ibi & libertas; à ſervitute igitur omnis peccati libera fuit, &c.* Et paulò infrà : *Quòd ſi quid originalis peccati in propagatione ejus, & communis vitij extitit, illud propagantium, & non propagatæ prolis fuit. Nam ſi Dominus caſtaneæ confert, ut inter ſpinas remotâ compunctione recipiatur, alatur, & formetur; non potuit hoc dare humano, quod ſibi parabat, Templo, in quo corporaliter habitaret, & de quo in unitate perſonæ perfectus fieret, ut licet inter ſpinas peccatorum conciperetur,*

ab

Digitized by Google

ab ipſis tamen ſpinarum aculeis omnimodè exors redderetur? Et infrà capite 6. poſt alia quamplura circa ejus immunitatem ab omni peccato, ſic inquit: *Et nunc inferiorem Angelis natam, in conſortium acceptam eſſe credamus omnium peccatorum? Exiſtimet hoc, & argumentis ſuis probet, qui vult: ego donec oſtendat mihi aliquid dignius excellentiâ Dominæ noſtræ poſſe dici, quæ dixi, dico, quæ ſcripſi, non muto, &c.* Et concluditur tractatus ille ſic: *Ego piiſſima Domina qualiſcumque ſervulus, credo, & fateor, quòd tu ex radice Jeſſe pulcherrima, ac per hos ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem pretioſiſſimum protuliſti, non qualemcumque, ſed ſuper quem ſeptiformis ſpiritus requievit.*

Item edidit ſermonem, qui incipit: *Hodiernâ die, fratres chariſſimi, Sanctæ Dei Genitricis Virginis* MARIÆ *Conceptionem celebramus, &c.* Ubi inter alia inquit: *Quiſquis autem parvi-pendendum putat hujus Virginis celebrare Conceptionem, nec meretur eſſe cum fidelibus, nec poſtea cognoſcere Salvatoris adventum, &c.* Et infrà: *Quiſquis igitur Præſul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter ejus ſolemnia, & cunctis jube eam coli. Quia ſi eam toto corde amaveris, numquam à gradu tuo depoſitus eris. In memetipſo probavi, quod aio. Erubeſcant omnino inſenſati, qui tantum diem, tantaq; Sacramenta, ac myſteria, tenebris ignorantiæ detenti, reſpuunt celebrare, eò quòd viri & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Et licet ejus Conceptionem, eò quòd carnalis extitit, ſtultis non placeat hodie celebrare; tamen diem illum, & noctem, quamvis ſanè multis incognita, & tempus, & horam ſpiritualis Conceptionis ejus hodie celebrare delectat. Quia ipſe, qui eſt animarum Creator, animam ſuæ Matris dignam ſanctiſſimo corpori Virginali ejus, Angelis miniſtrantibus copulavit. Si non placet illius celebrare ſolemnia Conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ ejus ſpiritualem creationem, ac corporis, & animæ copulationem.* Denique compoſuit officium ſic incipiens: *Sexto idus Decembris, qui eſt octavus dies Kalendarum ipſius menſis, & celeberrimus dies Feſtus Conceptionis Beatiſſimæ Dei Genitricis* MARIÆ, *qui noviter revelatus eſt, & cuidam reverendo Abbati revertenti per Britannicum Oceanum à Dacia in Angliam non ſine magno miraculo oſtenſus, ut in ſequenti legetur Sermone. In ipſis occiduis regionibus valdè celebratur, atque per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normanniam, Germaniam magna cum devotione colitur; colenduſq; per omnes mundi partes, Deo gratias largiente, porrigitur, &c.* Ex contentis in iſtis quatuor opuſculis de Conceptione ſub nomine S. Anſelmi divulgatis, introducta fuit Feſtivitas iſta in partes occiduas, & regiones ſignatas Angliæ, Britanniæ, Daciæ, Normanniæ, & Germaniæ, non tamen in Galliam; fortè quia in illo regno non erat ita communiter recepta ſicut in alijs. Unde evidenter conſtare videtur officium iſtud compoſitum eſſe ante

Digitized by Google

annum 1135. Nam hoc anno cœpit celebrari in Gallia in Eccleſia Lugdunenſi, ut conſtat ex quodam inſtrumento authentico à nobis viſo illius Eccleſiæ; & etiam adducitur à D D. Andrea Sauſay, Comite & Epiſcopo Tullenſi, in ſua Chronologia Conceptionis ad annum 1235. quam in ipſius manibus vidimus. Circa annum verò 1140. Sanctus Bernardus in epiſtola 174. ad Canonicos Lugdunenſes impugnavit celebrationem prædictæ Feſtivitatis propter rationes in ipſa contentas; in quibus nunc non eſt immorandum.

Propter contentionem inter Sanctum Bernardum, & Canonicos Lugdunenſes; cùm factus fuiſſet Epiſcopus Pariſienſis quidam Mauritius, prohibuit ne Feſtum Conceptionis celebraretur Pariſijs, ut refert Guilielmus Altiſiodorenſis, dictus de Seliniaco, qui poſtea etiam fuit Epiſcopus Pariſienſis circa annum 1220. in tertio libro Sententiarum cap. 3. folio 115. quærens utrùm Chriſtus fuerit decimatus in lumbis Abrahæ; & utrùm ejus Sacerdotium fuerit dignius Levitico Sacerdotio; & in quadam objectione, ſic inquit: *Sed contra probatur, quòd Chriſtus duobus modis fuerit in lumbis Abrahæ; quia Beata Virgo, quæ fuit ejus caro, fuit duobus modis in lumbis Abrahæ; per actum enim concupiſcentiæ, non de Spiritu Sancto concepta fuit; & ideò contraxit peccatum originale: & ideò Mauritius Epiſcopus Pariſienſis prohibuit, ne Feſtum Conceptionis ejus celebraretur in Eccleſia Pariſien. Si ergò tota caro B. Virginis fuit in lumbis Abrahæ duobus modis, ergo & caro Chriſti duobus modis in lumbis Abrahæ. Item tota caro Beatæ Virginis fuit in lumbis Abrahæ decimata: ergò quælibet ejus pars fuit decimata; quia non poteſt dici, quare potiùs una quàm alia; ſed caro Chriſti fuit ejus pars: ergò caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ: ergò Chriſtus fuit decimatus in lumbis Abrahæ. Item tota maſſa humani generis fuit corrupta in Adam, ſed caro Chriſti fuit de maſſa humani generis; ergò caro Chriſti fuit in Adam corrupta: ergò caro Chriſti fuit curabilis: ergò & decimabilis: ergò Chriſtus ſimiliter fuit decimabilis: ergò Chriſtus fuit decimatus cum alijs decimatis in lumbis Abrahæ. Item cùm dico caro Levi, &c.* Et ad hanc objectionem reſpondet Altiſiodorenſis: *Solutio: Dicimus, quòd hæc propoſitio, caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ, vera eſt per accidens ſub illo tropo loquendi, quo aliquid attribuitur materiato pro materia ſua, ſed per ſe loquendo falſa eſt. Non enim caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ in quantùm caro Chriſti, nec etiam materia carnis Chriſti in quantùm materia carnis; quia numquam indigebat curatione. Secundùm hoc non valet hæc argumentatio: omnis caro deſcendens ab Abraham fuit decimata in lumbis Abrahæ; ſed caro Chriſti fuit deſcendens ab Abraham: ergo caro Chriſti fuit decimata in lumbis Abrahæ.* Et rationem reddit infrà latiſſimè, quare non valeat conſequentia. Hæc ſunt omnia, quæ habet Altiſiodorenſis circa prohibitionem

nem

nem Mauritij,& ſententiam de Conceptione Virginis; ex quibus deducimus ſequentia.

Primum, quòd illa de prohibitione Mauritij, & de contractione peccati originalis non extent in reſolutione Altiſiodorenſis, ſed in quadam objectione factâ contra ſuam doctrinam, ad quam ipſe reſpondet. Et ex argumento propoſito contra doctrinam alicujus Doctoris numquam deſumi debet, vel dicitur deſumi reſolutio illius. Secundum, quòd hîc Altiſiodorenſis non agat de peccato originali formaliter, prout eſt culpa,& macula in anima;ſed de peccato originali materiali in cauſa, & carne contracto in generatione per concupiſcentiam parentum. Quod patet ex toto diſcurſu,& verbis Altiſiodorenſis. Tertiũ, quòd ſecundùm ſententiam & ultimam reſolutionem illius, & tropum rhetoricæ, aliquid attribuatur materiato pro materia ſua, ſive aliquid attribuatur per accidens alicui, quod tamen per ſe loquendo non poſſit illi attribui. Unde infert, quòd caro Chriſti nec in quantùm erat Chriſti, nec etiam in quantùm erat materia carnis Chriſti, umquam indiguerit curatione, quia ſemper fuiſſet ſana. Ubi notanda eſt illa diſtinctio,& reduplicatio formaliſſima ſcholaſtica: in quantùm caro Chriſti, nec etiam in quantùm materia carnis Chriſti: ſecundùm quas clarè & expreſsè videtur excipere carnem Virginis MARIÆ à concupiſcentia,& quocumque alio morbo. Nam caro ejus fuit libera ab omni infirmitate ſanabili, non ſolùm in quantùm caro Chriſti, ſed etiam in quantùm materia carnis Chriſti; atque ex quo deciſa fuit à lumbis Joachim in uterum Annæ, fuit caro ſecundùm ſemen Abrahæ, & ex progenie David ſecundùm carnem; ergò ex illo puncto, & inſtanti caro illa fuit munda, & ſana, & numquam indiguit curatione. Et quando communiter dicitur, quòd caro MARIÆ fuerit decimata in lumbis Abrahæ; quòd fuerit genita per concupiſcentiam; quòd caro peccati; quòd ſanabilis; &c. hæc omnia intelligenda ſunt per tropum ſignatum ab Altiſiodorenſi, quòd aliquid tribuerit pro materia ſua. Fuerat materia, & caro Virginis corrupta in Adam; decimata in Abraham; caro peccati in alijs parentibus; curabilis in Joachimo; & ideò hæc dicuntur de carne Virginis, prout fuit materia carnis Chriſti, & prout fuit caro Chriſti; non autem, quia per ſe fuerit aliqua infirmitas in illa carne Virginis, & multò minùs in anima. Hanc exiſtimo eſſe expreſſam ſententiam Altiſiodorenſis, quantùm ad ſententiam de Conceptione: ſed tranſeat, & gratis admittamus quòd loquatur de peccato originali formaliter in anima: quia hoc nunc pro noſtro principali aſſumpto parùm, vel nihil referre videtur.

De altera verò prohibitione Mauritij

Digitized by Google

ritij Epiſcopi Pariſienſis contentâ in illis verbis Altiſiodorenſis: *Ideò Mauritius Epiſcopus Pariſienſis prohibuit, ne Feſtum Conceptionis ejus celebraretur in Eccleſia Pariſien.* Fatemur ſic extare in originalibus impreſſis, & in manuſcripto exiſtente in Sancto Germano de Pratis, volumine 329. & in altero volumine exiſtente in Sancto Victore extra muros Pariſien. Vol. 498. & in alio exiſtente in Bibliotheca Monaſterij Sancti Martini Tornacenſis in Belgio, lit. F. num. 51. & in quatuor exemplaribus exiſtentibus Oxoniæ in Bibliotheca Collegij novi, volum. 226. & Cantabrigiæ in bibliotheca Pembroiana, volum. 166. & 168. & in Collegio Sorbonæ Pariſijs, & in alijs multis à nobis viſis; & ſic de ipſa non relinquitur dubitandi locus: licet in Monaſterio Sancti Victoris extra muros, volum. 528. extet Summa iſta Altiſiodorenſis, & folio 32. à tergo quæſtio propoſita; non tamen prædicta clauſula de prohibitione Mauritij Epiſcopi, quia hanc exiſtimo eſſe abbreviationem Altiſiodorenſis, ſicut & aliam factam per Ardencum Papienſem. Sed de tali prohibitione Mauritij Epiſcopi nulla alia notitia reperitur in tota litteratura antiquorum Auctorum, immò neque in operibus Mauritij: vidi enim ipſius ſermones in Bibliotheca Sancti Victoris, numero 795. quorum primus incipit: *Verè Dominus eſt in loco iſto*; & num. 781. extant alij ejuſdem ſermones, & in Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini in valle Sancti Martini Lovanij extant etiam alij Sermones, ac denique in Conventu Sancti Auguſtini Burdegalen. extant diſtinctiones Mauritij, & incipiunt à verbo, *Abjectio.* Unde nullus alius teſtis invenitur prædictę prohibitionis, niſi dictus Altiſiodorenſis.

Circa omnia ſuprà dicta tàm de opuſculis Sancti Anſelmi, quàm de prohibitione Mauritij Epiſcopi Pariſienſis dicunt aſſertores opinionis contrariæ: Primò, opuſcula non eſſe Sancti Anſelmi: ut Turrecremata, & Anonymus latiſſimè, ut infrà videbimus, Bandellus, atque Bartholomæus de Spina, quorum auctoritates brevitatis causâ prætermitto, & adduco tantummodò duas R. P. Gyrandi Renerij in ſuo inſigni tractatu de Conceptione. Primam auctoritatem habet folio 14. ubi ſic inquit: *Ita modo conſimili dico de iſto privilegio, quod, quia non probatur niſi ex quibuſdam apocryphorum ſomnijs, & potiſſimè per ſomnium cujuſdam Normanni, qui poſt nimiam potationem de cereviſia, & botheto, vel fortè vini de patria mea, ſcilicet, Sancti Joannis, vel de Rupella, quod abundanter defertur per mare in Normanniam, ſomniavit, quòd in ſomnis Beata Virgo* MARIA *apparuit ſibi, denuncians ſibi, & revelans, quòd fuerat ſine peccato concepta, & quòd de ejus Conceptione annuè facerent Normanni Feſtum celebre; propter ejus ſomniationem, Feſtum Conceptionis modò vocatur Feſtum Normanno-*

mannorum, *&c.* Nota quomodò loquatur Pater iſte de venerabili, atque ſecundùm alios, Sancto Helſino. Joannes enim de Pont Canonicus Regularis in libro de Epiphanijs ſacris, ſeu revelationibus authenticis, fol. 110. vocat Helſinum ore pleno Sanctum, quem Pater Gyrandus ore pleno vocat ebrium. Secunda verò auctoritas ſit ex fol. 49. ubi loquens contra tractatum de Immaculata Conceptione Hermanni de Schyldis Ordinis S. Auguſtini, inquit: *Poſtea adducit pro ſe quaſdam fatuitates, vel ut meliùs dicam, quaſdam prophanas novitates in libello de Virginis glorioſę Conceptione contentas, &c.* Et infrà: *Contra concluſionem reſponſalem prædictam, adhuc arguitur, & potiſſimè ex quibuſdam dictis ex quodam libello, qui intitulatur liber de Conceptione, acceptis, qui liber mendosè, ut patuit ſuprà, & magis patebit infrà, Anſelmo attribuitur. Et ſuppoſito, quòd ipſum feciſſet, parùm eſſet curandum de dictis ſuis in iſta materia, per comparationem ad dicta Auguſtini, & ad dicta aliorum SS. Doctorum per Eccleſiam in doctrina approbatorum.* Et inter alia, contra prædictum librum de Conceptione, inquit: *Quintò, ille liber mendoſus, & hæreticus eſt in Fide, &c. Ad iſtam impietatem, & crudelitatem inducitur, quæ Fidei Chriſtianæ eſt contraria, ut patet intuenti ſacram Scripturam, juxta expoſitionem Sanctorum Doctorum per Eccleſiam in doctrina approbatorum exponentium eam. Ex quo modo loquendi aliqualiter videtur, quòd Scotus fuerit compilator illius libri, quia modum conſimilem loquendi habet in ſuo tertio, ubi tractat iſtam materiam in ſpeciali. Hoc tamen nullo modo aſſero, nec aſſertivè dico.* Et benè facit, nam hoc aſſerere, vel aſſertivè dicere, eſſet magnus error: quia antequam Joannes Duns Scotus eſſet in mundo, jam liber ille circumferebatur ſub nomine Sancti Anſelmi, ut videre eſt apud Henricum de Gandavo, qui per plures annos præceſſit Scotum; & etiam teſtantur tria originalia manu-ſcripta antiquiſſima in Bibliothecis Pariſienſibus: & in Anglia extant etiam alia quatuor originalia manu-ſcripta de hoc tractatu de Conceptione Virginis ſub nomine Sancti Anſelmi Cantuarienſis, ſcilicet, Oxoniæ in Bibliotheca Lincolnienſi, volum. 22. & in Collegio Mertonenſi vol. 271. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, volumine 161. & in privata, volumine 16. Reperitur etiam legenda iſta de Abbate Helſino in antiquo manu-ſcripto Monaſterij Sancti Sepulchri Cameracen. in Belgio, & in Monaſterio Dunenſi Ordinis Ciſtercienſis Brugis; in Sancto Germano de Pratis, & in Conventu PP. Prædicatorum, & in Monaſterio Canonicorum Regularium Sanctæ Genovefæ Pariſien. quæ omnia originalia exiſtimo fuiſſe manu-ſcripta antequam Scotus viveret. Auctores autem antiqui & moderni affirmantes tractatum iſtum eſſe Sancti Anſelmi, ſunt pluſquam centum octoginta, quorum aliquos videre poteris in

Digitized by Google

Regeſto Armamentarij Seraphici, columnâ 18. Breviaria inſuper antiqua, adducentia lectiones matutinales ex ſupra-poſita epiſtola, & opuſculo ſub nomine Sancti Anſelmi, ſunt pluſquam ſeptuaginta, ut videre eſt in noſtra Militia, verbo *Breviaria*. Richardus Smithæus Epiſcop. Chalcedonenſis in floribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticę gentis Anglorum impreſ. Pariſijs 1654. libro 4. cap. 2. ſect. 4. folio 242. ſub Guilielmo I. inquit. *Circa annum Domini* 1070. *contigit illud miraculum Helſino Abbati naviganti in Daniam, & tempeſtate periclitanti viſum apparuit, quo admonitus eſt, ut curaret celebrari Conceptionem B. Virginis; quod cùm eſſet pollicitus, tempeſtas ſedata eſt. Quod Feſtum poſtea Sanctus Anſelmus Cantuarienſis primus celebravit & celebrandum in ſua Eccleſia conſtituit: ut refert Vincentius Barralis in chronologio Sanctorum Livinenſium ex antiquiſſimis Breviarijs Monaſterij Sancti Poncij Nicienſis.* Stantibus ergò iſtis teſtimonijs antiquis, quomodò Scotus poterat eſſet Auctor illorum opuſculorum? & hæc de primo dicto Gyrandi.

Anonymus aliâ incedit viâ. Nam parte 3. ratione 32. pag. 194. demonſtrare nititur Feſtum Conceptionis non fuiſſe Divinitùs revelatum novem de cauſis, quârum primæ præcipuæ, ac fundamentales ad alias ſunt iſtæ duæ. Primam ſic format: Guilielmus Dux Normannor. vixit anno 1027. teſte Vincentio hiſtoriali Ordinis Prædicatorum lib. 26. cap. 36. & eodemmet tempore, & anno vivebat Sanctus Anſelmus; *clariſſimum igitur accipitur argumentum ex forma loquendi, quòd res hæc, de qua loquitur, multo tempore præceſſerat ipſum ſcribentem; ſed cùm Beatus Anſelmus fuerit tempore præfati Ducis; igitur eſt manifeſtum, quòd ipſe non fuit Auctor hujus epiſtolæ; non enim dixiſſet, illo tempore; ſed iſtis noſtris temporibus, vel diebus; & cùm res illa eſſet nova, debebat eſſe quaſi omnibus nota, & ideò non opus erat tali ſtylo ſuis Coëpiſcopis narrare.* Secundam ſic diſponit: Sanctus Bernardus, qui multò poſterior fuit Anſelmo, in epiſtola ad Lugdunenſes dicit: Feſtivitatem iſtam Conceptionis ſuo tempore eſſe novam: Sanctus autem Anſelmus, qui fuit antiquior, in ſua ad Coëpiſcopos Anglię affirmat, quòd Feſtivitas Conceptionis à priſcis temporibus in multis locis recoleretur. Et in principio epiſtolæ dicit: quòd Conceptio B. Virginis fuerit olim declarata, ut celebrari deberet in Francia, & in Anglia, & in cæteris climatibus. Ecce manifeſta contradictio: Bernardus dicit, quòd ſit nova Feſtivitas, quam non colebat ritus Eccleſiæ, nec commendabat antiqua traditio: iſte verò dicit, quòd olim fuerit in Francia, cæteriſque climatibus declarata, & quòd priſcis temporibus frequentiori uſu celebraretur: & ideò magis credendum eſt, quòd aliquis vir parvæ auctoritatis epiſtolam illam confinxerit, quàm quòd iſti duo Doctores San-

Sancti in hac re tam gravi ſibi invicem contradixerint. Sanctus Bernardus enim obijt anno 1153. Anſelmus 1027. Unde Bernardus fuit 126. annis poſterior; ideò ſi fuit antiqua tempore Beati Anſelmi, non debuit Feſtivitas illa eſſe nova, ſed antiquiſſima tempore Beati Bernardi. Hæc ſunt duo præcipua Anonymi argumenta: nam alia fundantur in ſtylo, & qualitate perſonarum.

Sed ad hæc reſpondetur breviter: quòd, ut Anonymus hæc duo formaret argumenta cum aliqua vi, efficacia, & veritatis apparentiá, introduxerit tria fundamenta falſa, & ficta: Primum: Quòd Guilielmus ſeu Guilierius (ſic enim eum vocat Vincentius libro 25. capite 29. non libro 26. cap. 36.) Normannorum Comes, qui factus eſt Rex Angliæ, vixerit anno 1027. quia à Vincentio ponitur tempore Henrici Imperatoris anno 1067. Secundum fundamentum eſt, quòd Sanctus Anſelmus vixerit, ſeu potiùs mortuus fuerit tempore Guilielmi Normannorum Comitis, an. 1027. Nam S. Anſelmus factus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis anno 1093. & requievit in Domino anno 1109. Et Sanctus Bernardus natus fuit an. 1091. antequam Sanctus Anſelmus aſcenderet ad Archiepiſcopatum per duos annos. Item Sanctus Bernardus anno 1115. fuit præfectus Abbas Claravallenſis, id eſt, poſt ſex annos à morte Sancti Anſelmi; & tandem fuit mortuus, ut benè dicit Anonymus, anno 1153. Unde quoad vitam fuerunt contemporanei, licet non quoad dignitates, nec mortem. Et abſolutè eſt falſum illud ſemel & iterum repetitum ab Anonymo, Sanctum Bernardum fuiſſe poſteriorem 126. annis ipſo Anſelmo; quia ad ſummum regulando mortem unius cum morte alterius, unus præceſſit alterum quadraginta quatuor annis, non autem 126. ut finxit Anonymus, ut ex hac ſupputatione ſuum formaret argumentum. Tertia fictio major eſt: dicit enim Sanctum Anſelmum affirmaſſe, quòd in Francia celebraretur Feſtivitas Conceptionis, ſicut in Anglia, & in cæteris climatibus; cum Sanctus Bernardus, qui fuit poſterior, & Gallus, poſt centum viginti ſex annos, dicat expreſsè illam Feſtivitatem eſſe novam in Gallia: ergò manifeſta contradictio. Ad hoc argumentum dicimus: quòd hæc de Francia fuerit fictio introducta ab Anonymo, ut ſuum firmaret argumentum, ut conſtat ex verbis ipſius Anſelmi, quæ ſic ſe habent. *Dies feſtus Conceptionis Beatiſſimæ Dei Genitricis* MARIÆ, *qui noviter revelatus eſt, & cuidam reverendo Abbati revertenti per Britannicum Oceanum à Dacia in Angliam non ſine magno miraculo oſtenſus, ut in ſequenti legetur ſermone. In ipſis occiduis regionibus valdè celebratur, atque per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normanniam, Germaniam magnâ cum devotione colitur, colendusq;*

Digitized by Google

duſq; per omnes mundi partes, Deo gratiâ largiente, porrigitur. Quære inter iſtas regiones, ubi nominetur Francia? Anonymus igitur ad conſtruenda ſua argumenta finxit fundamenta: & ſi iſta ſunt duo potiſſima, quibus probat falſitatem revelationis, & Feſtivitatis Conceptionis: qualia erunt alia?

Tertium, quòd dicant tamquam certum, & indubitatum, prohibitionem factam à Mauritio eſſe certam; de qua videndus eſt Turrecremata, parte 13. cap. 7. ad finem, folio 268. Vincentius Bandellus de Caſtro-novo cum ſuo Correctore, & Petro de Vincentia hæc habent: *Idem tenet Beatus Mauritius Pariſienſis Epiſcopus, Sanctitate & litterarum eruditione clariſſimus, qui floruit anno Domini* 1175. *Hic prohibuit cum tota Univerſitate ſua, ne Feſtum Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis fieret Pariſijs; & hoc ideò, quia fuit concepta in peccato originali, ſicut dicit Guilielmus Altiſiodorenſis; &c.* Facit Mauritium Beatum, Sanctitate, & litterarum eruditione clariſſimum; & hoc ſolùm, quia prohibuit, ne Feſtum Conceptionis celebraretur Pariſijs; & inſuper addidit, quòd non ſolùm Mauritius fecerit talem prohibitionem, ſed etiam tota Univerſitas: quod tamen falſum eſt; quia Altiſiodorenſis nihil dicit de Univerſitate, ut ſuprà diximus. Reverendiſſimus Pater Bartholomæus de Spina, Magiſter ſacri Palatij ultrà progreditur, dicens: *Et Dominus Guilielmus Altiſiodorenſis, in tertia parte Summa, capite* 9. *Eccleſia Pariſienſis, Epiſcopus, inquam, Mauritius nomine, cum tota Univerſitate, determinavit eſſe verum, quòd Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, & oppoſitum eſſe hæreſim. Quod autem ſemel determinatum eſt per Eccleſiam eſſe hæreſim, non poteſt non eſſe hæreſis: ergò & nunc omnes ligat determinatio illa, nec poteſt revocari, ſed omnes id atteſtantes ſunt excommunicati, &c.* Nota quanta involvit Magiſter iſte ſacri Palatij: Nam cùm Altiſiodorenſis ſolùm dicat, quòd Mauritius Epiſcopus prohibuerit, ne in Eccleſia Pariſienſi celebraretur Feſtum Conceptionis; ex ſolo Epiſcopo fecit etiam Eccleſiam. Item ex Eccleſia paſſivè hîc ſe habente, fecit Eccleſiam activè præcipientem; & ſuprà addidit ad complementum, totam Univerſitatem; & pro illo: *prohibuit*, addidit, *determinavit eſſe verum*: quia non ſufficiebat contra Virginis Conceptionem ſola prohibitio, niſi eſſet etiam determinatio, & vera. Pro illo: *Ne Feſtum Conceptionis celebraretur*; ſcripſit: *Quòd Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, & oppoſitum eſſe hæreſim*: Parùm enim reputavit eſſe Feſti prohibitionem, niſi etiam ſimul introduceretur vera determinatio circa contractionem originalis peccati; & inſuper, quòd dicere oppoſitum eſſet hæreticum. Sed pergamus ad aliam auctoritatis partem: *Quod autem ſemel determinatum eſt per Eccleſiam eſſe hæreſim, non poteſt non eſſe hæreſis.* Eccleſia determinavit

eſſe

eſſe hæreſim, affirmare Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali: Quę Eccleſia hoc determinavit? Eccleſia Pariſienſis. Eccleſia Pariſienſis, Epiſcopus inquam. Quomodò determinauit hoc Eccleſia Pariſienſis? Quia Epiſcopus prohibuit. Et Epiſcopus eſtne Eccleſia Pariſienſis? Vel Eccleſia Pariſienſis eſtne univerſalis Catholica Romana? Hoc docebat Romæ Magiſter ille ſacri Palatij, & etiam, quòd illa determinatio Epiſcopi Pariſienſis ſic ligaſſet omnes fideles, ut nec per Summum Pontificem poſſet revocari: quin potiùs ſi aliquis affirmaret determinationem illam factam à Mauritio Epiſcopo Pariſienſi poſſe revocari à Summo Pontifice Sixto IV. talis excommunicatus erat. Hæc, & alia quam-plura his ſimilia docebat ille magnus, atque doctiſſimus Magiſter ſacri Palatij in illo ſuo tractatu: De univerſali corruptione generis humani, laborato anno 1525. & impreſſo Venetijs anno 1533.

Reduximus verba Sancti Anſelmi, & Altiſiodorenſis devia, & exorta ad legitimam veritatem, & debitam rectitudinem: reſtat verò nunc determinare, an illa prohibitio Mauritij Epiſcopi fuerit ſubſiſtens, & vera, aut aliquam patiatur exceptionem? Et videtur dicendum; quòd non debeat ſubſiſtere, nec fuerit vera: quia Guilielmus Altiſiodorenſis non dicit hoc in ſua reſolutione, ſeu concluſione; ſed in objectione propoſita adverſus ſuam doctrinam; ut fatetur Pater Pornaſius in ſuo tractatu de Conceptione, verbo *Guilielmus Altiſiodorenſis*. Et argumenta propoſita contra concluſionem Auctoris, non gaudent privilegio credulitatis. Secundò, quia factâ omni diligentiâ in civitate Pariſienſi, nec in archivo majoris Eccleſiæ, nec Univerſitatis Pariſienſis, vel quolibet alio loco, libro, vel ſcriptore, nec denique in ipſa hiſtoria Mauritij Epiſcopi, in qua continentur omnia ejus acta, de tali prohibitione aliquid invenitur. Tertiò, quia conſultis vivis Bibliothecis, ſcilicet, collectoribus Galliæ Chriſtianæ, D. Joanne de Launnoy Doctore Pariſienſi, R.P. Ludovico Jacobo à Sancto Carolo Carmelitano, & R.P. Philippo Labé Jeſuitâ, quos doctiores & peritiores inveni antiquitatum Pariſienſium, & nutritos in eadem civitate, archivis, & litteratura Gallica, nullam eos de tali prohibitione habuiſſe notitiam reperi. Sed his non obſtantibus, ad majorem noſtræ veritatis oſtenſionem recipimus pro verâ, & admittimus ut legitimam prohibitionem iſtam factam à Mauritio Epiſcopo Pariſienſi; & cum illis omnia alia quæcumque fabricata à defenſoribus opinionis contrariæ, ut ſuprà ab ipſis manent relata; & pergo ad inquirendum, quando, quomodò; vel à quo fuerit poſtea Feſtivitas Conceptionis recepta, & ad-

Digitized by Google

miſſa in Sancta Eccleſia Pariſienſi? Quod faciam ſtylo Chronologico incipiendo à tempore Patriarchæ Achilejenſis, item Germi Regis Hungariæ, quia ab illo incepit Sanctus Anſelmus miraculorum narrationem, & ſecundùm omnes, cœpit communi cultu celebratio Conceptionis in occidente, uſque ad annum 1389. quando Joannnes de Monteſono, ac diſcipuli ejus cœperunt publicare doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam, & ſententiam de Immaculata Conceptione reprobatam, utpotè contra Fidem, ſacram Scripturam, & Sanctos Patres. Anno igitur

808. Juſſu Caroli Magni Imperatoris diſpoſitum fuit Martyrologium Gallicanum per Alcuinum, quod quidem fuit typis mandatum anno 1536. in 4. Pariſijs ex mandato Ludovici Chriſtianiſſimi Galliarum Regis. Et in ipſo extat hæc rubrica: *Idibus Decembris Conceptio glorioſæ Virginis* MARIÆ. Si hæc verba, quæ hodiè reperiuntur in prædicta impreſſione ſtabant in originali manu-ſcripto: ergò antiquiſſima eſt in Gallia Feſtivitas Conceptionis.

903. Eccleſia Helnenſis Terraconen. Diœceſis, quæ antiquitùs pertinebat ad partem Galliæ, habebat Martyrologium, cujus verba ad diem 8. Decembris erant: *Conceptio Immaculata ſemper* MARIÆ *Virginis.* Ita Anton. de Lupian Zapata, in ſua Hiſpania primogenita, cap. 6. fol. 20.

1010. Inſtituta eſt Feſtivitas Conceptionis in Regno Galliæ, ut refert Dionyſius Faber Cæleſtinus ad finem ſui tractatûs de Conceptione, cujus verba ſunt: *Incipit celebrari anno ſalutis milleſimo decimo, Paſcaſio Summo Pontifice, & Henrico Imperatore, ac Ludovico cognomine Groſſo, regnante in Francia & in Normannia, ſimul & Anglia Guilielmo cognomine Enſe-longo, &c.*

1027. Ex ſententia Anonymi, in ſuperioribus ſæpè repetita, fuit inſtitutum Feſtum Conceptionis tempore Guilielmi Ducis Normanniæ; ſed hoc eſt extra omnem veritatem, tum quia citatus ab Anonymo Vincentius Hiſtorialis in Speculo, non conſtituit Guilielmum Ducem Normannorum, & poſtea Regem Angliæ ad annum 1027. ut dicit Anonymus, ſed ad annum 1067.

1041. Secundùm Alexandrum Scultetum in ſua chronographia, folio 143. affirmat floruiſſe Guilielmum Normannorum Ducem: quod quidem etiam diſtat aliquantulum à veritate; & ſic hic, & alij hujuſmodi ſcriptores ſunt abſolutè corrigendi.

1066. Juxta ſententiam Guilielmi Neubrigenſis in libro de rebus Anglicis cap. 1. hoc anno Guilielmus cognomento Notus, Dux Normannorum factus eſt Rex Anglorum, & hæc eſt communior ac verior ſententia.

1070. Tempore Alexandri II. anno 9. venerabilis Abbas Remeſenſis Helſinus, miſſus fuit in Daciam,

ciam, & in reditu habuit tempeſtatem illam magnam, atque apparitionem miraculoſam, in qua promiſit celebrare ſingulis annis Feſtum Conceptionis: ita D.D. Andreas Sauſayus Epiſcopus Tullenſis in libro manu-ſcripto, cujus titulus eſt: Series chronologica rerum in Eccleſia occidentali geſtarum circa celebrationem Feſti, cultumque myſterij Immaculatæ Conceptionis Sacratiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ, ab ipſius Feſti inſtitutione ad hæc uſque tempora.

1074. In Normannia, cùm eſſet Archiepiſcopus Rothomagenſis quidam Joannes, fuit celebrata Feſtivitas Conceptionis, & erecta ejuſdem Confraternitas illa celebris, dicta de Patmot. Ita Pater Barre in libro de Sanctis, tom. 2. fol. 759. & citat ad marginem Nicolaum Taillepiet, cap. 40. antiquitatum Rothomagenſium.

1083. Scripſit Sanctus Anſelmus epiſtolas illas, de quibus ſuprà, ad Coëpiſcopos Angliæ; de quo vidimus originalia antiquiſſima manuſcripta quatuordecim; & unum ex duobus exiſtentibus in Bibliotheca Canonicorum Regularium Tungris, refert librum, & retractationem Alexandri Alenſis, atque etiam hiſtoriam Theophili circa Immaculatam Conceptionem: à tempore igitur Helſini Abbatis, cœpit dilatari Feſtivitas per diverſa Regna. Immò jam celebrabatur, ut refert idemmet Sanctus Archiepiſcopus Cantuarienſis, in diverſis provincijs.

1097. Jam Feſtivitas erat communiter ſtabilita, ac recepta in diverſis Regionibus, ut affirmat Benedictus Gognonus in Chronico Sanctæ Virginis MARIÆ, fol. 148. & alij. Sed nullibi legi, quòd tunc celebraretur in Gallia: Normannia enim tunc erat Provincia ſeparata à Regno Galliæ. Chriſtianus Maſſæus Cameracenſis, in ſuo Chronicon multiplicis hiſtoriæ, &c. libro 10. folio 226. ſic inquit: *Poſt Lanfrantum fit Anſelmus Normannus Cantuariorum Archiepiſcopus, qui celebrare cœpit Conceptionem Dominæ noſtræ.* Hoc eſt in Regno Angliæ.

1136. In Sancta Eccleſia Lugdunenſi ſolemniter celebrabatur Conceptionis Feſtum, ut conſtat ex quodam inſtrumento authentico à nobis viſo, & lecto apud D.D. Andream Sauſay, cum ſigillo Capituli Lugdunenſis, & ex tunc Feſtivitas ſolemnis ingreſſa eſt Galliam.

1138. Vel circiter, Sanctus Bernardus ſcripſit epiſtolam illam ad Canonicos Lugdunenſes, quę in operibus ejus eſt in ordine 174. quomodò autem introducta fuerit in Galliam, & à quo, inveſtigare non potui.

1140. Celebrabatur eadem Feſtivitas in Eccleſia Narbonenſi in Gallia, ut latè refert idem D.D. Andreas Sauſay, in libello ſuprà allegato.

1141. In Eccleſia Sancti Felicis

Digitized by Google

de Girona, quæ antiquitùs dicebatur Gallia Tarraconenſis, ſcriptum fuit Breviarium cum FeſtivitateConceptionis Virginis MARIÆ, ut refert Antonius de Lupian Zapata in ſua Hiſpania primogenita, capite 15.

1146. Vel parùm pòſt, Petrus Abbaillardus Theologus Pariſienſis, & poſtea Monachus in Gallia, ſcripſit eruditum tractatum, ſeu opuſculum parvum, in quo reſpondet ad epiſtolam Sancti Bernardi, & affirmat Feſtivitatem Conceptionis eſſe celebrandam quomodocumque accipiatur Conceptio, incipit: *Plerique tanto devotionis affectu, &c.*

1160. Nicolaus Monachus Sancti Albani, & Petrus Cellenſis, Abbas Sancti Remigij, & poſtea Epiſcopus, quorum unus erat in Anglia, & alter in Gallia, magnam habuerunt contentionem circa celebrationem Feſtivitatis Conceptionis, ut colligitur ex ipſorum epiſtolis exiſtentibus in Bibliotheca Veterum Patrum tomo 12.

1170. Petrus Comeſtor Trecenſis, & Auctor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſcripſit tractatum in Gallia incipientem: *Conceptionem Beatæ Virginis* MARIÆ *corde, voce, &c.* In quo totis viribus defendit Feſtivitatem Conceptionis eſſe celebrandam.

1180. Petrus Remenſis Cantor Eccleſiæ Pariſienſis, & poſtea Monachus in Monaſterio Longipontis Sueſſionien. Diœceſis, propè civitatem Pariſienſem; edidit tractatum, in quo efficaciter probat Conceptionis Feſtivitatem eſſe celebrandam, & incipit: *Venerandam Conceptionem ſanctiſſimæ Dei Genitricis, &c.*

1195. Tempore Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ, fuit factum quoddam inſtrumentum juridicum, in quo ad finem dicitur: *Actum in ſolemnitate Conceptionis Beatæ Virginis*, ut refert D. Andreas Sauſay, Miræus & Nieremberg. vide Militiam noſtram, fol. 151. Eſt ergò ſignum, quòd jam in illis Regionibus Feſtivitas eſſet publica, & communis, & ab omnibus recepta.

1200. In illo ſæculo fuit manuſcriptum quoddam Breviarium Eccleſiæ Pariſienſis repertum in Conventu S. P. N. Dominici in via Sancti Honorati, cujus rubrica talis eſt: *Nota, quòd in Feſto Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis dicitur totum, ſicut fit in Nativitate ejuſdem, ita videlicet, quòd ubicumque fit mentio de Nativitate in Antiphonis, reſponſorijs, oratione, & horis, fiat mentio de Conceptione, & non de Nativitate: lectiones dicuntur prout inferiùs continentur.* Lectiones autem ſunt illæ ex Sancto Anſelmo: *Tempore autem illo, &c.* Quando autem fuerit ſcriptum hoc Breviarium, inveſtigare non potui; ſed ex characteris antiquitate videtur fuiſſe ſcriptum circa ſignatum annum. Huic etiam adjungendum eſt illud BreviariumMonaſticum exiſtens in Bibliotheca Regia Pariſien. num. 1305. manuſcriptum, cujus rubrica in die Concep-

Digitized by Google

ceptionis eſt: *Reſponſoria & antiphonæ ſunt in Feſto Nativitatis, excepto quòd nomen Nativitatis mutatur in nomen Conceptionis.* Lectiones. *Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, &c.*

1215. Duo à Sede Apoſtolica legati vocati Gallus, & Simon, miſſi ad Philippum Auguſtum Francorum Regem, publicarunt Feſtum Conceptionis eſſe celebrandum, ut refert Bochellus in libro de Decretis Eccleſiæ Gallicanæ, lib. 4. titul. 7. de ferijs & veneratione Sanctorum cap. 13. dicens: *Pronuntiandum eſt laicis, ut ſciant tempora ferianda per annum, &c. Conceptionem Beatæ* MARIÆ, *hodiè de mandato Sedis Apoſtolicæ celebratur, &c.* Et in Eccleſia Remenſi fuit eodem anno inſtituta, ut conſtat ex Synodalibus ejuſdem Eccleſię, & patet ex eodem Bochello cap. ultimo, dicente: *Feſta Dei, & Sanctorum, &c. Primò Feſtum Circumciſionis Domini, Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis, &c.* Ex quibus teſtimonijs conſtat, quòd hoc anno jam in Galliæ Regno in communi celebraretur Conceptionis Feſtum.

1220. Jacobus Atrebas Ordinis Præmonſtratenſis, & in Diœceſi Cameracenſi Abbas Sancti Martini, ſcripſit epiſtolam de *Immaculata Virginis Conceptione*, ad Præpoſitum Decanum, & Capitulum B. MARIÆ Atrebatenſis, ut dicit R.P. Gerardus de Herdegom in ſuo libro *Diva Virgo Candida*, lib. 1. cap. 12. fol. 182.

1222. In Concilio celebrato Oxoniæ, factum fuit ſequens ſtatutum: Hæc ſunt Feſta in quibus, prohibitis alijs operibus, conceduntur opera agriculturæ, & carrucarum, ſtatuimus quòd Feſta ſubſcripta ſub omni veneratione obſerventur, videlicet, omnes dies Dominici, quinque dies Natalitij, Circumciſio, Epiphania Domini, omnia Feſta Beatæ MARIÆ, *præter Feſtum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur neceſſitas.* Ita Centuriâ XIII. cap. 9. col. 845. lib. impreſ. Baſileæ 1575. in fol.

1235. In Eccleſia Parochiali SS. Lupi, & Ægidij in civitate Pariſienſi, & vico regali, ac præcipuo Sancti Dionyſij, fuit erecta quædam confraternitas de Immaculata Virginis Conceptione, quæ Lutetiæ omnium fuit prima; extant in ipſa Eccleſia monumenta authentica, nam ex tunc ſingulis diebus Sabbathi celebratur de eadem Immaculata Conceptione ſolemne Sacrificium; & in Feſto ipſius, præter commune publicum, fit etiam officium ſpeciale: extant etiam in eadem Eccleſia (à qua hanc extraximus notitiam) in ſacra ſupellectile ipſius confraternitati, in diplomatibus indulgentiarum Apoſtolicis, ac Divinorum præconiorum libris, veſtigia non pauca; ex quibus fatendum eſt hoc anno, vel ante, fuiſſe jam introductam Feſtivitatem in civitatem Pariſienſem.

1237. Vigebat Ordo Templariorum in Gallia, & ejuſdem Religionis extat hoc anno Breviarium manu-

ſcriptum cum Feſtivitate Conceptionis in villa Aſconis in Catalonia Ordinis S. Joannis de Mata, &c. ut refert D. Ant. de Lupian 2. parte c. 15.

1243. Summus Pontifex Innocentius IV. conceſſit indulgentiam ad ſupplicationem P. Petri de Morone, poſtea Papæ Cæleſtini V. vocati, de qua agit D. D. Andreas Sauſay in libro ſuprà citato.

1270. Fuit ſcriptum Breviarium Pariſienſe, quod ad diem 8. Decembris habet hanc rubricam: *In Feſto Conceptionis Beatæ* M A R I Æ *Virginis, debet fieri, ſicut fit in Nativitate ejuſdem, ita videlicet, ut ubicumque fiat mentio de Conceptione, & non de Nativitate.* Extat hoc Breviarium in Bibliotheca ſæpè repetiti Domini Epiſcopi Tullenſis. Cùm ergò iſta ſint vera & authentica, ſequitur, quòd Epiſcopus Pariſienſis Stephanus de Templier, qui hoc ſedebat anno in illa Sancta Eccleſia, receperit officium Conceptionis intra Breviarium Pariſienſe, & idem ipſe poſt ſeptem annos condemnaverit articulos Sancti Thomę, de quibus ſuprà.

1277. Fuerunt prohibiti illi articuli, de quibus latè diximus in Cortice, ab Epiſcopo Stephano de Templier, poſt tres annos à morte Angelici Doctoris Sancti Thomæ.

1279. Mortuus eſt Stephanus de Templier, & ſucceſſit in Epiſcopatum Pariſien. Ranulphus de Hombloneria, patriâ Normannus (unde fuerat Helſinus Abbas primus promotor, ac fundator Feſtivitatis Conceptionis, atque S. Anſelmus ejuſdem promulgator) ut videre eſt in Gallia Chriſtiana, tomo 1. fol. 449. col. 2. num. 78. Hic ergò Ranulphus petijt à ſuo Capitulo, ut Feſtivitas Conceptionis, quæ in ſuâ Eccleſia Pariſienſi celebrabatur tantummodò ut duplex commune, fieret Feſtivitas Pontificalis, ita ut Epiſcopus teneretur ad celebrationem officij illius diei, quod libentiſſimè obtinuit, ut conſtat ex inſtrumento exiſtente in Archivo ejuſdem Sanctæ Eccleſiæ Pariſienſis; ſed breviùs, clariùs, ac expreſsiùs cernitur hodiè hæc memoria in Nicrologio manu-ſcripto, quod in eadem Eccleſia recitatur ad primam, poſt Martyrologium Romanum, ubi ad diem 8. Decembris extant hæc verba: *Sexto idus Decembris, Conceptio Beatæ* M A R I Æ *duplex Pontificale. Hodie in matutinis fit diſtributio Canonicis de tribus ſolidis Pariſienſibus, in Miſſa de duobus ſolidis Pariſienſibus, & clericis matutinarum pro omnibus horis ſex denarijs Pariſienſibus: ex fundatione Domini Ranulphi Epiſcopi Pariſienſis ſuper præpoſituram de Caproſia, & per manus officiarij matutinarum.* Huculque in illo Nicrologio. Et hoc etiam modo obſervatur; nam Epiſcopus, ſi adeſt, tenetur celebrare officium Conceptionis, & ſi abeſt, dignitas immediata.

1286. Scriptum fuit opus Thomæ Aquinatis ſuper tertium ſententiarum, ad cujus finem fuerunt etiam

affi-

affixi articuli damnati, ut videre eſt in originali exiſtente in Monaſter. Sancti Jacobi de Inſula Ordinis Sancti Benedicti Leodij, licet in iſto non ſint 222. errores; ſed tantùm 219. quæ quidem parva differentia eſt.

1305. Adam Dei patientia dictus Gallus Abbas Præmonſtratenſis, in Capitulo generali dedit litteras ad Abbatem Hoſteronenſem in Germania, in quibus concedit, ut Conceptionem Virginis MARIÆ celebrent ſub Feſto duplici; ita Andreas Sauſayus in ſua Serie Chronologica. Et extat in libro 5. Eccleſiæ Metropolitanæ Salisburgen. tom. 3. fol. 45. vide Militiam noſtram, col. 20.

1306. In capitulo generali Ordinis Beatæ Virginis MARIÆ de Monte Carmeli celebrato in Gallia factum fuit ſtatutum de celebranda Immaculata Virginis Conceptione, de quo loquuntur P. Petrus Ojeda in ſuâ informatione, capite 15. folio 63. Pater Lezana, tract. de Conceptione cap. 22. Velazquez lib. 4. diſer. 9. adnot. 1. num. 9. & Franciſcus Bonę-ſpei lib. 2. tract. 2. diſp. 12. de peccato origin. dub. 5. folio 220. & alij.

1312. Henricus de Nuda Gallus, & Decanus Eccleſiæ Trecenſis fundavit ſolemne officium de Immaculata Virginis Conceptione. Quod poſtea anno 1320. auxit maximo cultu Ægidius de Jocio Canonicus, & camerarius Eccleſiæ collegiatæ Trecenſis, de quo latè Sauſayus, ubi ſuprà.

1314. Cùm Petrus Aureolus Ordinis Minorum prædicaſſet in civitate Toloſana Galliæ, in Feſtivitate Immaculatæ Conceptionis, hoc anno ſurrexit contra eum quidam ſcribens tractatum, ita ut coactus fuerit Aureolus edere alium, qui incipit: *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, &c.* Ut conſtat ex eodem tractatu apud nos exiſtente. Ex quo colligitur, quòd Toloſæ jam celebraretur ſolemnitèr prædictum Feſtum.

1317. Quidam Millo, Aurelianenſis Epiſcopus fundavit ſolemnem Feſtivitatem Immaculatæ Conceptionis, accedente conſenſu totius ſui Capituli, ut dicit Andreas Sauſayus.

1320. Franciſcus Mayronius Ordinis Minorum Gallus edidit diverſos tractatus pro Immaculata Virginis Conceptione, contra quem ſcripſerunt aliqui ex Ordine Prædicatorum in Gallia, ut latè dicemus in libro: *Monumenta antiqua Conceptionis*, & ab hoc anno cœpit pro utraque parte recreſcere in Gallia controverſia, ut conſtat ex omnibus antiquis ſcholaſticis ſcribentibus quæſtiones de hac materia.

1321. Religio Sancti Norberti florentiſſima in Gallia, jam celebrabat ſolemniter Conceptionis Feſtum, ut conſtat ex quadam conſtitutione factâ eodem anno, ubi ſic dicitur: *Et quòd de Conceptione ejuſdem Virginis per omnes ordinis noſtri Eccleſias fiat duplex Feſtum, & in officio tam diurno,*

quàm

quàm nocturno fiat per omnia, ſicut de ejus Nativitate, mutatis nominibus, prout in Antiphonis, & Miſſalibus reperitur. Ex quibus verbis colligunt, & benè P. Servatius Larvelz, Abbas Lotharingius, capite 2. Wichmans in ſuo Diario Eccleſiaſtico, fol. 95. Moerbetius, in ſua Scala purpurea, quòd ante illum annum jam Feſtivitas celebraretur in Religione.

1360. Quidam Joannes Leſchachier Ordinis Prædicatorum prædicavit publicè, affirmando Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, ſed ab Epiſcopo Catalonenſi in Campania Galliæ coactus fuit, ut publicè ſe retractaret. Extat inſtrumentum authenticum in Conventu Fratrum Minorum prædictæ Civitatis.

1368. In quodam Concilio Vorenſi in Gallia, fuit conceſſa indulgentia pro celebrantibus Feſtivitatem Conceptionis, ut refert Sauſayus, ubi ſuprà.

1372. In Conventu Patrum Cæleſtinorum Civitatis Pariſienſis fuit conſecratum altare in die Conceptionis Virginis MARIÆ, per Epiſcopum Guilielmum de Meloduno, ut conſtat ex quadam charta fundationis exiſtente in eodem Conventu.

1376. Quidam Guilielmus Jordanus Ord. Prædicatorum & Gallus, ſcripſit tractatum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, de quo fit mentio in expoſitione Evangeliorum Gallicè impreſ. in fol. anno 1543. fol. 184. à tergo, in ſermone Conceptionis, ubi ad marginem ſic dicitur: *Nota ſecundùm Jordanum, quòd alijs Sanctis in utero ſanctificatis fuit collatum, quòd numquam peccaverunt mortaliter*, MARIÆ *autem ultra hoc collatum eſt, quòd numquam peccavit venialiter.* Et contra hunc ſcripſit Pater F. Joannes Marchielus, vel Martelejus, Ordinis Minorum Anglus, de quo agunt Sauſayus, & Angelus à Sancto Franciſco in ſuo certamine Anglico, fol. 338. & alij. De hoc etiam mentionem facit Cronodromus Benedictinus in tractatu de Conceptione.

1387. Fuit illa magna controverſia in Civitate Pariſienſi inter Joannem de Monteſono, & Univerſitatem Pariſienſem, de qua latè egimus in Cortice, ex qua tot, tantaque fuerunt orta ſcandala, quæ per multos durarunt dies, quorum aliqua refert Amedæus Salyus Theologus Hetæranus, ſeu potiùs R. P. Theophilus in libello de retinendo titulo Immaculatæ Conceptionis, impreſ. Coloniæ Agrippinæ 1651. in 8. ut eſt illud, quòd Carolus VI. Francorum Rex (ut in ejus actis legitur) dicatur *Guilielmum de Balone Epiſcopum Ebroicenſem Ordinis Prædicatorum, & Regium confeſſarium abdicaſſe, pepuliſſeq; tamquam infamem, eò quod Joannis de Monteſono defenſionem ageret adverſùs Conceptionem Immaculatam*, ac decreviſſe, confirmaſſeque numquam ſe deinceps ex tali ordine electurum aliquem,

quem, qui ipſi eſſet à confeſſionibus.

1289. Ita exarſit controverſia in Gallia, ut ad iſtum annum Thomas Valſingamus Ordinis Sancti Benedicti, in ſua Hiſtoria Anglicana, dicat ſequentia: *Per idem tempus in Francia Fratres Prædicatores ſuam opinionem reaſſumentes de Conceptu Beatæ* MARIÆ *Virginis in tantam effrænati ſunt ſuperbiam, ut Epiſcopis, illis indicentibus hujus rei ſilentium, noluerint obedire; poſtremò, nec Regi, & Proceribus id jubentibus: quapropter extra protectionem Regiam facti ſunt. Juſſi ſunt etiam intra propria ſe habitacula cohibêre, de labore manuum ſuarum intra loca ſua vivere, egredi umquam præſumere ſub pœna capitali: præceptumq́, eſt eis, ne de cætero quemquam ad ordinem ſuum admitterent ſub pœna præmiſſa, ut poſt hos, qui modò vivunt, nullus eſſet, qui eorum ordinem continuaret.* Hucuſque Auctor iſte Benedictinus.

1380. Auctor Geſtorum Clementis VII. loquens de hac controverſia, ſic inquit: *In toto ferè Regno Franciæ, præſertim in lingua Gallica* (fortè Lingue-doca, ut dicit Amedæus) *quàmplurimi contra ipſos inſurrexerunt, multos ex ipſis captivando, oblationes & eleëmoſynas eis denegando, prædicationes verbi Dei, propoſitiones, & confeſſionum auditiones eis inhibendo. Dicta etiam Univerſitas Pariſienſis eos à ſe totaliter ſegregavit, quoad actus ſcholaſticos nullibi faciendos, aut honores, & gradus recipiendos, nedum non admiſit, ſed etiam impedivit. In quibus omnibus fautores pauciſſimos, perſecutores plurimos habuerunt; fueruntq́, paſſi damna plurima, & infinita, nedum in perſonis, ſed etiam in bonis. Ac ut de injuriis, opprobriis, contumeliis, irriſionibus, & detractionibus taceamus, pro tunc facti fuerunt tamquam opprobrium hominum, & abjectio plebis: duravitq́, tempeſtas hujuſmodi per plures annos, nec fuit qui eos adjuvaret; & hoc maximè, quia, qui eos perſequebantur, ſe Beatæ Virgini exiſtimabant ſacrificare, cui dictum ordinem, & ejus ſuppoſita multimodè injuriari, & detrahere aſſerebant, in eo quòd quaſi omnes ipſam aſſerunt, & opinantur in peccato originali conceptam fuiſſe, quod utique fere erroneum, & damnatum tales aſtruebant.* Hæc & alia, de quibus in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS latiùs dicetur, fuerunt ſcandala exorta ex illa prima, publica, & quaſi univerſali diſputatione facta in Gallia. Ex his omnibus deducitur, quàm antiqua fuerit in Gallia Conceptionis Feſtivitas. Et hæc de Virga.

Digitized by Google

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

QUòd defenſores doctrinæ Sancti Thomæ apertis, & clariſſimis verbis dicant, ſententiam immunitatis Virginis MARIÆ eſſe falſam, fictam, rejectam, excluſam,& revelationem illius phantaſticam; Feſtivitatem Conceptionis fuiſſe prohibitam ab Epiſcopo,& Eccleſia Pariſienſi, cum tota Univerſitate; diffinitumque pariter, & determinatum piam ſententiam rejiciendam ut erroneam, ut impiam,& hæreticam; & ut hoc perſuadeant populis doctis, ac ſimplicibus, non vereantur vitiare teſtimonia, ampliare & diminuere auctoritates, & adulterando textum, fingere integràs clauſulas: & iſta omnia nec ſint examinanda, tangenda, aut minimum contra ea proferendum verbum; ſed cernendo evidentes, ac palpabiles falſitates, debeamus claudere oculos, & contrahere manum;& non ſolùm tacere,& digito ad os poſito obmuteſcere;ſed ſubmittere colla, & venerando tot tantaſque proluſiones, obreptiones, & ſubreptiones commiſſas contra innocentiam, ac puritatem ſacratiſſimæ Dei Matris MARIÆ, relinquere calamum, & ſtudium, ſolùm illa ratione adducti; quia hoc dixerunt graves Auctores Ordinis Prædicatorum pro defenſione,commendatione, exaltatione, & approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, in quibus nulla fuit, nec poteſt eſſe ignorantia,levis credulitas,vel calami lapſus,ſed ſumma ſapientia;nullum mendacium,ſed integerrima veritas; quia ſequendo doctrinam Sancti Thomæ, nec à recto tramite deviare, nec de veritate poſſunt ſaltem eſſe ſuſpecti; quòd, inquam,hæc omnia tam liberè ac ſecurè, immò licitè quaſi paſſim fiant pro laude ac gloria dilatanda unius cum depreſſione ac diminutione notabili Virginis glorioſę: Funiculus ſatis dur[illegible] idetur. Verùm multò durior eſt ex alia parte, ſcilicet, quòd defenſores ſententiæ Immaculatæ Conceptionis, nec inſinuativè per circumloquia, palliatis verbis, cum inſtrumentis authenticis, originalibus ipſis demonſtrativis, & irrefragabilibus teſtimonijs indubitatam fidem facientibus,non poſſint clamare (quid clamare?) immò nec muſſitando dicere doctrinam Sancti Thomæ fuiſſe quoad ducentos viginti duos articulos reprobatam,& condemnatam, & ſub excommunicationis pœna excluſam à ſcholis, diſputationibus, & libris, per Stephanum Epiſcopum Pariſienſem: quia dicunt eſſe contra honorem Sancti Thomæ.

Quòd

Quòd illud, quod verè & à parte rei fuit, non debeamus nos dicere de Angelico Doctore; quando, quod præſumitur tantùm, affirmant ipſi contra honorem Matris Dei. Nodus magnus eſt, & non facilè ſolvendus.

NODUS SECUNDUS.

Quòd Diſcipuli, & defenſores Angelici Doctoris pro recommendatione ſuæ doctrinæ finxerint tot elogia, epitheta, & clauſulas integras alijs nocivas, & injurioſas, & illas introduxerint in epiſtolas, ſeu litteras Stephani Epiſcopi Pariſienſis; & quòd Auctores moderni hoc defendant ſuperfingendo novas additiones antiquis (quia cùm hoc factum ſit inculpatâ tutelâ, originalibus non inſpecti., neceſſe eſt ut abyſſus abyſſum invocet) hoc debemus laudare & extollere in cælum uſque, vel ſaltem ſub æterno ſilentio intactum prætérire: quòd verò defendere innocentiam Virginis MARIÆ Matris Dei, Angelorum & hominum Reginæ, proponendo nudam veritatem, & extrahendo umbras, & tenebras ad lucem, ſit crimen reprehenſione, & condemnatione dignum, ſuperaddentibus illis in libris ſuis ac exprobrantibus, quòd ſimus mordaces, impoſtores, ſervi nequam, cavillatores, ſacrilegi, detractores peſſimi, & mendaciorum patratores; ſi non ſit Nodus, videtur res admirabilis. Quòd Auctoribus Religionis Prædicatorum ſit licitum pro infructuoſa exaltatione doctrinæ Sancti Thomæ, contra juſtitiam, veritatem, & legalitatem extrahere ab auctoritatibus illa, quæ ſibi videntur mala, & loco ipſorum ſuperaddere bona; & pro depreſſione ſententiæ puritatis, & munditiæ ſacratiſſimæ Dei Matris, vice verſâ, auferre omnia bona, & loco illorum ſubſtituere mala: & quòd Auctoribus Ordinis Minorum non ſit licitum auctoritates ſic vitiatas in favorem doctrinæ Sancti Thomæ reducere ad veritatem, auferendo illa bona malè addita, & reſtituendo pro Dei Matris innocentia illa bona malè ablata; nónne videtur Nodus? Quòd ab illis, ad excutiendum pulverem injectum in doctrinam Sancti Thomæ ab Epiſcopo, & Univerſitate Pariſienſi, licitum fuerit proijci in lutum ſententiam puritatis Virginis MARIÆ, ita ut ipſum Mendacium adducat in teſtes Pariſienſes Epiſcopos, Eccleſiam, & Univerſitatem; & quòd pro erigenda ſententia Immaculatæ Conceptionis, ſufflare pigmenta ſuperaddita, & ſuperflua in doctrina Sancti Thomæ, non ſit licitum Veritati proponere antè omnium oculos, quod eſt in archivis Eccleſiæ Pariſienſis; in regeſtis Epiſcoporum, & protocollis Academiæ; nónne videtur Nodus; quinimmò hoc eſſe auferre ab unoquoque quod ſuum eſt, concedere ac permittere Mendacio, quod competit Veritati; & anteponere malitiam innocentiæ quiſque poterit facillimè judicare.

Digitized by Google

Nodus tertius.

Si doctrina Sancti Thomæ fuit priùs interdicta ab Epiſcopo Pariſienſi, & ſub excommunicationis pœna, quoad ducentos viginti duos articulos, ut erronea in Fide condemnata, & prohibita; de quo nulla poteſt eſſe dubitatio, quia ſic conſtat ex teſtimonijs authenticis, & originalibus uſque in præſentem diem ſubſiſtentibus: & ſententia Immaculatæ Conceptionis, quæ fuit quoad unicum ſolum articulum prohibita non ſub cenſuris, nec excommunicationis pœna, aut aliqua damnatione juridica, à Mauritio etiam Pariſienſi Epiſcopo tantùm, ſcilicet, quoad celebrationem Feſtivitatis; de qua prohibitione non conſtat, niſi ex unico ſimplici Auctore id inter loquendum referente: quare doctrina Sancti Thomæ, quia poſtea ab alio Pariſienſi Epiſcopo fuit à ſuſpenſione, interdicto, & excommunicationis vinculo abſoluta, admittitur, & defenditur ut verè, & realiter approbata; cùm tamen hujus approbationis nullum hucuſque inveniatur, vel minimum fundamentum, aut inſtrumentum: & Feſtivitas Conceptionis, quæ olim fuerat prohibita à Mauritio, ablatâ prohibitione, admiſſa, recepta, dotata, & Epiſcopali majeſtate introducta in almam Eccleſiam Pariſienſem ab alio ejus Epiſcopo Ranulpho de Hombloneria; & hoc certè, atque infallibiliter (quia uſque in præſentem diem eodem modo à ſucceſſoribus Epiſcopis, & tota Eccleſia celebratur ſolemniſſimè, ut dies feſtivus primæ claſſis; & non ſolùm in alma Eccleſia, ſed in alijs particularibus, Regularibus, & Sæcularibus totius Pariſienſis Diœceſis, & ſingulis annis) his non obſtantibus, ſententia hæc de immunitate Virginis adhuc non ſit approbata ab Epiſcopo, & Eccleſia Pariſienſi, immò poſt omnia iſta, appelletur erronea in Fide, hæretica, & reprobata? Eſtne hoc ſervare juſtitiam? Conceptáne, & nata eſt in mundo ſub alia ſideris conſtellatione doctrina Doctoris Angelici, quàm puritas Dei Matris? Súntne conditæ aliæ leges Eccleſiaſticæ, vel canones Synodales pro Sancto Thoma, quàm pro Virgine Maria? Saltem ei favere debuerat titulus de fœminis, virginibus, orphanis, pupillis, & minoribus, utpotè degenti inter Minores, & pauperes.

Nodus quartus.

Quòd Sanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis affirmet in quatuor opuſculis, Virginem Mariam fuiſſe conceptam ſine peccato originali, & Feſtivitatem ejus eſſe celebrandam; quia ſic fuit revelatum cuidam Abbati venerabili Normanno, vocato Helſino, & ab aliquibus venerato ut Sancto, in naufragio conſtituto &c. & quòd Pater Renerius Ordinis Prædicatorum auferat illi titulum ſanctitatis, dicens fuiſſe quemdam ebrium: *De Cerevisia, & bochet,*

cheto, aut vino de patria ſua temulentum; & inſuper affirmet contenta in illis opuſculis eſſe, *apocrypha, ſomnia, fatuitates, & prophanitates,* & alia, quæ addit Anonymus, & Pater Vincentius Bandellus, etiam Ordinis Prædicatorum, quia Mauritius Epiſcopus prohibuit Feſtivitatem Conceptionis, cùm à nullo vocatus fuerit Sanctus, faciat illum Beatum, ſcientiâ, atque virtutibus clariſſimum; non videtur res parvi momenti. Quòd epiſtola Stephani de Borreto à nullo viſa, nec reperta, impreſſa vel manuſcripta, niſi in quadam tempeſtate in manibus Patris Joannis de Monteſono, (de quo teſtificata eſt Univerſitas tota, quòd protuliſſet in ſuis allegationibus tot mendacia, quot verba) non ſit apocrypha, ſomnium, fatuitas, vel prophanitas, conſiderationem haud levem meretur: & licet eſſet vera; additiones tamen illæ intruſæ, atque ſuperiùs aſſignatæ tamquam undæ maris, quæ nec navigari, nec negari poſſunt, quomodò admittuntur, recipiuntur, & defenduntur, quaſi eſſent indubitatæ veritates, ac oracula revelata, ſolùm quia ſunt pro doctrina Sancti Thomæ? Quòd epiſtolæ Sancti Anſelmi, quia ſunt pro Virginis puritate, & ejus mundiriâ, relatæ à tot Auctoribus claſſicis, & antiquiſſimis ſcriptoribus, & quarum originalia vetuſtiſſima inveniuntur manu-ſcripta in quatuor Bibliothecis Angliæ, & in alijs quatuordecim Galliæ, & Belgij, nullam debeant habere fidem, ſicut nec tot inſtrumenta authentica demonſtrata in ſuperioribus, quia omnia ſunt ventoſa, ampulloſa, & frivola, ex quibus nullum poſſet ſumi probationis, vel approbationis argumentum; quomodò epiſtola Stephani Pariſienſis à ſolo uno Patre Dominicano exhibita, à nullo ſcriptore relata, ab Univerſitate Pariſienſi rejecta ac oppugnata, denique reperta fictionibus plena in clauſulis præcipuis, atque eſſentialibus, potuerit habere vim approbandi omnem doctrinam S. Thomæ in communi, & quamlibet ſententiam in particulari? Quando agetur de ſolutione, videbitur an ſit Nodus.

Nodus quintus.

Ante condemnationem articulorum tangentium doctrinam Sancti Thomæ per Stephanum Templier, doctrina Sancti Thomæ liberè, & licitè poterat legi & ſuſtineri, quia diſcuſſioni ſcholaſticæ erat liberè relicta; & tamen tunc non erat approbata. Poſt prohibitionem verò cùm liberè, & licitè non poſſet legi, nec ſuſtineri, immò excluſa, & à diſcuſſione ſcholaſtica totaliter prohibita eſſet, certum eſt, quòd pro tunc non eſſet approbata, ſed reprobata. Cùm autem poſt quadraginta ſex annos, alter Stephanus de Borreto levaſſet interdictum, & ſuſpenſionem ſub excommunicationis pœna à ſuis prædeceſſoribus impoſitam, reducendo ad primum ſtatum doctrinam Sancti

Digitized by Google

Thomæ, dicens: *Supra-dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantùm tangunt, vel tangere aſſeruntur doctrinam Beati Thomæ prædicti*, *ex certa ſcientia tenore præſentium totaliter annullamus*; *Articulos ipſos non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando*; *ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo*: His verbis Epiſcopus approbavit, & confirmavit ut veram, & Catholicam doctrinam Sancti Thomæ. Quæ certò maturè conſiderata inintelligibilia videntur. Nam ante prohibitionem doctrina non erat approbata; poſt prohibitionem manſit reprobata, & in abſolutione prohibitionis redijt ad priſtinum ſtatum, id eſt, nec approbata, nec reprobata; dicente Epiſcopo expreſſis, ac formaliſſimis verbis: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando; ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo*. Si non approbavit, nec reprobavit, ſed tantùm reliquit ſub libertate, ut eos diſcuterent, vel non diſcuterent in ſcholis; ubì eſt hæc approbatio à tot tantiſque Doctoribus acclamata, & publicata pro certa, vera, Catholica, Sancta, &c.? Niſi velint dicere, quòd pro doctrina S. Thomę indifferentia, fuerit determinatio; libertas, coactio; gratia & mera indulgentia, rigoroſa juſtitia & obligatio. Sed & recipiamus nos omnia iſta, quia ſunt pro veneranda doctrina S. Thomæ, non talia, qualia in veritate fuerunt, quia ſic nihil ſunt; ſed talia, qualia ſine ulla veritate modò nobis proponuntur; & videamus, quid cum altero extremo approbationis ſententiæ puritatis Virginis actum ſit. Mauritius Pariſienſis Epiſcopus prohibuit ne Feſtivitas Conceptionis ingrederetur intra Eccleſiam Pariſienſem; attamen poſt octoginta annos admiſſa, & recepta fuit à Ranulpho ejuſdem civitatis Epiſcopo cum omni ſolemnitate, non diſcuſſioni, nec libertati fidelium eam relinquendo; ſed ipſam approbando, collocando in Kalendario, Breviario, & Miſſali; & eam reapprobando, dotando Feſtivitatem, conſtituendo canonicas diſtributiones, & ut celebraretur Pontificali pompâ. Et modò dico: cum illa de ſuſpenſione interdicti doctrinæ ſint dubia, & incerta, & hæc de introductione Feſtivitatis Conceptionis authentica, & ſubſiſtentia; & illa ſi fuerit, in præteritum abierit (quia nulla remanſit, nec extat memoria illius) & iſta de Conceptione ab illo tempore uſque modò perſevêret in viridi obſervantia; hâc differentiâ poſitâ inter utramque, quomodò nunc clamant, & defendunt, quòd illa Stephani fuerit vera & realis approbatio doctrinæ Sancti Thomæ, contra quam nullus poteſt inſurgere, nec dicere verbum, quia quod ſemel approbatum fuit ab Epiſcopo Pariſienſi, à nullo in Eccleſia Dei poteſt reprobari? Quomodò pariter affirmant; & reclamant, quòd ſententia de Conceptione ſit condemnata & re-

reprobata ut erronea. & hæretica: quia quod Mauritius Epiſcopus Pariſienſis ſemel rejecit aut noluit recipere, eſt per totam Eccleſiam diffinitum taliter, ut nec per Summum Pontificem poſſit abſolvi, & contrarium aſſerentes, & affirmantes ſint excommunicati & hæretici? Nodum iſtum eſſe ſine ſolutione, patet evidenter, ex eo quòd omnes Auctores ſuprà citati ex Ordine Prædicatorum, nullo dempto, prætermiſerint in litteris Stephani clauſulam iſtam: *Articulos ipſos non propter hoc approbando, ſeu etiam reprobando; ſed eoſdem diſcuſſioni ſcholaſticæ liberè relinquendo;* cernentes, quòd poſitis iſtis verbis nullam haberet ſolutionem; & ſic ſumpſerint approbationem doctrinæ S. Thomæ ex alijs ejuſdem epiſtolæ verbis; ſed ne quidem cum ijs ſolvent Nodum, ut mox videbimus.

Nodus sextus.

In eadem epiſtola extant alia verba, in quibus agitur de approbatione, & reprobatione doctrinarum. Inquit enim Stephanus: *Nos igitur attendentes cum eis* (id eſt, Decano, & Capitulo) *quòd ſacro-ſancta Romana Eccleſia, fidelium omnium Mater & magiſtra, in firmiſſima Petri Chriſti vicarij confeſſione fundata, ad quam, velut univerſalem regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum Doctorem venerabilem, &c.* Ecce quàm patentibus, ac claris verbis fateatur Epiſcopus approbationem, vel reprobationem doctrinę non pertinêre ad ipſum, ſed ad Summum Eccleſiæ Pontificem. Quomodò ergò, quando ipſe à ratione, & veritate promotus eximebat ſe à jurisdictione, remittendo cauſam ad judicem competentem, continendo ſe à tali approbatione, vel reprobatione, approbavit doctrinam Sancti Thomæ? Hæc expreſſa contradictio videtur. Sed agedum videamus, quomodò hæc eadem res ſe habeat circa approbationem ſententiæ Immaculatæ Conceptionis? Cognito à Reverendiſſimo Patre Bartholomæo de Spina ſacri Palatij magiſtro, ex teſtimonio Guilielmi Altiſiodorenſis, quòd Mauritius Epiſcopus Pariſienſis prohibuiſſet Feſtivitatem Conceptionis, ut ſuprà demonſtravimus ejus auctoritate, & quòd poſtea Summi Pontifices Sixtus IV. Innocentius VIII. Clemens VI. Julius II. & Leo X. ſuis conſtitutionibus, gratijs, indulgentijs, officijs & conceſſionibus, Feſtivitatem ipſam ſummoperè approbaſſent; ſcripſit verba ſupra-poſita (quâ veritate, & legalitate, vide ibi) ſcilicet; quod ſemel determinatum fuerat per Eccleſiam, hoc eſt, per Epiſcopum Pariſienſem, omnes ligabat, nec hoc poterat revocari adhuc per Summos Pontifices; & ſic quia Mauritius ſemel determinaverat eſſe hæreticum circa celebrationem Feſtivitatis Conceptionis, ſic eſſe tenendum ab univerſali Eccleſia; unde fuiſſe excommunica-

nicatos omnes contra-venientes, id eſt, Sixtum IV. &c. En præbet nobis Magiſter iſte ſacri Palatij alium Nodum inextricabilem. Pro approbatione, & reprobatione doctrinæ Sancti Thomæ, Epiſcopus Pariſienſis remittit altercantes ad curiam Romanam, & Sedem Apoſtolicam; Magiſter ſacri Palatij pro approbatione Feſtivitatis Conceptionis à Romana curia, & Sede Apoſtolica remittit nos ad Epiſcopum Pariſienſem: & quis intelliget iſta? Attentiſſimus Epiſcopus Stephanus, doctus pariter & Catholicus, noluit ſibi uſurpare ſupremam auctoritatem, & juriſdictionem Pontificiam pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, & juſtiſſimus P. Bartholomæus de Spina conſtitutus Magiſter ſacri Palatij, ut tueatur eamdem auctoritatem, & juriſdictionem Apoſtolicam, aufert à Summis Pontificibus cauſam & Feſtivitatem Conceptionis, & tradit illam Epiſcopo Pariſienſi. Epiſcopus Pariſienſis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ locutus eſt verè, & Catholicè: Magiſter verò ſacri Palatij contra Feſtivitatem Conceptionis, non ſic: quomodò ergò enodandi ſunt Funiculi iſti? Nunc volunt, quòd Epiſcopus approbaverit pro doctrina Sancti Thomæ, quod non approbavit, nec potuit approbare ſecundùm ipſum: & quòd contra Feſtivitatem Conceptionis reprobaverit, quod non reprobavit, nec potuit reprobare, ſed ſolùm impedire, vel prohibere. Siſtendo in veritate, non approbatur doctrina Sancti Thomæ, & adhuc ſiſtendo in falſitate, non reprobatur Feſtivitas Conceptionis; & modò conciliant utrumque, teſtificando fuiſſe approbatam doctrinam, & reprobatam Feſtivitatem. Nodus iſte ligatus ex veritate negante, & falſitate approbante, novâ falſitate implicatus non eſt tangendus, nec ſolvendus: quia diſplicet majoribus. Non ergò tangatur, nec ſolvatur à nobis; ſed ſolvet Alexander, noſter, & omnium Judex, ſicut jam ſolvere cœpit.

Nodus septimus.

Moderni ſcriptores, ut ab omnibus iſtis, & alijs ſe expediant, dicunt approbationem Stephani non conſiſtere in ſupra-poſitis duabus clauſulis, ubi agit de approbatione, & reprobatione doctrinæ; ſed in illis: *Comperto per Dei gratiam dictum confeſſorem Beatum, nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur*; ſed hic ubi eſt approbatio? Sed tranſeat hoc, & videamus quid in his verbis dicat Stephanus: *Comperto:* A quibus? quando? & quomodò? *Per Dei gratiam:* nam cùm ipſe non potuiſſet examinare omnia opera Sancti Thomæ, quæſtiones, articulos, & ſententias in particulari, nec in univerſali, in illa ſolemni congregatione factâ in Gentiliaco, cum tota Univerſitate, die illâ ante ſacros cineres, ut videret, an omnes eſſent Catholicæ, & veræ; recurſum habuit ad

Digitized by Google

ad Dei gratiam, propter quam dixit & affirmavit prædictum confeſſorem Beatum Thomam nihil unquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur: & hæc fuit formaliſſima approbatio doctrinæ Sancti Thomæ, ita abſoluta, efficax, & concludens, ut illa ſolùm ſub perpetuo ſilentio honorari debeat: nam ſcrutator illius opprimetur à gloria. Hæc dicuntur de doctrina Sancti Thomæ, & benè. Sed videamus quid circa hoc ipſum dicant, non de tot voluminibus, ſed de unica & individua ſententia, quæ non pertinet ad doctrinam alicujus Doctoris, ſed ad puritatem, immunitatem, & honorem Matris Dei? Dicunt ergò, quòd ſententia iſta non ſit viſa, & examinata à Summis Pontificibus: quòd illam ſuſtinentes ſint cœci, & cœcorum duces; & quòd Univerſitas Pariſienſis inconſultè, & temerariè proceſſerit ad determinationem hujus articuli. Res equidem mirabilis, quòd Epiſcopus cum ſuo Capitulo, Doctoribus, & Baccalaureis in una die ante ſacros cineres viderint, legerint, & examinaverint quingentas quæſtiones operum Sancti Thomæ, & in ipſis articulos, & concluſiones innumerabiles; & Eccleſia Romana, Pontifices, Epiſcopi, Univerſitates, Religiones, atque tot Doctores, & Magiſtri per ſpatium quingentorum annorum non viderint, nec potuerint examinare unam individuam propoſitionem. Sed eſt aliud mirabilius; in illo congreſſu, ſeu conſilio facto in rure, & domo Epiſcopi, ipſe cum tota Univerſitate in omni doctrina Sancti Thomæ invenerunt omnes, & ſingulas propoſitiones eſſe Catholicas & veras, nullâ demptâ, vel exceptâ; & in Capitulo Generali facto Toloſæ à Fratribus Prædicatoribus in hac unica, & ſola propoſitione, & receptâ ſententiâ à tota Eccleſia univerſali, videlicet, Feſtivitas Conceptionis debet celebrari die octavâ Decembris, quia fuit concepta ſine peccato originali, invenerunt exceptiones ſequentes. Primam: quòd non eſſet illa Feſtivitas, ſed abuſus. Secundam: quòd non deberet celebrari, ſed expelli, & reijci à Kalendario. Tertiam: quòd dato, quòd eſſet celebranda, hoc non eſſet agendum die octavâ Decembris, quia tunc non fuit infuſio animæ, ſed congreſſus parentum. Quartam: quòd ſi aliquâ die eſſet feſtivanda ſine errore, hoc fieri deberet in craſtinum Sancti Mathiæ Apoſtoli, poſt octoginta dies à ſua prima carnali Conceptione. Quintam: quòd non eſſet vocandum Feſtum Conceptionis, ſed Sanctificationis. Sextam, & ultimam: quòd non eſſet Catholicum, ſed hæreticum dicere MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali. En in unica propoſitione viſa, & reviſa in Eccleſia Dei per tot ſæcula, invenerunt Patres Magiſtri illius Capituli Generalis ſex errores magnos, & maximos; & qui formavit Epiſtolam Stephani, ut

Digitized by Google

benè annotavit Univerſitas Pariſienſis in ſuo reſcripto, voluit perſuadere, ut in cunctis operibus Sancti Thomę, nec unicus inventus fuerit error in mente, lingua, calamo, verbis, aut ſyllabis, &c. Eſtne hic Nodus?

NODUS OCTAVUS.

Quòd unus Epiſcopus Pariſienſis cum viginti tribus Doctoribus, & triginta novem Baccalaureis potuerint non ſolùm approbare, ſed etiam diffinire, & pro tribunali ſedendo judicialiter promulgare, ſtatuere, & determinare omnes, & ſingulas propoſitiones contentas in doctrina Sancti Thomæ, eſſe non ſolùm ſanas in Fide, ſed & quod plus eſt, fuiſſe Catholicas, & ab omni errore alienas, ex ſingulari dono gratię ſcriptas, ita ut nihil umquam ſenſiſſet, docuiſſet, vel ſcripſiſſet, *quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus* adverſaretur: quia illud cedebat ad honorem, laudem & gloriam S. Thomæ; ipſimet, qui hanc compoſuerunt narrativam, vel ad minùs illam recipiunt ut Catholicam, ſimul ſentiunt, docent, & ſcribunt, quòd tot Summi Pontifices cum ſacro Conſiſtorio Cardinalium, cum Theologis, ac Doctoribus non poſſint approbare, determinare, ac diffinire hanc unicam, & ſolam propoſitionem: Virgo MARIA Dei Mater, ex *Dei gratiâ*, fuit præventa à peccato originali. Ubi compertum eſt, Sanctum Thomam ex *Dei gratiâ* nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, vel ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei vel bonis moribus adverſetur; non poterat reperiri hoc ipſum pro Sacratiſſima Dei Matre, ac Virgine MARIA? Pro Sancto Thoma compertum eſt, & luce clariùs patet, quòd Dei gratia hoc potuerit efficere cum ejuſdem doctrina, & de facto fecit: & pro Dei Matre eſt compertum, & luce clariùs patet, quòd neque fecerit, neque potuerit facere. Et ſi potuit, & non fecit, compertum eſt, & luce clariùs patet, quòd plus gratiæ contulerit Deus de facto doctrinæ ſui Doctoris, quàm puritati ſuæ Matris. Sanctus Thomas ſenſit animâ, & mente; docuit linguâ, & verbo; ſcripſit opere, & calamo: ergò S. Thomas nihil umquam ſenſit in anima, dixit in verbo, vel habuit in opere, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur: quia omnia, quæ cogitavit, dixit, & compoſuit, fuerunt regulata à gratia, à Sanctitate menſurata, à juſtitia ponderata. Benè. Verùm hoc ſive ſit magnum, ſive parvum elogium, quod admittitur, conceditur, & recipitur ab Epiſcopo, & Univerſitate Pariſienſi pro doctrina Sancti Thomæ, ſaltem concedatur pro anima Dei Matris; & ex tribus illis ſaltem primum, ſcilicet, quòd nihil ſenſerit in anima & mente, impurum, vel immundum, &c. Pro doctrina Doctoris Eccleſiæ nullam inveniunt repugnantiam, quòd gratiâ Dei adjutus Sanctus Thomas omnes ſuos Conceptus mentis in communi, atque in particulari ita direxerit, ut om-

Digitized by Google

omnis, & quælibet propoſitio, ſententia, & verbum, habuerint decentiam, & rectitudinem ſibi debitam: quia quod caret rectitudine ſibi debita, peccatum eſt. Et ſi in hoc nulla invenitur difficultas pro doctrina Sancti Thomæ; quomodò hoc ipſum negatur de Beatæ Virginis Mariæ anima, & pro unico ſolo Conceptu; & circa illum excitantur difficultates ſine numero, immò & impoſſibilitates, ſuſtinendo quòd nullo modo poſſit ſtare, animam Virginis à ſua prima Conceptione in mente Dei uſque ad ſuam exiſtentiam, & formationem perſonalem fuiſſe, nec potuiſſe eſſe abſque aliqua culpa, & peccato? Nodus hic difficilè rumpetur.

Nodus nonus.

Sententia Immaculatæ Conceptionis tota ſiſtit in hac unica propoſitione: Omnia & ſingula, quæ acta ſunt in Virgine Maria fuerunt Sancta, & recta: ergò fuit concepta ſine peccato originali. Vel loquendo juxta terminos contentos in litteris Stephani, & univerſales negativas ibidem expreſſas: Nihil umquam fuit ſordidum, immundum, culpâ aut maculâ aliquâ pollutum in Virgine Maria: ergò neque ejus Conceptio. Si antecedens eſt verum, conſequentia eſt legitima. Sed dicunt antecedens non eſſe verum, ſed falſum. At quomodò eſt falſum in immunitate Virginis, quod eſt verum in doctrina Sancti Thomæ? Stephanus Pariſienſis dixit de doctrina Angelici Doctoris, quòd nihil umquam ſenſerit, dixerit, vel ſcripſerit, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſaretur. Qui *Nihil* dicit, omnia excludit: qui *Umquam* exprimit, omne tempus claudit. Hoc quod ore pleno conceditur de doctrina Sancti Thomæ, & nihil ampliùs, dicimus nos de anima, perſona, & immunitate Virginis Mariæ. Si in illo fuit poſſibile, & eſt de facto: quare non in iſta? Si in Maria repugnat, ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco; quomodò tam facilè conceditur ab extrinſeco, & ab intrinſeco Angelico Doctori? Si hoc deſideratur ædificari in doctrina S. Thomæ; quare id ipſum deſtruitur in ſententia de Immaculata Conceptione Virginis? Et ſi evellitur hæc prærogativa à Matre Dei cœlis capaciore; quomodò vel quando illam plantabunt in parva terra Angelici Doctoris? Saltem æquâ lance menſurentur prærogativæ Matris Dei, ac ponderantur elogia Angelici Doctoris: nam aliàs inde video reſultaturum indiſſolubilem Nodum.

Nodus decimus.

Tenor prohibitionis articulorum tangentium doctrinam Sancti Thomæ, talis eſt: *Ne igitur incauta locutio trahat ſimplices in errorem; nos tam Doctorum ſacræ Theologiæ, quàm aliorum communicato conſilio, diſtrictè talia fieri, & conſimilia prohibemus, & ea totaliter condemnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores dogma ti*[illegible]*verint*,

vel aliquem de eiſdem, aut defendere, vel ſuſtentare præſumpſerint quoquo modo, & audientes eorum, &c. Notentur verba: errores, ſtricta prohibitio, totalis condemnatio, excommunicatio univerſalis, dogmatizantes, defendentes, ſuſtentantes, audientes, omnes, vel aliquem, factum de conſilio Doctorum Theologiæ, & aliorum, &c. Hoc fulminavit Stephanus anno 1277. & poſt quinquaginta annos alter Stephanus hęc omnia annullavit dicens: *Supra-dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis ſententiam, quantùm tangunt vel tangere aſſeruntur doctrinam Beati Thomæ prædicti, ex certa ſcientia, tenore præſentium totaliter annullamus.* Et quare ſic totaliter annullavit? Audiamus rationem à priori, & totalem, aſſignatam ab ipſomet Epiſcopo: *Magiſtra rerum experientia certis indicijs evidenter demonſtrat, multa quibuſdam temporibus ordinata conſultè, novis emergentibus cauſis, ſuccedentibus temporibus in contrarium debère conſultiùs immutari.* Ecce quomodò experientia Magiſtra rerum evidenter demonſtret & doceat, quòd multa debitè, & conſultè ordinata in aliquibus temporibus, ſi novæ emerſerint cauſæ, cum ſucceſſu temporis conſultiùs immutentur: ideoque, licet prohibitio articulorum fuerit conſultè ordinata à noſtris prædeceſſoribus, inquit Epiſcopus, tamen quia per Bullam, & decretum Joannis XXII. Eccleſia Sancta Beatum Thomam nuper Sanctorum catalogo adſcribendum decrevit, hâc unicâ & ſolâ de novo emergente cauſâ, prohibitionem illam antiquam totaliter annullamus; & ex hac annullatione exorta eſt approbatio doctrinæ Sancti Thomæ. Et hoc de mutatione ſententiæ in contrarium adeò eſt frequens, & uſitatum in omnibus tribunalibus, præcipuè Eccleſiaſtico, ubi totum dependet à gratia, miſericordia, & indulgentia pro animabus fidelium, ut decretum ipſum incipiat ab ipſiſmet verbis. Quibus ſuppoſitis de doctrina Sancti Thomæ, videamus quid actum fuerit circa ſententiam Conceptionis. Dicunt ergò, quòd Mauritius Epiſcopus prohibuerit, ne Feſtum Conceptionis celebraretur in Eccleſia Pariſienſi: quia Virgo MARIA fuerat concepta in peccato originali. Eſtne aliquid aliud, quàm iſta prohibitio? Neutiquam. Condemnatur ut error? Non. Excommunicantur defenſores, ſuſtentantes, audientes? Minimè. Factum fuit hoc de conſilio Doctorum, & aliorum? Non. Ad iſta, quæ deſunt, ego, qui deſidero videre puritatem Virginis MARIÆ, ut ſaltem æquali pede currat cum doctrina S. Thomæ, admitto quòd fuerit ſicut illa condemnata ut erronea ſententia, ſub excommunicatione, &c. & propono Nodum iſtum undique indiſſolubilem: quòd poſt quadraginta ſeptem annos à prolata ſententia juridica, & condemnatione articulorum Sancti Thomæ, ſub excommunicationis

pœna, &c. emergente de novo unicâ cauſâ canonizationis Sancti Thomæ ſententia prior fuerit mutata in contrarium, ita ut articuli reprobati fuerint approbati:& poſt quadringentos quinquaginta annos non emerſerit una cauſa de novo, quâ mutent in contrarium,non ſententiam prolatam juridicam, ſed quamdam opinionem Theologicam;res mira! Quòd ſtante errore probato, prohibitione authenticâ, condemnatione, & excommunicatione evidenti contra doctrinam Sancti Thomæ, fuerit quædam Magiſtra rerum, ſcilicet,Domina experientia, quæ ingreſſa palatium Epiſcopi Pariſienſis,ſicut altera Thecuitis Regis David, docuerit, & perſuaſerit, quòd pro pulcherrima doctrina Sancti Thomæ decens eſſet, & congruum mutare ſententiam: & quòd tot experientiæ, quæ à tempore Sixti IV. ingreſſæ ſunt intra clauſtra ſuæ Religionis, non potuerint convincere pro Virginis Dei Matris decôre, innocentiâ, & puritate, decens & congruum eſſe mutare ſuam opinionem in contrarium? Quod de facto docuit Eccleſia Pariſienſis cum ſuo Epiſcopo, & Univerſitate pro doctrina Sancti Thomæ; non potuit hoc eſſe exemplum cum Generali, & Religione Dominicana pro Dei Matris puritate? Si ſola una Bulla expedita à Joanne XXII. circa canonizationem Sancti Thomæ,fuerit cauſa ſufficiens, & ſuperabundans, ut ſententia, prohibitio, condemnatio, excommunicatio, & reprobatio articulorum mutarentur in contrarium; quomodò tot Bullæ, & Decretales Sixti IV. Alexandri VI. Innocentij VIII. Julij II. Leonis X. Pauli III. Pij V. Clementis VIII. Pauli V. Gregorij XV. Urbani VIII. & Innocentij X. & nunc jam noviſſimè Alexandri VII. de quibus in ſingulàri diximus Nodo I. & dicemus infrà, non potuerint inflectere, & mutare in contrarium opinionem Sanctificationis in ſententiam Præſervationis? præcipuè cùm hæc non ſit mutatio in contrarium, ſed ſolùm mutare locum, ut idem, quod dicitur de ſecundo inſtanti, collocetur in primo; & quod dixerunt conſultè de ſecundo, dicant conſultiùs de primo. Quòd pro doctrina Sancti Thomæ mutatio à contrario in contrarium, ſine ulla difficultate recipiatur à ſuis Theologis, & ſcriptoribus ut vera, & evidens: & pro ſententia immunitatis Virginis Mariæ ſola extenſio ab uno inſtanti ad aliud, neque experientia in doctrina Sancti Thomæ, neque exemplum Stephani, & Eccleſiæ Pariſienſis, poteſtáſve Summorum Pontificum, invitatio, ſeu imperium paternum Romanæ Eccleſiæ per quadringentos quinquaginta annos, non potuerit immutare unicúm inſtans ad aliud inſtans, & illos, qui reprobationem in approbationem totis viribus mutant, inflectere; res ſtupenda videtur. Et quare hoc? Magiſtrâ rerum experientiâ

non invenîmus aliam eſſe cauſam novam, aut antiquam, niſi quia hoc eſt hoc; & illud eſt illud: illud faciendum eſt pro doctrina ſui Doctoris, & factum eſt ita: & hoc faciendum erit pro puritate Dei Matris, & non eſt ita factum, nec faciendum. Propoſui Nodum, ſed alius ſolvat.

NODUS UNDECIMUS.

Ut dicamus aliquid de titulo præfixo ad litteram, ſeu epiſtolam, de cujus fictione latè diximus in Cortice, qui ſic ſe habet: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in laudem, defenſionem, atque favorem doctrinæ ejuſdem Divi Doctoris Sancti Thomæ de Aquino*; recolendum iterùm eſt, quòd doctrina Sancti Thomæ, quoad articulos relatos, fuerit condemnata ab Epiſcopo Pariſienſi Stephano de Templier; quæ condemnatio hodiè invenitur in multis libris manu-ſcriptis in archivo Univerſitatis, in impreſſionibus Magiſtri ſententiarum, & in editionibus Bibliothecæ Veterum Patrum, atque in alijs manu-ſcriptis ſupra-relatis. Attamen de abſolutione, factâ ab alio Stephano de Borreto, nimis dubitatur, & ab aliquibus clarè, & apertè, ut ficta & ſuppoſita à Joanne de Monteſono abſolutè reijcitur. Et fundamentum potiſſimum eſt, quia ſi talis abſolutio Stephani de Borreto haberet aliquam veritatis apparentiam; condemnatio illorum articulorum facta à Stephano de Templier, fuiſſet ablata à libris impreſſis, vel ad minùs abſolutio ad calcem illorum articulorum poſita, ut legentes condemnationem, viderent etiam abſolutionem; & qui habuerunt induſtriam ad auferendam ex Bibliotheca Veterum Patrum condemnationem propoſitionum Joannis de Monteſono, ut in alio loco latiùs dicetur, multò diligentiùs curarent de introducenda abſolutione articulorum ſui Doctoris: igitur hæc eſt incerta, & dubia. Hoc ſuppoſito, qui modò ſcribunt pro defenſione doctrinę S. Thomę, volunt quòd non credamus condemnationem, quam vidimus, legimus, & habemus; & quòd credamus approbationem, quæ nec invenitur authentica, nec extat: quia hæc eſt in favorem, laudem, & defenſionem doctrinæ Angelici Doctoris; & illa in detrimentum. Hoc dicunt de doctrina. Et ſic etiam diſcurrunt alij pro ſententia immunitatis Virginis MARIÆ. Prohibitio Feſtivitatis Conceptionis facta à Mauritio Epiſcopo Pariſienſi, non reperitur: & hoc dicunt, debemus credere. Ranulphus etiam Epiſcopus Pariſienſis introduxit eamdem Feſtivitatem, quę hodiè celebratur magnâ cum ſolemnitate, ut extat in illius almæ Eccleſiæ Nicrologio, ſeu Kalendario; & licet hoc videatur, & ſingulis annis continuetur, non debemus credere, quia eſt in laudem, defenſionem, atque favorem immunitatis Virginis Dei Matris. Eſtne iſte parvus Nodus? Sufficeret quòd pro doctrina Sancti Thomæ non crederemus condemnationem, quam vidimus,

Digitized by Google

mus,ſed tantùm abſolutionem,quam non vidimus: quia, ut ipſi dicunt,hoc cedit in defenſionem, laudem,& gloriam Divi Thomæ: ſed ſi ad honorem, gloriam, & favorem Virginis Mariæ pertinet, quòd credamus illud, quod vidimus, ſcilicet, introductionem Feſtivitatis Conceptionis, & non illud, quod ignoramus, & non vidimus, ſcilicet, prohibitionem Mauritij; in hoc ſecundo caſu quid agendum eſt? Credemus prohibitionem, vel introductionem? Ipſi dicunt, quòd ſtandum ſit prohibitione quia eſt pro laude, gloria, & defenſione ſuæ opinionis: & ſic tam in doctrina Sancti Thomæ, quàm in ſententia Conceptionis credendum eſt, quod non videtur, & relinquendum, quod videtur; & licet hæc non fuerit opinio alterius Thomæ, quia noluit credere, niſi quod vidit, & palpavit; admittamus paradoxum iſtud ſicut alia, & credamus juxta opinionem ſuam non viſa. Et interrogo: quid eſt, quod vidimus,& legimus in ſacra Scriptura;& ubi fundatur opinio contraria? Certè propoſitionem illam univerſalem: omnes in Adam peccaverunt. Et quid eſt, quod in ea non vidimus? privilegium, & exemptionem Virginis Mariæ, ab hac univerſali regula: ergò juxta principia poſita,hoc privilegium debemus credere quia non videtur; vel dicendum, quòd in cauſa Virginis juxta opinionem contrariam ſemper tenendum ſit, quod non eſt in favorem,gloriam, laudem, & honorem Sacratiſſimæ Matris Dei, ſive videatur, ſive non; contra normam præſcriptam in doctrina Sancti Thomæ.

Nodus duodecimus.

De doctrina Sancti Thomæ dicit Pater Alvarez: *Quòd à multis impugnata, numquam expugnata fuerit, ſed ſemper eadem permanſerit: & ad inſtar inſulæ, cum fluctibus inſurgentibus tunditur, fortior efficitur, & clarior; neque ab impugnatoribus umquam frangi potuit, nec poterit, ſed uſque ad finem ſæculi firma permanebit, &c.* Ex iſtis verbis tranſcripſit Reverendiſſimus Pater Turcus, quod dixit in antecedenti Nodo, loquens de ſua opinione Sanctificationis:quæ cùm ſæpe impugnata fuerit, numquam tamen expugnata remanſit, &c. Sed ſicut Pater Turcus locutus fuit ibi ſine ullo fundamento, hîc reverà P. Alvarez cum magno: nam licet doctrina Sancti Thomæ à multis impugnata fuerit, numquam expugnata remanebit, quia fundamentis ſolidiſſimis probabilitatis innititur,ac ſemper eadem permanſit,& permanebit; eſt enim inſula ſita in medio maris ſcholaſticarum controverſiarum, quæ fluxuum refluxuumque tunſionibus fortior effecta eſt, & clarior, &c. Hæc omnia certa ſunt; ſed pro Conceptionis materia videtur doctrinam Sancti Thomę mutaſſe naturam: nam quæ antea erat inſula, jam calore liquefacta, quaſi torrens inundâns aquarum, ſuorum diſcipulorum vento, & flatibus exagitata, in-

inſulam ſententiæ Immaculatæ Conceptionis continuis fluctibus impetit. Hoc ſuppoſito jam quæritur; an ſicut inſula doctrinæ Sancti Thomæ contra fluctus omnium oppugnantium, ita inſula puriſſimæ Conceptionis fluctibus doctrinæ Sancti Thomæ, à tot ſcriptoribus impugnata, aliquando expugnata fuerit, obruta, aut fracta; vel eadem ſemper permanens fortior, & clarior effecta, uſque ad finem ſæculi firma permanebit? Quia ſi hoc, quod aſſeveratur de doctrina Sancti Thomæ, conceditur etiam puritati Virginis, habemus intentum; ſed hoc non concedunt, quia aliàs jam deſiſterent ab impugnationibus, & ſic pia ſententia ſui impugnatione fortior, & clarior efficeretur, &c. Si autem ſuis oppugnationibus ſententia pia non fit fortior, & clarior, ſed illis expugnatur, frangitur, & ruit; redimus ad Nodum noſtrum indiſſolubilem, ſcilicet, quòd plus fortitudinis, claritatis, & firmitatis ad reſiſtendum contulerit Deus doctrinæ Sancti Thomæ, quàm puritati ſuæ Matris; ſiquidem illa ictibus, ſeu concuſſionibus multorum oppugnantium fortior, & clarior evaſit; & iſta ab uno ſolo infringitur, & obſcuratur. Et hic non eſt Nodus? Ferè omnes impugnant doctrinam Sancti Thomæ, & tamen numquam frangitur, ſed ſemper fortior, & clarior efficitur. Nullus impugnat ſententiam puritatis Virginis Mariæ, niſi aliqui diſcipuli Sancti Thomæ: ſi iſta frangitur, obſcuratur, & impugnatur; igitur vel illi pauci fortiores ſunt, quàm tota reliqua univerſalis Eccleſia; vel provenit ex eo, quòd ipſius doctrina ſit rupes in mari, & ſententia noſtra gleba in fluvio. Utrobique eſt Nodus. Et hæc de Stephani approbatione.

NO-

Digitized by Google

NODUS TERTIUS
PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis fictam ſub nomine Urbani Papæ V. in quadam epiſtola ad Archiepiſcopum, Univerſitatem, & Scholaſticos Toloſanos; & ſententiam veram Immaculatæ Conceptionis promulgatam à Sixto IV. Summo Pontifice, in ſuis Extra-vagantibus, confirmatis à ſacro Concilio Tridentino, & alijs Summis Pontificibus.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

NOn obſtante confirmatione Stephani Epiſcopi Pariſienſis, præſentatâ à Joanne de Monteſono Pariſijs Facultati Theologiæ pro defenſione ſuarum propoſitionum; præcepit illi Univerſitas, ut publicè revocaret ſuas quatuordecim propoſitiones. Qui poſt alias cenſuras, & pœnas, promiſit tandem ſe poſt triduum illas revocaturum; ſed intra illud triduum interpoſitâ appellatione ad Summum Pontificem Clementem, noctu aufugit Avenionem. De qua fuga dixit Gerſon verba ſupra-poſita: *Pollicitus ea, quæ dixerat in-*

frà triduum retractare; ſed Judæi Meſſiam, Arturum Britones, illud nos triduum ſpectamus. Perveniens igitur ad ſacram Curiam, cœpit de novo ſuarum propoſitionum defenſionem, adjutus à tota ſua Religione, quæ in communi & particulari, corpore & ſpiritu, litteris, nummis, & orationibus enixè laborabat in illius ſubſidio, præcipuè ac principalitèr propter doctrinam Sancti Thomæ, cujus approbatio jam ſub lite poſita erat, eligendo ad hoc decem Magiſtros ex doctioribus totius Ordinis. Quod quidem decretum factum fuit, non in uno parvo Conventu, vel Provincia, ſed in Capitulo Generali celebrato Toloſæ. Et ut in re tanti momenti, & à qua pendent alia quam-plura infrà dicenda, non videamur loqui ex proprijs; do ad litteram inſtrumentum authenticum exiſtens in archivo Facultatis Theologiæ Pariſienſis cum multis alijs, quod eſt tenoris ſequentis.

In nomine Dei Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum, cunctis pateat evidenter, quòd anno à nativitate ejuſdem Domini 1389. *indictione duodecimâ, menſis Aprilis die vigeſimo octavo, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri D. Clementis, Divinâ providentiâ, Papæ VII. anno* 11. *coram venerabili & circumſpecto viro Magiſtro Matthæo Aucquetil Decretorum Doctore, judice Apoſtolico in hac parte deputato, in noſtrorum Notariorum publicorum, & teſtium infrà-ſcriptorum ad hoc vocatorum, & rogatorum; perſonalitèr conſtitutus Frater Richardus Maria Ordinis Fratrum Prædicatorum Conventûs Rothomagen. ſuâ ſponte, non coactus recognovit & confeſſus fuit, quòd in Capitulo de Lugduno fuit ordinatum, quòd quilibet Magiſter in Theologia ſolveret viginti ſolidos Turonen. & quilibet Conventualis Ordinis decem ſolidos, & quòd in ſumma Conventus Rothomagen. contribuit viginti quinque francos per capita ſingulorum fratrum dicti Conventûs levatos; & regulariter anno quolibet Conventus Rothomagen. non ſolvebat niſi unum francum. Et ita retulit Conventus Rothomagen. frater Nicolaus Guallen, quod in Capitulo Generali in Provincia Toloſana, in quodam Conventu, cujus nomen ignorat, fuerunt electi decem Magiſtri in Theologia de dicto Ordine fratrum Prædicatorum, quorum unus vocabatur Magiſter Xantius, & erat Toloſanus, Magiſter Joannes Granduet de Podio, Magiſter Petrus Butron, unicus Anglicus pœnitentiarius D. N. Papæ (& fuit ille, qui dixit, quòd aliquæ propoſitiones fratris Joannis de Monteſono erant ſubtiles) Magiſter Joannes Thomæ, (de alijs non recolit) qui debebant accedere ad curiam Romanam pro ſuſtinenda doctrina Sancti Thomæ contra Univerſitatem Pariſienſem; & dicebatur, quòd de propoſitionibus illis de Monteſono erant aliquæ, quæ erant de doctrina Sancti Thomæ; & fuerunt miſſi dicti decem Magiſtri ex parte totius Ordinis: & quòd ibi fuit poſitum in deliberatione, quòd fieret contributio per modum ſubſcriptum; & poſtmodùm in Capitulo Provinciali celebrato apud Fontenay in Pictavia, in Diœceſi Maliacen. dictus frater Nicolaus Guallen acceſſit cum Grenville,*

neville, tunc Priore Conventûs Rothomagen. & ibi poſitum fuit ad executionem, quòd fieret dicta contributio per modum ſuperiùs deſignatum. Et hoc retulerunt dicti Guallen, & Grenevìlle, & Lector, quòd ſolverent contributionem, & expreſſit eis, quæ erant geſta per modum ſuprà ſcriptum. Item dixit, quòd fuit ordinatum in Capitulo Generali prædicto apud Toloſam, quòd in magna Miſſa in choro poſt Pater noſter, *diceretur Pſalmus*, Deus in adjutorium, *totus completus, & Oratio*, Prætende, *& finitâ Miſſâ diceretur Antiphona*, Sub tuum præſidium, *altâ voce, & Oratio*, Protege nos, *quam dicebat ſacerdos adhuc re veſtitus coràm altari, & poſt completorium ſoliti ſunt dicere*: Salve Regina Mater, Concede nos. *Et in dicto Capitulo apud Toloſam fuerunt inchoata, & mandata obſervari medio tempore, & Octavæ Angelorum, & Feſtum Sanctificationis Beatæ* MARIÆ *Virginis in craſtino Sancti Mathiæ, & tranſlationis Sancti Petri. De ſuper quibus præmiſſis venerabilis vir Magiſter Robertus de Liveto, promotor in hac materia petijt, à nobis Notarijs publicis ſubſcriptis ſibi fieri publicum inſtrumentum ſeu publica inſtrumenta. Factaq; fuerunt hæc Rothomagi in Camera Magiſtri operis fabricæ Eccleſiæ Rothomagen. ſub anno, indictione, Menſe, die & Pontificatu prædictis. Præſentibus ad hoc venerabilibus viris Magiſt. Ioanne Pravâ puntiferâ, Thomâ de Wiſſuti, & Ediſembardo Lechemarier, advocatis curiæ Rothomagen. & Domino Ioanne de Valle presbytero, cum pluribus alijs teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis* ✠ *G. Gualteri, &c.*

Ex hoc inſtrumento, non ab Univerſitate Pariſienſi, ſed à judice Apoſtolico miſſo ad eamdem Academiam Pariſienſem, duo mirabilia colliguntur. Primum: Totam Religionem in capite, & in membris, ut defenderet fratrem dimicantem pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, & contra Immaculatam Virginis Conceptionem, factam fuiſſe ſub pecuniario tributo, quòd numquàm aliàs fortè viſum eſt in tota Eccleſia. Secundum, & adeò mirabilius: quòd, cùm tunc temporis jam Conceptionis Feſtum, ſub hoc titulo celebraretur die octavâ Decembris, non ſolùm ab Eccleſia Romana, & alijs particularibus; ſed etiam à tota Religione Prædicatorum, ut conſtat ex duobus Breviarijs manu-ſcriptis exiſtentibus in Bibliotheca Regia Scoriali; & ex alijs duobus Breviarijs, & totidem Miſſalibus exiſtentibus in Conventu Annunciatæ Ordinis Prædicatorum in via Sancti Honorati Pariſien. Congregationis Sancti Ludovici; propter hanc controverſiam cœperint mutare titulum; & hinc etiam reclamare illam Feſtivitatem non eſſe celebrandam ſub voce *Conceptionis*, ſed *Sanctificationis*, nec die octavâ Decembris, ut celebrabatur ab Eccleſia, ſed poſt octoginta dies, quando ſecundùm communem opinionem Philoſophorum corpus fœminæ animatur in utero. Volebat itaque Prædicatorum Religio in Capitulo Generali congregata, per decretum, & conſtitutionem uni-

Digitized by Google

univerſalem favêre ſuæ opinioni, & doctrinæ, mutando Feſtivitatis nomen, & diem contra ſtatutum per ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & conſuetudinem omnium aliarum Eccleſiarum, dicendo: *Et Feſtum Sanctificationis Beatæ* MARIÆ *Virginis in craſtino Sancti Mathiæ.* Et ſic calculabat rectiſſimè ſuam computationem. Nam à die octava Decembris incluſivè uſque ad finem menſis, ſunt viginti quatuor dies, & triginta cum uno Januarij, & viginti quinque Februarij, qui omnes ſimul ſumpti faciunt octoginta dies completos & legitimos. Ergò celebretur, dicebant, Feſtum Sanctificationis Beatæ Virginis poſt octoginta dies; corrigatur Eccleſia, ut noſtra prævaleat opinio, & doctrina; ſed ut non ſit aliqua æquivocatio in anno Biſſextili, non dicatur celebretur die vigeſimâ quintâ Februarij, ſed in craſtino Sancti Mathiæ. Statutum per hujuſmodi decretum voluit poſteà confirmare P. Gyrandus Renerius, quando in ſuo libro de Conceptione folio 45. columnâ 1. dixit: *Quibus addo, quòd ſuppoſito, quòd Feſtum Conceptionis ejus celebrandum eſſet, non tamen illâ die, quâ celebratur; quia illâ die ſolùm fuit facta commixtio ſeminum per concupiſcentiam libidinoſam. Quod patet: quia ab illa die uſque ad Nativitatem ejus ſunt novem menſes, de qua commixtione nullo modo eſt Feſtum faciendum, ſed ſolùm de ejus Sanctificatione; quæ, ut piè creditur, fuit facta eâdem die, quâ fuit anima corpori jam organizato infuſa, ſcilicet, per octoginta dies poſt commixtionem ſeminum, quâ die mulieri anima infunditur, & in eo maſculo quadrageſimo die, vel ſecundùm aliquos, quadrageſimo ſexto die, ut habetur in Legenda de ejus Purificatione. Quarè ſi illud Feſtum eſſet celebrandum, deberet celebrari in craſtinum Feſtivitatis Sancti Mathiæ Apoſtoli; & teneo, quòd finalitèr Eccleſia determinabit, quòd illâ die fiat Feſtum.* Prima inſtantia Renerij erat, quòd Feſtivitas Conceptionis nullo modo eſſet celebranda; ſed ſuppoſito, quòd vellent ipſam feſtivare, hoc non deberet fieri die octavâ Decembris, ut ſtatuerat Eccleſia; ſed poſt octoginta dies in craſtinum Sancti Mathiæ Apoſtoli, ut ſtatutum, & ordinatum fuerat à Religione Prædicatorum in ſuo Capitulo Generali: *Et teneo*, inquit, *quòd finalitèr Eccleſia determinabit, quòd illâ die fiat Feſtum*; ut ſaltem finalitèr Eccleſia non erret, ſed corrigat ſe ſequendo determinationem factam ab Ordine Prædicatorum. Sed ut nos non erremus in aliquo verbo, redîmus ad noſtram controverſiam inter Univerſitatem, & Monteſonum.

Iſtius causâ factâ communi propter hæc & alia, de quibus ſuo tempore latiùs dicetur; cùm perveniſſet Monteſonus ad curiam Romanam, egit ibi ex profeſſo iterum de defenſione ſuarum propoſitionum. Sed Univerſitas miſit etiam ex parte ſuâ quatuor Magiſtros Avenionem, ſcilicet Petrum de Alliaco, qui poſt varias Sedes Epiſcopales, factus fuit po-

poſteà S. R. E. Cardinalis; Ægidium de Campis, Joannem de Nova-villa Ordinis Sancti Bernardi, & Petrum Alla-in villa Ordinis Sancti Benedicti; unum in ſacra pagina Magiſtrum, & alterum Doctorem in jure Canonico. Et iſti omnes ſub nomine Petri de Alliaco ediderunt duos tractatus contra Joannem de Monteſono; unum ad Summum Pontificem, & alterum ad ſacrum Conſiſtorium Cardinalium, ſub hoc titulo: *Propoſitio facta coram Papâ pro parte Univerſitatis Studij Pariſienſis, pro cauſa Fidei adversùs Magiſtrum Ioannem de Monteſono Ordinis Prædicatorum*; & incipit: *Pater ſancte, in nomine tuo ſerva eos, quos dediſti mihi: ſcriptum eſt. Ioan.* 17. *&c.* Et ſecundum ſub hoc titulo: *Oratio adversùs Ioannem de Monteſono.* Et in alio originali ſic dicitur: *Propoſitio facta in Conſiſtorio per eumdem contra Magiſtrum Ioannem de Monteſono*; & incipit: *Veritatem meditabitur cor meum, & labia mea deteſtabuntur impium: ſcriptum eſt. Proverbiorum* 8. *&c.* Invêni tractatus iſtos Pariſijs apud Doctorem D. Joannem Launnoium, ex Collegio Navarræ: & Cantabrigiæ in Anglia, in Collegio Emanuelis volumine 1. & in Belgio in Bibliotheca Abbatiæ Parcenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, in libro, cujus titulus eſt: *Vigintiloquium Petri de Alliaco, &c.* Et in hac ſecunda controverſia habita Avenione, præſentavit Monteſonus ſecundam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, ſub nomine Urbani Papæ V. ut ſtatim videbimus.

Univerſitas Pariſienſis, ut rationem redderet Summo Pontifici, & Conſiſtorio Cardinalium; edidit tractatum ſpecialem de hac materia, ut in primo Nodo diximus, & in Univerſitatis approbatione 5. iterum videbimus. Et in ipſo, folio 8. à tergo, inquit Univerſitas: *Sed huic articulo opponuntur tria, quæ proponit dictus frater in ſupplicatione ſuâ, ſeu querelâ Domino Papæ expoſitâ, in quâ ferè tot ſunt mendacia, quot ſunt verba. Primum eſt: quia aliquæ concluſionum ſuarum trahuntur ex doctrina Beati Thomæ, quas Facultas Theologiæ aliàs expreſſè condemnavit, & Dominus Stephanus Epiſcopus Pariſienſis per ſuas litteras approbavit. Secundum eſt: quòd Dominus Urbanus Papa V. per ejus Bullam Univerſitati ſtudij Toloſani ſcripſit, & voluit ejuſdem Sancti doctrinam tamquam benè dictam, & Catholicam ſequi, & tenêri à Chriſticolis, & ſtudioſis, & eam pro viribus ampliari. Tertium eſt: quòd ſolius Sedis Apoſtolicæ eſt declarare, damnare, & approbare. Unde poſteà concludit, quòd dictus D. Epiſcopus apponens falcem in meſſem Summi Pontificis, dictas concluſiones pronuntiavit, & declaravit falſas, hæreticas, & erroneas. Et cauſam ibidem ſubdit: quia iſta, quæ tangunt Fidem, ſunt de majoribus Eccleſiæ cauſis, & quæ ad ſolum Summum Pontificem pro examinatione, & deciſione deferri debent. Ex quibus ſequi videtur, quòd nec Epiſcopus, nec Facultas prædicta concluſiones præmiſſas potuerunt judicialitèr damnare, nec earum dogmatizationem, aut publicationem, vel*

Digitized by Google

defenſionem ſententialiter cohibere. Ad iſta autem faciliter reſpondetur, &c. Et proſequitur Univerſitas reſpondendo latiſſimè ad iſta tria propoſita à Monteſono in ſua ſupplicatione, ſeu magnâ querelâ expoſitâ D. Papæ, in qua tot erant mendacia, quot verba, ut dixit Univerſitas Pariſienſis.

Ex prædictis aliqua colliguntur:& primum eſt, Joannem de Monteſono, poſt ſuam reſumptam veſpertinam, & poſt reſcriptum oblatum Pariſijs judicibus ſuæ cauſæ,in quibus duobus tractatibus latiſſimè defendebat ſuas propoſitiones, edidiſſe in Romana Curia alterum tertium, etiam latiſſimum, ut ſuo loco videbitur. Unde conſtat, quòd ſine ullo fundamento dixerit, ſeu ſcripſerit ille Notitioſus Magiſter Complutenſis, Monteſonum nullum edidiſſe tractatum. Sed quid mirum? Si in omnibus ſuis dictis proceſſit ſine notitia, quidni in titulo ſui abortivi tractatûs? Secundum eſt, quòd adhuc ipſemet Monteſonus loquendo cum Summo Pontifice, & Conſiſtorio Cardinalium confeſſus ſit, & non negaverit Facultatem Theologiæ aliàs expreſsè condemnaſſe aliquos articulos extractos ex doctrina Beati Thomæ: quod etiam negavit ille Notitioſus, qui ſuprà. Sed ſi non convincuntur ipſe & alij ex dictis in antecedenti approbatione Stephani; in alio libello ſtatim producentur in lucem illa, quæ ibi ex induſtria prætermiſimus. Tertium, & principale eſt, quòd Pariſijs ſolùm invenerit Monteſonus, & alij ſui defenſores approbationem Stephani Epiſcopi, & jam Avenione addiderint alteram, ſcilicet D. Papæ Urbani V. Quartum, quòd ex verbis allegatis à Monteſono in hac querela, ſeu ſupplicatione ad Summum Pontificem, totaliter deſtruxerit, ac ſolo æquaverit id ipſum, quod ædificare intendebat: quia ſi ſolius Sedis Apoſtolicæ eſt declarare, damnare, & approbare; & Epiſcopus Pariſienſis condemnando illas propoſitiones ut falſas, hæreticas, & erroneas appoſuit falcem in meſſem Summi Pontificis; quomodò ipſemet Pariſijs, ut viſum eſt in antecedentibus, pro unica ratione, ac totali defenſione ſuarum propoſitionum, præſentavit litteras Stephani de Borreto Pariſienſis Epiſcopi? Si enim Epiſcopus etiam Pariſienſis,tum temporis Petrus de Orgemont,quartus Cancellarius, & Dux Turonenſium, non habebat facultatem damnandi judicialitèr quatuordecim illas concluſiones, nec impediendi dogmatizationem, publicationem, vel defenſionem illarum, ut allegabat Monteſonus coram Summo Pontifice; quomodò Stephanus de Borreto habuit facultatem approbandi omnia opera Sancti Thomæ? Aut quomodò nunc temporis omnes ſcriptores Ordinis Prædicatorum allêgant approbationem iſtam Stephani cum verbis, & ponderationibus ſupra-poſitis, pro approbatione doctrinæ ſui Angelici Doctoris? Quis, qualis & quantus hinc

hinc conficiatur Nodus, judicet benevolus Lector.

Si autem Monteſonus præſentaverit Summo Pontifici, & Conſiſtorio Cardinalium integram Bullam Urbani V. ut adducitur à P. Abrahamo Bzoviò ad annum 1370. cujus principium in ipſo eſt: *Laudabilis Deus in Sanctis ſuis, &c.* ſed ſine dato; vel ut adducitur ab Anonymo Dominicano, in ſuo tractatu de Conceptione, tertiâ viâ ſecundæ partis, rat. 11. pag. 113. quæ incipit: *Sanè cùm ſacrum, & venerabile corpus, &c.* à quibus poſteà Gravina in prologo Præſcriptionum cap. 6. Caſtillo, lib. 3. tomo 2. capite 38. folio 151. Joannes Flaminius, Paulus Nazarius, & omnes alij, qui agunt de doctrina Sancti Thomæ, mihi incognitum eſt; quia tractatus ipſos Joannis de Monteſono invenire haud potui. Hoc autem unum ſcio, quòd Univerſitas Pariſienſis tribus in locis, ubi agit de approbatione iſta, tantummodò adducat ultimam clauſulam, ſcilicet, illam: *Ejuſdem Sancti doctrinam tamquam benè dictam, & Catholicam ſequi & tenêri à Chriſticolis, & ſtudioſis eam pro viribus ampliari*; à qua faciliter Univerſitas ſe expedit dicens in ſuo tractatu, circa principium: *Ad ſecundum reſpondetur, quòd ex prædicta Bulla D. Vrbani; vel præallegatâ litterâ D. Stephani Epiſcopi, aut aliquâ quâcumque litterâ authenticâ, non poteſt ſufficienter concludi, quòd Sancti Thomæ doctrina ſit in omnibus approbata, ſicut clarè oſtenditur in tertio capitulo hujus tractatûs. Et ad hoc adjiciunt aliqui talem rationem: Quia illa doctrina non poteſt ſic eſſe in omnibus approbata, quæ multa continet in Fide erronea; ſed (ut dicunt) prædicta Sancti Thomæ doctrina, non ſolùm in materia de abſoluta neceſſitate creaturæ (de qua, præſentis controverſiæ inferiùs in tribus ultimis concluſionibus tertij capituli, ſpecialiter tractabitur) ſed etiam in pluribus alijs multa continet in Fide erronea, quod declarant tam in prima parte Summæ, &c.* Et adducit quatuor articulos, ſeu opiniones Sancti Thomæ, quæ expreſsè, & clarè videntur eſſe errores in Fide, & concludit ſic: *Vnde ex his omnibus inferunt, quòd prædicta approbatio Vrbani V. non eſt hujus doctrinæ approbatio univerſalis, tamquam doctrina utilis, & in multis probabilis, ſicut doctrina Papæ magiſtralitèr dicta ſolam habet auctoritatem magiſtralem, ſicut D. Innocentius IV. de ſuo Apparatu teſtatus eſt. Sed de hac materia copioſiùs infrà dicetur in tribus primis concluſionibus tertij Capituli; & ideò breviùs pertranſimus, &c.* Hâc brevi ſolutione reſpondet Univerſitas ad epiſtolam, ſeu approbationem Urbani, quia (ut ſuprà diximus ex eademmet Univerſitate) ipſa non viderat litteras iſtas, poſt enim fugam Monteſoni apparuerunt Avenione: ideò addidit illam clauſulam univerſalem: *Aut aliâ quâcumque litterâ authenticâ*; ſupponendo, quòd indies poterant exhiberi hujuſmodi litteræ, & approbationes incognitæ, ut poſteà contigit; & quòd, ſi non eſſent authenticæ nihil probarent. Sed nos, quia ex profeſſo agimus de hac materia.

teria, duximus à radice, & primo fundamento eam eſſe expendendam.

Certùm eſt enim, quòd Joannes de Monteſono non propoſuerit concluſiones ſuas contra Immaculatam Virginis Conceptionem inconſultè, & tanquam perſona particularis; ſed mandato, voce, & nomine totius ſuæ Religionis. Do verba ejuſdem Univerſitatis Pariſienſis, loquendo contrà eumdem Monteſonum, propoſitione 10. quæ talis erat: *Non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatum originale, eſt expreſsè contra Fidem*; ubi ſic dicunt: *Ad ejus pertinaciam etiam clariſſimè convincendam, ſatis illa ſuperba proteſtatio, quam fecit in præſentia totius Theologiæ Facultatis: ubi cùm per ejuſdem Facultatis Decanum charitativè moneretur, ut de malè dictis ſeipſum ſine coactione juridica corrigeret, reſpondit: quòd omnia, quæ in quæſtione de Reſumpta dogmatizaverat, ubique etiam ad mortem defenderet, & publicè ſuſtineret. In ſcholis etiam multùm arroganter dixerat, quòd prædictam, & alias ſequentes propoſitiones, ſicut & quaſdam alias præcedentes, ex injuncto Majorum ſuorum dicebat, nec eas ſine magno, & maturo conſilio publicabat; dans omnibus intelligere, quòd ex parte Ordinis hæc omnia procedebant. Vnde ſi hæc falſa ſunt, Ordo ipſe contra eum debet procedere, nec procedentes contra eum deberet quomodolibet impedire. Nunc autem cùm res aliter ſe habeat, quid inde conjecturari poteſt habentibus rectum judicium rationis? &c.* Cùm autem prædicta propoſitio, & aliæ ſequentes, quas ex injuncto Majorum ſuorum magno, & maturo conſilio Monteſonus dicebat, & publicabat, eſſent contra Immaculatam Virginis Conceptionem, ut Nodo principali V. latè videbitur; conſtat ſine ulla conjectura, quòd controverſia iſta à ſuo principio non fuerit particularis Monteſoni, ſed totius Religionis in communi. Item in libro Decretorum Univerſitatis, folio 17. in condemnatione propoſitionum prædicti Joannis de Monteſono, ſic dicitur. *His omnibus accedit; quòd non ſine magna admiratione nuper audivimus; Majores nempè Ordinis Sancti Dominici (an totus Ordo? Nondum ſcimus) adjuncti ſint huic propriæ matris Veritatiſq; contemptori, ſub hac tamen proteſtatione (ne quid de auditis omittamus) quòd non niſi propoſitiones veras, aut quæ Beati Thomæ doctrinam tangere poſſunt, proſequi intendunt, &c.* Ex quibus patet totam Religionem Prædicatorum in communi, vel pro majori parte, ſimul concurriſſe ad defenſionem doctrinæ Sancti Thomæ, & opinionis ſuæ contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Nihil enim aliud eſt in ipſorum voto, corde ac labijs à controverſiæ principio, niſi ſuæ opinionis exaltationem diffundere poſtponendo omnia alia, Dei gloriam, ejuſdem Matris honorem, Sanctorum Patrum Doctrinam, ac eorumdem conculcationem.

Propter hanc cauſam etiam Vniverſitas Pariſienſis excluſit à ſuo conſortio, honoribus, & ingreſſu Facultatis

Digitized by Google

tatis totam Religionem Prædicatorum in communi, & particulari; & ſic remanſit excluſa ab anno 1389. uſque ad annum 1403. quo iterùm fuit recepta; ut conſtat ex inſtrumento authentico exiſtente in archivo Vniverſitatis, folio 63. & originalitèr in charta expanſa pellicea, ex qua tranſcripſi ſequentia verba: *Super declaratione quarumdam propoſitionum dictarum à Magiſtro Ioanne de Monteſono, Magiſtro in Theologia Ordinis Fratrum Prædicatorum, definierunt & determinarunt, quantùm in eis eſt, propoſitiones ipſius inferiùs annotatas forè publicè denuntiandas in Scholis, & Sermonibus ſub forma inferiùs contenta, &c.* Et poſt pauca: *Nunc verò, quia placuit Chriſtianiſſimo Regi noſtro, & Patri ſereniſſimo, gratioſè ſcribere nobis ſuæ filiæ humili, & devota per litteras pace plenas, & fide; quatenùs Fratres prædictos ad noſtrum gremium ingredi, humiliter ſupplicari, reciperemus ad nos, & ad actus ſcholaſticos ſolitos: ſub tali tamen adiectione, quòd condemnatio prænominata quatuordecim propoſitionum, inviolata ab eis ſervaretur; nulluſq; fratrum, aut alius dogmatizaret, aut legeret, aut prædicaret oppoſitum, &c.* Et poſt aliqua: *Scripſerunt præterèa illuſtriſſimi, & potentiſſimi Principes Domini Burgundiæ, & Borbonij, & ſuos miſerunt Legatos. Nos attendentès iſta omnia, & rememorantès, quanto zelo Dominus noſter Papa Benedictus, cui tenèmur obnixè, olim dùm eſſet in minoribus conſtitutus, & Legatus in Francia, ad hanc unionem anhelabat, & ſimilitèr plurimi ex Dominis Principibus: conſiderantes præterea humilem ſupplicationem dictorum Fratrum Prædicatorum, ſpecialitèr ad hoc deputatorum, & ſub inſtrumento publico fundatorum pro Provincia Franciæ, coram Deputatis noſtris, & nobis comparentium, qui pluriès ſuper ſuâ reconciliatione cum omni ſigno humilitatis orarunt, & appunctamentum præfatum tenère inviolabiliter polliciti ſunt. Attendentes denique pium maternæ charitatis fœdus erga filios, & profeſſionis noſtræ memores, quæ concordiam & miſericordiam prædicare non ceſſat; & quia ſpecioſior eſt forma totius ex ſui plena compâge membrorum, virtus quoque unita fortior eſt ſeipsâ diſperſâ. Habentes poſtremò præ oculis Doctores præexcellentiſſimos ejuſdem Ordinis, qui & Eccleſiam univerſam, & noſtram Vniverſitatem de fructu operum ſuorum illuſtrarunt, & illuſtrabunt Deo propitio: decernimus concordi deliberatione prædictos Fratres ad noſtrum conſortium, de noſtra ſpeciali gratia, recipere & reintegrare, ſicut olim fuerant, priuſquàm lites iſtæ moverentur; & de facto recipimus & reintegramus. Hoc tamen obſervato, ut ſicut Fratres prædicti ex parte Provinciæ Franciæ promiſerunt, & adhuc promittunt pro ſe, & ſuâ Provinciâ totâ tenère ordinationem Regis ſuperiùs expreſſam; ita procurabunt ſanâ Fide pro poſſe illam facere obſervari apud omnes alios Fratres de ſua Religione; renunciantes expreſſè quibuſcumque appellationibus per eos, aut aliàs per Conventum Pariſienſem factis. Et in ſpeciali, quòd nullus frater recipiatur amodò ad gradus ſcholaſticos Pariſijs; qui non priùs hanc ordinationem te-*

nêre juraverit in manibus Facultatis Theologiæ, vel Deputatorum, &c. Datum & actum in Congregatione noſtrâ Generali apud Sanctum Maturinum Pariſijs celebratâ, anno Domini 1403. *die* 21. *menſis Auguſti.* Hanc tragædiam excitarunt in ſacra Prædicatorum Religione, illæ duæ aſſertiones Monteſoni: Virgo MARIA fuit concepta in peccato originali; & hoc eſt de Fide, &c. & doctrina Sancti Thomæ eſt approbata per Eccleſiam, &c.

Litteræ iſtæ reconciliatoriæ duas clauſulas habent notatione dignas: prima eſt illa: *Sub tali tamen adnectione, quòd condemnatio prænominata quatuordecim propoſitionum, inviolata ab eis ſervaretur, nullusq́; Fratrum, aut alius dogmatizaret, aut legeret, aut prædicaret oppoſitum.* Cùm autem condemnatio præcipua, ac principalis fuiſſet illarum quinque propoſitionum tangentium myſterium Immaculatæ Conceptionis, ut in Nodo V. principali videbimus: propter hanc ſponſionem fuerunt, & ſunt Fratres Prædicatores obligati, ut nullo modo contra ipſas dogmatizarent, legerent, aut prædicarent; & hoc non quomodocumque, ſed ſub juramento, & voto expreſſo, ut continetur in ſecunda clauſula. *Et in ſpeciali, quòd nullus Frater recipiatur amodò ad gradus ſcholaſticos Pariſijs, qui non priùs hanc ordinationem tenêre juraverit in manibus Facultatis Theologiæ, vel Deputatorum.* Conſtitutio hæc Univerſitatis duo in ſpeciali continebat, ad quę ſub jure-jurando ante ſuam receptionem ad Sorbonicas functiones ſe obligarunt Patres Prædicatores, ſcilicet, depoſitionem ſuæ opinionis circa Virginis Conceptionem, & approbationem doctrinæ Sancti Thomæ: quia propter iſta duo fuerat ipſorum lis, & controverſia, atque expulſio à Scholis. Sed quomodò deinceps cuſtodierint, quod ſub nomine totius ſuæ Religionis, & ſub jure-jurando promiſerunt circa prædictos duos articulos de ſententia, & doctrina, omnes, qui poſteà ſcripſerunt contra Conceptionem, & dixerunt doctrinam Sancti Thomæ fuiſſe approbatam à Stephano & Vrbano, teſtes ſunt. At fortè dicent, illos, qui ſcripſerunt circa iſta non eſſe Doctores Pariſienſes, & ſic non teneri ad juramenti obſervantiam. Aliquale effugium; ſed Gyrandus Renerius non erat ipſe Doctor Pariſienſis? Producamus interim aliud memorabile exemplum. Poſt iſtud Decretum Vniverſitatis factum anno 1403. & poſt conſtitutionem Gregorij XV. promulgatam anno 1622. quâ præcipit relegare à Breviarijs, & Miſſalibus Ordinis Prædicatorum vocem *Sanctificationis* ſub pœna excommunicationis, &c. & anno 1647. juſſu Reverendiſſimi Patris Thomæ Turci Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, fuit impreſſum Pariſijs apud Claudium le Beau, viâ Jacobeâ, ſub ſigno boni Paſtoris, Breviarium ejuſdem Ordinis; in quo pag. 798. extat hæc Rubrica: *In Conceptione Beatæ*

MA-

MARIÆ *Virginis totum duplex. Omnia præter lectiones infra-ſcriptas de officio Nativitatis ipſius aſſumantur, mutato Nativitatis vocabulo in Sanctificationis.* Nónne vides ex iſta Rubrica, qualiter poſt viginti quinque annos ab expeditione Decreti Pontificij adhuc vigeat, vivat, & protegatur vox *Sanctificationis* in Religione Prædicatorum? Juxta illud ab eodem Reverendiſſ. Patre Turco in ſuo tractatu de Conceptione, folio 22. promiſſum, de quo latiùs ſuprà, ubi ſic inquit: *Superatis voraginibus emergens, in Dominicanam familiam ſe recepit, ubi ſecurè conquieſcit, omnes ridet, & contemnit, &c.* Et quod verbis dixerat, factis demonſtravit imprimendo Breviarium illo anno cum titulo *Sanctificationis*. Sed de hoc aliàs, quia in iſto libello non tractamus de opinione Sanctificationis, ſed de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ.

Non obſtante defenſione illorum decem Magiſtrorum, & totius Religionis Prædicatorum, Joannes de Monteſono noctu aufûgit à curia Avenionenſi, ita ut numquam ampliùs comparuerit: quapropter per ſententiam diffinitivam à Cardinalibus, delegatis à Summo Pontifice, fuit excommunicatus, ut conſtat ex inſtrumento authentico exiſtente in archivo Univerſitatis Pariſ. cujus titulus eſt: *Sententia excommunicationis lata Avenione contra fratrem Ioannem de Monteſono anno* 1389. *die* 27. *Ianuarij*, *&* *fulminata Pariſijs die* 17. *Martij*. Litteræ autem incipiunt ſic: *Vniverſis præſentes litteras inſpecturis, ſeu præſens publicum inſtrumentum viſuris & audituris, Officialis Pariſien. ſalutem in Domino. Notum facimus nos die datâ præſentium vidiſſe, tenuiſſe, & palpaſſe, & de verbo ad verbum legi, & publicari ad inſtantiam Rectoris, & Vniverſitatis Pariſien. &c. litteras tenoris ſequentis: Miſeratione Divinâ Guido Epiſcopus Praneſtenſis, Leonardus tituli Sancti Sixti, & Æmelius tituli Sancti Euſebij Presbyteri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales judices, Commiſſarii per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & D.N. Clementem Divinâ providentiâ Papam VII cauſæ, vel cauſis, ac partibus infra-ſcriptis ſpecialiter deputati: univerſis & ſingulis, &c.* Et propoſito exordio cum relatione ſatis longâ, de cauſa & lite Joannis de Monteſono, proſequitur ſic: *Dùm orta quæſtionis materia inter diſcretum virum Procuratorem Facultatis ſacræ Theologiæ Vniverſitatis Pariſien. ex parte una, & Magiſtrum Ioannem de Monteſono in ſacra Theologia Magiſtrum Ordinis fratrum Prædicatorum Valentinen. Diœceſis in Catalonia oriundum, &c.* Et enarrat litem ipſius habitam cum Facultate Parienſi, & commiſſionem cauſæ eis à Summo Pontifice elargîtam; citationes, & omnia alia acta judicialia interlocutoria. Refert etiam fugam factam à fratre Joanne de Monteſono à curia Romana, contra præceptum illi à Summo Pontifice impoſitum, ſcilicet, ne à curia diſcederet uſque ad ultimam terminationem litis; & quomodò, hoc non obſtante præcepto Apoſtoli-

Digitized by Google

ſtolico, diſceſſerat; nec vocatus per edicta publica peremptoriaque tempora comparuerat; & ſic ùt contumax fuerat excommunicatus per ſequentia verba: *Tenore præſentum requirimus, & monemus communitèr & diviſim, vobiſq; & cuilibet veſtrûm, canonicâ monitione præmiſſâ, ferimus in his ſcriptis, niſi feceritis, quod mandamus, ſtrictè præcipiendo, quatenùs & quilibet veſtrum, infrà ſex dierum ſpatium immediatè ſequentium, (quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonicâ, vobis univerſis, & ſingulis aſſignamus) poſtquàm fueritis requiſiti, ſeu aliquis veſtrûm fuerit requiſitus, prænominatum fratrem Ioannem de Monteſono principalitèr excommunicatum, aggravatum in veſtris Eccleſijs & Monaſterijs, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis feriatis & non feriatis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ac demùm extinctis, publicè nuntietis, ſeu nuntiare mandetis rectiùs à veſtris ſubditis evitari, &c. Datum Avenione die Mercurij 27. Menſis Ianuarij, indictione duodecimâ, anno à nativitate Domini 1389. Pontificatûs D. N. Papæ Clementis VII. anno 11.* ✠ *ſignatus. Cardonia cum ſingrapha.* Hæc fuit ultima expeditio habita in curia Romana circa cauſam Joannis de Monteſono; ſed nòn propterea quievit, quin potiùs de novo exarſit.

Pro quo ſupponendum eſt: quòd tempore hujus controverſiæ inter Univerſitatem, & Monteſonum, magnum ſurrexerat ſchiſma in Eccleſia Dei: ex una parte extabat Romæ Urbanus VI. electus in Summum Pontificem eodem anno controverſiæ; & ex altera parte Clemens VII. Avenione habitus ut ſchiſmaticus, & Antipapa. Joannes de Monteſono ſecutus fuerat partes hujus Clementis, quem defendebat pro poſſe: ideò à ſententia Univerſitatis appellaverat ad Clementem Avenionem, & non ad verum Pontificem Romanum Vrbanum. Cùm autem tres Cardinales à Clemente delegati ipſum premerent intra terminos juridicos ad reddendam rationem de illis per ipſum allegatis in reſcriptis, & defenſorijs; nullum aliud inveniens refugium, appellavit ad fugam; & cernens conſequenter acrem excommunicationem contra ipſum promulgatam, convertit calamum contra Clementem, & edidit adverſus illum non unum, ſed duos tractatus; de quibus latè loquitur Odoricus Raynaudus ad annum 1389. tomo 17. num. 15. & ad annum 1391. & tractatus iſti extant in Bibliotheca D. D. Cardinalis Barberini num. 1504. & in Bibliotheca D. D. Caroli de Montchalt cod. 223. de quibus etiam agit R. P. Philippus Labbé in ſua Bibliotheca manu-ſcriptorum, pag. 203. & in uno illorum inquit Monteſonus in quadam objectione: *Sed omnes prædicti Domini concorditèr dicunt D. Urbanum non eſſe Papam; & dictum, qui ſe Clementem nominat, eſſe Papam: igitur hoc videtur eſſe credendum à populo Chriſtiano. Et hæc ratio aliàs fecit me præcipitare in errorem*

præ-

Digitized by Google

prædictum : ad quam reſpondeo ſic, &c. Nota iſta ultima verba : *hæc ratio*; ſcilicet, communis acclamationis, & ſequela Clementis ; *fecit me præcipitare in errorem prædictum*. Cognovit Monteſonus ſuum præcipitatum errorem circa electionem Clementis, propter ſententiam diffinitivam contra ipſum latam : omnia enim ſua præcipitato animo, & calamo egit; ſed an cognoverit ſuum præcipitatum errorem circa cenſuram piæ ſententiæ de Immaculata Conceptione Dei Matris MARIÆ? Deus ſolus ſcit: quia de hoc nihil hucuſque invenire potui, niſi quòd Cantabrigiæ in Anglia inter manu-ſcripta Collegij Emanuelis, volumine 1. num. 7. extet quoddam reſcriptum, ſub hoc titulo : *Renovatio facta per quemdam F. Prædicatorem de quæſtionibus in veſperijs ſuis*. Hunc autem Fratrem fuiſſe Joannem de Monteſono non poteſt verti in dubium : quid autem contineatur in hac renovatione, mihi incognitum eſt, quia ipſam non potui videre : notitia tamen illius extat in Ecloga Oxonio-Cantabrigenſi Thomæ James, fol. 136.

Suppoſitis pro veris principijs, & ſubſiſtentibus, quæ hucuſque à nobis relata ſunt, ex actis & dictis Joannis de Monteſono, ingrediamur noſtrum ſcopum principalem; ſcilicet, ad inquirendam veritatem de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ factâ ab Vrbano Summo Pontifice, allegatâ Avenione in Conſiſtorio Cardinalium; à qua, ut exiſtimo, ortum habuit fuga Monteſoni; & de qua ſcriptores Ord. Pærdicatorum tot tantaque mirabilia decantant & dicunt. In quorum teſtimonijs & auctoritatibus collatis inter ſe, non invenio niſi incongruentias, contradictiones, & abſurditates magnas, ut infrà ex ipſorummet verbis conſtabit, & dictum fuit in SOLE VERITATIS, ubi loquendo de hac Vrbani Bulla ſic dixi : *At quid dicemus de litteris Vrbani, quæ majorem videntur claudere difficultatem?* &c. *Nec ipſi ſcriptores Dominicani antiqui de prædictis litteris memoriam faciunt: nam Sanctius Antoninus parte tertiâ hiſtoriæ titulo* 21. *cap.* 10. *folio* 374. *loquendo de Vrbano V. ſic dicit : Mandavit autem ipſum corpus deferri Toloſam, ſcribens Studio Toloſano Sancti extollens gloriam, & approbans Apoſtolicâ auctoritate doctrinam. Ex quibus conſtat ipſum locutum fuiſſe ex relatione : quia ; ſi vidiſſet Bullam, nullibi reperiret approbationem, ſed recommendationem.* Neſcio tamen quid immodeſtum, & falſum, quid confictum, & à pura imaginatione procedens, quid hallucinationis, aut quid denique tam ſtupendum extet in his verbis, quod neque Religioſus, nec Thomiſta, nec Catholicus ullus tolerare poſſit, ut exclamando dicit quidam P. Dominicanus, volens defendere Joannem de Monteſono in integro §. 14. ut propter illa vocet ad judicium Auctorem illius libri, ut de ſe reddat rationem; addens poſt relata in ſua Notitia

titia folio 67. *Nec Sanctis Archiepiſcopis referentibus parcens; nec doctrinam Chriſti ore probatam improbare veritus; ipſum locutum fuiſſe ex relatione, quia ſi vidiſſet Bullam, nullibi reperiret approbationem, ſed recommendationem. Sed ex ore tuo te judico, Serve Nequam, quia ſi vidiſti Bullam, & in ea legiſti commendationem, ergò Bulla extat, & non eſt à nobis conficta: Si ex relatione aliorum locutus es, cur id exprobras Sanctiſſimo, & ſapientiſſimo, & prudentiſſimo, & fidiſſimo Antonino? Rurſus velim, ut exponas, in quo differat, quod Pontifex maximus commendet Univerſitati doctrinam ut Catholicam & veridicam, & præcipiat ut eam ſectentur, & eam ſtudeant totis viribus ampliare (ut ibi dicitur) & eam doctrinam approbare? Quod ſi tu neſcis, diſce ex Magiſtro Ioanne à Sancto Thoma, tomo 1. in primam partem, tractatu integro de approbatione doctrinæ Divi Thomæ. Vide Arriagam duobus tomis integris. Vide Dominicum Gravinam millies contra Pezam, & alios tui ſimiles diſſerentem: quia nobis ad hæc digredi non vacat.* Servus ergò ille Nequam (ſic vocatus à te) coactus, renuens, & violentus, ſed invictus venit ad judicium, ut reddat rationem de mna ſua, id eſt, Bulla iſta. Et licet cognoſcat, quòd non ſis Dominus magnus, & laudabilis nimis, ſed Dominicus parvulus; & quòd ſis homo auſterus & durus, quia metis ubi non ſeminaſti, & vis congregare ubi non ſparſiſti: priùs enim debueras dicere: ecce do tibi mnam, talentum, & Bullam authenticam Vrbani V. ut ſic eſſes ſimilis Evangelico Domino, & non parabolarizares ſine fundamento. Hoc tamen non obſtante, ſecundùm eamdem parabolam, ſic reddit rationem Servus ille Nequam, diſcurrendo per ſingulas tuas clauſulas.

Prima eſt illa: *Nec Sanctis Archiepiſcopis referentibus parcens, &c.* Domine ego exiſtimo, quòd Sanctus Antoninus fuerit tantùm unicus individuus homo, & adeò ſtaturâ puſillus, ut ex Antonio, ob parvitatem corporis, fuerit dictus Antoninus diminutivè. Si ergò fuit unus Sanctus, unus Archiepiſcopus, & unus referens: quare, vel quomodò repetis plures Antoninos, Sanctos Archeipiſcopos referentes, quaſi multos oſtenderim Antoninos Archiepiſcopos Sanctos? in hoc enim homo durus, & auſterus es: quia ex uno Antonino, Sancto Archiepiſcopo referente, repetis plures Antoninos Sanctos referentes, nec hoc eſt meum dare tibi. Unus Antoninus retulit, ſed dicere illum locutum fuiſſe ex relatione, nullam credo eſſe offenſam, aut improperium. An omnia, quæ ipſe Sanctus Antoninus refert in illa ſua hiſtoria à principio mundi, vidit proprijs oculis, vel locutus fuit ex relatione aliorum? Cùm igitur ferè omnia locutus fuerit ex relatione, & quam-plura ex mala quidem relatione, ita ut neceſſe fuerit, quemdam è SOCIETATE JESU manum mittere, & multa caſtigare, & animadvertere in ejus hiſtoriam: igitur qui hoc non cognoſcendo corripuit, homo eſt du-

rus,

Digitized by Google

rus, & auſterus. Item R.P. Melchior Canus Ordinis Prædicatorum, in ſuo doctiſſimo libro de locis Theologicis, libro 11. capite 6. quærens: qui ſint probatæ fidei auctores; relegat ab hac claſſe duos Patres ſuæ Religionis ſcriptores hiſtoriarum, Sanctum Antoninum, & Vincentium Hiſtorialem, ſic dicens: *De Vincentio Belluacenſi, & D. Antonio liberiùs judico; quorum uterque, non tam dedit operam, ut res veras, certaſq; deſcriberet, quàm ne nihil omninò præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuſlibet reperiretur; &c.* Hoc etiam dicunt multi alij Auctores. Lege Antonium Poſſevinum in Apparatu: vide quid dicat Antonius de Corduba in ſuo Quæſtion. queſt. 44. & Franciſc. Hondeghem in ſua Luce Meridiana, impreſsâ in Belgio eodem tempore quo SOL VERITATIS in Hiſpania cap. 21. §. 4. fol. 321. Ergò ſi fuit aliqua offenſa dicere ipſum non vidiſſe Bullam, ſed locutum fuiſſe ex relatione; non ex ore ſuo judicaſti Servum illum Nequam; ſed ex ore tuorum, & aliorum. Item, nullus ſcriptor Ordinis Prædicatorum vidit veram Bullam Urbani, ut infrà evidenter conſtabit: ſed pro nunc Pater Raphaël de Pornaſio, ſcribens ex profeſſo de hac materia in Italia, & propè Florentiam, & eodem tempore, quo Sanctus Antoninus, ad finem ſui tractatus de Conceptione inquit: *Scripſit præterea Romanus Pontifex litteras Apoſtolicas Univerſitati ſtudij Toloſani Sancti Doctoris extollens gloriam, & approbans Apoſtolicâ auctoritate doctrinam ejus; hujus reſcripti copia nondum ad manus meas pervenit.* Hic ex relatione locutus eſt, & poſt centum annos à translatione unam ſaltem ſimplicem copiam non viderat. Quid ergò mirum quòd S. Antoninus ſic etiam locutus fuiſſet? Ubi eſt unus, potuit eſſe alius, qui copiam non viderat, ſed ex relatione loqueretur. Altera pars clauſulæ: *Nec doctrinam Chriſti ore probatam improbare veritus*; non loquitur cum Servo Nequam: quia de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ ab ore Chriſti prolata: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; ad quam reſpiciunt Domine tua verba; neque unicum ſolùm extat in toto illo libro SOLE VERITATIS, ubi tantummodò agitur de approbatione Innocentij Papæ Urbani, & Stephani Epiſcopi: & ſic quoad hanc partem non ex ore proprio, ſed ex ore, & intentione tua judicaſti Servum illum Nequam. Sed cùm tu Domine non ſis veritus interrogare de hoc, & petas ut reddat rationem de illa; reddet libentiſſimè: recurre ad infra-dicenda Nodo VI. principali, & certè ijs viſis non judicabis illum ex ore ſuo, ſed ore tuorum Scriptorum, & cujuſdam inſignis Doctoris Pariſienſis. Et fortè pœnitebit te tui, & interrogationis tuæ.

Secunda clauſula eſt illa: *Sed ex ore tuo te judico, Serve Nequam: quia ſi vidiſti Bullam, & in ea legiſti recommendationem, ergò Bulla extat, & non eſt à nobis conficta: ſi ex relatione aliorum locutus es, cur*

Digitized by Google

cur id exprobras ſanctiſſimo, & prudentiſſimo, & ſapientiſſimo, & fidiſſimo Antonino? Servus ille Nequam numquam dixit Bullam Urbani eſſe à vobis confictam, ſed tantummodò non conſtare de ejus authentica legalitate; & ſic poſtquam propoſuiſſet quidquid invenerat in Auctoribus de illis tribus approbationibus, concludit ſic: *De his tribus litterarum generibus Stephani, Vrbani, & Innocentij, de duabus primis judicet lector juxta dicta; ſed de ultimis Innocentij ego affirmo fuiſſe falſiſſimas.* Igitur hîc judicaſti Servum Nequam, non ex ore ſuo, ſed ex ore tuo, quia tu dicis fuiſſe à vobis confictam; & ſi tu dicis Domine, tu dixiſti: etiam ſic eſt, ut ſtatim apparebit. Servus ille Nequam vidit Bullam impreſſam in Annalibus Patris Abrahami Bzovij: vidit etiam in Anonymo, & Petro de Vincentia, & in Compilatore opuſculorum Sancti Thomæ impreſ. anno 1508. in Tabula aurea, & alijs de quibus infrà: & in modernioribus, citando folia in quibus extat: vidit quidquid circa illam dicunt omnes alij Auctores à te citati, ùt hîc iterum videbis; & extant in Sole Veritatis, folio 14. & folio 34. ubi eos legiſti: ad quid ergò eſt illud: *Vel vidiſti, vel non vidiſti? &c.* Nullum de novo adducis Auctorem, niſi illos, quos legiſti viſos & citatos ab illo paupere, & indocto Servo Nequam: ergò homo durus & auſterus es, quia tollis pro tuo libro, quod non poſuiſti, & metis, quod non ſeminaſti. Servus Nequam millies vidit præcipuam Bullæ clauſulam in Auctoribus tuis, quos nec vidiſti, & aliquos nec videre ſomniaſti: vidit in Gyrando Renerio in tractatu de Conceptione: vidit in Raphaële de Pornaſio in tractatu etiam de Conceptione, in Anonymo, Bandello, Deza, Vincentio Dodi in Apologia pro doctrina Sancti Thomæ, paginâ 6. in PP. Nazario, Gravina, Salmanticenſibus & Mich. Pio in ſuo tertio opere de Hominib. illuſt. Sancti Dominici lib. 1. ubi poſtquam eam adduxiſſet latinè, ſic illam tranſtulit Italicè. *Et ne fù ſpedito da eſſo la Bolla ai Toloſani l' anno 1367. ove comanda al Clero, & ai Mageſtri, & Dottori di quella Vniverſità, che debbiano ſeguire la dottrina di S. Thomaſo, come vera, & Catholica, & che s'ingegnino con tutte le forze loro di ampliarla, & de dilatarla.* Vidit in Joan. Ruinckel de Hallis, & in illo Auctore, qui typis mandavit Lambertum de Monte, & in alijs plurimis. Sed cùm omnes diſcreparent in Pontifice, & anno, & multò magis in verbis; Servus ille Nequam judicavit Bullam eſſe dubiam, & incertam: quare quærebat videre Bullam originalem, aut copiam authenticam, vel impreſſam in aliquo libro legali, Bullario, aut Annalibus Odorici, &c. ut decideretur quæſtio: utrùm Bulla eſſet vera, & legitima, aut dubia vel incerta, aut falſa, & ſuppoſita: quia ex his tribus ſtatibus; ſi eſſet vera, taceret Servus ille Nequam, & nihil intereſſet, quòd Sanctus Antoninus lo-

que-

quæreretur ex relatione, quia locutus fuiſſet ex relatione vera: ſi Bulla eſt dubia & incerta, quid intererat, quòd S. Antoninus videret ipſam? quia locutus fuiſſet ex Bulla incerta & dubia: ſi autem eſt falſa, & conficta, ut eſt, tacebit Dominus meus Dominicus. Quæſtio noſtra eſt: an hæc Bulla Urbani, quæ manebat in ſtatu medio, ut incerta & dubia, anceps & vacillans ad utrumque extremum in SOLE VERITATIS rationibus aut demonſtrationibus Dominici veri, eſſet conſtituenda in ſtatu vero, & ſalvationis; vel ex dubia relatione Servi Nequam reducenda eſſet ad nequiſſimam confictionem damnationis? Dominus pro ſua veritate nullum adducit teſtimonium; ſed tantùm verba pungentia: ſervus Nequam ſtatim reddet rationem evidentem & palpabilem de falſitate iſtius Bullæ: ex quo ergò ore judicanda erit cauſa iſta?

Item addit Servus ille Nequam, atque Nequam etiam ſcholaſticus, quòd non ſit fidelis conſequentia, ſed valdè Nequam: *Bulla extat, ergò non eſt à nobis conficta*: nam multæ Bullæ apud nos extabant & extant, quæ tamen fuerunt, & ſunt confictæ: Nam Bulla contra Raymundum Lullium extabat apud Eymericum, & erat conficta. Bulla Univerſitatis Pariſienſis, de qua infrà, extat apud vos, & eſt conficta; & omnia quæ infrà proponentur extant, & tamen (ut in plurimum, & ex majori parte) ſunt conficta. Denique, quæ referuntur in SOLE VERITATIS, præcipuè ſecundæ impreſſionis, extant, ſed ſunt conficta; & ſic etiam Bulla Vrbani extat, ſed conficta, ut ſtatim demonſtrabitur. Item eſt peſſima conſequentia arguere à ſingulari ad plurale, ab uno individuo ad totam Religionem. Vnus Nequam finxit, ſed non omnes; abſit: ille primus decepit, & omnes ſubſequentes fuerunt decepti; ſed adſcribere omnibus peccatum, ut tu hîc facis, eſt quærere Nodum in ſcirpo. Interrogo te (ſed non dico Serve Nequam, ſed frater, & conſerve in Chriſto chariſſime, agendo tecum in ſpiritu non contradictionis, ſed lenitatis & manſuetudinis) an ficta & falſa ſint indiviſibilia & ſpiritualia, ita ut ab oculis corporeis non poſſint videri? &c. Si illæ, quæ extant ſcripturæ Ovidij, Æſopi, & Apulæij, quia extant, non potuerunt eſſe confictæ; rariſſimas notitias præſtas nobis, dum ex tuo magno magiſterio nequiſſimas fabulas & figmenta patrata à ſceleratiſſimis hominibus, quia extant & leguntur, veras, indubitatas, ac Fide dignas eſſe adſtruis, atque qui illas non crediderit in tuo Dominico judicio, jam ut peſſimus Servus Nequam, irremiſſibiliter damnatus eſt. O fidelis judex, qui tantam ac talem noſti proferre ſententiam!

Tertia clauſula eſt illa: *Rursùs velim ut exponas in quo differat, quòd Pontifex Maximus commendet Vniverſitati*

doctrinam ut Catholicam & veridicam, & præcipiat ut eam ſectentur, & ſtudeant totis viribus ampliare, ut ibi dicitur, & eam doctrinam approbare? Quod ſi tu neſcis, diſce, &c. Et in primis Joannes à Sancto Thoma, Arriaga, & Gravina nihil dicunt circa hoc de approbatione,& condemnatione, an diſtinguantur,nec ne. Ad quid ergò eſt iſta remiſſio: *Quod ſi tu neſcis, diſce ex Magiſtro Ioanne à Sancto Thoma? &c.* Certè dura,& auſtera remiſſio, cùm in prædictis Auctoribus nec verbum extet de tali materia. Petis à me, ut exponam tibi, in quo differant Summum Pontificem commendaſſe doctrinam, & illam approbaſſe: quia tu nullam invenis diſtinctionem. Si ergò ſunt idem approbare, & commendare: quare vocas Servum Nequam, & tot improperijs condemnas vocantem illam recommendationem: quia idem in quantum idem, &c. Sed volo tibi exponere breviter in quo differant, ut aliquando ex ore tuo te judices. Tu dicis eſſe Servum Nequam, qui illam vocavit recommendationem: quia ut eſſet ſervus fidelis deberet ipſam vocare approbationem: ergò ex ore tuo diſtinguuntur iſta duo, ſicut diſtinguuntur ſervus fidelis,& Servus Nequam: intelligis iſtam diſtinctionem? An autem commendatio, & approbatio in rei veritate ſint idem, vel diſtinguantur inter ſe, quæſtio eſt latiſſima alibi diſcutienda. Pro nunc autem ſolùm dicitur: quòd ſupremus Generalis Ordinis Prędicatorum Reverendiſſimus Pater Thomas Turcus in ſuo tractatu contra Immaculatam Conceptionem: & Pater Thomas Leonardi in ſua quæſtione contra eamdem,pro viribus conentur defendere ſententiam Immaculatę Conceptionis eſſe quidem à Summis Pontificibus recommendatam, ſed nullo modo approbatam: ergò approbatio,& recommendatio diſtinguuntur. Compone te cum illis, & alijs tui ſimillimis, de hac eadem re differentibus: quia nobis ad hæc digrèdi non vacat, ut tuis in omnibus utamur notiſioſis verbis.

Quia Servus Nequam dixit, quòd Urbanus V. non approbaverit, ſed recommendaverit doctrinam Sancti Thomæ, dicis illum exprobare Sanctum Antoninum, & improbare ſine verecundia doctrinam Chriſti ore probatam, & illum durè, & auſterè condemnas; ſed certè hoc non fit ex ore proprio: Nam Pater Abrahamus Bzovius Ordinis Prędicatorum ipſam vocat commendationem, non approbationem, in Annalibus tomo 14.columnâ 1365. ubi adducit integrám Bullam Vrbani,ſub hoc titulo: *Præter hos honores Divi Thomæ decretos, alium quoque inſignem Vrbanus adjunxit, cùm ejus doctrinam tamquam veridicam, & Catholicam Tholoſatibus commendavit. Ita habet edictum Pontificis.* Nota verbum, *Commendavit.* Inſignis ille Doctor tuus Didacus Alvarez in libro de Auxilijs,impreſ. Lugduni 1620. libro 1. cap. 5. fol. 82. ſic incipit: *Doctrinam*

etiam

etiam Sancti Thomæ, qui fideliſſimus Sancti Auguſtini fuit interpres, commendarunt plures Romani Pontifices: præſertim Innocentius V. &c. Obſerva etiam vocem, *Commendarunt*. P. Coſmas Morelles ejuſdem Ordinis in impreſſione operum Sancti Thomæ Antverpienſi 1612. ſub hoc titulo: *Commendatio doctrinæ Sancti Thomæ de Aquino, per Apoſtolicam Sedem, &c.* ponit hanc Bullam Vrbani V. & alias: nota illud, *Commendatio.* Aliquid amplius conceſſit doctrinæ Sancti Thomę Servus ille Nequam, dicendo non eſſe ſolùm commendatam ſimpliciter, ſed recommendatam, quaſi reduplicativè: & ſi, quia plus conceſſit, ex ore ſuo illum judicas, & condemnas ut Servum Nequam, benè agis, quia duriùs, & auſteriùs erat objurgandus, eò quòd, ut indulgeret doctrinæ Sancti Thomæ, exceſſerit terminos veritatis, & grammaticæ: ideò, antequàm iterùm à te vocatus, & coactus veniat ad judicium, ut reddat rationem exactiſſimam de talento, ſeu mna ſibi tradita, id eſt, de Bulla Vrbani, non fodit illam in terram, ſed potiùs pro ipſa peragravit terram; nec repoſuit eam in ſudario, ſed in ſudore, labore, & itinere negotiatus eſt illam inquirere, & videre oculariter: quia Servus ille Nequam ex improbo labore, longâ experientiâ, didicit, quòd ſcientia recondita, & notitia rerum ſingularum non acquiratur, nec inveniatur in otio, & quiete, ut tu dicis, & jactas de tua: & ſic exeunt, ut notitiæ acquiſitæ in otio, otioſæ. Sine otio ergò, atque quiete ex curia Matritenſi accinxit ſe Servus ille Nequam, ut negotiaretur in civitate Toloſana Galliæ, ad quam fuerat directa epiſtola illa Vrbani V. ut ipſam quæreret, inveniret, & videret originaliter, & tibi, & alijs veridicam, & infallibilem redderet rationem: & licet hoc non fuerit aſſecutus, quia PP. illius Conventûs noluerunt illam oſtendere timentes, ne diceretur illis illud: Domini, ecce mna veſtra non eſt vera, ſed falſa & conficta; tamen poſt aliquas diligentias exquiſitas per interpoſitas perſonas, pervênit ad manus illius Servi Nequam quoddam tranſumptum authenticum à D. D. Joanne de Fout Doctore, Canonico, Archidiacono Metropolitanæ Eccleſiæ Toloſanæ, & Vicario Generali Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi, ſigillo Archiepiſcopali munitum, & à Secretario Du Tille auctorizatum, in quo conſtat, quòd ſint duæ Bullæ Vrbani V. pro tranſlatione corporis S. Thomę. Non ergò jam condemnabis Servum Nequam ex ore ſuo: quia tamquam fidelis, & non piger ſervus, pro una mna, id eſt, una Bulla, lucratus eſt duas. Sed etiam ſcio, quòd cùm ſis homo durus, & auſterus, non proptereà dices illi, nec tibi: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in modico fuiſti fidelis, &c.* Reddit ergò rationem, ut ſciat unuſquiſque quantum negotiatus ſit in Regione illa longinquâ Servus Nequam, hoc modo.

Digitized by Google

Prima Bulla ſic habet: *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei : ad perpetuam rei memoriam. Copioſus in miſericordia Dominus, & in cunctis ſuis operibus glorioſus, in ſufficientiæ noſtræ univerſalis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ regimen piâ dignatione committens, & collo debilitatis meæ jugum imponens Apoſtolicæ ſervitutis, ad hoc ſolium excelſum nos conſcendere voluit, ut libenter, & ſolerter exequamur, quæ ad Divini nominis gloriam, & honorem tendere dignoſcuntur : & tamquam de ſupremi vertice montis noſtrum ad infima reflectentes intuitum, quid ſingularium perſonarum Eccleſiaſticarum commodis, earumq; ſtatui conveniat, perſpiciamus attentiùs, & qualiter inter ipſos, quorumlibet litigiorum vepribus radicitùs amputatis, dilectio ſincera permaneat, & vigeat ſoliditas charitatis; ſolertiùs attendamus. Ad hoc enim vocati ſumus à Domino, ad hoc noſtros aſſiduè diffundimus cogitatus, ad hoc noſtri pectoris ſtudia deſideranter exponimus : &, ut Sanctorum reliquiæ honorabilitèr collocentur, hujuſmodiq; perſonarum Eccleſiaſticarum ſtatus ſervetur pacificus, quietis ubertate lætetur, & dirigatur ad exiſtentiam ſalutarem, ſolicitudines libentèr impendimus & labores. Dudum ſiquidem contra omnes, & ſingulos, qui corpus Beati Thomæ de Aquino, quod olim in Monaſterio Foſſænovæ - Ciſtercienſis Ordinis Terracinenſis Diœceſis quieſcebat, de ipſo Monaſterio receperant, eorumq; receptores, fautores, & defenſores ad dilectorum filiorum Abbatis, & Conventûs dicti Monaſterij inſtantiam, varios proceſſus, diverſas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias & alias pœnas continentes fecimus, & etiam fieri conceſſimus. Cùm autem ſicut fide dignorum relatione percepimus, ex proceſſibus ipſis gravia ſcandala, & magna pericula ſequi, niſi celeri remedio ſuccurratur, præſumantur veriſimiliter in futurum : nos proceſſus ipſos & quidquid ſecutum eſt ex eis, vel ob eos, & conceſſionem prædictam penitùs revocamus, & eos haberi volumus penitùs pro infectis. Et inſuper Chriſti fidelium devotionem adaugêri, & ipſorum fidelium animarum profectum, quem ex ſubſcriptis indubiè provenire ſperamus, promovêre ſalubritèr intendentes, ac decens reputantes, & congruum, ut dictum corpus illius glorioſi Sancti, qui dum vixit Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtens, tamquam Doctor egregius per ſua prælucida, ac ſalutifera documenta, univerſalem illuſtravit Eccleſiam, eam decorando virtutibus, & moribus informando, cum eiſdem Fratribus collocetur : ex certa noſtra ſcientia, ad laudem Dei, exaltationem Eccleſiæ, fideliumq; ſalutem, tenore præſentium ſtatuimus, & etiam ordinamus : quòd corpus prædictum ad domum dictorum Fratrum Prædicatorum Toloſanam transferatur, & ibidem collocetur, & honorabilitèr perpetuò veneretur : volumus autem, quòd ſi Magiſtro, ac Capitulo Generali dicti Ordinis proximo celebrando placuerit, ejuſdem corporis brachium dextrum Priori, & Fratribus domus dicti Ordinis Pariſienſis, ad decus, & decorem totius ſtudij Pariſienſis : in quo idem glorioſus Sanctus ſuâ fœcundâ facundiâ, cæleſtis irrigui gratiâ influente, ſcripturarum ænigmata reſeravit, ſolvit nodos, ob-*

ſcura

Digitized by Google

ſeura dilucidavit, dubiaq; declaravit, & devotionem fidelium adaugendam tranſmittatur, & in ipſa domo honorificè perpetuis temporibus veneretur. Nulli ergò omnium hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, conſtitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum. Datum apud Montem-Flaſconem Balneoregienſis Diæceſis, decimo ſexto Kalendas Iulij, Pontificatûs noſtri anno ſexto. Iſta Bulla, ſeu potiùs Epiſtola eſt vera, certa, & ſubſiſtens, & ut talis eſt habenda; de qua ſcriptores Ordinis Prædicatorum antiqui, aut moderni, in toto, aut in parte numquam fecerunt mentionem; ſed loco iſtius veræ ſubſtituerunt aliam ſecundam Bullam falſam propter rationem infrà detegendam.

Secunda Bulla ſic extat: *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Venerabili Fratri Archiepiſcopo Toloſanenſi, & dilectis filijs Cancellario Eccleſiæ Toloſanenſis, univerſiſq; aggregatis, & Doctoribus, cæteriſq; Clericis & Laicis in civitate ac Provincia Toloſanenſi commorantibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Laudabilis Deus in Sanctis ſuis, in ſua majeſtate mirabilis, cujus ineffabilis altitudo providentiæ nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſurâ judicij cæleſtia pariter & terrena diſponit, etſi cunctos ejus miniſtros magnificet, altos decoret honoribus, & cæleſtis efficiat beatitudinis poſſeſſores, illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit inſignijs dignitatum, & præmiorum, & uberiori retributione proſequitur, quos digniores agnoſcit, & commendat intenſior excellentia meritorum. Sic & alma Mater Eccleſia ejus ſacra veſtigia inſequens, & exemplo ducta laudabili, licet univerſos in regnis cæleſtibus conſtitutos ſtudijs honorare ſolicitis non deſiſtat, egregios tamen Doctores, per quorum prælucida & ſalutaria documenta eadem Eccleſia illuſtratur, virtutibuſq;, & moribus informatur, libentèr & ſolertèr exequitur; quæ ſunt Dei, præmiſſâ debitâ meditatione perluſtrans, ad Divini nominis honorem, gloriam, & exaltationem Catholicæ Fidei, ſalutemq; fidelium, ritè cenſuit, meritòq; providit eoſdem in univerſali Eccleſia honorificentiæ potioris impendijs attollendos. Sanè cùm ſacrum, & venerabile Corpus Beati Thomæ de Aquino, Ordinis FF. Prædicatorum, ſit de mandato noſtro ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum Toloſanenſium de proximo transferendum: nos attendentes, quanta à Deo ſcientia dotatus Ordinem Fratrum Prædicatorum, ac univerſalem Eccleſiam illuſtravit, ac Beati Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam eamdem doctrinis, & ſcientijs quam-plurimis adornavit; volenteſq; propterea idem Corpus ſpeciali honorificentiâ attolli; univerſitatem veſtram requirimus, & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, vobis nihilominùs per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs dictum corpus, cùm ad partes eaſdem transferetur, benignè, & honorificè ſuſcipientes, idemq; devotè, ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab alijs, quan-*

tùm in vobis eſt, cum debita honorificentia ac devotione ſuſcipi, & tractari. Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini, eamq; ſtudeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem-Flaſconem undecimo Kalendas Septembris, Pontificatûs noſtri anno ſextò. Ecce, quando quærebamus unam Bullam tranſlationis corporis Sancti Thomæ, invenimus duas. Sed iſta ſecunda falſa, & ficta fuit à Montiſoniſtis.

Suppoſitis his duabus Bullis, ſeu litteris Apoſtolicis exiſtentibus in Conventu Ordinis Prædicatorum civitatis Toloſanæ, ſimul in uno eodemque originali plumbato, ut in eodem teſtimonio dicitur; ſolùm deſidero, ut ſolvant Nodum iſtum, ſcilicet: quare omnes ſcriptores Ordinis Prædicatorum in ſuis libris adducant iſtam ſecundam, nullâ factâ mentione magnâ, vel parvâ de prima? Sed jam nunc nos reddemus rationem de ipſis in integrum ſic: Primò de Summo Pontifice Urbano. Secundò de Bullis. Tertiò de clauſula principali. Quartò de veritate ipſa. Et quantùm ad primum de Summo Pontifice Urbano, dico: quòd, cùm in prædictis Bullis diceretur ſolùm: *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c.* non ſignando qualis Urbanus eſſet; ſcriptores Ordinis Prædicatorum neſcientes, quomodò de tali Urbano rationem redderent, unuſquiſque abijt per propriam viam in Regionem ſuam. Nam ſcriptores antiqui, qui ediderunt libros contra Immaculatam Virginis Conceptionem, ut Anonymus Dominicanus, Vincentius Bandellus, Gyrandus Renerius, & alij multi, ſolùm dicunt, & citant Urbanum Papam vagè & indeterminatè, non exprimendo, an iſte fuerit Urbanus IV. aut V. aut VI. ſed quòd iſte Urbanus Papa, ut ſic in abſtracto, non potuerit eſſe, non indiget probatione, niſi velint dicere eſſe individuum & Pontificem vagum in natura, ſicut etiam conſtituunt quemdam Innocentium vagum, de quo diximus in SOLE VERITATIS. Ideò alij poſt iſtos ſcribentes conſtanter affirmarunt, fuiſſe Urbanum IV. Ita Pater Frater Joannes Ruinkel de Hallis in principio, ad quæſtiones diſputatas Sancti Thomæ, impreſſas Argentinæ anno 1507. & Pater Gabriel Barlete in ſermone de Sancto Thoma fol. 198. ubi ſic dicit: *Tertiò, &c. Urbanus IV. in Epiſtola Canonizationis, quam mittit Archiepiſcopo Toloſano, quæ incipit: Laudabilis Deus in Sanctis ejus. Volumus, & tenore præſentium injungimus, &c.* Nota qualiter Auctor iſte deviet à veritate. Nam Urbanus IV. Jacobus Pantaleo vocatus, fuit conſtitutus Papa, quarto Kalendas Septembris anni 1261. & diem clauſit extremum anno 1264. ſexto nonas Octobris; & ſic non pervenit ad annum 6. ſui Pontificatus: & Sanctus Thomas Aquinas ipſo tempore legebat Pariſijs, & ſupervixit Urbano jam defuncto per decem annos, quia mortuus

Digitized by Google

tuus fuit anno 1274. Quomodò ergò poterat eſſe Vrbanus IV. qui præcepit tranſlationem corporis S. Thomæ? niſi dicat, quòd Vrbanus IV. antè mortem ipſius Sancti Thomæ, expediverit Bullam illam ad Toloſanos pro tranſlatione corporis Angelici Doctoris, quæ facienda erat poſt centum quatuordecim annos; quod eſſet pluſquàm ridiculum. Item obſerva illud: *In Epiſtola Canonizationis:* quia iſta non fuit epiſtola pro canonizatione Sancti Thomæ, ſed pro tranſlatione corporis ipſius; nec Bulla canonizationis incipit: *Laudabilis Deus*; ſed, *Redemptionem*, &c. Nec canonizationem Sancti Thomæ fecit aliquis Vrbanus, ſed Joannes XXII. nec fuit miſſa ad Archiepiſcopum Toloſanum; ac denique Canonizatio præceſſit tranſlationem per quinquaginta ferè annos. Vnde hoc adſcribere Vrbano IV. fuit totaliter deviare, non ſolùm à veritate, ſed etiam à ratione, & diſcurſu. Ideò alij, ut hoc emendarent, dixerunt fuiſſe Vrbanum VI. ita Joannes Paulus Nazarius in ſuo opuſculo de ſcriptis Sancti Thomæ, folio 73. Didacus Alvarez in libro de auxilijs, lib. 1. cap. 5. fol. 83. Pater Coſmas Morelles in ultima impreſſione operum Sancti Thomæ tomo ultimo, & in impreſſione Summæ factâ Pariſijs anno 1639. Joannes Michaël Pius in tertio ſuo opere de viris illuſtribus, lib. 1. col. 247. Hyacinthus Choquetius in oratione Sancti Thomæ, folio 45. Thomas à Truxillo in ſuo Theſauro concionatorum, tomo 1. lib. 3. capit. 1. Pater Petrus de Bergamo in ſua tabula aurea operum Sancti Thomæ: ac denique Patres illi doctiſſimi, qui tempore Pij V. correxerunt opera Sancti Thomæ; & ſic extat in omnibus impreſſionibus correctis, & non correctis operum Sancti Thomæ ubi inveniuntur, titulus iſte: *Copia Bullæ Apoſtolicæ, in qua D. Vrbanus Papa VI. injungit Doctoribus Vniverſitatis Toloſanæ anno Dom. 1379. ut Beati Thomæ de Aquino doctrinam tamquam veridicam, & Catholicam ſectentur, eamq; ſtudeant totis viribus ampliare; ſic dicens in Bulla tranſlationis corporis Sancti Thomæ, &c.* Qui quidem Auctores & Magiſtri doctiſſimi dicentes fuiſſe Vrbanum VI. plùs receſſerunt à veritate, quàm ipſemet Pater Gabriel Baralete, affirmando fuiſſe Vrbanum IV. Et ratio eſt manifeſta: nam Vrbanus VI. fuit aſſumptus ad Sedem Pontificiam anno 1378. die octavâ Aprilis; & jam antè novem annos facta fuerat tranſlatio corporis Sancti Thomæ, id eſt, anno 1369. Quomodò ergò potuit fieri talis tranſlatio juſſu Vrbani VI. Pontificis, ſi poſt novem annos à tranſlatione fuit inauguratus Vrbanus VI. in Summum Eccleſiæ Pontificem? Itèm Vrbanus VI. numquam fuit in Monteflaſcone, ubi dicitur Bullam fuiſſe expeditam. Propter iſtas, & alias palpabiles contradictiones, & extremè vitioſiſſima, alij quam-plures ſiſtunt in medio, ſcilicet, in Vrbano V. &

ſic

Digitized by Google

ſic extat in Breviario Ordin. Prædicat. & iſte in rei veritate potuit eſſe, & de facto fuit. Et propter has etiam contradictiones, & vitioſa extrema, Servus ille Nequam ſe poſuit in medio, non audens affirmare eſſe veram, neque eſſe falſam, ſed ut in medio, dubiam, & incertam: ſed jam aſſertivè inclinat ſe ad unum extremum, dicendo eſſe falſam.

Quantùm ad ſecundum: Ex parte Bullæ ſunt ſimilitèr aliquæ contradictiones: nam aliqui affirmant fuiſſe expeditam illam ſecundam incipientem: *Laudabilis Deus in Sanctis ſuis, &c.* undecimo Kalendas Septembris, id eſt, die 22. Auguſti. Alij affirmant fuiſſe datam die 30. Auguſti, ut Pater Didacus Alvarez. Alij verò tacent annum expeditionis, ut Abrahamus Bzovius: ſed iſta res parvi momenti eſt, & ſic tranſeamus ad aliam majoris ponderis. In officio tranſlationis Sancti Thomæ Aquinatis antiquo, recitato in tota Religione Prædicatorum antè ultimam reformationem, lectione quintâ ſic dicebatur: *Igitur collocatum eſt ſacrum Corpus in Conventu Fundenſi Ordinis Prædicatorum, anno Domini* 1377. *idibus Februarij, Pontificatûs Vrbani V. anno ſeptimo*, ſicque annus Domini 1377. fuit annus ſeptimus Vrbani V. Hoc ſuppoſito, lectione 9. ejuſdem officij ſic dicitur: *Totaq; civitas Toloſana fuit commota lętitijs, Deum in Sancto Doctore magnificans anno Domini* 1379. *Pontificatûs ejuſdem Vrbani Papæ V. anno ſeptimo*. Si volumus componere iſta, quæ extabant in Sancto Sanctorum, & Divino officio, non inveniemus modum: nam ſi anno 1377. erat corpus Sancti Thomæ in civitate Fundenſi idibus Februarij, Pontificatûs Vrbani V. anno ſeptimo; quomodò idem corpus Sancti Thomæ erat Toloſæ in Gallia jam tranſlatum die 28. Januarij? Tene me amore Dei, ut ex ore meo me judices. Anno ſeptimo Vrbani die 13. Februarij erat corpus Sancti Thomæ Fundi; antequàm transferretur ad civitatem Toloſanam; & eodem anno ſeptimo Vrbani die 28. Januarij, id eſt, ante ſexdecim dies, jam erat corpus tranſlatum Toloſam? Sed aliter, ut clariùs loquamur: quando corpus Sancti Thomę erat in Conventu Fratrum Prædicatorum Funden. anno 1377. erat ſeptimus annus Pontificatûs Urbani, & anno 1379. erat etiam ſeptimus annus Pontificatûs Vrbani. An iſtæ ſint contradictiones, quilibet cœcus judicare poteſt. In officio autem reformato, pro tranſlatione corporis Sancti Thomæ, lectione 6. ad finem ſic dicitur: *Hæc tranſlatio contigit die* 28. *Ianuarij anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo*. Et hîc ſurgit altera contradictio: nam in hoc Breviario reformato & ſubſiſtente, ut vides, dicitur tranſlationem factam fuiſſe anno 1368. In antiquo Breviario, & ſecundùm omnem opinonem, & veriorem, tranſlatio facta fuit anno 1369. Abrahamus Bzovius in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis affirmat fuiſ-

ſe

ſe ann. 1370. Et hęc de contradictionibus repetitis in libris ſacris ejuſdem Ordinis, & non in ore illius Servi Nequam.

Pro falſitate ejuſdem Bullæ ſunt etiam aliæ rationes non contemnendæ. Quarum una eſt: quia litteræ iſtæ non reperiuntur in archivo Vaticano exiſtente apud Sanctum Petrum in inferiori aula: revolvimus enim totum foliatim; & ibi non extant in Urbano V. nec in Regeſto alicujus Urbani. Et ut hoc credibilius fiat; Reverendus Pater Odoricus Raynaudus congregationis Oratorij pro ſua continuatione Annalium Baronij, & diluendis falſitatibus introductis à Patre Abrahamo Bzovio in eadem continuatione, recognovit exactiſſimè archiva Bullarum; & nullam de tali Bulla facit mentionem, ſicut nec de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ: etenim ad ann. 1368. num. 15. tantummodò dicit: *Eodem anno ex ordinatione Apoſtolica, & voluntate dicti Vrbani Papæ, corpus Sancti Thomæ de Aquino, quod à tempore obitûs ſui tumulatum remanſerat in Monaſterio Foſſæ-novæ Ordinis Ciſtercienſis, ubi deceſſit, translatum fuit ad Conventum Toloſæ.* Et nihil ampliùs. Cùm ergò viderit Bullam in Abrahamo Bzovio tomo 14. ad annum 1370. numero 15. folio 365. & etiam non ignoraverit controverſiam Joannis de Monteſono, & cauſam illius (nam ad annum 1387. num. 14. ſic inquit: *Excitata eſt Pariſijs hoc anno graviſſima controverſia inter Academiæ Pariſienſis Doctores, & Dominicanos, cùm Ioannes de Monteſono nonnullas propoſitiones, quibus Beatam Virginem conceptam in peccato originali contendebat, ſuſcepiſſet, &c.*) & nullam faciat mentionem, nec de Bulla, nec de approbatione; ſignum eſt, quòd nihil authenticum invenerit de una, nec de altera. Item, quia cùm in Concilio Baſileënſi per Patres Joannem de Montenigro, & Joannem de Turrecremata in ſuis latiſſimis Allegationibus contra Immaculatam Virginis Conceptionem, fuiſſent allegata omnia, quę ex doctrina Sancti Thomæ directè, vel indirectè ad hanc materiam pertinebant; de prædictis litteris Urbani, aut approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, nulla facta eſt mentio. Altera ratio, & efficacior eſt, quòd, cùm Joannes Vitalis Doctor Pariſienſis Ordinis Minorum, & Joannes Alanus etiam Pariſienſis Doctor, ex mandato Facultatis Theologiæ ſcriberent Pariſijs contra Joannem de Monteſono, & ejus Diſcipulos, communitèr Monteſoniſtas dictos, ambo concludant ſuos tractatus cum hoc argumento: *Contra hoc arguunt Monteſoniſtæ: quòd doctrina Sancti Thomæ eſt per Bullam Papæ approbata, ſicut per litteram D. Stephani Epiſcopi Pariſienſis: ergò non licet aliquo modò contraire.* Ad quod argumentum reſpondent unanimiter ſic: *Ad iſtud, primò negatur antecedens: non enim eſt veriſimile eos habuiſſe Bullam Papæ, quoniam Majores ſui Ordinis hoc ſciviſſent, maximè in ſacra Theologia antiqui Magiſtri, qui tamen*

men ſe numquam eam vidiſſe fatentur ; ut Magiſter Joannes Thoma in ſua revocatione, quam in domo Minorum fecit Pariſiis, fuit teſtatus. Si ergò Majores, & antiquiores Magiſtri Ordinis Prædicatorum ignorabant Pariſijs talis Bullæ Urbani expeditionem, & hoc ſub juramento publicè declaravit in ſua revocatione factâ in Eccleſia Fratrum Minor. Frater Joannes Thomæ ejuſdem Ordinis uterinus frater Joannis de Monteſono, & ejus acerrimus defenſor : ergò dubitare de prædicta Bulla, & approbatione non fuit nequitia, nec inverecundia, &c. Si enim hæc dubitatio fuit in ipſomet principio ferè jam à trecentis annis, & nihil contra hoc tunc, nec in medio, nec adhuc in fine aliquid oſtenſum eſt in contrarium, quomodò verificabitur illud: *Ex ore tuo te judico Serve Nequam?* Item, quia nullus antiquus ſcriptor dicit ſe vidiſſe tales litteras : nam Gyrandus Renerius Doctor Pariſienſis & Ordinis Prædicatorum, in ſuo tractatu contra Conceptionem, affirmat ſe legiſſe litteras Stephani Epiſcopi Pariſienſis, & nihil tale refert de litteris Urbani, licet ipſas etiam adducat.

Circa tertium, ſcilicet, de clauſula principali contentâ in prædictis litteris, ex qua omnes Scriptores formant ſuam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, videlicet : *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis iniungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini, eamq́, ſtudeatis totis viribus ampliare* : Sciendum eſt, quòd, poſtquam Joannes de Monteſono illam exhibuit in Conſiſtorio Cardinalium, ut ex ipſa deduceret doctrinam Sancti Thomæ jam fuiſſe à Sede Apoſtolica approbatam, ſtatim Petrus de Alliaco ſcripſerit Avenione Pariſienſi Univerſitati, dicens ei, quomodò fuiſſet exhibita altera approbatio doctrinæ Sancti Thomæ in illa ſecunda inſtantia appellationis : & remiſit verba approbationis ad litteram, quam Univerſitas refert in ſuo reſcripto edito contra Joannem de Monteſono, circa principium ſic : *Ejuſdem Sancti doctrinam tamquam benè dictam, & Catholicam ſequi, & teneri à Chriſticolis, & ſtudioſis, eam pro viribus ampliare.* Quare duæ auctoritates valdè diverſæ ſunt, verbatim collatæ ſecundùm omnes ſuas dictiones latinas. Prima adducta à ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum, & ut extat nunc in originali Toloſano, incipit ſic : *Vt dicti Beati Thomæ doctrinam :* Ab Univerſitate autem relata, ſecundùm originalia manu-ſcripta à nobis viſa, incipit ſic : *Ejuſdem Sancti doctrinam.* Quæ, ut patet, in aliquibus differunt, immò in omnibus, exceptâ illâ ; *Doctrinam* ; ita ut ex quinque dictionibus, ſolummodò in hac conveniant. Secunda clauſula poſita à ſcriptoribus Ordinis Prædicat. eſt illa : *tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini :* Ibique faciunt orationem completam, & ex ipſa deducunt doctrinam Sancti Thomæ eſſe approba-

ba-

batam ut veram, & Catholicam; ac inſuper Summum Pontificem Urbanum auctoritate Apoſtolicâ præcepiſſe, ut illam tamquam veram, & Catholicam ſequerentur, ſeu ſectarentur. Sed clauſula iſta ſic ab Univerſitate proponitur: *Tamquam benè dictam, & Catholicam ſequi, & tenêri à Chriſticolis, & ſtudioſis*. In primis non dicit Summus Pontifex, *Veridicam*, ſed *Benè dictam*, id eſt, claram, apertam, & conſonam: non enim ſequitur, quòd aliquid ſit benè dictum, & quòd ſit verum: multa ſiquidem falſa benè dicuntur: & ſi ſunt idem, ad quid, *Benè dictam*, mutarunt in, *Veridicam*? Deinde non eſt illud imperativum: *Sectemini;* ſed illud optativum, vel conſultivum: *Sequi, & tenêri à Chriſticolis, & ſtudioſis* conemini, vel procuretis: unde ſine fundamento fuit additum illud: *ſectémini*. Et per conſequens in hac clauſula continente duodecim dictiones, tantummodò tres, ſcilicet, ly *tamquam*, atque conjunctionem, *eſt*, & ly *Catholicam*, tranſcribunt fideliter. In ultima clauſula, *eamq́, ſtudeatis totis viribus ampliare*, collatâ cum illa Vniverſitatis, *& ſtudioſis eam pro viribus ampliari*, non eſt illud, *eamq́*: & vocem illam, *ſtudioſis*, mutarunt in *ſtudeatis*: nec eſt illud, *totis viribus*, ſed *pro viribus*, & ex ſex dictionibus tres ſunt variatæ. Et hæc de littera.

Quoad ſenſum autem, verè & realiter exiſtimo clauſulam iſtam, prout adducitur ab Vniverſitate, eſſe illam veram & legitimam, & ſic fuiſſe propoſitam à Monteſoniſtis in Conſiſtorio Cardinalium. Nam ſi epiſtola fuit ad Archiepiſcopum, Cancellarium, Doctores, Clericos & Laicos in civitate, ac Provincia Toloſana commorantes directa, ut in titulo dicitur; conſentaneum erat eis dicere, doctrinam iſtam tamquam benè dictam, veridicam, & Catholicam pro viribus procuretis à Chriſticolis, & ſtudioſis ſequi, tenêri, & ampliari; & loqui in hac clauſula, ſicut in antecedente: *Dictum Corpus cùm ad partes eaſdem transferetur benignè, & honorificè ſuſcipientes, idemq́, devotè ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab alijs, quantùm in vobis eſt, cum debita honorificentia, ac devotione ſuſcipi, & tractari.* Quomodò enim Summus Pontifex poterat præcipere Archiepiſcopo, Cancellario, univerſiſque aggregatis Doctoribus, Clericis, & Laicis in civitate, & Provincia Toloſana commorantibus, ut doctrinam Beati Thomę ſectarentur, quando nec Archiepiſcopus, nec Cancellarius, nec alij erant ſtudentes? Hoc benè prævidérunt ſcriptores Ordinis Prædicatorum, & ſic mutarunt titulum Bullæ, dicentes ſic: *Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c. univerſiſq́, Magiſtris, & Doctoribus, cæteriſq́, clericis.* Et ſic extat in Abrahamo Bzovio tomo 14. ad annum 1370. colum. 1365. num. 15. Et in opuſculis Sancti Thomæ impreſſis anno 1508. & in omnibus impreſſionibus modernioribus: unde non poſſunt recurrere ad errorem Typographiæ,

Digitized by Google

phiæ,ſicque loco illius: *Vniverſiſq; aggregatis,& Doctoribus,cęteriſq; clericis,&c.* introduxerunt illam maximam corruptionem: *Vniverſiſq; Magiſtris & Doctoribus*, ut inde deducerent epiſtolam illam fuiſſe miſſam ad Vniverſitatem, id eſt, Academiam ſtudiorum, & in ipſa ad omnes Magiſtros & Doctores; & ſic accipiunt, ut infrà videbimus, illud: *Univerſis*, & *Vniverſitatem veſtram*; quæ omnia ſunt à littera, & veritate aliena: quia Bulla illa eſt directa ad Archiepiſcopum, & univerſos aggregatos ad Eccleſiam Toloſanam,non autem ad Vniverſitatem, ſeu Academiam, de qua nec verbum extat in tota Bulla.

Quantùm ad quartum,& ultimum pertinens ad veritatem, ut ex ipſa comprobetur omnes præpoſitas conjecturas poſitas in Sole Veritatis fuiſſe non ſolùm rationabiles, ſed etiam certas, & ſuo genere demonſtrativas;dico pro unica concluſione: Bullam primam incipientem: *Copioſus in miſericordia Dominus, &c.* eſſe veram, & realiter expeditam ab Vrbano V. pro tranſlatione corporis S.Thomæ; & non eſſe, neque fuiſſe aliam. Et ſic ſecundam incipientem: *Laudabilis Deus, &c.* tempore Monteſoni, & aliorum Magiſtrorum ipſum patrocinantium, poſt annum 1387. fuiſſe fictam, intruſam, & ſuppoſitam, ut ex ipſa comprobarent in Conſiſtorio Cardinalium Avenione approbationem doctrinæ Sancti Thomæ. Cùm autem ex tunc publicaretur iſta ſecunda in reſcriptis & libris ex una & altera parte editis, nec Anonymus, nec Bzovius, nec Gyrandus, vel Michaël Pius, nec quilibet alius antiquus, vel modernus auſus fuit adducere primam, & veram: immò nullus directè vel indirectè, in toto aut in parte, ſaltem quoad excellentias ibi contentas de Angelico Doctore, quæ quidem in rei veritate magnæ ſunt, de illa facit mentionem. Et ratio fuit; quia ſi propalaſſent duas fuiſſe expeditas Bullas pro tranſlatione corporis Sancti Thomæ, ſtatim excitaſſent dormientes, ut interrogaſſent,& inquiſiviſſent: quomodò duas Bullas? quare? quando? vel ad quid datas contra ſtylum curiæ Romanæ eodem anno, & ferè eodem menſe? Ideò nullus ex ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum tetigit lapidem iſtum primæ Bullæ;ſed illam conati ſunt tradere oblivioni, & totalitèr ſepelire,ſi poſſent: cùm eſſet conjuncta cum alia, non potuerunt hoc executioni mandare; quouſque Dominicus ille Complutenſis voluit rationem ponere cum Servo Nequam, Domino magno ſic permittente, ut honor ſuæ Sanctiſſimæ Matris cum Bulla iſta per tot annos impugnatus, exiret ab oppreſſione. Modus autem fictionis fuit iſte: In charta pellicea,in qua erat ſcripta Bulla vera Urbani V. à tergo, ſeu in reversâ facie continebatur reſcriptum Summi Pontificis ad Archiepiſcopum Toloſanum, &c. ut habet de more Romana curia. Nam quan-

Digitized by Google

quando Pontifex ſcribit alicui Communitati, complicatâ Bullâ, apponunt officiales ſubſcriptionem nominum, ad quem, vel ad quos talis deſtinatur epiſtola; ut de more fit communiter in epiſtolis miſſivis, & ſub hac ſubſcriptione ſcripſerunt Monteſoniſtæ Bullam ſecundâm ſuo modo, ſumentes ſtylum, & aliqua verba ex antecedente, & ex una fabricati ſunt duas Bullas diſtinctas. Et hoc, licet videatur mirabile, non eſt inſuetum; quia & id ipſum fecerunt cum litteris Stephani Epiſcopi Pariſienſis, de quo diximus in antecedente, & dicemus latiùs Nodo V. principali. Nunc autem cùm habeant unam Bullam ad tergum alterius ſcriptam, quod ab initio, & ante ſæcula numquam fuit viſum in curia Romana: ut non exeat ad mundi theatrum tam ingens error, & tam monſtruoſa Bulla habens duas facies, & ſub uno capite duo corpora, occultant illam ab omnium oculis foſſam in terra, & repoſitam in ſudario, & ſolùm illam exhibent in libris impreſſis ſub nomine approbationis, commendationis, & confirmationis doctrinæ Sancti Thomæ, ut videre eſt inter alios plurimos in opuſculis antiquis impreſſis Venetijs anno 1508. folio 9. ubi hæc Bulla Urbani habet pro titulo : *Confirmatio, & approbatio doctrinæ Sancti Doctoris Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum*. Servi autem ſimplices, & fideles neſcientes aliquid de hac Bulla, & ſtylo Curiæ Romanæ, credunt editam fuiſſe ſub hoc titulo confirmationis, & approbationis, &c. & exiſtimant doctrinam Sancti Thomæ fuiſſe per aliquem Summum Pontificem antiquiorem Urbano V. approbatam, & hanc eſſe confirmationem alterius, ſeu ſecundam approbationem de novo; ut ſunt Conſtitutiones Sixti IV. pro ſententia Immaculatæ Conceptionis confirmatæ, & approbatæ ab alijs Summis Pontificibus Pio V. Paulo V. Alexandro VI. & noviſſimè ab ALEXANDRO VII. ut infrà videbimus Nodo ultimo principali. Ex quibus omnibus ultima reſolutio vera eſt, primam Bullam eſſe certam & legitimam, & illam tantùm fuiſſe expeditam ab Vrbano V. pro tanſlatione corporis Sancti Thomæ, ſecundam autem eſſe falſam & fictam : & hoc modo ad rationem ſuam redijt ocularem Servus ille Nequam, & dicit nec eſſe approbationem, nec confirmationem, nec commendationem. Et nunc inquirant, ex quo ore judicabunt factum iſtud Nequam.

Magna quidem erant elogia doctrinæ Sancti Thomæ veneranda, vera, & omni acceptione digna contenta in prima Bulla Vrbani V. & auctoritate Apoſtolicâ prolata, ut ſunt illa : *Tamquam Doctor egregius per ſua perlucida, ac ſalutifera documenta, univerſalem illuſtravit Eccleſiam, eam decorando virtutibus, & moribus informando, &c. Ad decus, & decorem totius ſtudij Pariſienſis, in quo idem glorioſus Sanctus ſuâ fœcundâ facundiâ, cæleſtis irrigui gratiâ influen-*

fluente, Scripturarum ænigmata reſeravit, ſolvit Nodos, obſcura dilucidavit, dubiaq; declaravit. Sed omnibus his elogijs deficiebat illud: *Beati Auguſtini veſtigia inſequens:* quia volebant, ut, ſicut Auguſtinus in dogmaticis eſt primus Doctor, cujus auctoritates negari non poſſunt in rebus Fidei, ſed dumtaxat interpretari, ita Sanctus Thomas, tamquam ſecundus Auguſtinus, haberet hoc privilegium in controverſijs ſcholaſticis, ut ſtatim videbimus.

Sed, quia non tantùm ex hac Vrbani clauſula ſuper-addita, atque ex Voto propoſito à Doctoribus Salmanticenſibus (ut demonſtrabitur infrà Nodo XV.) ſed etiam ab omnibus ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum loquentibus ex profeſſo de doctrina S. Thomæ, pro viribus nituntur ſtabilire hoc argumentum: Angelicus Doctor in ſuis ſcriptis ſecutus eſt veſtigia Sancti Auguſtini præ cæteris omnibus ſcholaſticis, ergò eſt omnibus illis præferendus, anteponendus, & unicè ſequendus, &c. dico ergò: quòd, ſi hæc conſequentia valet, uti ipſi paſſim repetunt, etiam Joannes Duns Scotus ſit præferendus, & anteponendus omnibus ſcholaſticis Doctoribus: quia ille incomparabilitèr, præ omnibus talitèr ſecutus eſt veſtigia Sancti Auguſtini, ut totum illum, quoad Scholaſtica dogmata, eviſceraverit. Vndè nulla reperitur concluſio in Scoto, quæ non ſit formaliter, & ad litteram extracta, aut fundata in ipſamet doctrina, atque Auguſtini verbis. Et quamvis hoc poſſem probare ex duobus libris impreſſis Duaci editis à Fratribus Minoribus, in quibus diſcurrendo in particulari per ſingulas concluſiones Scoti, hoc ipſum demonſtrant; tamen relinquendo teſtes proprios, profero in medium auctoritatem cujuſdam acerrimi Thomiſtæ, quoad ejus doctrinam, ſcilicet, Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis, in ſuo libro dicto *Auguſtino*, de gratia Chriſti Salvatoris, lib. 6. fol. 700. capite 24. loquentis de Sancto Thoma hoc modo: *Nec verò S. Thom. ab illa communiſſima antiquorum ſententia alienus eſt, ſed eam diverſis locis, clariſſimis verbis, multiſq; modis expreſſit; nam imprimis docuit, &c.* Et adducit ſeptem loca ex doctrina Sancti Thomæ; & ſtatim capitulo ſequenti, ſcilicet, 25. agit de Joanne Scoto, ſic dicens: *Sed nemo eſt veterum ſcholaſticorum poſt D. Bernardum, qui, quòd ſciam, evidentiùs, reſolutiùs, conſtantiuſq; ſummam libertatem cum neceſſitate ſumma conſtare poſſe, & reipſa conſtare docuit, magiſq; expreſſè eam, quam expoſuimus ſententiam Auguſtini, tradidit, quàm ille totius ſcholaſticæ ſubtilitatis coryphæus Joannes Scotus; uſque adeò, ut non mediocriter admiratus fuerim, cum omnibus, quæ ſcripſi in hunc uſque locum, abſolutis, tandem Doctorem iſtum, quem nondum legeram, omniumq; ſcholaſticorum remotiſſimum credideram ab iſta doctrina Sancti Auguſtini, fortiſſimum ejus defenſorem, &*

& ipſius Auguſtini interpretem eſſe deprehendi : nam docet ſine ambagibus quatuor articulos de libertate voluntatis,&c. Omnes ſcholaſtici ſciunt nullam in ſacra Theologia fuiſſe quæſtionem adeò exagitatam, aut articulum Fidei Catholicæ tot difficultatibus implicatum, quàm illum de conciliatione ſummæ libertatis hominis cum gratiæ Dei ſumma neceſſitate; & ſi in hac nullus evidentiùs, reſolutiùs, conſtantiùs, & ita abſque ambagibus,ut Scotus ſecutus,& aſſecutus eſt mentem Auguſtini; judicent, quid ſentiret de alijs recoctus ille Thomiſticæ doctrinæ ſectator Janſenius, (qui cùm eſſet Doctor Lovanienſis, ac Regius profeſſor illius Academiæ, tot tantaſque habuiſſet controverſias in Belgio, Gallia, immò & in Hiſpania, numquam dignatus fuerat aperire Scoti libros, judicans illum eſſe remotiſſimum, ac noviſſimum omnium Doctorum, niſi in ultimo vitæ, & ſui operis extrema concluſione) ſi hoc feciſſet à principio, ac in omnibus alijs minoris momenti difficultatibus? Quod quidem indicaſſe ſufficit ad retundendam illam communiſſimam Thomiſtarum propoſitionem: nullus ſcholaſticorum Doctor ſecutus eſt veſtigia Sancti Auguſtini,ſicut Angelicus Doctor; quam quidem nec Vrbanus dixit veram,nec in ſe eſt talis, ſicut nec illatio: S. Thomas Beati Auguſtini doctrinam eſt inſecutus, ergò iſte ſolus eſt ſequendus, & amplectendus tamquam unicus, ſingularis, ac præcipuus diſcipulus Beati Auguſtini.

Deerant etiam in illa prima epiſtola vera Vrbani V. Summi Pontificis verba imperativa: *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini, eamq; ſtudeatis totis viribus ampliare*; ut auctoritate Apoſtolicâ remaneret confirmata, & approbata pro vera & Catholica, in qua nulla falſitas, nihil dubium,nihil opinabile, nihil incertum, atque nihil non orthodoxum, & pertinens ad Catholicam Fidem. Ac denique deerat illud: *De Doctoribus & Magiſtris*,& illud: *Vniverſitatem veſtram requirimus, & hortamur*, ut ſic poſſent dicere & ſcribere, ut dicunt & ſcribunt de facto, omnia iſta fuiſſe ordinata, mandata, & imperata auctoritate, decreto, & edicto Summi Pontificis Vniverſitati Toloſanæ. Propter hanc clauſulam dixit Vielmus, quem conatur defendere Pater Joan. à Sancto Thoma fol. 195. *Quòd Apoſtolica Sedes ſolius Thomæ doctrinam publico edicto probavit, Eccleſiæq; ſectandam tradidit, &c.* Ecce, quid conati ſunt ſeminare in mundo cum hujus Bullæ, & clauſulæ fictione. Dermitius Thaddæus Franciſcanus in ſua Nitella, dixit iſtud Summi Pontificis non eſſe edictum, neque Eccleſiam tradidiſſe doctrinam Sancti Thomæ ad ſectandam: quid dixiſſet Auctor iſte,ſi cognoviſſet eſſe fictam,falſam, & ſuppoſitam? Si autem à propoſita Bul-

Digitized by Google

Bulla, à cujus facie poſſent montes fugere, aufûgerit etiam Monteſonus, mihi incognitum eſt. Duo autem ut vera affirmo. Primum, has duas propoſitiones fuiſſe à Monteſono ad controverſiam vocatas: *Dicere* MARIAM *non contraxiſſe peccatum originale, eſt contra Fidem. Et doctrinam Sancti Thomæ eſſe auctoritate Apoſtolicâ approbatam.* Si iſtas demonſtraverit ſufficienter, quare, vel ad quid aufûgit? ſi illas non demonſtraverit, ergò habemus intentum. Nec ipſe poterat aufugere propter primam: quia ſolùm pendebat à diſcuſſione ſcholaſtica, ex qua nullum detrimentum ei accidere poterat, & ſolùm reſtabat periculum in ſecunda; quia dicere, Urbanus V. prædeceſſor Clementis dedit hanc Bullam pro tranſlatione corporis Sancti Thomę directam Archiepiſcopo Toloſano, in qua habet hæc verba, & illa non comprobare, res erat ad fugam ſufficientiſſima. Secundum, quod affirmo ut verum, eſt: quòd Monteſonus præſentaverit in Conſiſtorio Bullam Vrbani, vel clauſulam illam approbativam doctrinæ Sancti Thomæ, totâ Religione ipſum protegente, & patrocinante, denarijs, coadjutoribus, favoribus, & alijs id genus medijs. Et his non obſtantibus fuit damnatus, quoad relatos duos articulos, remanente Vniverſitate Pariſienſi (ut dicit Scriptura in Cantico Habacuc) victore in Pſalmis, &c. Nullus tamen in his fuit Servus Nequam.

Quę autem, & quanta dicta ſint pro præſenti approbatione Vrbani V. ab Auctoribus Ordinis Prædicatorum antiquis, atque modernis, nec totus iſte liber capere poſſet: quia omnes hanc inter præcipuas enumerant. Quare, relictis alijs, referam aliquas noviſſimè à Patribus Salmanticenſibus, in illo ſuo inſigni libello de tenenda, & docenda doctrina Sancti Thomæ, ſparſim relatas, ut ex eiſdem ſaltem colligatur, quanta in alijs relinquamus. Inquiunt ergò folio 24. num. 16. *Multò minùs etiam actio Academiæ* (loquitur de Salmanticenſi,) *arguenda erit, quòd, videlicet, Angelici Doctoris doctrinam amplecti, & ſequi juraverit. Et ad ſtabiliendam hanc veritatem, ſatis erit conſiderare hunc Sanctum Doctorem diſcipulum Sancti Auguſtini fideliſſimum extitiſſe, ita ut ſecundus Auguſtinus nuncupari poſſit: quod Vrbanus V. ad Toloſanam Academiam inſinuaſſe videtur, dicens: Attendentes, quantâ à Deo ſcientiâ dotatus, Ordinem Fratrum Prædicatorum, & univerſalem Eccleſiam illuſtraverit, ac Beati Auguſtini veſtigia inſecutus eamdem Eccleſiam doctrinis, & ſcientijs quam-plurimis adornavit, & cætera. Hic enim Sanctus Doctor quaſi primus ex Theologis ſcholaſticis fuit, qui alijs viam aperuit, Theologiamq; ſcholaſticam ad rectam methodum, & ordinem reduxit: & nulli dubium eſt, quin, ſicut in ſcientijs naturalibus, omnes Magiſtri & ſcriptores Ariſtotelem interpretati ſunt, ita in parte ſcholaſtica omnes Sanctum Thomam elucidant, cujus doctrinam Eccleſia ex antiqua approbatione per*

tot

tot annorum curricula, cum generali Academiarum applauſu, quæ ipſum pro principe venerantur, ſemper eſt ſecuta. In his verbis plura ſunt notanda, ut eſt illa conſequentia: Sanctus Thomas ſecutus eſt veſtigia Auguſtini, ergò eſt ſecundus Auguſtinus. Sicut & illud, quòd fuerit primus, qui alijs viam aperuiſſet in Theologia ſcholaſtica: quod, neſcio, quâ veritate dictum fuerit, cùm Sanctus Thomas in expoſitione Magiſtri ſententiarum ſecutus fuerit ad unguem ſuum Magiſtrum Albertum Magnum, ſicut in Summa Theologiæ Alexandrum de Ales. De quo vide latiſſimè differentem R. Patrem Joannem de la Haye in Antiloquio ad librum Alexandri Alenſis in Apocalypſim, ubi aſſignat in individuo omnia tranſcripta ad litteram ab Angelico Doctore, & noſtro Alexandro de Ales. Denique notandum eſt illud: *Omnes Sanctum Thomam elucidant*, à quibus quærendum eſſet: an hæc univerſalis habeat aliquam exceptionem, nam alibi ſæpè affirmant, quòd omnes impugnent doctrinam Sancti Thomæ, & neceſſe eſt ſcire ab eis ex his duabus univerſalibus oppoſitis, quęnam ſit vera. Præcipuè autem notandum eſt illud: *cujus doctrinam Eccleſia ex antiqua approbatione.* De veritate iſtius antiquæ approbationis ſatis ſuperque manet dictum: & ſi ex illa antiqua approbatione Urbani Eccleſia ſemper maneret ſecura, vide quæ ſecuritas poſſet eſſe, ubi fundamentum eſt falſum.

Et infrà folio 101. numero 68. inquiunt: *Certum eſt enim hujus materiam juramenti non eſſe indifferentem, ſed omninò confitendum illud juſtum & ſanctum eſſe. Declaratur: Aſſertio eſt Catholica affirmare illum, qui ſe exponit periculo peccandi aut errandi, peccare; & ſi materia gravis ſit, peccato mortali. Hæc aſſertio, uti Catholica, approbatione non indiget, ſed eſt ſupponenda. Itaque evidentèr ſequitur eum, qui jurat ſeſe non expoſiturum periculo errandi, jurare & promittere rem ex naturâ ſua moraliter bonam. Vnde colligitur juſtam & ſanctam eſſe iſtius juramenti materiam; quandoquidem Theologus ſcholaſticus, qui jurat conformare ſe doctrinæ Sanctorum Auguſtini, & Thomæ in rebus Theologicis, jurat quòd ſe non exponet periculo errandi; jurat igitur, quod bonum eſt, & ſanctum. Si antecedentis veritatem ex principijs Catholicis demonſtramus, evidentèr etiam oſtendemus cauſam Sanctorum Auguſtini & Thomæ, necnon Academiæ, & ſacrarum Religionum, & adhærentium, quæ pro his Sanctis ſtant, juſtiſſimam eſſe. Veritas antecedentis luce ipſâ clarior eſt ab ipſis Summis Pontificibus tradita. De doctrina Sancti Auguſtini nulli eſt dubium. In favorem Sancti Thomæ habemus Bullam Vrbani V. in tranſlatione corporis ejuſdem Sancti in civitatem Toloſanam, ubi hæc verba obſervatione digniſſima continentur, &c.* Et adducunt clauſulam ultimam, ex qua deducunt conſequentiam iſtam: *Si Academia Toloſana juraſſet ſe præſtituram id, quod Vrbanus V. Pontifex ipſi mandaverat; quis quæſo de juſtitia talis juramenti*

dubitare præſumpſiſſet? Si igitur Academia Salmanticenſis hodiè jurat, quod Vrbanus V. proponit Toloſanæ, ergò, &c. Ecce quomodò Doctores Salmanticenſes ad probandam hanc aſſertionem, qui ſequitur doctrinam Sancti Thomæ non ſe exponit periculo peccandi aut errandi, utantur illâ auctoritate Vrbani V. affirmantes veritatem antecedentis luce ipsâ clariorem eſſe; ſed de ejus claritate & luce jam etiam in antecedentibus veritatem luce ipsâ clariorem dedimus, non ex relatione, ſed ex authentico inſtrumento. Ex hac auctoritate conſtat etiam evidentèr quid intendant aſſerere, quando dicunt, affirmant, & defendunt doctrinam Sancti Thomæ fuiſſe ab Vrbano V. ut Catholicam approbatam, dicentes: *Aſſertio eſt Catholica affirmare illum, qui ſe exponit periculo peccandi aut errandi, peccare. Hæc aſſertio, uti Catholica, approbatione non indiget, ſed eſt ſupponenda.* Cùm verò dicunt doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam ab Eccleſia ut Catholicam, conantur ſtabilire, quòd omnis doctrina Sancti Thomæ ſit adeò certa, indubitata, ac Catholica, ſicut eſt propoſitio iſta: *Qui ſe exponit periculo peccandi, peccat*: quæ ſemper vera eſt: & ſic doctrina Sancti Thomæ eſt ſupponenda, utpotè aſſertio Catholica, quæ probatione non indiget; ſed ut primum principium in Fide receptum, & indefectibile.

Item infrà folio 111. probare nituntur, ſequelam doctrinæ Sancti Thomæ *in maximam reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, dictorum Sanctorum honorem & decus, optimam juventutis educationem, hujus Regni pacem & tranquillitatem cedere, & exemplum bonum aliis Academijs præbêre. Si enim ab aliqua alia Academia extra Hiſpaniam ſimile ſtatutum, aut juramentum emiſſum fuiſſet, omnibus procul dubiò illud laudabile, & juſtum videretur, ſicut reipsâ mandatum Vrbani V. univerſæ Eccleſiæ æquum viſum eſt, quo præcipit Academiæ Toloſanæ, ut ſequeretur, & doceret doctrinam Sancti Thomæ, & ſimilitèr ſtatuta multarum illuſtrium Religionum, quæ hoc ipſum conſtituunt, ab omnibus approbantur. Quâ ratione igitur factum ab Academia Salmanticenſi improbabitur, quin graviter offendatur auctoritas doctrinæ iſtorum Sanctorum, quo nihil accidere poſſet glorioſius hæreticis Europæ? Cùm enim iſti Sancti ſint velut duæ munitiſſimæ arces Fidei Catholicæ, & fortiſſimi Eccleſiæ duces contra hæreticos, quid ipſi audire libentiùs geſtiunt, quàm nullum velle adſtringi illorum doctrinæ in Theologia ſcholaſtica, in qua certum eſt eos obtinere principatum, ut frequentèr Eccleſia ipſa teſtata eſt?* Et poſt pauca, ſic proſequuntur: *Quòd autem ſummæ juſtitiæ prædictum ſtatutum & juramentum innitatur, conſtat ex Decreto Vrbani V. ad cujus notitiam, cùm perveniſſet perſecutio excitata tempore præcedenti contra doctrinam Sancti Thomæ, ſpeciali reſcripto Academiæ Toloſanæ mandavit, ut illius profeſſores legerent, & docerent doctrinam Doctoris Angelici in hæc verba, &c.* Et adductâ auctoritate com-

communi, proſequuntur ſic: *Hoc reſcriptum, licet ad ſolam Academiam Toloſanam ſit directum, tamen reſpectu Salmanticenſis vim legis habere non immeritò dici poteſt, cùm in utraque eadem ratio, & cauſa militet, &c.* Et tandem concludunt ſic: *Cùm ergò caſus ſint adeò pares, juri conſonum eſt, ut reſcriptum Vrbani V. per extenſionem etiam ad Academiam Salmanticenſem dirigatur, &c. At licet concederemus Decretum Vrbani V. non continere præceptum, ſed conſilium dumtaxat, nihil tamen juſtitiæ & æquitati Academiæ propterea detrahitur; cùm conſilio Apoſtolico ſeſe conformaverit. Vnde, quia eam ex illa cauſa carpit, Apoſtolicum, ſeu præceptum, ſeu conſilium calumniatur: quod quidem ſufficere poteſt ad reſpondendum contrariis objectionibus: quæ cùm Academiam Salmanticenſem petunt, Decretum Apoſtolicum pariter impugnant.* Hucuſque Patres illi, atque doctiſſimi Magiſtri Salmanticenſes. Plura quidem dicunt, ſed omnia prorsùs aliena à veritate. Nam qualis poteſt eſſe diſcurſus ubi totum fundamentum eſt falſum & ſuppoſitum, ut eſt epiſtola & clauſula allegata Urbani V. in qua fundatur? Et quamvis eſſet vera, ſaltem oſtendant ubi ſit illa frequens declaratio Eccleſię de principatu in Theologia ſcholaſtica dato Sancto Thomæ?

Dicunt ergò primò: quòd Urbanus V. præceperit, ordinaverit, & conſtituerit Univerſitati, & Academiæ Toloſanę, ut ſequeretur, & doceret doctrinam S. Thomę expreſsè per reſcriptum, decretum, præceptum, ſeu conſilium: cùm ſimplex epiſtola Urbani V. nec ſit ad Academiam, ſeu Vniverſitatem Toloſanam, nec de illa ullam mentionem faciat, ut ſuprà ex ipſamet manet oſtenſum. Aliàs etiam Bulla canonizationis Sancti Thomæ facta à Joanne XXII. fuit directa ad Univerſitatem, cùm ibi dicatur, *ideóq; Vniverſitatem veſtram monemus & exhortamur attentè per Apoſtolica ſcripta præcipiendo, &c.* Secundò dicunt: quòd, cùm perveniſſet ad notitiam Urbani V. perſecutio excitata tempore præcedenti contra doctrinam Sancti Thomę, ſpeciali reſcripto mandaverit Academiæ Toloſanæ, ut illius profeſſores legerent, & docerent doctrinam Doctoris Angelici: quod totum prorsùs eſt à veritate alienum: quia nec reſcriptum fuit ad Academiam Toloſanam, nec mandavit ut illius profeſſores legerent, aut docerent doctrinam Sancti Thomæ: ſicque Bulla eſt falſa, & quod ſuperaddunt falſiſſimum. Sed admittamus, quòd omnia ſint vera: unde conſtat quòd Vrbanus habuerit notitiam de perſecutione facta doctrinæ Sancti Thomæ? Quia ſi loquuntur de illa tempore Stephani de Templier, talis non fuit perſecutio, ſed quædam condemnatio articulorum facta poſt tres annos à morte Sancti Thomæ; in qua nec Epiſcopus, nec alius perſecutus eſt doctrinam Sancti Thomæ, ut conſtat ex dictis in antecedenti Nodo, & narrativa litterarum ipſius Stephani.

ni. Si autem loquuntur de illa contradictione, quæ contigit tempore Joannis de Monteſono, dato quòd illa eſſet perſecutio, ante ipſam mortuus eſt Vrbanus V. per ſeptendecim annos: nam hic Summus Pontifex deceſſit è vita anno 1370. & controverſia Joannis de Monteſono cum Vniverſitate cœpit anno 1387. quomodò ergò Vrbanus V. poterat habere notitiam de illa perſecutione, quæ ſurrexit poſt ſeptendecim annos à ſua morte? Vnde conſtat totum hoc fuiſſe gratis dictum, & ſine fundamento, ut introducerent cauſam expeditionis illius Bullæ fuiſſe perſecutionem exortam contra doctrinam Sancti Thomæ. Tamen non curarunt de ſtabilienda perſecutione, vel ſaltem ſignare, quæ perſecutio fuerit illa. Videamus ſaltem quæ perſecutio fuerit illa doctrinæ Sancti Thomæ; quia ſi totus mundus ſequebatur ipſam, à quo fuit perſecuta? Tertiò & principaliter dicunt: quòd Vrbani V. decretum, *Vniverſæ Eccleſiæ æquum viſum eſt*: Cui univerſali? quomodò? quando? aut quibus verbis *æquum viſum eſt*? Si æquum viſum eſſet Eccleſiæ, non damnaretur Joannes de Monteſono, & ab illo tempore uſque modò de tali mandato, ſeu decreto nihil actum eſt in Eccleſia: cui ergò univerſali Eccleſiæ *æquum viſum eſt*? Quartò dicunt: *Et ſimiliter ſtatuta multarum illuſtrium Religionum, quæ hoc ipſum conſtituunt, ab omnibus approbantur*. Religiones per ſpeciale ſtatutum ſequentes doctrinam S. Thomæ, ſunt tantùm duæ, ſcilicet: PP. Societatis Jesu, & Carmelitarum Excalceat. quòd ipſi infrà fatentur, dicentes folio 143. *Si ingratitudinis labem contrahit Academia hoc ſuo iuramento, eamdem etiam incurrerent ordo Sancti Dominici, Societatis* Jesu, *& Carmelitæ Excalceati, quorum conſtitutiones illos ad doctrinam D. Thomæ tradendam obligant*. Si ſunt duę, quomodò multæ, & hoc quomodò ab omnibus alijs approbatur, ſi à tantis contradicitur? Habetne hæc univerſalis aliquam exceptionem? Sed omittendo iſta, quæ parvi momenti ſunt, diſcooperiamus quamdam inſignem falſitatem. In conſtitutionibus Patrum Carmelitarum Excalceatorum exiſtentibus in Conventu Sanctæ Mariæ de Monte-Carmelo Pariſien. apud R. P. Ludovicum à Sancta Tereſia in octavo manuſc. ſicut etiam in conſtitutionibus impreſſis Romæ anno 1635. apud Ludovicum Grignani in 8. capite 10. num. 2. folio 35. ſic dicitur, loquendo de Lectoribus: *Habeat hunc ſibi propoſitum ad imitandum Doctorem, cui erit toto animo addictus, ita ut ipſius S. Thomæ doctrinam, tam in Philoſophicis, quàm Theologicis ab omnibus ſequatur, exceptâ opinione de* Sanctificatione *Virginis, & quæ in Summâ docuit, præferat ijs, quæ alibi tradidit, &c.* In conſtitutionibus verò impreſſis Romę apud Franciſcum Corbelletum anno 1631. capite 15. folio 120. num. 3. ablata fuit illa clauſula: *Exceptâ opinione de* Sanctificatione *Virginis*: Solùm enim dici-

dicitur: *Et Sancti Thomæ doctrinam, tam in Philoſophicis, quàm in Theologicis ab omnibus ſequatur; & quæ in Summa docuit præferat ijs, quæ alibi tradidit.* Erat Pater Nicolaus Ricciardus Magiſter ſacri Palatij, & judicavit eſſe illuſtrem Religionem quoad ſequelam doctrinæ Sancti Thomæ, ſed non eſſe illuſtrem, quia ab ea exceperat opinionem de *Sanctificatione* Virginis. Sed de hoc in Nodo.

Duas alias Salmanticenſium auctoritates proponimus hîc brevitèr; unam ex folio 93. num. 61. ubi ſic dicunt: *Nulli poteſt eſſe dubium doctrinam iſtorum Sanctorum eſſe ſanam, tutam, approbatam, & magnæ auctoritatis in Eccleſia, liberam ab erroribus, quibus aliorum doctrina expoſita eſt, ut habetur in Bulla Vrbani V. ſuperiùs relatâ, &c.* Licet legas millies Bullam Urbani V. non invenies in ipſa unum verbum ex omnibus hîc relatis à Salmanticenſibus pro doctrina Sancti Thomæ, & tamen dicunt: *Ut habetur in Bulla Urbani ſuperiùs relatâ.* Et pariter obſerva, quo fundamento, & veritate dicere potuerunt de Doctoribus ſacris, nullum excipiendo, illud: *Liberam ab erroribus, quibus aliorum doctrina expoſita eſt.* Doctrina Sancti Ambroſij expoſita eſt erroribus, doctrina Sancti Hieronymi etiam erroribus eſt expoſita, & ſic diſcurre de ſingulis Eccleſię Doctoribus: ſed unica & ſola doctrina Sancti Thomæ non eſt expoſita erroribus. Et hîc interrogo: an iſta propoſitio: *Doctrina Doctorum eſt expoſita erroribus,* ſit eadem, vel diſtinguatur ab iſta: *Doctrina Doctorum de facto habet errores?* quia ſi ſunt idem, ergò cum hac propoſitione de facto, & cum effectu maculant omnem doctrinam Doctorum, quod eſt pluſquàm temerarium, & erroneum præcipitium. Si autem ſunt diverſæ propoſitiones, ut in rei veritate ſunt, ergò concedunt in doctrina Sancti Thomæ, quod negant in puritate Virginis, & ſtatim pertinebit ad Nodum.

Alteram auctoritatem ponunt folio 183. numero 122. ubi ſic dicunt: *Igitur Vrbanus V. qui mandavit Academiæ Toloſanæ, ut ſequeretur doctrinam Sancti Thomæ, eamq; dilataret, voluit ut ipſa inermis, & nuda bellum cum hæreticis ageret, &c. Quare non poteſt obſtare converſioni infidelium, ſed eam adjuvare tamquam regula, & via tuta veritatis, quam ipſi ſequantur.* Ego exiſtimo non eſſe pro infidelium converſione, aut fidelium juvamine aliam regulam, & viam veritatis, quam ſequi teneantur, niſi Evangelium Domini noſtri Jesu Chriſti, & Canones Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, non doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis. Sed cùm hoc dixerint Patres illi Doctores Salmanticenſes, fortè habent aliam veritatis & Fidei regulam, quibus iſtam ſalvare poſſint. Ex hac auctoritate Vrbani etiam deducunt, & dicunt: *Certè ſcripta Sancti Thomæ nituntur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ:* Quaſi alia ſcripta Catholicorum Doctorum Sancti Bonaventuræ, Petri Lombar-

Digitized by Google

di, Alberti Magni, Alexandri Alenſis, Joannis Duns Scoti ex antiquis, & de modernis Vazquez, Saurez, & aliorum Catholicorum Doctorum, non nitantur eâdem certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ. Item in illo libello etiam dicunt folio 155. *Vt inde appareat communem Eccleſiæ ſenſum eſſe, opera Sancti Thomæ comprehendere mentem Sanctorum, qui ante ipſum in Eccleſia floruerunt.* Comprehendat profectò mentem non ſolùm illorum, qui fuerunt, ſed futurorum, dum tamen ſignent nobis, ubi extet, vel ſimus inventuri iſtum communem ſenſum Eccleſiæ. Omnia iſta concederem libentiſſimè doctrinæ Sancti Thomæ; ſed dico citationes omnes eſſe falſas, & fictas. Alias quam-plures illationes formant ex illis ſuppoſitis, fictis & adſcriptis verbis Urbano V. *Tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini, &c.* Quæ licet eſſent veræ, & à Summo Pontifice prolatæ, adhuc ipſæ conſequentiæ eſſent falſæ, ne dicam aliquid aliud.

Deinde folio 141. num. 97. ſic dicunt: *Tandem ſi hâc re injuria irrogatur Sancto Bonaventuræ, certè eam irrogavit Vrbanus V. qui præſcripſit Academiæ Toloſanæ, ut hæreat doctrinæ Sancti Thomæ, eiq; amplificandæ omnem operam exhibeat: tunc verò amplificatur cùm omnes eam tuentur, &c.* Jam ſæpè repetitum eſt, totum hoc eſſe extrà veritatem: quia nec Urbanus V. præcipit, ut hæreant doctrinæ Sancti Thomæ, nec aliquid dicit de Academia Toloſana, nec aliquod verbum habet de Sancto Bonaventura in vera, aut in falſa Bulla. Poſt aliqua ſic proſequuntur Salmanticenſes: *Similiter eodem vitio obnoxius eſſet Vrbanus V. quia cùm mandaverit doceri, & dilatari doctrinam Sancti Thomæ; eo ipſo ab aliis ſcholaſticis Auctoribus avertit. At neque Pontifex, neque Religiones tam illuſtres ingratitudinis damnari debent. Vna eſt Magiſtri & Diſcipuli doctrina, quæ quatenùs à Magiſtro traditur, doctrina, ut verò ab auditore diſcitur, diſciplina nuncupatur. Porro gratitudo ſolum acceptum beneficium intuetur, nec debetur ei, à quo non beneficio, ſed damno quis afficitur: conſtat autem errorem omnem, & deceptionem, ac falſitatem, quantumcumq; ſpeculativam intellectui damnum adferre: unde manifeſtè infertur omnes illos S. Thomæ Magiſtros in objectione relatos, ex hoc juramento laudem conſequi ob veritatem illi traditam: nam juramentum veras eorum doctrinas complectitur dum comprehendit illas, quas Sanctus Thomas ab illis accepit, quæ cum illis unam doctrinam conficiunt. At ſi quod illi docuerunt à veritate eſt alienum, aut minùs certum & probabile, maximum detrimentum intulerunt menti ipſius, nec proptereà illis ullæ gratiæ ſunt habendæ; & conſequenter non promereter Academia ingratitudinis notam, cum non obliget ſuos profeſſores, ut ſequantur opiniones oppoſitas Doctori Angelico, quas aut falſas, aut minùs probabiles exiſtimat.* Neceſſe fuit tranſcribere totum diſcurſum Doctorum Salmanticenſium, ut ex ipſo cognoſceretur, qualis fuerit eorum

rum mens, quæ ad compendium redacta, talis eſt: Non eſt ingratitudo Univerſitatis Salmanticenſis relinquere Doctores antiquos prædeceſſores, & Magiſtros Sancti Thomæ, ut fuerunt Petrus Lombardus, Albertus Magnus, & Alexander de Ales, neque contemporaneos, & condiſcipulos, ut Sanctum Bonaventuram, vel ſubſequentes, ut Scotum, Ægidium, Henricum, Bacconium, &c. Siquidem ab iſtis Univerſitas nullum accepit benificium, ſed potiùs damnum. Quia doctrinæ iſtorum potiùs attulerunt illi diſpendium, quàm commodum propter errores, deceptiones, & falſitates in illis contentas. Nam ſi aliquæ veritates ab iſtis traditæ ſunt, in doctrina Sancti Thomæ continentur: quia Angelicus Doctor in ſua doctrina relinquens quod à veritate erat alienum, minùs certum, parùm probabile, dubium, aut falſum, ſolùm ſelegit, & amplexus eſt, quod erat verum, certum, evidens, atque Catholicum; ſicque nullam injuriam irrogat, nec facit, aut fecit Salmanticenſis Univerſitas relinquendo Doctores iſtos, quia ab illis nullum accepit beneficium; ſed tantùm à Sancto Thoma, in cujus doctrina nihil ex relatis defectibus invenitur. Propono ſententiam Salmanticenſium, non tamen diſcutio veritatem, & certitudinem illius: quia aliquid eſt relinquendum piæ conſiderationi, aut rigoroſæ cenſuræ legentium.

Item Pater Ignatius Galvan lib. 2. cap. 7. diſcur. 3. ſub hoc titulo: *Nonnulla pro explanatione verborum Vrbani V. in laudem Divi Thomæ expenduntur.* Vbi num. 3. folio 446. ſic inquit: *Advertendum deinde, atque attentè conſiderandum eſt; prædictis verbis Vrbani V. Vniverſitati Toloſanæ injungere, ut Sanctum Doctorem tamquam Magiſtrum, ac Ducem venerentur, ejuſq; doctrinam ſectentur, utpotè veridicam & Catholicam, eamq; totis viribus ſtudeant ampliare. Quo loco admonendos cenſeo lectores, Summum Pontificem, juxta Theologorum ſententiam, in ferendis legibus, non ſolùm Vniverſalem, ſed etiam particularem aliquam Eccleſiam concernentibus pernitioſè errare non poſſe: hujuſmodi enim præcepta, ac leges ex motu proprio Pontificis, ut vices Petri gerit, proficiſcuntur, ac proinde ad illum, ut Pontifex eſt, Eccleſiam verâ, ac Catholicâ doctrinâ inſtituere, paſcereq; pertinet. Vnde evidenter conſtat Divi Thomæ doctrinam veram eſſe, ac Catholicam; quam, videlicet, Pontifex Vniverſitati Toloſanæ ab omnibus ſequendam, ac totis viribus ampliandam proponit; immò ut illam ſequatur, injungit, quia eam ab Eccleſia ipſius pectore profectam, ſicut ait Pizzamanus, agnoſcebat.* Aliqua ſunt in hac auctoritate notanda. Primò illud: Summum Pontificem, nec in Decretis univerſalibus pro tota Eccleſia, ſed neque in exhibitis pro aliqua Eccleſia in particulari errare poſſe, præcipuè quando eſt motus proprius. Vnde in illa epiſtola, licet deſtinata ad particularem Eccleſiam Toloſanam, quia erat pro doctrina Sancti Thomæ, errare non potuit Vrbanus V. Iſta veritas

Digitized by Google

ritas notificanda erat Reverendiſſimis Patribus Bandello, Spinæ, & Turco inſurgentibus contra conſtitutiones univerſales pro tota Eccleſia editas à Summo Pontifice Sixto IV. motu proprio, & ex certa ſcientia. Sed de hoc in Nodo. Secundò dicit: quòd Vrbanus injungat ſequendam eſſe doctrinam Sancti Thomæ, quia agnoſcebat eam ab ipſius Eccleſiæ pectore profectam fuiſſe, ut inquit Pizzamanus. Nihil curemus de elogio, ſed quòd illud dixerit Antonius Pizzamanus, Patritius Venetus, qui ſcripſit vitam Sancti Thomæ Aquinatis, dicatam Auguſtino Barbadico Venetorum Principi, cujus prologus incipit: *Quamquam ſine magno labore, &c.* Et fuit impreſſa Venetijs per Petrum Lichtenſtein, curâ & ingenio Jacobi Pincij de Leucho anno 1508. in folio, neſcio quomodò, vel quando oſtendent verba allegata. Quærunt patronos, ſed non curant de legalitate, aut veritate.

Item Auguſtinus Hunnæus Mechlinianus in dedicatoria Summæ Theologiæ S. Thomæ oblatâ Pio V. Summo Pontifici, impreſ. Antverp. 1569. inter alia loquens de hac Urbani approbatione, inquit: *Vrbanus Sedis Apoſtolicæ eximius Antiſtes, iſtius viri excellentem doctrinam admîrans, & veluti cælitùs delapſam, ad innatam humanis mentibus ignorantiæ caliginem depellendam, ſuſcipiens, ad eam dicendam graviſſimè hortatur, & Toloſanæ Academiæ Theologis, ut in diſputationibus, & ſuis de Fide, & moribus reſponſis potiſſimum ſequantur, præcipit.* Et ad marginem habet: *In confirmatione, & approbatione doctrinæ S. Thomæ.* Etiam debet oſtendere iſte, ubi præcipiat Urbanus Theologis Toloſanis, ut in diſputationibus, ac reſponſis ſuis, de Fide, & moribus potiſſimè ſequantur doctrinam Sancti Thomæ. Circa hanc Bullam Urbani R. P. Joannes à S. Thoma §. incipiente: *Intendentes juxta Apoſtolicę Sedis vocem D. Thomę doctrinam tamquam Catholicam, & veridicam ſectari, &c.* Duo dicit: Primum ſic ſe habet. *Id veriſſimum eſt; nam doctrina, quæ tamquam Catholica ſectari jubetur à Pontifice in una Vniverſitate, perinde eſt, ac ſi omnibus proponeretur: doctrina enim, quæ eſt Catholica, & ſana pro una Vniverſitate, ſectari poteſt & in omnibus, &c.* In hoc coincidit cum Salmanticenſium dicto ſupra poſito: fatemur enim doctrinam Sancti Thomæ eſſe ſanam & Catholicam, ſed quòd hoc dixerit Vrbanus V. non eſt ſana, neque Catholica veritas. Secundum illius dictum ſic ſe habet. *Dolendum ſanè (quòd nulli alij Eccleſiæ Doctori, aut Sancto contigit) Divo Thomæ; qui plùs omnibus, aut certè nullo inferiùs ab Eccleſia laudatur, ſic ab alijs diminui, & hoc inter Catholicos; nec inter perſecutionum bella, ſed pacis tempore: ô quæ tempora! ô quæ ſtudia! &c.* Sic & aliquis alius ſcriptor dicere eiſdem poſſet verbis. Dolendum ſanè, quòd de nullo alio Eccleſiæ Doctore ita ſint fictæ, & fabricatæ ſine fundamento laudes tot & elogia, quot de S. Thoma,

ma, qui cùm plùs omnibus ab Eccleſia, & ſcriptoribus Catholicis eſſet laudatus, ut ultrà anteponerent illum omnibus alijs Eccleſiæ Doctoribus, perſecuti ſunt omnibus modis veritatem, diminuerunt pacem, & excitarunt bella. ô quæ tempora! ô quæ ſtudia! ſed, ô quæ Dei providentia, ut omnia detegerentur! Satis certè laudatur doctrina Sancti Thomæ à Summo Pontifice Vrbano V. in Bulla vera, ad quid ergò neceſſe erat aliam fabricare? An, ut Pater Seraphinus Caponi à Porrectâ in libro: *Elucidationes formales totius Summæ Theologiæ, &c.* in proloquio ſpeciali, *De altitudine doctrinæ Thomiſticæ omni veritate ſubnixæ*, impreſ. Venetijs 1588. in 4. loquendo de hac Bulla (ut ipſe dicit) Vrbani V. approbantis, & confirmantis doctrinam Sancti Thomę Aquinatis, adderet ad marginem: *Scripta D. Thomæ vocantur Dei opera, & non ſine ſpeciali Dei juſſione perfecta*? Hoc elogium omni veritate ſubnixum, neque in Bulla vera, neque in falſa Vrbani V. invenitur. Vocentur Dei opera ſcripta Sancti Thomæ, ex ſpeciali Dei infuſione perfecta, quia hoc dixit Pater Porrecta; ſed non, quòd elogia iſta extent in Bulla Apoſtolica Vrbani V. approbantis, & confirmantis doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis. Iſtas falſitates introductas in ſana doctrina Catholica diminuere, immò & annihilare intendit, & ſummoperè conatur veritas: non autem doctrinam Sancti Thomæ, quam cognoſcit eſſe omni laude, & acceptione dignam, &c. Et hæc de Cortice, id eſt, doctrina Sancti Thomæ, de qua nihil negamus ex antedictis, & à ſuis diſcipulis, ſeu defenſoribus ſcriptis; ſed omnia admittimus, ac recipimus tamquam ſi eſſent vera, ſimul cum duabus Bullis Urbani V. & clauſulis ex ipſis extractis, licet ſecunda Bulla falſa ſit, & ſuppoſita, ut diximus.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

SIcut pro commendatione doctrinæ Sancti Thomæ Doctoris Angelici, auctoritate Apoſtolicâ factâ, fuit primus Vrbanus V. Eccleſiæ Pontifex in unica tantummodò clauſula cujuſdam epiſtolæ anno 6. ſui Pontificatûs: ita pro exaltatione ſententiæ Immaculatæ Conceptionis fuit etiam primus Sixtus IV. Pontifex Maximus, non in una epiſtola & clauſula, ſed in quatuor Decretalibus, & alijs quam-plurimis Bullis à primo uſque ad ultimum verbum agentibus de ejuſdem myſterij recommendatione.

ne. Quarum prima,& principalis fuit expedita etiam anno 6. ſui Pontificatûs, Chriſti verò 1476. quæ incipit: *Cùm præexcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cælorum, Virgo Dei Genitrix glorioſa, ſedibus prælata ætheren, ſideribus quaſi ſtella matutina prærutilans,&c. Dignum, quin potiùs debitum reputamus univerſos Chriſti fideles, &c.* Et poſt plures laudes, atque encomia Sacratiſſimæ, & Immaculatæ Virginis MARIÆ, proſequitur: *De ipſius Immaculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias, & laudes referant; & inſtituta propterea in Dei Eccleſia, Miſſas, & alia Divina officia dicant, & illis interſint, indulgentijs & peccatorum remiſſionibus invitare, ut exinde fiant ejuſdem Virginis meritis, & interceſſione Divinæ gratiæ aptiores. Hâc igitur conſideratione inducti, ejuſdem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolicâ, hâc in perpetuum valiturâ conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes & ſinguli Chriſti fideles utriuſque ſexûs, qui Miſſam, & Officium Conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ, juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarôlis clerici Veronenſis Notarij noſtri, & quæ deſuper à nobis emanavit, Miſſæ & Officij hujuſmodi inſtitutionem in die Feſtivitatis Conceptionis ejuſdem Virginis* MARIÆ, *& per octavas ejus devotè celebraverint & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eamdem prorsùs indulgentiam, & peccatorum remiſſionem exinde conſequantur, quam, juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennenſi approbatas, & Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, conſequentur illi, qui Miſſam & Officium, & horas canonicas in Feſto Corporis Chriſti, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti à primis veſperis, & per illius octavas, juxta Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem celebrant, aut dicunt, aut Miſſæ, Officio, & horis hujuſmodi interſunt: præſentibus, futuris temporibus valiturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Domini* 1476. *tertio Kalendas Maij, Pontificatûs noſtri anno ſexto.* Conſtitutio hæc Apoſtolica extat originaliter in archivo Vaticano; & etiam impreſſa in Compilatione Conciliorum omnium editionum; in corpore Juris Canonici inter Extra-vagantes; reperitur etiam in omnibus Bullarijs, excepto Romano, ſed Emanuelis Roderici, fuitque confirmata à Leone X. Pio V. & Concilio Tridentino; & etiam in quam-plurimis Auctoribus particularibus, ut videre eſt in Regeſto Armamentarij Seraphici, colum. 48. Eſtque, ut vides, confirmativa Officij Immaculatæ Conceptionis editi ab ipſomet Summo Pontifice, ſed ordinati à Leonardo de Nogarôlis Notario Apoſtolico, ut denotant illa verba: *Et quæ deſuper à nobis emanavit,* in quo Officio ſeptuagies octies dicitur expreſſis verbis, vel æquivalentibus, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali.

Secunda Bulla Sixti IV. pro Immacu-

maculata Conceptione eſt illa, quâ commendavit Officium editum à Bernardino de Buſtis Ordinis Minorum, in qua dicitur: *Tu igitur in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Officium Conceptionis Beatæ Virginis* MARIÆ *per te compilatum & ordinatum; tu, & omnes, qui id voluerint pro devotione ſua dicere & recitare, liberè & licitè poſſitis ac valeatis, ſeu poſſint ac valeant, Apoſtolicâ auctoritate, tenôre præſentium concedimus paritèr, & indulgêmus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die quartâ Octobris* 1480. *Pontificatûs noſtri anno decimo.* Bulla iſta extat originalitèr in archivo Vaticano, & inter opera ipſiuſmet Bernardini de Buſtis primę impreſſionis & ſecundæ: licet in noviſſima facta Venetijs fuerit ablata, quia ſic voluit Pater reviſor illius civitatis Ordinis Prædicatorum; ſed extat etiam in Bullario Seraphico. Hujus Officij reviſor nullus alius fuit, niſi ipſemet Summus Pontifex, ut videre eſt in Regeſto Armamentarij Seraphici col. 70. in quò etiam Officio pluſquam centum viginti vicibus dicitur Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali.

Tertia Conſtitutio Apoſtolica Sixti IV. eſt illa, quæ incipit: *Grave nimis gerimus, & moleſtum, &c.* Et poſt introductionem in narrativa, ſic inquit: *Sanè, ſicut accepimus, nonnulli diverſorum Ordinum profeſſores, ad prædicandum verbum Dei, in diverſis civitatibus, & locis, partibus Lombardiæ deputati, & non ignari quòd Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperq; Virginis glorioſæ* MARIÆ *Conceptione Feſtum celebrat, & ſpeciale ac proprium Officium ordinavit, in eorum prædicationibus ad populum publicè affirmare hactenùs non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant, adſtante populi multitudine, omnes illos, qui tenent & affirmant eamdem glorioſam, & Immaculatam Dei Genitricem Virginem* MARIAM *abſque peccati originalis macula fuiſſe conceptam, hæreticos eſſe, & ipſam Romanam Eccleſiam ſolam ſpiritualem Conceptionem ſeu Sanctificationem ejuſdem Virginis* MARIÆ *celebrare, ac hujuſmodi eorum prædicationibus non contenti, confectos ſuper his aſſertionibus libros in publicum ediderunt: ex quorum prædicationibus & aſſertionibus non levia ſcandala in partibus illis in mentibus Chriſti fidelium ſunt exorta, & majora exoriri formidantur indies. Nos igitur hujuſmodi temerarijs auſibus & perverſis, à veritate penitùs alienis aſſertionibus, & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſent, quantùm nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatam inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione hujuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent eamdem Sanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali dumtaxat Conceptione, & Sanctificatione ejuſdem Virginis glorioſæ Feſtum celebrare, & eos, qui crederent & tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macu-*

la in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, utpotè falſas & erroneas, ac à veritate alienas, editoſq; deſuper libros prædictos id continentes, auctoritate Apoſtolicâ, præſentium tenore reprobamus, & damnamus: ac motu & auctoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quòd prædicatores verbi Dei, & quicumque alij cujuſcumque gradûs, Ordinis; & conditionis fuerint, de cætero auſu temerario præſumpſerint in eorum prædicationibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare, hujuſmodi per nos ſic reprobatas, & damnatas aſſertiones, & opiniones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenêre, vel habere, poſtquàm de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam, & æternam maledictionis pœnam eo ipſo incurrant, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, & illius proprio ore, expreſsâ causâ hujuſmodi, propter quam cenſuras prædictas incurrerint (niſi in mortis articulo conſtituti) nequeant abſolutionis beneficium obtinêre. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque; ſeu aliquibus communitèr, vel diviſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Pari damnationi, & cenſuræ ſubjicientes illos, qui prædicare, docêre, aut aliàs verbo, vel ſcripturâ affirmare præſumerent hæreticum fore credere, eamdem Virginem glorioſam à peccati originalis macula præſervatam non fuiſſe, & ne de præmiſſis aliqui valeant ignorantiam allegare, volumus, quòd locorum Ordinarij præſentes litteras in Eccleſijs conſiſtentibus in eorum civitatibus, & ſuarum Diœceſum locis in ſingulis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, ac Sermonibus ad populum mandent, & faciant publicari. Præterea, quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus expediens fuerit, deferre; etiam volumus, & dictâ auctoritate decernimus, quòd earumdem tranſumpto manu publici Notarij confecto, & authenticato, & alicujus prælati Eccleſiaſtici ſigillo munito ubique ſtetur, prout ſtaretur eiſdem originalibus litteris, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, damnationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1482. Pontificatûs noſtri undecimo. Hæc Decretalis extat originalitèr in Conventu Salmanticenſi, & in Monument. Ordinis Minorum primæ editionis folio 74. & ſecundæ editionis folio 158. & in utraque authentica. In Bullario Emanuelis Roderici Bulla 17. & in Bullario Seraphico diſpoſito; & in alijs quam-plurimis Auctoribus, de quibus in Regeſto Armamentarij Seraphici colum. 108. & 109. Sed notandum eſt pro prima incipiente: *Cùm præexcelſa*, & pro ſequenti: quòd in Bullario Roma-

Romano abſolutè fuerint prætermiſſæ, licet tot conſtent authenticis teſtimonijs, ſicut fuerunt derelictæ hujus Summi Pontificis Bullæ quinque agentes de ſtigmatibus S. P. N. Seraphici Franciſci, & quòd Sancta Catharina Senenſis non depingeretur cum vulneribus Chriſti: quare autem derelictæ fuerint Bullæ iſtæ pertinentes ad Conceptionem, & illæ ad vulnera Sanctæ Catharinæ, alius judicet.

Quarta Decretalis Sixti Summi Pontificis eſt illa, quæ incipit: *Ad futuram rei memoriam*, *Grave nimis gerimus*, *&c.* expedita Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1483. pridie nonas Septembris, Pontificatûs ſui anno decimotertio; & in omnibus & per omnia coincidit cum antecedente exceptâ unâ clauſulâ, in qua vocat Conceptionem Virginis MARIÆ Immaculatam, ſcilicet illa: *Et quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent, aut aſſerunt eamdem glorioſam, & Immaculatam Dei Genitricem abſque peccati originalis macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos ejuſdem Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audientesq́; ſermones illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare graviter, &c.* Hæc Conſtitutio inſerta eſt in jure Canonico inter Extra-vagantes de Reliq. & veneratione Sanctorum, & in Concilijs omnium editionum, fuitque confirmata per Synodum Tridentinam, & à tribus Summis Pontificibus, Alexandro VI. Pio V. & Paulo V. & extat authentica in Monument. trium Ordinum, fol. 158. & reperitur in principio libri Vincentij Bandelli de Caſtro-novo Ordinis Prædicatorum tertiæ impreſſionis, factæ anno 1502. Et ſic de iſtis quatuor conſtitutionibus Decretalibus, ſeu Extravagantibus nullus hucuſque potuit dubitaſſe.

Præter relata, quæ principaliora ſunt, & quæ pertinent ad totam univerſalem Eccleſiam, & ut talia incipiunt ſub illo exordio: *Ad perpetuam rei memoriam*; edidit hîc Summus Pontifex alia quàm plura pro Immaculata Virginis Conceptione dum eſſet Summus Pontifex: & primò tractatum de Conceptione Virginis MARIÆ, qui dicitur extare in Belgio in Bibliotheca Canonicorum Regularium Tungrenſi, editionis Leodienſis. Secundò edidit quamdam orationem, quæ reperitur in horis antiquis Pariſienſibus, & in Breviario antiquo Patrum Cruciferorum, & etiam Reverendus Pater Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis cap. 76. ad finem paginâ 159. ſicut & Armamentarium Seraphicum in Regeſto colum. 548. illam adducunt, quæ ſic ſe habet: *Ave ſanctiſſima* MARIA *Mater Dei, Regina cæli, porta paradiſi, Domina mundi: Tu es ſingularis Virgo puriſſima, tu concepta ſine peccato originali, & ideò Immaculatiſſima; tu ſine macula concepiſti* JESUM *Salvatorem, tu fuiſti veriſſimè antè partum, in partu, & poſt*

partum inviolata & illibata: fac me tuis ſanctis precibus purè, piè, & ſanctè vivere, & ora pro mihi Jesum *Filium tuum dilectum, & poſt mortem me ſuſcipe; ab omnibus malis mentis, & corporis libera me, & alios fac me liberare, opera miſericordiæ acquirere, & in gloria paradiſi in æternum gaudére. Amen.* Et hanc quotidie ipſemet Pontifex recitabat, & inſuper eam devotè recitantibus conceſſit undecim millium annorum indulgentiam.

Præter iſta edidit Bullas particulares pro myſterio Conceptionis, & ſunt ſequentes: Anno ſecundo ſui Pontificatûs, pro ædificatione Conventûs Conceptionis Oxenti, die 13. Julij, quæ incipit: *Inter cætera.* Et alteram pro indulgentia in die Conceptionis Sanctæ Mariæ de Populo de Urbe 6. idus Septembris, & incipit: *Ineffabilia.* Item ibidem, ut conſervatores urbis darent calicem, & cereos Fratribus Sanctæ Mariæ de Populo in die Conceptionis 10. Kal. Januarij, & incipit: *Inter præcipuas.* Anno quarto largîtus eſt indulgentiam pro die Conceptionis Beatæ Mariæ de Ruchelorf. 7. Kalendas Junij, & incipit: *Regina cælorum.* Anno ſexto conceſſit Vicarîam canonicalem in altari Conceptionis Vradiſlaben. 16. Kalendas Auguſti, & incipit: *Dudum ſiquidem.* Anno ſeptimo indulgentiam pro die Conceptionis in oppido Sancti Landi Conſtantien. 15. Kalendas Octobris: *Dum devotè.* Anno octavo indulgentiam pro die Conceptionis in Eccleſia Beatæ Mariæ de la Roſa Lucan. 10. Kalendas Aprilis, & incipit: *Præclara.* Eodem anno alteram pro altari Conceptionis in Eccleſia SS. Trinitatis Vercellen. pridie 9. Januarij: *Apoſtolica Sedis.* Anno nono alteram indulgentiam pro altàri Conceptionis in Eccleſia Eremitarum Sancti. Auguſtini Burdegalen. 14. Kalendas Julij: *Et ſi glorioſus.* Anno decimo conceſſit beneficium Dominico de Portarenis ad altare Conceptionis Sancti Laurentij in Damaſo de Urbe 6. idus Julij: *Vitæ & morum.* Anno eodem, Epiſcopo Alerien. pro prædicta capella Conceptionis quamdam executorialem datam ut ſuprà: *Hodie dilecto.* Anno undecimo conceſſit alterum beneficium Antonio Macipio ad altare Conceptionis Beatæ Mariæ Dertruſen. 6. Kalendas Septembris: *Vitæ & morum.* Anno duodecimo curavit de ædificatione Monaſterij Conceptionis Venetiarum per alteram Bullam expeditam 3. nonas Januarij, & incipit: *De cæleſti patria.* Item eodem anno indulgentiam Conceptionis in Eccleſia Sancti Petri de Ripoli Florentin. 18. Kalendas Julij: *Dùm præexcelſa.* Denique anno decimotertio ſui Pontificatûs, circa annexionem Eccleſiæ de Bria Elboren. cum Monaſterio Conceptionis 4. idus Septembris: *Ex injuncto.* Omnes iſtas expedivit Summus Pontifex Sixtus IV. primus promotor, & exaltator myſterij Conceptionis, quas authenticè

ticè habemus apud nos extractas ex Regeſto Vaticano; & non clauſulam unam incertam, dubiam, ex quadam Bulla prorsùs ficta, & non expedita ab Urbano V. pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ. His omnibus etiam adjungendum erit, Romæ in Eccleſia Sancti Petri ipſum ædificaſſe capellam ſub titulo Conceptionis Immaculatæ Virginis MARIÆ, & quotidiè ad veſperas & matutinum de Immaculata Conceptione ipſum ſolitum fuiſſe facere commemorationem, idque uſque ad extremum ſervaſſe vitæ, ut refert Bernardinus de Buſtis ſerm. 9. fol. 38. Omnia relata ſunt communia, authentica, & per ſe nota.

Reſtat nunc proponere, quid dictum fuerit ab aſſertoribus opinionis contrariæ de hujuſmodi conſtitutionibus editis à Sixto IV. Summo Pontifice. Cùm ergò primam incipientem: *Ad perpetuam rei memoriam. Cùm praexcelſa meritorum inſignia*, promulgaverit anno 1476. ſui Pontificatûs anno ſexto: poſt quinque annos, id eſt 1481. ſurrexit contra illam Vincentius Bandellus de Caſtro-novo in ſuo tractatu de veritate Conceptionis ad D. Ducem Herculem Eſtenſem, & in decima ratione ſumptâ ex hoc, quòd Eccleſia faciat Feſtum Conceptionis, & D. Papa det indulgentiam, ergò talis Conceptio fuit Sancta, dicit: *Ad hoc fuit reſponſum, quòd duplex fuit Conceptio Beatæ Virginis, &c.* Et latiſſimè inculcat, arguit & contradicit tam Feſtivitati, quàm indulgentijs conceſſis pro ea. Et in ſequenti undecimâ ratione, quæ ſic incipit: *Undecimò argûtum fuit ſic: Dominus Papa dedit indulgentiam his, qui dicunt Officium Conceptionis Virginis juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem Magiſtri Leonardi de Nogarôlis, ut in Bulla legitur: igitur cum in illo Officio quaſi per totum contineatur, quòd fuerit Sancta, & Immaculata, videtur ex hoc haberi, quòd Beata Virgo fuerit ſine peccato concepta. Ad hoc fuit reſponſum: quòd poſito quòd Dominus Papa viderit Officium illud, quod multi negant, propter multa verba nugatoria, quæ in illo continentur, &c.* Et infrà inquit de Summo Pontifice Sixto IV. *Quia cùm ſit vir doctiſſimus, & ſapientiâ plenus, optimè novit, quòd non ſunt danda indulgentiæ ijs, qui dicunt mendacium, &c.* Ecce quomodò unico verbo condemnet pro mendacio quidquid in officio Nogarôlis continetur pro pura, Sancta, & Immaculata Conceptione, cumque hoc fiat per totum Officium, ut ipſemet fatetur, igitur totum condemnat ut nugatorium, & mendacijs plenum. Et concludit illam rationem, poſt ſuas objectiones factas à fol. 161. uſque ad folium 183. dicens: *Et ideò propter hujuſmodi quidam dicunt: quòd Sanctiſſimus D. Papa illud Officium non vidit: quia cùm ſit vir doctiſſimus, & Doctores Sanctos nunc, & ſemper in ſummâ veneratione habuerit, non eſt faciliter credendum, quòd intendat præſtare favorem ijs, qui ſententijs Doctorum Sanctorum contradicunt: ſi tamen illud Officium viderit,*

derit, omnia prædicta ſic intelligenda ſunt, ſicut per nos ſunt ſuperiùs expoſita. Hîc tria dicit Bandellus : primum, quòd omnia, quæ continentur in Officio Nogarôlis, ſint contra doctrinam, & ſententias Sanctorum Patrum. Secundum, quòd illud non viderit. Tertium, quòd Sixtus IV. cum Officio, & ſuâ conſtitutione nihil aliud fecerit quàm præſtare favorem piæ opinioni. Et hæc dicta ſufficiant de contradictione Bandelli in generali; nam ſi deſcendendum foret ad particularia, eſſet labor immenſus.

Secundam ſuam conſtitutionem incipientem : *Grave nimis*, edidit Sixtus IV. anno 1483. ſui Pontificatûs anno 13. & anno 1502. ſurrexit Corrector, ſeu Continuator Bandelli, ſive ſit Didacus Deza, ſive alius Hiſpanus, & in ſuo opere de Conceptione, & in principio illius proponit ad litteram conſtitutionem iſtam Sixti IV. & in epiſtola ad Reverendiſſimos, & colendiſſimos PP. ſui Ordinis Prædicatorum, aſſignat Corrector ille rationem, quare in principio ponat Extra-vagantem Sixti IV. dicens : *Et quia librum hunc legentes, & veritatem in eo luce clariùs contentam conſiderantes, poſſent limites à Pontifice Summo poſitos tranſgredi, ideò excommunicationem ab eo promulgatam ejus exordio præpoſui. Valete, & pro me ad Deum intercedite.* In ſuo libro Bandellus abſque dubio tranſgreſſus eſt limites: quia jam Sixtus IV. ediderat, vel ſaltem illo anno 1481. edidit primam Extra-vagantem, *Grave nimis*; & tamen Corrector iſte nihil immutavit, nec abſtulit à libro Bandelli, ſed potiùs addidit quam-plura tam in marginibus, quàm in additionibus, tum ad finem libri, ubi ſæpè dicit ironicè : *Cave ab excommunicatione.* Et liber iſte fuit quater typis mandatus diverſis temporibus, & ultimò anno 1512.

Poſt iſtos ſcripſit Reverendiſſimus Pater Frater Bartholomæus de Spina Magiſter ſacri Palatij tractatum illum de univerſali corruptione generis humani: ubi parte 5. capite 5. poſtquàm dixerat ſententiam de contractione peccati originalis in Conceptione Virginis MARIÆ eſſe de Fide, & contrariam hæreticam, proponit contra ſuam ſententiam hoc argumentum : *In hoc opere occurrunt contra determinationem factam nonnulla dubia pro majori claritate doctrinæ diſſolvenda; quorum primùm eſt tale : Sixtus IV. Ordinis Minorum in Extra-vaganti*, Grave nimis, *prohibet poſſe dici hæreticum, vel peccare mortaliter quemcumque tenentem alteram quam maluerint contradictionis prædictæ de Beata Virgine partem, aſſerens non eſſe adhuc ab Apoſtolica Sede deciſum, quæ vera ſit, aut falſa. Sed quòd ſecundùm Fidem Catholicam eſt tenendum, jam determinatum eſt eſſe verum; ergò Beatam Virginem eſſe cum alijs omnibus (qui peccaverunt in Adam) numerandam, non eſt tenendum ſecundùm Fidem, &c.* Ad hanc objectionem ex conſtitutione Sixti IV. *Grave nimis*, factam contra ſuam ſententiam reſpondet, ſupponendo in capi-

Digitized by Google

capite 2. quòd etiam in Papam poſſit cadere error in Fide; & quòd talis, quoad Deum, ſit depoſitus de Sede, ita ut nullam habeat poſtea auctoritatem ſuper Chriſti fideles: & quòd, ſi aliquid mandet, vel cenſuræ ab eo fulminatæ non obligent, nec ligent. Et in ſuppoſitione 4. inquit: *Quòd quando Papa non obſtinatè, ſed ex ſimplici ignorantiâ opinionem erroneam ſequitur, neſciens eam contrariari Sacris litteris, vel determinationi Eccleſiæ, paratus quando ſibi hoc conſtaret ab opinione reſilire, cùm non ſit ex hoc formaliter hæreticus, perſeverat Chriſti Vicarius, tàm quoad Deum, quàm quoad Eccleſiam, &c.* Præſupponit etiam quintò, quòd aliud ſit opinionem eſſe hæreſim, & aliud opinantem eſſe hæreticum: quia, quod clarum eſt aliquibus, poteſt alijs eſſe obſcurum ante determinationem Eccleſiæ ſpecialiter factam. Et poſt alia quam-plura, de quibus latè in ſecunda impreſſione Solis Veritatis, concludit ſic: *Modo ex prædictis, ad propoſitum deſcendendo, patet manifeſtiſſime, quòd, omnes homines ab Adam ſeminalitèr propagatos contrahere de facto peccatum originale, ſecundùm Auguſtinum, ad Fidei fundamenta pertinet; quo remoto, tùm removeatur Chriſtum eſſe omnium hominum Redemptorem, ſalus hominum & beatitudo tolleretur; & ex conſequenti ad Fidem directè pertinet. Qui enim hoc negaret, jam Sacris litteris, ſacriſq; Concilijs contradiceret, & eſſet formalitèr hæreticus, religioni Chriſtianæ infeſtus, & Fidei apertiſſimus inimicus; juxta verba Auguſtini; ſicut etiam & olim Pelagiani fuerunt, ut ex determinatis in quæſtione cuilibet poteſt eſſe manifeſtum. Unde ſi Sixtus in ſua Extra-vaganti contrarium ſentiret, aut ſentiendum præciperet, proculdubio hæreticus eſſet; & conſequentèr à Pontificali dignitate dejectus, tàm quoad Deum, quàm quoad Eccleſiam, cum hæc omnia ſint ab Eccleſia jam vulgata, in Concilijs ſub anathematis damnatione determinata, & nullum ligaret ab eo fulminata ſententia; ſed neque etiam verus Papa poſſet præcipere ne quis hanc prædicet veritatem, quoniam imminet neceſſitas Fidei confitendæ, & prædicandæ, &c. Beatam etiam Virginem fuiſſe à peccato redemptam, ſupponit Eccleſia ſecundùm Fidem tenendum; ſed fuiſſe à peccato de facto contrahendo, eò quòd ſit Mater Chriſti, excipiendam, licet in rei veritate falſum ſit, & hæreticum: quia tamen non eſt adhuc per Eccleſiam deciſum, quòd hoc expreſsè ſacris litteris contradicat, aut Conciliorum adverſetur Decretis, & nonnulli putent in Sacris litteris exceptionem fieri, &c.* Alia quæ hic deſunt, videre poteris in ſecunda impreſſione Solis Veritatis: ſufficiunt enim iſta pro nunc ad cognoſcendum, quomodò locutus fuerit Reverendiſſimus Pater ac Magiſter ſacri Palatij de poteſtate Summi Pontificis, ac ejus Decretis, ſolùm quia erant pro Immaculata Virginis Conceptione.

Relinquo illa, quæ dixit Pater Richardus Magiſter etiam ſacri Palatij, in ſuis memorialibus; & Libellatores Romani in illis verbis: *Nec nos ad apocryphas*

cryphas Apoſtolorum diffinitiones, ad confiſtas revelationes, ad ſomniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus, &c. Ut perveniamus ad Reverendiſſimum Patrem Thomam Turcum, qui ſcripſit noſtris temporibus anno 1649. in illo ſuo opuſculo de Conceptione folio 25. ubi propoſitâ hâc objectione: *Illud verò, quod principale opinionum diverſitate ventilatur, hujus farinæ, ne dicam furfuris, eſt: quod tantâ vanitate inculcant de Nogarôlo Officio, quod ajunt, nedum auctoritate Apoſtolica eſſe firmiſſimè approbatum; verùm etiam indulgentijs munificentiſſimis à Summis Pontificibus ditatum, &c.* Reſpondet hoc modo: *Facile tamen tota hæc aërea moles, quæ ſuâ fucatâ majeſtate oculos ſciolorum rapit, in fumum evaneſcit; ſi celebrem illam diſtinctionem appoſuerimus de Apoſtolica Sede Pontificis & perſona particulari ejuſdem, & dixerimus Extra-vagantes illas non de Apoſtolicæ Sedis vertice, ſed de laudabili pietate, & pia, & propria opinione emanare, &c.* Nota iſta de celebri diſtinctione inter privatam perſonam, & Pontificis dignitatem. Et quantùm ad hoc verum dicit, quia inter ipſos celebris eſt illa diſtinctio, & reſpondendi modus ad Extra-vagantes Sixti IV. ſed vide, quomodò proceſſerunt à perſona particulari, quando poſtea fuerunt approbatæ, & confirmatæ ab Alexandro VI. Leone X. Concilio Tridentino, Pio V. Paulo V. & Gregorio XV. ſed non ſiſtit hic Reverendiſſimus Pater Generalis Turcus.

Alium excogitat reſpondendi modum, dicendo: *Duo enim in illo Officio attendenda ſunt: unum ſubſtantia ejuſdem Officij, quæ conſiſtit in referendo gratias, & laudes Deo de ipſius Immaculatæ Virginis Conceptione, & hæc Officij inſtitutio ex Apoſtolica Sede proceſſit: & aliud eſt modus, & ordinatio ejuſdem Officij, & hoc non à Sede Apoſtolica, ſed à laudabili particularis pietate perſonæ Sedis Apoſtolicæ Notarij Nogarôlæ emanavit. Et ne videar in aëre loqui, dictis fidem faciunt eadem Extra-vagantis verba, &c.* Et adducit clauſulam Extra-vagantis ſupra-poſitam, ut ex illa probet Officium emanaſſe à Summo Pontifice, & ſolùm diſpoſitionem, & artificium fuiſſe compaginatum à Leonardo de Nogarôlis, in quo veritatem dicit; ſed attende quid inde deducat: *Vides laudari, & de pietate commendari ordinationem illam, ſeu contexturam Officij Conceptionis à Nogarôla compoſitam? Quæ ex re, ut ſæpiùs notavimus, nihil aliud colligent adverſarij, quàm per Sedem Apoſtolicam ſententiam illam ut piam & devotam commendatam fuiſſe, ventoſaq; & ampulloſa illa epitheta eſſe. Quòd illa ſit canonizata, quòd ſit proximè diffinibilis, quòd quaſi de Fide certa ſit, & indubitata. Verùm licet hæc ſolidè, & ſubtilitèr edicta ſint, adæquata tamen reſponſio eſt, Officium illud Nogarôlæ à Breviario Romano juſſu Pij V. expunctum, & ex albo Divinorum Officiorum deletum. Quod non leve argumentum eſt, Officium ipſum, & quæ ibi de Immaculata Conceptione celebrantur, ab Eccleſia univerſali minimè eſſe*

appro-

Digitized by Google

approbata, quin immò rejecta, ac proinde nullum vel probabile argumentum inde ſumi poſſe. Hæc ſolida & germana reſponſio eſt, quâ inſtar fulminis cùm adverſarij perculſi jaceant, in omne latus tamen ſe vertunt, ut ſpiritus revocent: & cùm nihil lucidum, aut vegetum ſpirare potuerint, lepidam fabulam attexuerunt ad dementandos ſimplices. Libellum enim evulgarunt hoc modo ſcriptum: Propria feſtorum Ordinis Fratrum Minorum ad formam Officij novi redacta, quæ Sanctiſſimus Dominus noſter Pius V. Pontifex Maximus annò 1569 die 15. Maij, Pontificatûs verò ſui anno tertio, vivâ voce conceſſit, ut ſic ordinata imprimerentur, & à Fratribus, & Monialibus ejuſdem Ordinis dicerentur. Hoc autem in libello, oraculo Pij V. approbato, cùm ſit comprehenſum Officium Conceptionis à Nogarôla editum clariſſimè patêre, plenis buccis vociferantur, idem Officium à Breviario Romano licet expunctum, Franciſcanis tamen benigniſſimè conceſſum fuiſſe, & in eorum ordinario incluſum, Apoſtolicâ Sede, & oraculo Pij V. approbatum; ſed cùm larvam detego, quæſo animum advertant, ut inſignem impoſturam recognoſcant, & turpiſſimam audaciam ambabus manibus palpent. In archivo Religionis Dominicanæ duo exemplaria habentur hujus libelli: proprium feſtorum Ordinis Fratrum Minorum; alterum impreſſum anno 1564. alterum verò excuſum Pariſijs 1585. utrumque inſignîtum eodem oraculo vivæ vocis Pontificis Pij V. 1569. In primo libello minimè reperîtur enumeratum Officium Nogarôlæ; in ſecundo ſimul cum alijs recenſetur prædictum Officium. Ex quo evidentèr apparet, per oraculum vivæ vocis minimè conceſſam recitationem illius Officij, de quo tantum plaudunt; ſed tantùm illa, quæ in ordinario anni 1584. impreſſa continentur, per fraudulentam verò, & profanam manum elapſis annis, quando falſitas non tam facilè convinci poterat, illud Nogarolæ Officium alijs ſuper-intruſum, & per ſummam audatiam additum. Hujus inſignis impoſturæ non ignobile argumentum, &c. Hucuſque Reverendiſſimus Pater Turcus.

In quibus pro nunc notanda ſunt duo: Et primum ſit, quòd expreſsè, clarè, & pàlàm profiteatur, Officium illud Nogarôlis ab ipſamet Sede Apoſtolica, & Sixto IV. emanaſſe, quando Vincentius Bàndellus hoc negaverat, ut ſuprà diximus; immò bis affirmat eum illud non vidiſſe. Secundum eſt, quòd poſt quatuor conſtitutiones Apoſtolicas editas à Sixto IV. & confirmatas approbataſque à Concilio Tridentino, & tot Summis Pontificibus, ſolummodò colligatur *ſententiam illam ut piam, & devotam commendatam fuiſſe*. Quantùm autem ad illud de oraculo Pij V. circa conceſſionem Officij factam Fratribus Minoribus, & illam eſſe falſam, & impoſturam turpiſſimam, ut ipſe larvam detegendo demonſtrat, quia in archivo Religionis Dominicanæ habetur illud originale impreſſum anno 1564. inſignîtum oraculo Pij V. in quo non eſt incluſum Officium Leonardi Nogarôlis, ex quo, ut ipſe dicit, in

in alijs impreſſionibus per fraudulentam & profanam manum intruſum; dicimus hîc breviter(relinquendo ad alium locum ampliores demonſtrationes) dictum à Reverendiſſimo Patre Generali de illa impreſſione factâ anno 1564. inſignitâ oraculo Pij V. eſſe prorsùs à veritate alienum. Primò : quia dicit hanc impreſſionem eſſe in archivo Ordinis Prædicatorum, non tamen ſignat ubi ſit illud archivum, & ſic eſt adducere teſtem vagum & larvatum. Secundò : non dicit ubi fuerit facta illa impreſſio anni 1564. ſicut dicit de altera facta anno 1585. de qua aſſerit fuiſſe editam Pariſijs : & ſic etiam impreſſio eſt vaga & larvata, cujus nos detegemus larvam Nodo XIV. principali. Et pro nunc breviter dicimus, quòd Pius V. electus fuerit in Summum Pontificem anno 1565. ſeptimo idus Januarij: quomodò ergò anno 1564. per unum integrum annum, antequam eſſet Summus Pontifex, potuit eſſe impreſſio ſubſcripta oraculo ejuſdem Summi Pontificis ? Tertiò : reformatio generalis omnium Officiorum fuit facta à Summo Pontifice Pio V. anno 1568. ut dicitur in ejus Bulla, quæ incipit : *Quod à nobis poſtulat ratio paſtoralis*, & extat in principio Breviarij ab ipſo Pontifice reformati : cùm ergò uſque ad an. 1568. recitaretur Officium Nogarôlis in tota univerſali Eccleſia Romana : ad quid, vel quomodò anno 1564. peterent Fratres Minores facultatem recitandi Officium ? Iſtas exiſtimamus eſſe demonſtrationes palpabiles nimis & evidentes, ut ſic videat Reverendiſſimus Pater Generalis, ſi fortè propter defectum visûs non exactè viderit, & legerit impreſſionem illam. Nam numerus, qui ipſi viſus eſt 4. erat 9. qui characteres inter ſe maximam ſimilitudinem habent : etenim anno 1569. & Pontificatûs Pij V. tertio, conceſſum fuit illud vivæ vocis oraculum. Sed concedamus errorem, & admittamus correctionem Reverendiſſimi Patris Generalis ; quia in hoc opuſculo nihil nobis negandum erit, ut inde majores ſolùm & indiſſolubiles undique reſultent Nodi.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

PRo hujus Nodi deductione notandum eſt, quòd Urbanus V. inceperit in quadam epiſtola directa ad Archiepiſcopum Toloſanum exaltationem doctrinæ Angelici Doctoris San-

Sancti Thomæ Aquinatis, quæ incipit, *Copioſus in miſericordia Dominus,&c.* de hac tamen epiſtola, quæ vera eſt, nullam adducunt auctoritatem ſcriptores Ordinis Prædicatorum; ſed de alia, quæ ſuppoſita invenitur & ficta, incipiente: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, &c.* continuò loquuntur. Simili modo oportet notari quòd primus Summus Pontifex, qui exaltare cœpit ſententiam Immaculatæ Conceptionis fuerit Sixtus IV. non in una epiſtola, ſed in quatuor conſtitutionibus Decretalibus expeditis pro tota Eccleſia univerſali: & licet iſtæ reperiantur authenticæ in libris ſupra-relatis, ac de ipſis faciant mentionem alij Summi Pontifices, & ipſum Concilium Tridentinum; dicunt Defenſores opinionis contrariæ illas Decretales eſſe apocryphas, fictas, & adulteratas. Et quia in Sole Veritatis, in quo dies diei eructat verbum & nox nocti indicat ſcientiam, oſtenditur manifeſtè epiſtolam illam Urbani eſſe ſine ulla cohærentia, ſtylo, aut diſpoſitione curiæ Romanæ, quamvis non negetur ipſa (quia ad hoc non ſuberat ſufficiens fundamentum) ſed concedatur & admittatur, incidenterque vocatum fuit in dubium, an eſſet certa vel dubia, vera vel falſa; ecce ſtatim Auctor illius libri vocatus fuit ad judicium à quodam P. Dominicano, & in eo appellatus ore pleno invidus, præſumptuoſus, Servus Nequam, hallucinatus, loquens ex pura imaginatione, &c. Et hinc oritur Nodus. Quia ſi ipſi loquantur contra conſtitutiones Apoſtolicas Sixti IV. non obſtantibus pœnis, cenſuris, & excommunicationibus in illis contentis, & de ipſis dubitent, fiant quæſtiones, objectiones, atque contradictiones ſine numero, pondere, ac menſura: Quare non poſſumus nos dubitare, & adducere ad quæſtionem, epiſtolam unam Urbani V. & inquirere de ejus veritate? Decretales Sixti IV. ſunt pro Conceptu ventris, & puritate Sacratiſſimæ Dei Matris in utero; epiſtola Urbani V. eſt pro conceptu mentis, & doctrina Sancti Thomæ, Catholica, & vera. Decretales Sixti IV. ſunt receptæ in tota Eccleſia Orthodoxa, ut veræ & legitimæ; & hoc non obſtante contradicuntur, & impugnantur ut falſæ & fictæ; & epiſtola Urbani, ſi aliquando ex ſola imaginatione fuit ſuſpecta de veritate, jam ex evidenti comprobatione oculari apparet fuiſſe fictam & falſam: & tamen hoc tangere eſt delictum inexpiabile, ſcelus nefarium, facinus pudendum. Et quare hæc inæqualitas? quia doctrina Sancti Thomæ nec ipſa, nec pertinentia ad ipſam tangenda ſunt à nobis, licet ſint falſa; & puritas Virginis Dei Matris non tantùm ipſa, ſed & agentia de ipſa, licet ſint vera, maculari poſſunt ab ipſis. Et Nodus iſte tantùm habet hanc ſolutionem.

Nodus secundus.

Quòd tot conſtitutiones Apoſtolicæ, & Decretales graviſſimæ expeditæ à

Digitized by Google

Sixto IV. pro Virginis incontaminata Puritate, univerſalitèr pro tota Eccleſia, ſedente apud Sanctum Petrum in Vaticano, *ex certa ſcientia, motu proprio, maturo conſilio, & deliberatione præhabitâ,* vocentur in dubium; dicendo, quòd nulla illarum proceſſerit à Summo Pontifice, ut Summus Eccleſiæ Pontifex eſt, ſeu ut eſt è cathedra loquens, ſed à particulari perſona, id eſt, Franciſco Rubere Ordinis Minorum Fratre, & non à Sixto IV. Summo Eccleſiæ Pontifice, & Paſtore, &c. & quòd quædam epiſtola miſſiva Urbani V. data in itinere, & Monte-flaſcone, ad inſtantiam Reverendiſſimi Patris Fratris Eliæ de Toloſa Generalis, quia eſt pro doctrina Sancti Thomæ, debeat recipi, & tenêri tamquam conſtitutio, & Decretalis Apoſtolica, expedita ab Urbano ut Pontifice, ut Paſtore, ut è cathedra docente, iſta non tam facilem meo judicio exitum habere videntur. Quòd conſtitutiones illæ Sixti IV. approbatæ, & confirmatæ à Summis Pontificibus Alexandro VI. Leone X. Pio V. Paulo V. & Gregorio XV. & tandem ab ipſomet Sancto Concilio Tridentino dicantur expeditæ ut à perſona particulari & privata, non ut à ſupremo Eccleſiæ capite & hoc ob nullam aliam cauſam, rationem, ac motivum aliud, niſi quia fuerunt in favorem puritatis Sacratiſſimæ Dei Matris, licet duriſſima doctrina, tranſire poſſet, niſi ſtatim è regione videremus, quòd inter eoſdem hæc affirmantes una ſola epiſtola expedita ab Urbano V. non audita, aut viſa à Summo Pontifice, admittatur, & velint, quòd ab alijs recipiatur ut conſtitutio, ſtatutum, & decretum inviolabile, ſub pœna maledictionis Apoſtolicæ. Et hoc quare? ſolùm, quia in illa epiſtola agitur de approbatione, vel recommendatione doctrinæ Sancti Thomæ. Item Sixtus IV. edidit Officium Immaculatæ Conceptionis, & illud appoſuit in Breviario Romano, in quo recitatum fuit ab univerſali Eccleſia per integrum ſæculum, & hoc factum eſt, ut dicunt ipſi, non à Summo Pontifice ut Pontifice, ſed ut à perſona particulari, & ut favêret ſuæ piæ ſententię, quia erat ex Ordine Minorum: & quòd Summus Pontifex Pius V. qui fuit ex Ordine Prædicatorum, illud expunxerit ex albo Divinorum Officiorum, hoc fecit non ut perſona particularis aut privata, ut indulgêret ſuæ opinioni, utpotè Ordinis Prædicatorum, ſed ut Summus Eccleſiæ Pontifex, Paſtor, & Rector Eccleſiæ univerſalis. Ergò pro Beatâ Virgine Dei Matre, & pro Angelico Doctore non plantatur æqualitèr, & deſtruitur inæqualitèr, nec unâ & eâdem menſurâ menſurantur: nam ubi nominatur Sanctus Thomas, ibi agit auctoritas univerſalis Apoſtolica: & ubi nominatur puritas Virginis Mariæ, ſtatim efficitur particularis perſona. Ad nomen Sancti Thomæ ſemper & ubique levandi ſunt oculi ſurſum ad caput,

Digitized by Google

caput, quia ab illo procedunt omnes ejus gratiæ; & ad nomen Virginis MARIÆ ſemper deprimendi ſunt deorſum ad membra & pedes; ut doctrina Sancti Thomæ ſemper ſedeat pro tribunali in ſupremo loco; & innocentia Virginis ſemper ſtet in infimo ut rea. Neſcio quis poterit ſolvere Nodum iſtum.

NODUS TERTIUS.

Quòd unius Summi Pontificis Urbani vagi & indeterminati clauſula brevis ac ſuccincta: *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini, eamq; ſtudeatis totis viribus ampliare*; introducta incidenter in quamdam epiſtolam datam ad petitionem partis, directam ad Archiepiſcopum Toloſanum, quæ agebat primò & per ſe de tranſlatione corporis, & fuit ſemper vehementèr ſuſpecta de veritate, & in rei veritate falſa & ficta; quòd, inquam, hujuſmodi clauſula tantam habuerit vim, & efficaciam apud ſuos, ut potuerit approbare & confirmare doctrinam Sancti Thomæ contentam in ſeptendecim tomis, & omnes ſententias ſcriptas in pluſquam centum ſeptuaginta libris, & tractatibus: Et quòd quatuor alterius Summi Pontificis Sixti IV. non epiſtolę, aut litteræ miſſivæ, ſed Bullæ, Decretales, Conſtitutiones, & Extravagantes, non fictæ, ſed veræ, authenticæ, inſertæ in corpore juris Canonici, relatæ in compilatione Conciliorum Generalium, contentæ in Bullario communi Minorum & alijs particularibus, expeditæ non ad petitionem partis, ſed ex certa ſcientia, & merâ deliberatione; & poſteà confirmatæ, & approbatæ per unum Concilium, & quinque Summos Pontifices; ubi non una clauſula, vel altera, ſed quæ integræ à primo uſque ad ultimum verbum agunt de Immaculata Virginis Conceptione; deſtinatæ denique non ad unum Archiepiſcopum, vel ſtudium, ſed ad totam Chriſtianitatem in communi, & ad quemlibet Catholicum in particulari; receptæ ab omnibus Eccleſijs, atque exiſtentes in viridi obſervantia non potuerint confirmare vel approbare hanc breviſſimam propoſitionem: *Virgo* MARIA *fuit concepta ſine peccato originali*: quia hæc pertinet ad honorem Matris Dei, & non continetur in doctrina Sancti Thomæ, nec eſt juxta ſententiam Angelici Doctoris, ut dicunt: certè omnibus hoc legentibus indiſſolubilis Nodus videbitur.

NODUS QUARTUS.

Clauſulæ Decretales exiſtentes in conſtitutionibus Sixti IV. ſunt ſequentes; in Bulla, *Cùm praexcelſa, &c.* dicitur ſic: *Dignum quin potiùs debitum reputamus univerſos Chriſti fideles, &c. ejuſdem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolicâ, hac in perpetuum valiturâ conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles utriuſq; ſexus, &c.* Et in conſtitutione;

tione, *Grave nimis*, ſic dicitur: *Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis quibuſcumque, ſeu aliquibus communitèr, vel diviſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, &c. Nos igitur hujuſmodi temerariis auſibus, & perverſis aſſertionibus ac ſcandaloſis, quæ exinde, &c. Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium reprobamus, & damnamus: ac motu & ſcientiâ, auctoritate prædictis ſtatuimus, & ordinamus, &c. per nos ſic reprobatas & damnatas aſſertiones & opiniones veras eſſe, &c. excommunicationis ſententiam, & æternæ maledictionis pœnam eo ipſo incurrant: à quo ab alio, quàm à Romano Pontifice, & illius proprio ore, expreſſâ causâ hujuſmodi, propter quam cenſuras prædictas incurrerint (niſi in mortis articulo conſtituti) nequeant abſolutionis beneficium obtinere, &c. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, damnationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.* Hæc, inquam, omnia & alia quam-plura hujuſmodi, quæ in prædictis conſtitutionibus continentur, quia ſunt pro ſententia immunitatis Virginis à peccato, ſunt inania, levia, aërea, ventoſa, & ampulloſa: quia licet habeant tot ſtrictiſſimas clauſulas, continent duas exceptiones. Prima eſt, quòd Officium contineat verba nugatoria, & mendacia: ſecunda, quòd Summus Pontifex Sixtus IV. non viderit, legerit) aut examinaverit illud Officium. Urbanus V. ergò quando in ſua epiſtola incipiente: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, &c.* & ante-quam proferret parvulam illam clauſulam pro doctrina Sancti Thomæ, vidit, legit, aut examinavit in Monte-flaſcone itinerando, an eſſent aliqua verba nugatoria, & mendacia in ſeptendecim illis tomis, ut approbaret & confirmaret doctrinam ipſius, ita ut excluderet omnes alias doctrinas Doctorum? certum eſt quòd non. Dices: quòd tunc non erat typographia, nec illi ſeptendecim tomi: quia iſti inventi fuerunt poſteà, & diſpoſiti tempore Pij V. poſt duo integra ſæcula; & in Monte-flaſcone, & in itinere non poterat habere ad manus opera Sancti Thomæ: ergò excellentior exiſtimabitur doctrina Sancti Thomæ, quàm puritas Virginis MARIÆ. Nam una ſimplex propoſitio, poſt tot controverſias, diſputationes, & libros, non pòtuit approbari à Summo Pontifice, quia priùs non examinavit parvum Officium, quod tenebatur recitare quotidiè: & Urbanus V. qui non vidit opera Sancti Thomæ, immò nec de illis habebat notitiam, ut dicitur in relatione tranſlationis, ſolùm quia audivit eſſe opera Sancti Thomæ in rerum natura, confirmavit, & approbavit doctrinam exiſtentem in operibus ejus, non præſen-

ſentibus, quia nullum habuit; ſed præteritis & futuris, auditis & non viſis. In Officio, ſecundùm Bandellum, ſunt plura verba nugatoria, & mendacia, & ſecundùm Spinam errores in Fide & hæreſes, & hoc prævalet contra relata Pontificis Decreta, conſtitutiones, & excommunicationes, condemnantis hujuſmodi temerarias & ſcandaloſas propoſitiones; & tamen non obſervantur, ſed impugnantur, quia agunt de gratia Virginis in ſua Conceptione: & Sixtus in hac materia non habuit auctoritatem, & quoad iſtas non fuit Pontifex, quia in terra, & in cœlo propter talium promulgationem depoſitus fuerat; & Urbanus, quia ſcripſit pro gloria Sancti Thomæ, fuit verus Pontifex, Sanctus, venerandus, & juſtus, &c. & hoc ſub fundamento, & Bulla falſa: Nodus iſte quomodò erit ſolvendus?

Nodus quintus.

Hoc anno 1661. quidam Magiſter Complutenſis, loco ſuprà citato, nititur defendere (loquendo de doctrina Sancti Thomæ, & hâc approbatione Urbani) *Quòd commendatio, & approbatio ſunt unum & idem:* Et eodem anno alter Lector generalis, & Doctor Lovanienſis ejuſdem Religionis Prædicatorum ſcribens in Belgio contra immunitatem, & præſervationem Virginis Mariæ, & Officium Nogarôlis à Sixto IV. commendatum, de quo etiam ſuprà, totis etiam viribus conatur oſtendere eſſe quid diſtinctum, *Commendationem ab approbatione.* Ecce ſimul & ſemel habemus duos doctiſſimos Patres Ordinis Prędicatorum primarios Theologiæ lectores, eodem anno, & fortè eodem menſe ſcribentes, quorum primus pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ affirmat, idem eſſe illam commendare, ac illam approbare: & alter, ſcribens contra approbationem Officij Conceptionis à Summo Pontifice Sixto IV. promulgatam, ſuſtinêre nititur eſſe commendatam ſententiam præſervationis, minimè autem approbatam. Utri credendum eſt? An Complutenſi, an verò Lovanienſi? Doctrina Sancti Thomæ, quia commendata, fuit & eſt approbata, quia illud: *Volumus, & tenôre præſentium vobis injungimus,* fuit rigoroſiſſima, & formaliſſima approbatio: & pia ſententia de immunitate Virginis Mariæ, cum tot clauſulis in ſupra-poſitis conſtitutionibus contentis, non habuit, nec habet ſaltem levem approbationem; ſed tantùm quamdam piam, & devotam commendationem: quia circa doctrinam Sancti Thomæ minima quęlibet epiſtolaris, & Urbana commendatio, eſt eximia approbatio: & circa Dei Matris puritatem celebres Sixtinæ Extra-vagantes, conſtitutiones, Decreta, & approbationes, immò Canones Conciliorum, non ſunt niſi quædam levis, & favorabilis commendatio? Neſcio an Nodus iſte habeat ſolutionem.

Digitized by Google

NODUS SEXTUS.

Epiſtola Urbani non fuit miſſa in ipſa tranſlatione corporis Sancti Thomæ, ſed ante tranſlationem per integrum annum, & ampliùs, ut conſtat ex omnibus hiſtorijs, & etiam ex ipſa Bulla: *Requirimus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, nihilominùs per Apoſtolica ſcripta mandantes, cùm ad partes eaſdem transferetur, benignè & honorificè ſuſcipientes, &c.* Sicque Summus Eccleſiæ Pontifex Urbanus, ut corpus Sancti Thomæ benignè, devotè, honorificè, ac venerabilitèr poſſet ſuſcipi à Toloſanis, anticipatâ curâ paternâ, præventioneque prudenti curavit, ut Toloſani eſſent parati, & diſpoſiti ad receptionem corporis, ante ipſius actualem ingreſſum. Tunc ſic: Eſtne dignum majori honorificentiâ, & veneratione corpus mortuum Sancti Thomæ, quàm anima viva Matris Dei? Vel habuit majorem curam Summus Pontifex, vel fuit Urbanus magis urbanus circa ingreſſum corporis Sancti Thomæ ad Toloſanos; quàm ipſemet Deus pro ingreſſu animæ Matris ſuæ in corpus, ſeu in mundum? Si Urbanus ex mera benignitate prævênit ingreſſum, ut ſic honoraretur corpus Divi Thomæ, ac major eſſet veneratio, munditia, devotio, & puritas in recipientibus: & hæc præventio, quæ laudatur in Urbano, recipitur, & defenditur: quomodò, quando agitur de immunitate animæ Virginis MARIÆ, & dicitur ſpeciali Dei providentiâ fuiſſe præventa, ut ejus ingreſſus eſſet purus, & mundus, negatur, contradicitur, & impugnatur? Et inſuper additur: terminum iſtum, prævenire, ſeu præſervare, eſſe merè chimæricum, & ſomniatum? Pro ingreſſu corporis Sancti Thomæ fuit præventio in terra in puro homine; & pro ingreſſu animæ Dei Matris MARIÆ in mundum, non fuit præventio in terra, neque in cœlo in ipſo Deo? An non fuit digna Virgo MARIA, ut in ſuo primo ingreſſu in mundum menſuraretur eâdem menſurâ, quâ corpus Sancti Thomæ in ſuo primo ingreſſu ad Toloſanos? Quod Urbanus invênit in articulo corporis Thomæ; mirum eſt, quòd ſaltem Urbanitas non inveniat in articulis doctrinæ Angelici Doctoris. Quod actum fuit in Doctore, non credemus actum fuiſſe cum Matre? Si ſolo ſuo Decreto, ex mera gratia, extraxit Dominus Urbanus à Foſſa-nova corpus Sancti Thomæ: quare Urbaniſſimus Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, non extraxiſſet animam ſuæ Sanctiſſimæ Matris à foſſa veteris Adami?

NODUS SEPTIMUS.

Quia Reverendiſſimus Pater Generalis Ordinis Prædicatorum Thomas Turcus invênit in archivo ſuæ Religionis libellum impreſſum anno 1564. in quo mentio fit de vivæ vocis oraculo Pij V. conceſſo Fratribus Minoribus, ut recitent ſua Officia propria, in qua tamen impreſſione non erat Officium illud Leonardi No-

Digitized by Google

Nogarôlis pro Immaculata Virginis Conceptione: quod quidem aſſertum nec ſpeciem habet veritatis, quia anno 1564. nondum fuerat electus in Summum Pontificem Pius V. Item, quia reformatio Breviarij fuit facta anno 1568. poſtquàm Fratres Minores petierunt à Summo Pontifice indultum, ſeu privilegium illud recitandi Officium Immaculatæ Conceptionis, editum à Nogarôlis, & anteà recitatum in tota Eccleſia univerſali; quod Summus Pontifex conceſſit anno ſequenti 1569. ut dicitur ab omnibus Auctoribus Ordinis Minorum, & extat Romæ in archivo Procuratoris Generalis Ordinis. Vnde illud, quod dicit Reverendiſſimus Pater Generalis de an. 1564. & vivæ vocis oraculo tunc conceſſo, vel fuit error ſuorum oculorum non rectè legentium, vel error typographorum non benè componentium: inter iſta enim non eſt dare medium; ſed ut non affirmemus primum, dicamus ſecundum; ſcilicet, quòd impreſſores, ubi dicendum erat 1569. appoſuerint 1564. mutando numerum ultimum 9. in 4. Hoc ſuppoſito, & admiſſo, quia Reverendiſſimus Pater Generalis pro Officio Immaculatæ Conceptionis invênit in quadam impreſſione mutatum iſtum tantùm numerum, exprobrat toti Religioni Minorum neſcio quę: Fratres enim illius affirmat *attexuiſſe lepidam fabulam, eſſeq; larvatos, & inſignes impoſtores, turpiſſimè audaces, ambabus manibus palpantes, fraudulentos, & habentes profanas manus, falſarios convictos, quiq; per ſuam audaciam addiderunt poſteà inter Officia illud de Immaculata Conceptione, &c.* Ecce quanta improperia congregantur contra totam Religionem Minorum: quia impreſſores mutarunt unicum tantùm numerum in materia approbationis, ſeu oraculi Pij V. circa Officium Immaculatæ Conceptionis: & cùm inveniantur pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ fuiſſe fictas epiſtolas integras, Urbani, & Univerſitatis; intruſas auctoritates plenas, additas clauſulas & ablatas ad libitum, ac mutata verba ſine numero; tenemur tacère, nec larvam detegere, nec iſtas lepidas, vel tetras fabulas tangere; quia ſunt circa doctrinam Sancti Thomæ, qui eſt Chriſti Domini Doctor. Et Virgo Maria eſt Mater, vel non eſt Mater? Doctrina eſt in multis Doctoribus, ſed puritas Matris non eſt niſi in una Beatiſſimâ, ſcilicet, Virgine Maria. Si error unius numeri poſitus pro Officio Immaculatæ Conceptionis ita maculat totam Religionem Minorum: tot errores inventi circa approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, quem maculare debent? Si ſolùm unius numeri error inventus in libro FF. Minorum meretur tot improperia: quid cogitant, qui in magno libro Dei, Virgine Maria, ponunt illum magnum errorem, peccatum originale, & finxerunt integram Bullam Summi Pontificis adversùs eam? Sed de

 hoc

Digitized by Google

hoc dicemus ex profeſſo Nodo XIV. principali, loquendo de Officio Divino.

NODUS OCTAVUS.

Voluit Ordo Prædicatorum, ut Vniverſitas Salmanticenſis faceret ſtatutum, vel fecit de facto, *tenendi ac defendendi in ſcholaſticis controverſijs tantummodò opiniones, ſeu doctrinam Sancti Thomæ.* Reclamârunt Religiones, & præçipuè Franciſcana dicens: Quòd hoc eſſet expreſſam injuriam facere doctrinis aliorum Doctorum, præcipuè Sancti Bonaventuræ (qui etiam eſt Doctor Eccleſiæ, ſicut Sanctus Thomas) Alexandri Alenſis, Scoti, &c. Huic objectioni reſpondent Doctores Salmanticenſes: Quòd ſi ex ſtatuto & juramento ſequelæ doctrinæ Sancti Thomæ irrogetur injuria alijs doctrinis & Doctoribus; hanc injuriam non Doctores, nec Vniverſitas, ſed illam irrogaſſet Vrbanus V. *Quia præceperat Academiæ Toloſanæ, ut hærêret doctrinæ Sancti Thomæ, & illam pro viribus ampliaret.* Et præcipiendo Summus Pontifex, quòd Academia illa hærêret doctrinæ Sancti Thomę, apertè, clarè, & expreſsè excluſit omnes alios Doctores Eccleſiæ, & ab ipſorum doctrinis, præcepto illo formali Apoſtolico avertit omnes ſcholaſticos. Si autem ex hoc redundat injuria & injuſtitia contra alios Doctores, imputandum eſt Summo Pontifici. Iſte eſt diſcurſus Salmanticenſium, ut ſuprà manet poſitus; & licet ſit peſſimè illatus, illum admittimus, & quòd commendare doctrinam unius ſit cum injuria, & ignominia repellere doctrinas aliorum. Ex hoc recepto paradoxo pro doctrina Sancti Thomæ conficitur Nodus iſte: An quia Vrbanus V. cum injuria, injuſtitia, & ignominia repulit doctrinas Sancti Bonaventuræ Doctoris Seraphici, & Joannis Scoti Doctoris Subtilis: in quibus uno ictu extraxit duos pulcherrimos oculos Familiæ Seraphicæ; Fratres Minores dixerunt vel ſcripſerunt aliquid contra Vrbanum V.? Exiſtimo quòd in tota litteratura Ordinis Minorum (quid nobilius ſit eſſe Doctorem Seraphicum an Angelicum non diſputo) non inveniatur unicum verbum contra Vrbanum iſtum, aut ejus Pontificiam dignitatem. Et quia Sixtus IV. non cum ignominia, injuſtitia, vel injuria opinionis minùs piæ, ſed cum ſumma æquitate, & æqualitate in ſuis Extra-vagantibus, *Grave nimis*, ponderavit utramque ſententiam, dicendo & judicando æqualiter, eſſe propabiles, nullam eſſe hæreticam, & unumquemque poſſe eligere, quam ſibi placuiſſet: quid non eſt excogitatum? quid non eſt dictum? quid non eſt ſcriptum contra Sixtum IV. & ejus ſupremam auctoritatem? Potuit Summus Pontifex Vrbanus exaltare doctrinam Sancti Thomæ, excludendo & reijciendo à ſcholis omnes alias doctrinas Sanctorum, & claſſicorum Doctorum; & non potuit Summus Pontifex Sixtus, ſine crimi-

Digitized by Google

crimine hæreticali,materiali, vel formali, æquare ſententiam de puritate, innocentia, & immunitate ſacratiſſimæ Dei Matris MARIÆ, cum opinione Sancti Thomæ (non eſt Sancti Thomæ ſolùm,ſed dicitur eſſe Sancti Thomæ) de ejus macula, peccato, & immunditia? Dum de iſtius Nodi ſolutione cogitatur, alius ex eiſdem fundamentis fabricatur.

NODUS NONUS.

Approbando & recipiendo Vrbanus V. doctrinam Sancti Thomæ, ſeu commendando illam Toloſanis, rejecit & excluſit doctrinas omnium aliorum Doctorum. Recepit Summus Pontifex Sixtus IV. quod jam tota Eccleſia antea receperat, ſententiam, ſcilicet, Immaculatæ Conceptionis in Breviario, Miſſali, Officio, & Feſtivitate; & non quomodocumque, ſed omittendo totalitèr vocem *Sanctificationis*, & opinionem minùs piam, quam etiam poſteà expreſſis verbis Paulus V. Pontifex Maximus prohibuit, & excluſit ab omnibus actibus publicis concionum, atque concluſionum, &c. Deinde Gregorius XV. eâdem auctoritate Apoſtolicâ totalitèr rejecit à libris Eccleſiaſticis Ordinis Prædicatorum (quia in alijs non erat, nec umquam fuit) eamdem vocem, *Sanctificationis*: & hâc excluſâ, illius loco introduxit, cum voce, *Conceptionis*, Officium Eccleſiæ univerſalis. Et his omnibus non obſtantibus dicitur, affirmatur, & defenditur: quòd rejecta ab Eccleſia, excluſa auctoritate Apoſtolicâ, reprobata, & non admiſſa ſit ſententia pia de Immaculata Conceptione. Intelligamus hoc amore Dei, quid ſcilicet, plantetur, vel quid ædificetur? Quòd Summus Pontifex Vrbanus V. præceperit, ut Toloſani hærerent doctrinæ S. Thomæ, & ad illam ampliandam operam darent: ſolùm ex hoc doctrina manſit approbata,recepta,& admiſſa, non tantùm pro illa Academia, ſed pro omnibus totius mundi, ut infrà videbimus: & cùm non unus Summus Pontifex, ſed omnes quotquot fuerunt in Eccleſia Dei à tempore Sixti IV. non præceperint ſolùm, ut alij inhærerent, ſed ipſi priùs adhæſerint; nec mandaverint, ut alij illam amplificarent; ſed ipſimet illam amplificaverint,Officio,indulgentijs, Feſtivitate, varijs & innumerabilibus privilegijs, & quidem cum totali excluſione oppoſitæ opinionis: & ſententia iſta, quia pertinens ad puritatem,innocentiam,& honorem Virginis MARIÆ amplexata,& amplificata ab ipſamet Sede Apoſtolica, manet excluſa, & rejecta; & doctrina Sancti Thomæ, cum quatuor verbis unius Summi Pontificis eſt introducta, approbata, admiſſa, & recepta. Ergò inter Virginem MARIAM & Sanctum Thomam, inter illius puritatem & iſtius doctrinam, conceptum ventris Matris & conceptum mentis Doctoris, nec ſervatur juſtitia diſtributiva, nec ſaltem paritas, & æqualitas. Et hinc jam ſumus in majori.

Digitized by Google

Nodus decimus.

Dicunt Doctores Salmanticenſes: *Tunc verò amplificatur, cùm omnes eam tuentur.* Doctrinam Sancti Thomæ tuetur Religio Prædicatorum; ſed adhuc non eſt amplificata: tuentur eam aliquæ Religiones, & multi ſæculares; & adhuc non eſt ſufficienter amplificata: quia doctrina illa talis eſt, quòd niſi ab omnibus, & à cunctis, nullo dempto, defendatur, non ſit, ut meretur, amplificata: debet enim ab omnibus in communi & particulari, Religionibus, Academijs, & Eccleſijs defendi, ſub jurejurando, & ſtatuto inviolabili, ut juxta mentem Summi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ intentionem ſit ſufficientèr amplificata. Et hæc de uno Funiculo. De altero verò: Sententia Immaculatæ Conceptionis ſervatur ab omnibus Eccleſijs, Academijs, Religionibus, communitatibus, in communi & in particulari ſub jurejurando, voto, & ſtatuto; & ut compleatur hæc univerſalis, omnes ſequuntur piam ſententiam, ſolùm deeſt Religio Prædicatorum; & cum hac manebit ab omnibus, & omnibus modis amplificata. Sed ſacra illa Religio, atque Reverendiſſimi illi Patres quomodò poſſunt abeſſe ab hàc ampliatione, quia ipſa, & ipſi plùs addicti ſunt Beatæ Virgini, quàm Angelico Doctori: & ipſa, & ipſi plùs debent diligere puritatem, innocentiam, & munditiam Beatiſſimæ Mariæ, quàm doctrinam, ſcientiam, & opiniones D. Thomæ? Ipſa, & ipſi tuentur, clamant, & defendunt ampliationem doctrinæ Sancti Thomæ, quæ minùs eſt: ergò clamabunt, defendent, & amplificabunt quod magis ipſorum intereſt; & ſi alitèr fecerint, Nodus manet indiſſolubilis: quia cæteris paribus, immò non paribus, plùs diligitur doctrina Doctoris Eccleſiæ, quàm puritas Matris Dei: & quando volunt, quòd propter Sanctum Thomam major, & tota unitas Eccleſiæ ſequatur minimam ſuam partem; nolunt pro Matre Dei, ut minima eorum pars ſequatur totum corpus Eccleſię. Exiſtimo, quòd iſtius Nodi non quærent ſolutionem.

Nodus undecimus.

Alius Nodus, qui ab humero, & ſurſum excedit præcedentes, continetur in verbis illis Salmanticenſium: *Non eſt, inquiunt, ingrata Academia Salmanticenſis ex eo, quòd relìget omnes alios Doctores à ſua ſchola, & tantùm amplectatur & tueatur doctrinam Sancti Thomæ: quia gratitudo ſolùm debetur ei, qui præbuit aliquod beneficium, non autem illi, qui dat damnum: nullum autem beneficium, ſed multa damna recipiunt ſcholæ ex doctrina aliorum Doctorum ſcholaſticorum; & à ſolo S. Thoma accipit beneficium abſque ullo damno: ergò non eſt ingratitudo ſcholæ Salmanticenſis relinquere, & excludere omnes alios Doctores.* Hoc eſt argumentum in forma deductum à Salmanticenſibus, ex verbis Urbani Summi Pontificis. Major eſt per ſe nota, inquiunt, in Fide Catholica: quia

quia non eſt ingratus ille, qui reſpuit & dejicit malefactorem; ſed tantùm ille, qui terga vertit, vel non ſequitur ſuum benefactorem. Minorem, in qua eſt difficultas, probant ſic: omnes alij Doctores ſcholaſtici in doctrina ſua habent aliquem, vel aliquos errores, deceptiones, improbabilitates, falſitates ſaltem ſpeculativas; & ſic ex lectione ſuarum doctrinarum maximum damnum ſequitur ſcholaſticis: quia ſi eſt defectus aliquis in doctrina, neceſſe eſt etiam, ut ſit in diſciplina; in hoc enim diſtinguuntur, quia tradita à Magiſtro eſt doctrina, & recepta à diſcipulo eſt diſciplina: quare non eſt ingratitudo, ſed ſumma juſtitia relinquere alios Doctores, ut doctrinâ ſuâ non maculent diſcipulorum diſciplinam; & ſumma juſtitia eſt proſequi ſolùm doctrinam Sancti Thomæ, in quâ nullus error, nulla deceptio, nulla falſitas, nihil improbabile, nihil repreheníione dignum; unde non fuit ingrata Univerſitas rejiciendo alios Doctores, & recipiendo ſolummodò Doctorem Angelicum. De hac præcipitatione Doctorum Salmanticenſium non curamus; judicent de illa alij qui poſſunt; nam ego pro nunc admitto illam, ut enodemus doctos in ſcientia ſua. Ideò Sancti Thomæ doctrina eſt amplectenda, & ſub jurejurando defendenda, quia in eâ nulla eſt macula, in alijs verò ſic: ergò poſitâ opinione minus piâ, & ſententiâ magis piâ, licet illa eſſet Sancti Thomæ, non eſt ſequenda: quia opinio illa habet culpam & maculam; ſententia verò magis pia excludit, & relegat à ſe omnem culpam, maculam, & peccatum, & ex hac parte magis conformis eſt doctrinæ Sancti Thomæ. Et hæc de ſententia. Sed ampliùs progrediendo: doctrina Sancti Thomæ ſolùm inter Doctores ſcholaſticos eſt ſequenda: quia in illa tantummodò reperitur veritas, & nihil ineſt minùs certum, error nullus, deceptio, aut falſitas quantumcumque levis, quæ decipere poſſit intellectum practicum, vel ſpeculativum; ſicuti undique perfecta, Sancta, pura, &c. Hæc omnia docentur, fatentur, & defenduntur verbis, operibus, & ſcriptis in ſcholis, libris, & colloquijs de doctrina Sancti Thomæ. Et de Beatæ Virginis originali innocentia, quid dicunt? Omnia è contrario: quòd in ea fuerit macula, culpa, peccatum, error non ſolùm poſſibilis, ſed de facto: puriorem igitur prædicant, & admittunt doctrinam Sancti Thomæ, quàm Dei Matris Conceptionem: quia in illa, nec in principio, medio, aut fine fuit, nec eſt, nec erit minimus aliquis defectus; & in Virgine Dei Matre ſtatim in ipſo ſui exordio, & principio fuit defectus, lapſus, & caſus. Saltem quod conceditur Doctori in doctrina, non concedetur omnium Matri in innocentia, & puritate? Neſcio quid ſentiendum ſit de Nodo iſto.

NODUS DUODECIMUS.

Quia

Quia Sanctus Thomas eſt ſecutus veſtigia Auguſtini in doctrina, eſt ſecundus Auguſtinus; & per conſequens, qui omnibus alijs Doctoribus ſcientiæ, & ſapientiæ viam aperuit, *Quia in parte ſcholaſtica omnes Sanctum Thomam elucidant*. Nota illam univerſalem, *Omnes*: de qua interrogo: an habeat exceptionem, nec ne? De affirmativa non eſt dubitandum, quia Scotus, Henricus de Gandavo, & Durandus cum multis alijs non elucidant doctrinam Sancti Thomæ, quin potiùs ipſam impugnant. En quomodò particula univerſalis, *Omnes*, dicta abſolutè, collectivè, & univerſaliter habeat, & admittat exceptionem: & in illa univerſali: *Omnes in Adam peccaverunt*, nullam velint invenire, nec admittere exceptionem. Illa exceptio poſita in doctrina Sancti Thomæ eſt evidens, & hæc exceptio quia eſt pro innocentia Virginis Dei Matris, nec ut probabilis, admittitur. Sed tranſeamus ad principalem ſcopum: Per doctrinam Sancti Thomæ, quæ per tot annorum curricula, ut inquiunt Doctores Salmanticenſes, generali applauſu Academiarum pro principe honorata eſt, Eccleſia Dei ſemper eſt ſecura, ut alibi dicunt, &c. Quomodò Doctrinâ Sancti Thomæ Eccleſia, quæ diffuſa eſt per totum terrarum orbem, in capite & in membris, in matre & in filijs ſemper eſt ſecura, & tuta ab invaſionibus Dæmonum, ab impetu tyrannorum, ab hæreticorum oppugnationibus, & omnium aliorum inimicorum inſidijs? Quia doctrinâ Sancti Thomæ protegitur, & defenditur, &c. Et Virgo MARIA protecta à Patre æterno, quia filia; à Verbo Divino, quia Mater; à Spiritu Sancto, quia Sponſa; non fuiſſet ſecura, ſed impugnata, victa, & dejecta ab uno ſolo tyranno & inimico peccati originalis? Cum doctrina Sancti Thomæ Eccleſia ſemper eſt ſecura, & cum doctrina Sancti Thomæ Virgo MARIA Mater Dei non ſemper eſt ſecura. Quare impugnatur ſententia? Quia doctrina eſt contra ipſam: ergone puritas Matris non pertinet ad Eccleſiam? Et ſi hoc non eſt dicendum, immò neque imaginandum tale abſurdum; dicamus quòd doctrinâ Sancti Thomæ etiam Virgo MARIA ſemper ſit ſecura; ſi ſemper, ergò etiam in inſtanti ſuæ Conceptionis: Doctrina Sancti Thomæ ſtat pro ſecuritate Eccleſiæ; gratia Dei pro ſecuritate MARIÆ: doctrinâ ſemper eſt tuta Eccleſia, & quòd ipſâ doctrinâ velint oſtendere, non ſemper MARIAM gratiâ ſecuram: ergò doctrina pugnat cùm gratia; & doctrina Sancti Thomæ antecellit gratiam Dei, quia doctrina ſemper defendit Eccleſiam, & doctrinâ ſemper fuit tuta Eccleſia; & gratia non ſemper cuſtodivit MARIAM, nec gratiâ MARIA ſemper fuit ſecura à doctrina. Cum doctrina Sancti Thomæ ſemper eſt ſecura Eccleſia, non ſolùm fuit, & erit, ſed ſemper eſt de præſenti: hoc eſt, ita ſecura ut in omni tem-

poris momento, & inſtanti ſit vèrum dicere pro hic & nunc: doctrinâ Sancti Thomæ Eccleſia eſt ſecura. Hoc dictum à Doctoribus Salmanticenſibus eſt verum; & illud decantatum à Spiritu Sancto, ſcripturâ, Eccleſiâ, Sanctis Patribus, & toto mundo de Beata Virgine MARIA: *Tota pulchra es* MARIA, *& macula non eſt in te*, licet cum duplicato tempore præſenti, *es*, *& eſt*, non verificatur pro omni temporis inſtanti, ſed ſolùm pro tempore Incarnationis, vel poſtquàm fuit Sanctificata. Et quare tanta differentia in eodem verbo ſubſtantivo, *eſt*? Eſt, quia illud, *eſt*, eſt pro doctrina Sancti Thomæ, & pro illa eſt quid univerſale attingens à fine uſque ad finem fortiter. Et hoc, *eſt*, à Spiritu Sancto prolatum, eſt pro puritate, & innocentia Virginis MARIÆ; & ſic eſt particulare non attingens à principio uſque ad finem. Et Nodus iſte critne ſolubilis?

NODUS DECIMUS-TERTIUS.

Doctrina Catholica eſt, & pro laude doctrinæ ſui Angelici Doctoris adducta à Salmanticenſibus: *Quòd qui ſe exponit periculo errandi, aut peccandi peccat juxta materiæ qualitatem*. Nam ſi ſe exponit periculo errandi, vel peccandi graviter, errat vel peccat mortalitèr; & ſi ſe exponit periculo errandi, vel peccandi venialitèr, venialitèr peccat vel errat. Undè homo non ſolùm tenetur ſe retrahere ab ipſo peccato, & errore, ſed etiam ab occaſione, & periculo errandi, vel peccandi: ideò Salmanticenſis Academia fecit ſtatutum ſub jurejurando de ſequenda doctrina Sancti Thomæ, ut mediante illâ ſe liberaret non ſolùm à peccato, & errore actuali, ſed etiam à periculo errandi, & peccandi: quia doctrina Sancti Thomæ non tantùm eſt in ſe libera ab errore, & peccato; ſed etiam liberat alios ab errore, & periculo ipſo errandi, ſeu peccandi. Hucuſque Salmanticenſes. Sed (proh dolor) quòd hoc ipſum, quod fecit ſecundùm ipſos doctrina Sancti Thomæ, ſervare, ſcilicet, non ſolùm à peccato & errore, ſed etiam à periculo peccandi & errandi, nullo modo, nec ſecundùm totum, nec ſecundùm partem potuerit componere pro Sacratiſſima Virgine Dei Matre MARIA Sapientia, & Omnipotentia Divina juxta opinionem illorum, nec executioni mandare. Hæc eſt regula: doctrina Sancti Thomæ non ſolùm ab errore, & peccato liberat, ſed etiam ab ipſomet periculo peccandi & errandi: liberat enim à peccato, & aufert cauſam peccati, hoc eſt liberat ſimul, & præſervat à peccato, & à periculo errandi. Et juxtà hanc regulam præſcriptam in doctrina Sancti Thomæ, tota Plenipotentia Dei infinita, & gratiæ Spiritus Sancti plenitudo non potuerunt, vel potuit liberare MARIAM in ſua Conceptione à periculo errandi, vel peccandi? Abſit: quia hoc eſt liberare MARIAM à debito & cauſa, & eſſet blaſphemum & hæreticum. Sed tranſeat hoc,

Digitized by Google

& accedamus ad aliud : ergò ſaltem liberavit MARIAM ab ipſo errore, peccato,& caſu actuali. Quod habuit doctrina pro ſe, & pro alijs, non concedetur MARIÆ pro ſe? Neque hoc, quia eſt contra doctrinam S.Thomæ; & en Nodus : quòd doctrina ipſa liberet à periculo & peccato, conceditur libentiſſimè, immò & defenditur, quia eſt pro laude Sancti Thomæ : & ex his duabus excellentijs, nec ſaltem unam volunt concedere ſacratiſſimæ Dei Matri MARIÆ. Et quando ſolvetur Nodus iſte?

NODUS DECIMUS QUARTUS.

Juramentum defendendi doctrinam Sancti Thomæ (dicunt Doctores ſæpè citati) cedit in Chriſtianæ Reipublicę utilitatem,in honorem & decorem Angelici Doctoris; dabit Regno pacem, & tranquillitatem; ac denique eſt præbêre bonum exemplum omnibus Chriſticolis; & hinc laudabile,& juſtum, &c. Quos interrogo: Et jurare defenſionem puritatis Virginis MARIÆ, & ejus præſervationem à peccato ceditne in utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ, vel potiùs in detrimentum? Pertinetne ad honorem & decorem Virginis MARIÆ, vel eſt dehonorare ipſam, & Filium ejus? Quomodò ergò dicitur, quòd facere talia vota & juramenta nec ſit laudabile, nec juſtum, nec ſanctum; ſed injuſtum, & maximâ pœnâ dignum? Sed de hoc infrà. Et quia (proſequuntur Salmanticenſes) Summus Pontifex Urbanus V. dixit Toloſanis; *Vobis injungimus, ut dicti Beati Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini; hoc univerſæ Eccleſiæ æquum viſum eſt.* Nota hæc verba: quia univerſa Eccleſia approbavit ut æquum dictum, ſeu privilegium Sancti Thomæ ab Urbano V.ſuæ doctrinæ conceſſum, ſcilicet, quòd ſit Catholica & vera : pro ſententia verò Immaculatæ Conceptionis, quòd mandatum & conſtitutum à viginti Summis Pontificibus in primo Nodo relatis,omnibus fidelibus uſque modò univerſæ Eccleſiæ non æquum viſum eſt: quia non æquum viſum eſt PP. Prædicatoribus. Item hoc, quod eſt ſequi doctrinam S.Thomæ, æquum, & ſanctum,ac juſtum viſum eſt *multis Religionibus*, quæ ſuis ſtatutis ordinarunt eam ſequendam eſſe, & legendam: at multæ iſtæ Religiones ſunt tantummodò duæ, ſcilicet,Societatis JESU, & Carmelitarum Excalceatorum; & iſtæ duæ ſuntne multæ? Sed etiam nota, quòd iſtæ duæ excipiant pariter expreſſis verbis ſententiam de Immaculata Conceptione. Et ſi eſt laudabile, juſtum, & ſanctum ſequi doctrinam Sancti Thomæ,quia Religio Prædicatorum cum alijs duabus id ſtatuerunt in ſuis conſtitutionibus; quomodò non eſt laudabile, juſtum, & ſanctum,quod viginti Summi Pontifices laudant ut juſtum,pium,& ſanctum, in pluſquàm centum quinquaginta conſtitutionibus & Bullis; & ſimul omnes Religiones, Eccleſiæ, Univerſitates, atque communitates, unicâ

unicâ Prędicatorum exceptâ, ſequuntur, profitentur, & jurant? Item ſi graviter offenditur auctoritas doctrinæ Sancti Thomæ, quòd defenſio illius, ſicut ab Academia Univerſitatis Salmanticenſis, non defendatur & juretur ab alijs; quare & non graviter offendetur puritas & innocentia Beatæ Virginis MARIÆ (quę ab omnibus Eccleſijs, ac Vniverſitatibus tenetur) quòd non defendatur, quin potiùs impugnetur ab una ſola Religione Prædicatorum? Item impugnare, vel non defendere doctrinam Sancti Thomæ eſt dare gloriam hæreticis; & non defendere, ſed potiùs impugnare immunitatem à peccato Virginis Dei Mâtris, non eſt dare gloriam hæreticis? Per omnia iſta transîmus leviter, licet exactiùs ponderata non levia inſinuarent; ſed alia majoris momenti nos expectant.

NODUS DECIMUS-QUINTUS.

Dicunt ipſimet Salmanticenſes in altera clauſula: quòd, cùm perveniſſet ad notitiam Vrbani V. quanta perſecutio excitata fuiſſet contra doctrinam Sancti Thomæ, præceperit ſpeciali reſcripto Academiæ Toloſanæ, ut illius profeſſores legerent, & docerent doctrinam Doctoris Angelici, & quòd, licet hoc reſcriptum ad ſolam Academiam Toloſanam fuiſſet directum, *tamen reſpectu Salmanticenſis vim legis haberet*, quia in utraque eadem ratio & cauſa militat; & cùm caſus ſint adeò pares, juri conſonum eſt, ut præceptum Apoſtolicum Urbani extendatur etiam ad Academiam Salmanticenſem. Aliquid ampliùs addit Pater Joannes à Sancto Thoma dicens: quòd hoc prçceptum Urbani extendatur ad omnes Vniverſitates. Hucuſque ſcriptores illi pro doctrina ſui Angelici præceptoris. In quibus obſervandum eſt præcipuè illud: ut reſcriptum, ſeu præceptum de ſequenda doctrina Sancti Thomæ, expeditum à Summo Pontifice pro Vniverſitate Toloſana exiſtente in Gallia, haberet vim legis pro Vniverſitate Salmanticenſi in Hiſpania; & ut ad iſtam etiam extenderetur ut lex & præceptum, ſufficiens fuit quòd una eſſet Academia, & altera Academia; nam alia affinitas, ratio, ſeu cauſa connexionis inter utramque nulla fuit, nec eſt. Et hæc ratio non fuit dicta à quolibet ſcriptore particulari, ſed à novem Doctoribus Salmanticenſibus, Theologis, & Canoniſtis, & alio ex inſignioribus totius ſuæ Religionis ſcriptore; ſed tranſeant, & admittamus illa, ſicut admiſimus alia hujuſmodi. Unio igitur, & connexio facta eſt, quia vinculum utriuſque fuit ſequela doctrinæ Sancti Thomæ, & ſic præceptum extenſum extat, & vim legis & præcepti habuit pro utrâque. Et inde deduco quaſi ex antecedenti: ſi hæc pro doctrina Sancti Thomæ fuit ſufficiens cauſa & ratio, ut pari modo extenderetur præceptum, & haberet vim legis uniendo res adeò inter ſe diſtantes & diſparatas, ut ſunt Aca-

demia Toloſana, & Salmanticenſis; quare Decreta, Conſtitutiones, Bullæ, gratiæ, indulta, & alia hujuſmodi conceſſa, non ab uno, ſed à viginti Summis Pontificibus pro puritate Sacratiſſimæ Dei Matris in ſua Immaculata Conceptione, univerſalitèr pro tota Dei Eccleſia, Fidelibus, Religionibus, &c. non potuerunt hucuſque extendi ad unicam ſolam Religionem? Pro doctrina Sancti Thomæ, quod conceditur uni gratiosè, dicitur obligare omnes: & pro Virginis puritate quod præceptum eſt omnibus non potuit ligare, aut ſaltem allicere, aut inclinare unicam Religionem? Sed relictis materialibus, ſit

Nodus decimus-sextus.

Lex lata, præceptum, vel conſilium pro Univerſitate Toloſana debuit extendi ex jure ad Univerſitatem Salmanticenſem, quia habent affinitatem in ratione Academiæ: & nónne majorem paritatem, & affinitatis vinculum habuerunt Filius & Mater, Chriſtus & Maria, ſponſus & ſponſa? igitur ſi Chriſtus Filius habuit juſtitiam originalem, & fuit conceptus ſine peccato; quare hoc non extenditur etiam, & habebit vim legis reſpectu Matris ſuæ? Si paritas adeò longiſſima & univerſaliſſima ſtudij, fuerit ſufficiens cauſa, & ratio pro extenſione ad iſtas duas Academias: quare hoc non conceditur unitati Matris, & Filij? Quia ſi caro Chriſti fuerit pura, munda, ab omni peccati ſorde & macula aliena (caro Mariæ caro fuit Chriſti, ut ſæpè repetunt Sancti Patres) potuitne doctrina Sancti Thomæ efficere pluſquàm Spiritus Sanctus potuit inter Matrem & Filium, carnem deciſam & carnem remanentem, ſanguinem datum & ſanguinem receptum? Quæ prout à Matre erat caro Mariæ, & prout in Filio caro Chriſti, ut ſuprà dicebant Salmanticenſes de ſua doctrina, *quæ prout data à Magiſtro dicebatur doctrina, & prout recepta in Diſcipulo, diſciplina*: Unde concludebant: quòd, cùm doctrina Sancti Thomæ inter omnes alias doctrinas eſſet prorsùs ſine ullo errore, vel defectu ſaltem minimo; hæc recipienda, & admittenda foret tantummodò in ſcholis, ut diſciplina in diſcipulis eſſet eodem modo pura, & ſine ullo prorsùs errore, vel defectu. Hoc ergò, quod concedunt doctrinæ Sancti Thomæ, quare non admittunt in carne Virginis? Et argumentum factum ab ipſis à poſteriori pro doctrina Sancti Thomæ, ſaltem eodem modo concedant pro puritate carnis Virgineæ. Argumentum ipſorum hoc eſt: ut diſciplina recepta in diſcipulo ſit pura, & ab omni prorsùs errore & defectu aliena, neceſſarium eſt ut priùs in Magiſtro ſit doctrina pura, & ab omni prorsùs errore aliena. En idem argumentum pro carne Virginis: Verbum æternum decrevit habere, & de facto habuit carnem puram, & ab omni prorsùs peccato alienam à Maria:

ergò

ergò neceſſarium erat, ut in ipsâ caro eamdem puritatem haberet: quia aliàs, contra ipſorum principium, poſſet eſſe diſciplina pura in diſcipulo, quin doctrina eſſet pura in Magiſtro. Res equidem mira videtur, quòd Theologi, & Canoniſtæ tam facilè & expeditè invenerint cauſam & rationem conſonam juri, juſtitiæ, & æquitati ad componenda adeò oppoſita, diſtincta, & repugnantia, ut Summi Pontificis Vrbani V. reſcriptum, Bullam, mandatum, præceptum, ſeu privilegium conceſſum Academiæ Toloſanæ, per extenſionem dirigeretur ad Academiam Salmanticenſem, & ad alias totius mundi, quia hoc erat pro doctrina S. Thomę: & quòd, cùm defenſores opinionis ſententię pię extendunt privilegium immunitatis Filij à peccato originali ad Matrem, Theologi intra eamdem doctrinam Angelicam exiſtentes clament, & vociferentur extenſionem iſtam eſſe contra omne jus, rationem, diſcurſum, juſtitiam, æquitatem, immò & Fidem. Unde id ipſum quod ædificant in doctrina Sancti Thomæ, deſtruunt in puritate Virginis Mariæ, & evellunt ab iſta, quod non verè ſatagunt plantare in illa. Et ſi quærimus rationem & cauſam, nullam inveniemus, neque aſſignabitur ulla, niſi quòd doctrina S. Thomæ non ſit alligata legibus communibus, & ſententia puritatis Virginis Mariæ debeat eſſe ſub lege, quamvis ſit peccati: & privilegium conceſſum doctrinæ Sancti Thomæ nec pro Virginis, nec cum Virginis puritate debet eſſe commune. Si iſte eſt Nodus ſolubilis, judicet alius.

Nodus decimus septimus.

Verba ſequentia Doctorum Salmanticenſium ſpecialiorē continent Nodum. Dicunt enim quòd, licet gratis concederent Vrbani V. Decretum, non eſſe formale præceptum Apoſtolicum, *ſed tantùm quoddam conſilium paternum*; tenebatur Academia Salmanticenſis ſequi, obedire, & parêre conſilio illi Apoſtolico, licet tunc tantummodò miſſum eſſet ad Toloſanos: quia in materia doctrinæ S. Thomæ levia conſilia expedita pro Gallia, poſt trecentos annos obligant, ut præcepta ſtrictiſſima in Hiſpania: unde propter illud conſilium datum Toloſanis tenebantur ad illius obſervantiam ſub ſtatuto, & jurejurando Magiſtri, & ſcholaſtici Salmanticenſes. Et addunt, quòd, ſi contra hoc quiſquam aliquid dixerit, evidentèr carpat cauſam Eccleſiæ Dei, detrahat Summo Pontifici, & ejus conſilio deroget Apoſtolico, & denique, *calumnietur præceptum Divinum:* Quia conſilium Apoſtolicum, & ſequela doctrinæ S. Thomæ ſunt idem, & quaſi termini convertibiles; quare qui impugnant ſequelam, pariter videntur Decretum Apoſtolicum infringere, & vice versâ. Tot reſultant ex verbis Salmanticenſium innodationes, ut verè neſciamus, ad quam illarum manum porrigamus: magna enim myſteria

Digitized by Google

ria continentur in illa parvula clauſula Urbani V. ſæpè repetita. Continetur ſtrictiſſimum præceptum non ſolùm pro Toloſanis, ſed etiam pro Salmanticenſibus, & omnibus alijs mundi Academijs. Sed gratis conceſſo quòd non eſſet præceptum, eſt ſaltem conſilium obligans tunc ad ſui obſervantiam, quando eſt ſub voto & jurejurando liberè vel acceptatum, vel ſaltem ab habente ad hoc ſufficientem auctoritatem ſic impoſitum. Continet etiam approbationem formalem & expreſſam doctrinæ Sancti Thomæ, & reprobationem doctrinarum omnium aliorum Doctorum. Quid mirum? eſt pro gloria D. Thomæ. Si pro gloria D. Thomæ hoc potuit & voluit Vrbanus V. cur Sixtus IV. in quatuor decretalibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis expeditis motu proprio, certâ ſcientiâ, & ad perpetuam rei memoriam, cum alijs viginti Summis Pontificibus iſtas confirmantibus, & alias de novo concedentibus pro immunitate Virginis à peccato non potuit & voluit condere præceptum unum, vel ſaltem aliquod conſilium efficax ad obligandum Religionem Prædicatorum, ſi non ad ſequelam piæ ſententiæ, ſaltem ad eam non impugnandam? Qui dicunt, affirmant, & defendunt in communi, & quaſi pro clauſtro Vniverſitatis, quòd impugnare (non dico doctrinam Sancti Thomæ, & approbationem illius: quia hoc jam ſupponitur tamquam actus tranſactus in rem judicatam, ſed ſequelam ejuſdem doctrinæ) ſit ſeſe opponere præcepto Apoſtolico, & frangere conſilium obligatorium; quomodò carpunt, & impugnant non tantùm ſequelam piæ ſententiæ, ſed etiam ipſammet Virginis puritatem in ſua Conceptione, dicentes non fuiſſe immunem à peccato, ſed maculatam ab eo, immò & ſpurcatam? Qui hæc & alia hujuſmodi dicunt & ſcribunt, faciuntne contra aliquod præceptum, vel frangunt aliquod conſilium Apoſtolicum? Si dicant quòd ſic; habemus intentum: ſi dicant quòd non; nulla ſervatur juſtitia inter D. Thomam, & Sanctiſſimam Virginem MARIAM; neque æquitas Religioſa inter litem illius, & cauſam iſtius in foro conſcientiæ pari menſura ponderatur; neque utriuſque abſolutionem, vel condemnationem æquâ lege judicant; nam pro Sancto Thoma, qui fuit frater noſter, tota ampliatur gratia, miſericordia, benignitas, protectio, & abſolutio; & pro Virgine MARIA, quæ fuit Mater Dei, ſententia eſt mala, juſtitia non recta, rigor, pœna, & damnatio obſervantur juxta legem communem; ſiquidem pro illa, Bulla, indulgentiæ, & indulta Apoſtolica nihil omninò valent, inutilia ſunt.

NODUS DECIMUS-OCTAVUS.

Doctrina Sancti Thomæ, & ſententia præſervationis in eodem ſtadio contendunt inter ſe: quia unam juxta alteram ſtare non permittunt, nec in co-

eodem loco permanere ſinunt; ſed ut plantetur una, eradicatur alia, & deſtruunt utramque; auferunt ab una lapides, ut eos ędificent in altera; & ex una ſimplici propoſitione multa componunt in Angelica; Marianam autem nec ſimplicem volunt relinquere. Sic explico antitheſim: Clauſula Urbani V. eſt quædam commendatio habens quatuor verba ſimpliciſſima, ſcilicet: quòd doctrina Sancti Thomæ ſit Catholica & vera. Ex quibus quatuor deducunt, & componunt propoſitiones complexas. Prima eſt, quòd Sancti Thomæ doctrina ſit approbata à Sede Apoſtolica. Secunda eſt, quòd Summus Pontifex receperit & admiſerit illam ſolam docendam eſſe, & legendam in Academijs orbis, omnes alias doctrinas & Doctores rejiciendo. Tertia eſt, quòd ex præcepto, vel conſilio Apoſtolico teneantur omnes ipſam ampliare. Quarta eſt, quòd pari modò ſinguli obligentur ad ſui ſequelam. Ecce quomodò pro doctrina S. Thomæ ex una ſimplici clauſula erigantur quatuor inſignes excellentiæ, vel privilegia ſingularia, quæ in nulla alia doctrina Doctoris Eccleſię reperiuntur, nec velint quòd reperiantur: quia ipſe ſolus debet eſſe unicus, ſingularis, & extra omnem claſſem aliorum; nec aliorum doctrina cum illius comparanda, nec Angelici Doctoris cum aliorum doctrinis numeranda. Unde ejus ſapientia eſt non intra, ſed extra omnem numerum. Hoc modo ex una parte ſuper-ædificatur doctrina Sancti Thomæ; & ex altera ſententia Immaculatæ Conceptionis funditùs evertitur. Quatuor rariſſima excellentiarum privilegia fuerunt ipſi conceſſa à Sixto IV. Pontifice Maximo, in quatuor ſupra-poſitis conſtitutionibus (relictis pro nunc alijs minoris momenti) numquam alteri myſterio, vel Feſtivitati ſimul indulta. Primum, quòd ipſamet Sedes Apoſtolica ediderit pro ea Miſſam propriam, & Officium, & illud approbaverit. Secundum, quòd illi conceſſerit gratias & indulgentias conceſſas diei Corporis Chriſti Domini. Tertium, quòd damnaverit & excommunicaverit ſub æterna maledictionis pœna cenſurantes piam ſententiam, & componentes libros contra eam, tenentes, vel legentes, aut prædicantes, &c. Quartum, & ſingularitèr, quòd à tali excommunicatione abſolvi non poſſent, ſalvo mortis articulo, niſi ab ipſomet Summo Pontifice, & proprio illius ore, & tunc exprimere tenerentur cauſam, quare, vel quomodò in illam inciderint cenſuram, an componendo librum, tenendo, legendo, aut prędicando. Super his quatuor fundamentalibus angulis alij Summi Pontifices ſuper-ædificarunt multa alia pro eadem ſententia. Nam Innocentius VIII. approbavit Religionem Monialium Immaculatæ Conceptionis. Paulus V. præcepit, ut in actibus publicis ſola ſententia pia poſſet publicari. Gregorius XV. ex-

expunxit à Breviario, & Miſſali Ordinis Prædicatorum opinionem contrariam, ſub nomine *Sanctificationis* introductam, & firmiter præcepit, ut recitaretur de pia ſententia, ſub expreſſo titulo Conceptionis, ab univerſali Eccleſia recepto. Innocentius X. fecit Feſtivitatem feriatam; & ALEXANDER VII. qui nunc felicitèr regnat, ordinavit ut ſemper, & ubique poſſet dici, & appellari, *Immaculata Conceptio.* Hoc modo uſque hodiè firmitèr radicata crevit in altitudinem magnam, & ſub fundamento vero, quod dicunt eſſe falſum; quando ſuum falſum volunt ſtabilire ut verum. Et iſte non eſt Nodus?

NODUS DECIMUS-NONUS.

Aſcendendo à fundamento ad ſuperiores lapides: quòd doctrina Angelici Doctoris ſit approbata, ſit admiſſa; quòd omnis alia doctrina ſit rejecta, & ipſa recepta ut vera & Catholica; omnes ſunt lapides extracti ab ædificio præſervationis Matris Dei; ſed auferunt ipſos, nolentes quòd ſaltem maneant pares in hac parte Doctor, & Mater. Si doctrina illius eſt approbata, admiſſa, recepta, veridica, & Catholica, relinquantur ſaltem lapides iſti in ſententia puritatis Matris Dei, ubi Summi Pontifices collocarunt illos; ſed hoc non permittitur, quia nolunt ſententias illas videre æquales; & oportet ut una creſcat, & altera diminuatur, & ſententia Conceptionis nec ſit certa, nec vera, nec approbata, nec Catholica, nec Sancta, nec pura. Sanctus Thomas, & doctrina ejus ſint totalitèr extra numerum, non cum alijs creaturis, ſed ſupra omnes, nihil habentes commune cum cæteris, nec cum reliquis computabiles: At Virginis Dei Matris puritas in ſua Conceptione numeretur cum alijs omnibus, cum reliquis creaturis, immò cum peccatoribus computetur, & ut una ex illis reputetur, habeaturque. Quia Sanctus Thomas in doctrina ſua habet privilegium, & exemptionem ab illa regula generali: *Omnis homo mendax*, in qua nullum eſt mendacium, falſitas, vel aliquis minimus defectus: Virgo MARIA in ſua Conceptione non debet habere exceptionem ab illa regula generali: *Omnes in Adam peccaverunt.* Et qui ab iſta communi regula eam fuiſſe exemptam ex ſingulari privilegio affirmant; oſtendant (inquiunt omnes unâ voce) privilegium iſtud; nam aliter non credimus eis. Et ſi quærimus ab ipſis, ubi ſit privilegium Sancti Thomæ pro ſua exemptione illius regulæ generalis: *Omnis homo mendax*? cùm ſe ab iſto Nodo expedire non poſſint, illum ſcindunt dicentes Sanctum Thomam eſſe Sanctum alterius Ordinis, Prædicatorum ſcilicet, Doctorem Eccleſiæ quintum ex Dominicana familia, &c. & non indigêre, nec loqui cum ipſo illud de oſtenſione privilegij, quia in doctrina ejus continetur: & cùm ſententia de immunitate Matris Dei in ſua Conceptione non contineatur in doctrina San-

Sancti Thomæ, eam in caſſum ire debere. Si poneret Deus illam in doctrina S. Thomæ, tunc ſententia pia gauderet, ex participatione ſaltem, privilegio illius: ſed cùm non ſit poſita in ea, quod dicitur de doctrina non poteſt dici de puritate; & Nodus iſte ſecum trahit alium, & majorem.

NODUS VIGESIMUS.

In doctrina Sancti Thomæ, ſcilicet, in primo Sententiarum, diſt. 44. articulo 3. ad tertium ſic dicitur: *Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideò poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, fuit autem ſub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Ergò ſaltem propter hanc auctoritatem, & alias, à quibus nos nunc abſtinemus, repertas in doctrina Sancti Thomæ, deberet Beatiſſima ac innocentiſſima Virgo frui ipſius privilegio, quia expreſsè & clarè dicit eam fuiſſe immunem à peccato originali. Cernentes autem ex hac parte etiam Nodum indiſſolubilem, conantur illum ſolvere, dicendo, quòd S. Thomas eſſet juvenis, quando hoc ſcripſiſſet, & poſtea ſenex factus retractaſſet ſententiam. Et ecce quòd ſolvere volunt, magis innodant; & deſtruunt à fundamentis id ipſum; quod ædificare intendunt: nam volentes plantare, quòd in Sancti Thomæ doctrina nec minimus inveniatur lapſus calami, & quòd in omni vita ſua nec ſenſerit, dixerit, aut ſcripſerit verbum à veritate alienum, &c. jam loquendo de immunitate Virginis MARIÆ à peccato originali, proponunt nobis errorem, & lapſum. Ædificemus, obſecro, rectè, aut plantemus directè. Vel Sanctus Thomas in hac ſententia erravit, vel non erravit: ſi non erravit, & dixit veritatem, ergò Virgo MARIA fuit immunis à peccato originali ſecundùm illius doctrinam: ſi erravit, & lapſus eſt, ergò Sancti Thomæ doctrina non eſt exempta ab illa univerſali, *Omnis homo mendax*, & enumerandus erit cum omnibus alijs Doctoribus, & per conſequens erit falſum illud, de quo infrà Nodo IV. principali. *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris, exceptâ canonicâ, habet veritatem ſententiarum, &c.* Et illud Nodi principalis XI. Sanctus Thomas ſcripſit *ſine ullo prorſùs errore.* Sicut & illud poſitum in primo Nodo principali quòd Sanctus Thomas *nec retractavit aliquid, nec habuit opus retractatione.* Qui in una ſententia, & pro Dei Matre, & Angelorum Regina, & in materia illius puritatis, candoris, & innocentiæ ſic erravit; quid ageret cum Ariſtotele, Petro Lombardo, Boëtio, Dionyſio, & Græcis, &c? Et ſi in alijs omnibus non erravit, ſed tantummodò in hac unica ſententia de immunitate Virginis, ita ut opus fuerit illam retractare; res admirabilis, prodigioſa, & ſtupenda proponitur nobis, ſcilicet, quòd Diſcipuli, & ſectatores Angelicæ do-

ctri-

ctrinæ in ſeptendecim tomis, & centum ſeptuaginta tractatibus, & opuſculis, quæſtionibus, articulis, & reſolutionibus ſine numero ſolùm invenerint unicum tantummodò errorem in primo ſententiarum, videlicet iſtum: *Virgo* MARIA *fuit immunis à peccato originali*. Hîc certè quò me vertam neſcio. O Sacratiſſima Mater Dei! ſi ad te? Video, quòd cùm in omnibus operibus, ac doctrina Sancti Thomæ ſolùm fuerit unicus error, iſte ſecundùm Patres Thomiſtas ceciderit ſuper Conceptionem tuam; ut non tantùm haberet Conceptio illa culpam à Diabolo, ſed etiam errorem à D. Thoma. O Doctor Angelice! parùm debes Diſcipulis tuis: ſiquidem ipſi affirmant te erraſſe in primo conceptu adæquato, id eſt, in primo ſententiarum, & te condemnant in puncto illo de immunitate, in quo totus mundus te defendit. O Sacra Prædicatorum Religio! quæ juſtè defendis Sanctiſſimum preceptorem tuum, & admittis ut primum principium: ubi errat doctrina Magiſtri, neceſsè eſt, ut erret diſciplina Diſcipulorum: quare in iſtis propter unam particularem propoſitionem pertinentem ad puritatem Dei Matris permittis falſificari univerſalem propoſitionem, quam plantare & ædificare intendis; & non clamas, quòd in puritate, gratia, & immunitate Matris Dei impoſſibile fuerit Angelicum Doctorem erraſſe? O Seraphica Minorum Familia! defende immunitatem Matris Dei derelictam à primis filijs, & paritèr defende Filium impugnatum à Fratribus ſuis, quia nec ipſe erravit in ſuo primo, neque in ſuo tertio.

NODUS VIGESIMUS PRIMUS.

Doctores Salmanticen. dicunt quòd ſine dubio doctrina Sancti Thomæ ſit *Sana, tuta, approbata, & libera ab erroribus, quibus aliorum Doctorum doctrina expoſita eſt*: Et quòd ipſa inermis, & nuda ab omni alia doctrina bellum cum hæreticis agat, tamquam *Regula*, *& via tuta veritatis, quam ſequi tenentur, &c.* Et cùm hæc omnia dicant, & teſtificentur eſſe certa, ſine dubio tenenda, & recipienda de doctrina Sancti Thomæ; ex omnibus iſtis nec unum volunt concedere ſententiæ immunitatis, ſeu puritatis Virginis MARIÆ. Nam de ipſa dicunt non eſſe ſanam, ſed nimis infirmam, & debilem: nec eſſe tutam, ſed periculoſam in Fide: nec approbatam, ſed reprobatam & excluſam: nec liberam ab erroribus, ſed plenam erroribus: ſiquidem ab illa emanant quinquaginta-octo errores magni, maximi, blaſphemi, & ſcandaloſi. Item cùm tota doctrina Sancti Thomæ ſit non ſolùm regulata à veritate, & recta incedens per viam veritatis, ſed ipſamet regula, & via veritatis in abſtracto; ſententia de puritate, & Virginis innocentia nec eſt regulata veritate, ſed ambulat per viam mendacij. Doctrina Sancti Thomæ per ſe ſola, nuda & inermis dimicat cum om-

omnibus hæreticis, & ipſos dejicit, vincit,& ſupplantat;& ſententia præſervationis Virginis tot loricata & armata Summorum Pontificum Bullis, Decretis, favoribus, indulgentijs non potuit vincere, (quid eſt vincere?) ſed nec allicere aut inclinare non hæreticos, ſed Catholicos, & ipſius Virginis ſingulariſſimos devotos ad ſui ſequelam. Si hoc procedit ex parte objecti, vel ſubjecti, Nodus eſt non tangendus: & ſic tranſeamus ad alium parallelum inter doctrinam Sancti Thomæ, & ipſam Virginem Dei Matrem. Dicunt igitur de iſta, quòd ſine dubio ipſa non fuerit ſana in ſua Conceptione, ſed infirma, immò mortua per peccatum, nec tuta, quia lapſa eſt & cecidit; nec approbata, ſed reprobata à Deo in primo inſtanti ſui eſſe; non libera, ſed liberata poſt maculam & culpam: ab erroribus enim libera ſola eſt doctrina Sancti Thomæ, & ita libera, ut nec expoſita fuerit erroribus, quibus aliorum Doctorum doctrina expoſita eſt: ſed Virgo Maria non ſolùm expoſita fuit erroribus & lapſui, quibus alij omnes magni, & parvi expoſiti ſunt, ſed quòd etiam,ſicut omnes alij, ceciderit, & erraverit illo communi errore, in quo omnes maculantur, & poſtea liberata fuerit. Omnia iſta deſideramus componere; ſed non invenimus modum, ſed Nodum. Quia ex qualibet parte, & ex omnibus ſimul eſt anteponere doctrinam Angelici Doctoris puritati Dei Matris.

Nodus vigesimus-secundus.

Ex eiſdem principijs ſic procedimus diſcurrendo: Conceptus mentis immunes ab erroribus ſunt Sacra Scriptura, quæ nec eſt expoſita errori, nec erravit, & doctrina Sanctorum Doctorum Eccleſiæ, quæ licet de facto non erraverit, eſt tamen expoſita erroribus, ut dicunt Patres Salmanticenſes,à quibus doctrina Sancti Thomæ non enumeratur cum doctrina aliorum Sanctorum Doctorum Eccleſiæ,immò excipitur ab iſta ut computetur cum Sacra Scriptura, quia ſicut ipſa *nec erravit, nec eſt expoſita erroribus.* Et quare ſic? Propter excellentiam Angelici Doctoris; nam nullam aliam aſſignant rationem. Duo etiam ſunt Conceptus ventris, Chriſti Domini, qui nec fuit expoſitus errori, nec de facto erravit, & Conceptus omnium aliorum hominum, qui fuerunt expoſiti errori, & de facto erraruntt. Sed quæritur, cum quo ex iſtis enumerandus ſit Conceptus ventris Virginis Dei Matris? Ipſi dicunt, quòd cum Conceptionibus peccatorum, quia ſicut cæteri, ita fuit Virgo expoſita errori,& de facto erravit. En Nodum. Si doctrina Sancti Thomæ excipitur à doctrina omnium Sanctorum, ut collocetur in eadem claſſe cum Sacra Scriptura;quomodò Conceptus Virginis numeratur cum conceptu aliorum hominum? Conceptus mentis Sancti Thomæ exemptus à Sanctis, & conceptus Mariæ incluſus intra Conceptiones pecca-

torum? Nulla reſultat offenſa,neque adimitur prærogativa aliqua à Scriptura Sacra ab ore Spiritus Sancti prolata, ex eo quòd dicant Patres Prædicatores doctrinam ſui Angelici Doctoris non fuiſſe expoſitam errori, neque erraſſe, ſicut illam non erraſſe conſtat: & quia Fratres Minores dicunt puritatem Verbi Divini non fuiſſe expoſitam errori, neque de facto erraſſe, & puritatem ſuæ Matris fuiſſe ei ſimilem, quoad unam ex his duabus partibus minorem, quia, licet non erraverit de facto, fuit tamen expoſita errori;aſſertionem iſtam dicunt eſſe contra prærogativam, & dignitatem Verbi Divini. Quid eſt hoc? Habuitne doctrina Sancti Thomæ cum doctrina Sacræ Scripturæ majorem propinquitatem, affinitatem, aut connexionem, quàm conceptus Matris cum conceptu Filij? Aut eſt major dignitas, & excellentia doctrinæ Sancti Thomæ comparata cum Sacræ Scripturæ doctrina, quàm eſt, & habet caro Matris cum carne Filij? Sed de hoc jam diximus ſuprà,& dicemus infrà Nodo IV. principali. Transeamus ad aliud: Doctrina Sancti Thomæ eſt *libera ab erroribus*, & qui dixit ab erroribus in plurali,admittitne aliquem errorem in particulari? Nullum magnum, vel parvum in principio, aut in fine; quomodò ergò, quando dicitur à Sanctis Patribus, *Virgo* MARIA *fuit libera à peccatis*; aut ut alij exprimunt,*ab omnibus peccatis*, Auctores Ordinis Prædicatorum diſtinguunt has propoſitiones univerſales ſic: *fuit libera à peccatis actualibus*, concedo, *originali*; nego? Pro doctrina veſtri Angelici Doctoris propoſitiones indiffinitæ fiunt univerſaliſſimæ, & nullam admittunt exceptionem; & pro puritate Dei Matris univerſales expreſſæ fiunt particulares: & habent adjunctam ſemper exceptionem. Et inſuper hoc pro doctrina Sancti Thomæ, *Nulli poteſt eſſe dubium*. Nulli? Nulli. Et pro puritate Virginis MARIÆ omnibus ſuis de facto eſt dubium. Et iſte non eſt Nodus? Interim audiamus alium: Doctrina Sancti Thomæ *eſt libera ab erroribus*, & interrogo: vox, *libera*, indicatne vel ſupponit quòd priùs fuerit infecta erroribus, & poſtea liberata ab illis? Non, abſit. Quid ita? Quia ibi libera,eſt idem quòd immunis,præventa; & præſervata, ita ut numquam inciderit in errorem. Quomodò ergò quando Sancti dicunt: MARIA *fuit libera à peccatis*, explicatur ſic: libera, id eſt liberata poſtquam fuit ſubjecta, captiva, poſſeſſa, & infecta peccato? Una, & eadem propoſitio pro doctrina reducitur ad meliorem partem, & pro puritate projicitur in reprobum ſenſum. Aſſertio iſta eritne libera à Nodo?

NODUS VIGESIMUS-TERTIUS. In una epiſtola miſſiva, quia eſt pro doctrina Sancti Thomæ, non potuit Summus Pontifex Urbanus V. errare, immò ex epiſtola ad Archiepiſcopum facta eſt Decretalis, ut inquit

Pa-

Pater Galvan; & Sixtus IV. quia locutus eſt pro puritate Dei Matris in ſuis Decretalibus Conſtitutionibus graviſſimè erravit, ut inquit Pater Spinæ; & in his ſervaturne æqualitas juſtitiæ? Doctrina Sancti Thomæ cælitus elapſa fuit ad innatam humani generis caliginem depellendam, ut inquit Hunnæus, & gratia Dei non potuit innatum generis humani contagium depellere ab unica Dei Matre, ut inquit Pater Bandellus. Servaturne in hac gratiæ diſtributione æquitas? Dolendum nimis eſt, quòd Sanctus Thomas, qui plus omnibus in Eccleſia laudatur, non inter infideles & Fidei inimicos, ſed inter Catholicos ejus doctrinæ, ſcientiæ, ac ſapientiæ gloria diminuatur; dum ſic contradicitur rationibus, & impugnatur argumentis, ut inquit Pater Joannes à Sancto Thoma; ut propter hoc exclamando dicat: ô quæ tempora! ô quæ ſtudia! Et non eſt dolendum, quòd Sacratiſſima Dei Mater MARIA, quæ plus omnibus in Eccleſia laudatur, colitur, meretur, veneratur, & exaltatur, non inter infideles hæreticos, non inter Catholicos imperitos, ſed inter Religioſos doctiſſimos & devotos; ejus innocentiæ, puritatis, & integritatis gloria diminuatur hoc tempore in uno puncto, non ſolùm argumentis & impugnationibus ſcholaſticis, ſed libris, actionibus, impoſturis, delationibus, &c. Dicamus ergò omnes: ô quæ tempora! ô quæ ſtudia!

NODUS VIGESIMUS QUARTUS.

Pro complemento omnium ſupra-dictorum ſit ſingulariſſimum illud dictum Davidis Romæi in libro, cujus titulus eſt, *Septem Sancti cuſtodes ac præſides urbis Neapolis* impreſſo ibidem anno 1571. Folio enim 135. adducendo vitam S. Thomæ, atque loquendo contra illius oblectatores ſic inquit: *Poſt mortem Sancti Thomæ non defuerunt qui verborum contumeliis Thomam lacerarent, &c. Urbanus V. cùm S. Thomæ corpus Toloſam transferre voluit, omnia hujus Divini hominis ſuâ ſententiâ comprobavit, & de Cardinalium cæterorumq; P. C. conſilio elogium recitando, ita pronuntiavit: tantùm à veritate unumquemque receſſurum, quantùm à D. Thomæ Aquinatis ſententia recederet.* Oſtendant ergò ubi in epiſtola vera, aut ficta Urbani V. extet hoc Elogium? Nonne hoc eſt ludere cum Summorum Pontificum oraculis? *Omnia* hujus Divini Doctoris *de Cardinalium cæterorumq; Patrum conſilio* Urbanus V. comprobavit. Qualiter comprobavit *Omnia*? Recitando illud Elogium, quod communiter adſcribunt Innocentio VI. ut in Nodo ſequenti videbimus: & ſic ut exaltent *Omnia* Sancti Thomæ ſcripta, confundunt Pontifices, Cardinales, & ipſiſſimam veritatem. Sed admittamus omnia iſta pro doctrina, & videamus quomodò loquantur de Virginis puritate. Pater Frat. Georgius de Trickenhauſen Germanus in illa contentione habitâ anno 1489. cum Sebaſtiano Brant, Juris-conſulto dicebat

ſententiam de præſervatione Virginis eſſe penitùs erroneam & abſolutè hæreticam. Ipſius argumentum erat hoc ipſi ſemper commune: Doctrina Sancti Thomæ eſt per Eccleſiam approbata; Sanctus Thomas docuit Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, ergò dicere contrarium eſt erroneum & hæreticum. Majorem probabat ex Bulla Urbani V. & Innocentij V. Huic argumento ſic reſpondet Sebaſtianus Brant in ſuo tractatu de Conceptione num. 103. *Deinde adjungit me negare doctrinam Beati Thomæ eſſe per Eccleſiam approbatam, &c. & habeo pro indubitato quòd ipſe eamdem Bullam Urbani V. ad quam me remittit, numquam vidit. Immò cùm doctrina Beati Thomæ in eo puncto expreſſè, ſeu explicitè non ſit per Eccleſiam approbata, &c. ob id fuit ſupervacaneum tantum de doctrina Beati Thomæ in eo puncto facere clamorem, cùm nullus eamdem in ea parte ſequi teneatur, ex quo expreſſè per Eccleſiam non eſt approbata. Et licet ſcripta Beatiſſimi Thomæ in genere ſint approbata, non tamen in ſpecie: cùm in pluribus punctis reprobentur; & idem Beatus Thomas in pluribus ſit ſibi ipſi contrarius, prout noverunt Domini Theologi.* Sic argumentabatur Pater Trickenhauſen contra conceptum ventris, Virginis MARIÆ, ex conceptu mentis Sancti Thomæ, & approbatione illius doctrinæ; & ſic reſpondebat Doctor Brant ad argumentum. Videamus nunc viceverſâ qualiter argumentatus fuerit D. Brant pro Immaculata Conceptione, & reſponderit Pater Trickenhauſen. Cujus argumentum erat hoc: Summus Pontifex Sixtus IV. in ſua Bulla declarat non eſſe erroneum neque hæreticum dicere Virginem fuiſſe conceptam abſque originali peccato; ergò ſic eſt tenendum. Huic brevi argumento breviori ſolutione occurrit Pater Trickenhauſen dicendo hæc formaliſſima verba: *Quòd Sixtus IV. dedit Bullam pro ſimplicibus.* Et ecce Nodus magnus in paucis verbis. Authentica conſtitutio Summi Pontificis pro puritate Dei Matris eſt quædam Bulla *pro ſimplicibus*; & quædam epiſtola incognita, & non viſa neque ab argumentante, neque à reſpondente. Cùm eſſet pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ in antecedenti, & contra Virginis Dei Matris puritatem in conſequentia, ſolùm citata remiſſivè ab uno Patre Dominicano debebat ligare doctiſſimos Theologos, atque peritiſſimos Juriſtas, ut non poſſent aliter ſentire. Omnia privilegia ſolida conceſſa à Sede Apoſtolica pro Virginis innocentia ſunt, pietas, devotio, ſimplicitas, &c. conceſſa congregationi animalium atque beſtiarum, ut dicebatur in libello famoſo Hiſpanico: & Elogia aërea pro doctrina Angelici Doctoris proficiſcuntur à Cardinalium conſiſtorio, Patrum conſilio, & omnium litteratorum conſenſu. Ipſi ſæpè ac fortiſſimè argumentantur ab approbatione conceptus mentis Sancti Thomæ contra puritatem conceptus ventris Sacratiſſimæ

Dei

Dei Matris; & noſtra defenſio conceptus ventris ab impugnatione conceptus mentis eſt frivola, inanis, ac nullius momenti, quia variat appellationem, & eſt inter terminos & res diſparatas: non intelligo Nodum iſtum.

NO-

Digitized by Google

NODUS QUARTUS
PRINCIPALIS

Inter auctoritatem Innocentij Papæ editam à quodam incognito auctore Dominicano pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, prorsùs fictam; & alteram ab ipſomet extractam ex eodem met originali manuſcripto contra ſententiam Immaculatæ Conceptionis, etiam totaliter vitiatam.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

PErvenimus ad deſideratum ſcopum, hoc eſt, ad præcipuam approbationem doctrinæ S. Thomę adductam ab aſſertoribus opinionis contrariæ, & ſolemniùs ab ipſis decantatam. Pro qua ſupponendum eſt: à tempore Montesoni, hoc eſt, ab anno 1387. in quo exordium ſumpſit argumentum de confirmatione doctrinæ Sancti Thomæ, ut ex illo deducerent Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, uſque ad annum 1475. in quo ſcripſit quidam Anonymus tractatum contra Immaculatam Conceptionem, nullas inventas fuiſſe approbationes, niſi tantummodò duas, primam Stephani Pariſienſis Epiſcopi, & ſecundam Urbani Papæ V. Nam Gyrandus Renerius Ordinis Prædicatorum, & Sanctus Antoninus, qui intermedio illo ſpa-

Digitized by Google

ſpatio ſcripſerunt; & alij de his tantummodò duabus approbationibus loquuntur (quomodò autem inter iſtas introducta fuerit illa Chriſti Domini, *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, poſteà dicetur) Cùm igitur iſtæ fuiſſent velut fictæ, rejectæ, vel ſaltèm ut ſuſpectæ non admiſſæ, & ab Univerſitate Pariſienſi, Joanne Alano, atque Joanne Vitali in ſuis opuſculis de Conceptione totaliter refractæ: excitatâ de novo controverſiâ in partibus Lombardiæ, ubi Vincentius Bandellus de Caſtro-novo fuit caput, & anteſignanus in illis tumultibus, de quibus Sixtus IV. Pontifex Maximus in ſuis Decretalibus incipientibus: *Grave nimis*, inter alia dicit: *Sanè ſicut accepimus, nonnulli diverſorum Ordinum profeſſores ad prædicandum verbum Dei in diverſis civitatibus, & locis partibus Lombardiæ deputati, &c.* Prædictus Reverendus Pater Bandellus occultando proprium nomen, ſub larva cujuſdam Patris non mediocriter docti Ordinis Prædicatorum, edidit tractatum contra Immaculatam Conceptionem, anno 1475. ſumptâ occaſione ex quibuſdam diſputationibus habitis cum aliquibus Patribus Servitarum, & Ordinis Minorum, in quo quam-plurima finxit, ut in Sole Veritatis oſtenſum eſt. Et inter alia viâ 3. ſecundæ partis, ratione 11. poſt triginta ſex auctoritates Sanctorum Eccleſiæ, in quibus nec una invenîtur, quæ non fuerit graviſſimè vitiata, & adulterata; ut eſt illa ultima Clementis Papæ IV. in ſermone, qui incipit: *Erunt ſigna, &c.* quæ extat paginâ 113. & hinc myſteria.

Poſt iſtam auctoritatem Clementis Papæ VI. immediatè, nullo interpoſito Auctore, introducit argumentum de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ: pro qua ſupponit fuiſſe approbatam à Stephano Pariſienſi Epiſcopo, cujus litteras adducit de verbo ad verbum, & etiam ab Urbano Papa, cujus præcipuam clauſulam etiam tranſcripſit (de quibus egimus in duobus antecedentibus Nodis principalibus per totum) ſed ſentiens iſtas non eſſe efficaces approbationes, finxit de novo alias duas, unam totius Univerſitatis Pariſienſis, de qua dicemus in ſubſequenti: & alteram cujuſdam Innocentij Papæ ſic: Innocentius Papa in ſermone Beati Thomæ, qui incipit: *Ecce pluſquàm Salomon*, ſic dicit: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris, exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum: ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſempèr fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille.* Deinde adducit ſeptendecim auctoritates deſumptas ex doctrina Sancti Thomæ, in quibus videtur dicere, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali. Ex quibus approbationibus, tamquam ex majori, & ex auctoribus tamquam ex minori, concludit ſic: *Et ideò firmiſſimè tenendum eſt, verum eſſe, quod Doctor ille devotiſſimus*

Virginis de ejus Conceptione ſenſit : videlicet, quòd ſit concepta in peccato originali. Hæc Anonymus ille.

Hoc fuit primum, unicum, & fontale principium præſentis approbationis, ſupra quod tamquam fundamentum Eccleſiaſticum conſtitutum, veluti ſupra ſolidam Petri Sedem, & caput cujuſdam Summi Pontificis Innocentij, erecta fuerunt poſtmodum ædificia, & turres ad cœli cœlorum verticem uſque pertingentes. Nam ex hoc Innocentij Papæ Elogio, ſeu Apoſtolicâ approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, repleti ſunt quamplurimi libri: legi enim ipſam in ſexaginta quinque Auctoribus diverſis; & unuſquiſque ex verbis in ipſa contentis deducit ſuo modo encomia, & Elogia varia pro Angelici Doctoris doctrina. Sanè ſi fundamentum ſubſiſteret, meritò id poſſent facere & benè, verèque felicitèr decertarent pro laudibus ac gloria ſui Magiſtri. In concionibus panegyricis Sancti Thomæ eſt thema commune, & frequens ſcopus. In theſibus & concluſionibus ſolet eſſe ſubſcriptio, & pupilla oculi. Sed quid mirum, quòd in ſuggeſtu, & cathedra ſic præconicentur, ſi ab ingreſſu Religionis recitent hoc Elogium in lectionibus Officij Divini pro die octava Sancti Thomæ? Unde unicuique magno, & parvo affixum adducitur memoriæ, cordi, & labijs, acſi eſſet aliquis textus Sacræ Scripturæ, Canon Concilij, articulus Fidei Chriſtianæ, aut aliqua Conſtitutio Apoſtolica Romana. Omnia benè, iterum iterumque dico benè ac optimè agerent, quia Elogium in rei veritate omni acceptione dignum eſt, ſi id ſaltem haberet aliquam veritatis ſpeciem: ſed quid dicemus, dum conſtat evidentèr ex ipſomet originali eſſe falſum, fictum, atque ſuppoſitum? Quod incipiendo à minoribus, & facilioribus, jam olim in Sole Veritatis propoſitis, ut cognoſcantur illa fuiſſe, & eſſe vera (licet tunc ex diſcurſu rationabili tantummodò deducta) nunc iterum recapitulamus, quouſque ad ultimam mathematicam, & palpabilem perveniamus demonſtrationem, diſcurrendo per Auctorem, Pontificem, Innocentium, librum, ſermonem, auctoritatem, atque verba; ut ſic diu depreſſa veritas tandem emergat, & innocentiæ defenſio intercluſa reſpiret.

Probatur ergò primò falſitas propoſitæ auctoritatis ex Auctore illam adducente ſic: Qui hanc auctoritatem, ſeu Elogium Sancti Thomæ priùs introduxit in litteraturam Eccleſiaſticam, fuit ille incognitus Anonymus, poſteà cognitus Bandellus; ſed auctor iſte in ſuis libris nullam penitùs veritatem obſervat, vel in toto, vel in parte; igitur eſt falſa: Minor demonſtratur in toto libro Solis Veritatis, ubi omnes auctoritates Sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum invenies vitiatas, quia addendo verba, vel detrahendo clauſulas integras, multiplicando Auctores, & au-

auctoritates, omnia adulteravit; & hoc ipſum latiùs oſtendetur in RADIIS ejuſdem SOLIS VERITATIS. Et præcipuè pro hîc & nunc, ut in ſubſequenti videbimus, finxit ex proprio capite totam litteram, ſeu approbationem Univerſitatis Pariſienſis de doctrina Sancti Thomæ, quia talis numquam fuit. Inſuper auctoritatem Clementis VI. Papæ adductam in eodem folio, & ex eodem fonte, ut poſteà videbimus in Virga, penitùs vitiavit: ergò idem credendum eſt eum feciſſe cum hac Innocentij. Et hæc de minori.

Major verò, quæ aliquantulùm ardua videtur, ſcilicet, quòd iſte Anonymus fuerit primus, qui hanc auctoritatem introduxit, probatur ſic: nam Reverendus Pater Gundinſalvus de Arriaga Ordinis Prædicatorum in illis ſuis duobus tomis de Sancto Thoma Doctore Angelico, & ejus doctrina, &c. hiſpanicè typis mandatis Matriti, anno 1652. in folio, quorum ſecundus integer, habens folia 676. eſt de doctrina Sancti Thomæ, & in eo capite 5. ſub hoc titulo: *Tratase el Teſtimonio de Innocencio VI. en recommendacion dela doctrina del Angelico Doctor*; à folio 107. uſque 178. pro viribus nititur probare illud teſtimonium eſſe verum & ſubſiſtens, contra aliquos modernos id negantes: cujus potiſſima & unica ratio eſt illa, quam ponit §. 2. ſub his verbis: *Convenceſe ſer de Innocencio VI. el teſtimonio referido, con auctoridades de Pontifices, y Doctores, &c.* Et licet nullum referat Pontificem contra promiſſum in titulo, adducit tamen triginta quinque ſcriptores intra, & extra Religionem Prædicatorum, qui in ſuis libris referunt prædictum Innocentij teſtimonium; & poterat adducere alios quam-plures, ſed adductis multò antiquiores. Primi ſunt, Petrus de Bergamo Italus, qui ſcripſit ad annum 1480. Gabriel Barelete, qui ſcripſit poſt Sixtum IV. id eſt, eodem anno, ut conſtat ex ejus ſermonum libro: Bartholomæus de Spina, qui floruit anno 1530. & Ambroſius Catharinus, qui ſcribebat ad annum 1550. qui omnes ſunt ex Ordine Patrum Prædicatorum, & antiquiores; nam cæteri ſunt moderniores, & ex hoc ſæculo. Itaque Pater Arriaga, qui pro hac auctoritate recolligit auctores, & teſtimonia huc-uſque prolata, nullum invênit ante annum 1480. præter iſtos adductos à Patre Arriaga communes: inveni ego alios ſingulares, ut Patrem Vincentium Dodi, Patrem Trickenhauſen, &c. ſed nullum qui ſcripſit ante iſtum Anonymum. Unde optima conſequentia erit hæc: igitur iſta Innocentij auctoritas, vel Sancti Thomæ Elogium introductum fuit circa annum 1480. cùm anteà nulla reperiatur ipſius notitia in ſcriptore proprio, aut extraneo; & Anonymus ſcripſit ad annum 1475. & idem ſcribens ſub expreſſo nomine Vincentij Bandelli ad annum 1481. iſti, vel iſte fuit primus ſeminator talis auctorita-

tis, & præcipuè, cùm iſti non ſignent locum unde extraxerint ipſam. Pater Arriaga de his libris, ſeu Auctoribus, Bandello, Anonymo, aut Anonymo-Bandelliano, nullam facit mentionem in illo ſuo Catalogo: & certè miror; cùm in ſua Religione nullus liber ſit adeò communis; & liber Bandelli fuerit quater impreſſus, in quo extat prædicta auctoritas Innocentij, rat. 12. folio 90. ſed potuit eſſe, quòd non viderit librum Anonymi, nec impreſſiones Bandelli, nec Petrum de Vincentia, qui ſcripſit anno 1494. & quater ſparſim adducit prædictum Innocentij teſtimonium; vel ſi vidit, illos noluit in medium proferre, ſentiens eſſe Auctores ſuſpectos, & parvæ fidei.

Doctores Salmanticenſes, qui hoc noſtro ſæculo ſcripſerunt, id eſt, anno 1632. videntes continuam oppugnationem factam, & contradictionem exortam contra iſtam auctoritatem Innocentij, quia ſemper habita fuit de veritate ſuſpecta, cùm per tot ſæcula non inveniſſent aliquam ſubſiſtentiæ apparentiam, excogitarunt quoddam inauditum comprobationis teſtimonium, ut pro certa deinceps haberetur. Repeto ipſorum verba, num. 17. fol. 26. *Tandem Innocentius VI. hujus doctrinæ certitudinem his verbis nobis eſt teſtatus: Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ canonicâ) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eum tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe: & qui eum impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Noſtræ tempeſtatis invidia hanc prærogativam non ferens, illam, licet ſine aliquo fundamento, negare conata, inquit, tam celebrem prærogativam non ſolùm de D. Thoma, ſed nec de aliquo alio Doctore Catholico aſſeverari poſſe. Sed hæc objectio reſponſione utique digna non eſt, ſi namq; univerſa Doctorum ſcripta, quæ pro Academia citantur, negare, aliquid haberet momenti; nullus procul dubio in toto terrarum orbe ſecurus eſſet. Admirationem tamen incutit, ipſos tam præclarum præfati Pontificis teſtimonium negare, quòd in operibus D. Thomæ Pij V. auctoritate, & juſſu excuſis, reperitur. Nos illud in ſcriptoribus antiquioribus invenimus. Lambertus enim de Monte in libro de Anima, Coloniæ Agrippinæ anno 1494. multò antè, quàm hæc objectio in lucem prodiret impreſſus, eadem Innocentij verba citat, quæ ex ſuo originali deſumpſit, &c.* Hucuſque ſunt verba Salmanticenſium; & poſteà adducunt Ambroſium Catharinum libro 2. diſputationis de Immaculata Virginis Conceptione, paginâ 51.

Aliqua in his Salmanticenſium verbis ſunt notanda. Primum ſit, quòd in auctoritate Innocentij non dicant: *Qui eam tenuit*, ut dixerunt Anonymus, Bandellus, Vincentia, ſed *qui eum tenuit*; ex quo colligitur, quòd Salmanticenſes non ſcripſerint ab Auctoribus relatis, ſed ab ipſomet Lamberto de Monte, qui etiam ſic legit, & alij antiqui ut infrà videbimus. Secundum eſt illud ab ipſis dictum: *Quòd in-*

invidia hanc prærogativam non ferens, licet ſine aliquo fundamento illam negare conata ſit; id eſt, invidia à paucis hinc annis. Sed quid mirum? cùm à paucis abhinc annis iſta approbatio, ſeu Elogium Innocentij fictum fuerit. An autem ſine aliquo fundamento negetur, ſtatim videbimus; ſicut etiam an cum aliquo fundamento fuerit ab ipſis adducta. Differentia ſolùm extat in hoc, nam ipſi, ut Elogium permaneat brachijs expanſis, recurrunt ad fictionem & invidiam, & qui illud negant ad fidem & veritatem. Tertium: quòd hæc prærogativa extet in operibus Sancti Thomæ Pij V. auctoritate, & juſſu excuſis: ſed videntes, quòd hæc non eſſet ſufficiens ratio; quia multa ſunt in illis operibus excuſa, quæ veritate carent, ut ſuprà manet demonſtratum; recurrunt ad alteram, ſcilicet, quòd illam ſic in ſcriptoribus ſuis antiquioribus invenerint; ſed cùm non ſignaverint, quales fuerint illi antiquiores ſcriptores, decreverunt fingere aliam abſurdiorem impoſturam, videlicet, quòd Lambertus de Monte, in libro de Anima, Coloniæ Agrippinæ, impreſſo anno 1494. adduxerit Innocentij verba citata: *Quæ ex ſuo originali deſumpſit*. Notentur hæc ultima verba, quia ex ipſis incepit demonſtratio, quòd non ſit invidia, nec ſine fundamento fuerit negare hanc celebrem prærogativam, & præclarum Innocentij Pontificis teſtimonium; ſed veritatis amor, & ut in Eccleſiam Dei, & Eccleſiaſtica officia non introducantur quævis pro cujuſlibet libito ſomnia, ac ridicula figmenta.

Ex hac auctoritate Doctorum Salmanticenſium deceptus Reverendus Pater Joannes à Sancto Thoma, in prima parte ſuper D. Thomam impreſsâ Compluti, anno 1637. & in ſecunda impreſsâ Januæ 1654. loquendo de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ diſput. 1. artic. 2. fol. 197. ſic inquit: *Non me latet illud Elogium Innocentij VI. in quodam ſermone, ubi dixiſſe fertur: Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ canonicâ) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Sunt, qui de hoc dicto dubitent, & ejus veritati non multi fidunt; ſed res eſt magnâ traditione ad nos uſque derivata, & multi Auctores id referunt, & admittunt, fateturq; Lambertus de Monte in libris de Anima in principio, impreſſis Coloniæ 1494. ea verba ex ſuo autographo ſcripſiſſe. Noviſſimè verò in Breviario reformato Ordinis Prædicatorum, anno* 1632. *poſita ſunt in lectionibus pro octava die Sancti Thomæ. Cæterùm illis non egemus, ubi tanta ſuppetit copia magnarum approbationum, &c.* Ex hoc teſte ſurrexit poſteà Pater Arriaga, & anno 1652, loco ſuprà citato §. 2. fol. 111. num. 3. ſic inquit hiſpanicè. *Lamberto del Monte refiere el teſtimonio de Innocencio de verbo ad verbum, y afirma haber ſacado las palabras del ſermon original del Pontifice. Y es de advertir, que eſte Auctor*

tiene ciento y quarenta y ocho años de antiquedad; y precediendole Innocencio mas de ciento y quarenta años ſe conſervaba el Sermonario, *&c.* Et ad marginem habet hanc notulam latinam: *Lambertus de Monte in initio libri de Anima in Colonia Agrippina* 1494. Pater Dominicus Gravina in libro dicto: Cherubim Paradiſi pro Sancto Thoma, & ejus doctrina, libro 2. capite 4. folio 150. agens de hoc Innocentij teſtimonio, ſic inquit: *Lambertus de Monte in initio libri de Anima, impreſſo Coloniæ* 1494. *multò priùs, quàm hæ oppugnationes fingerentur, idem teſtimonium affert, &c.* Et hæc ſunt omnia quæ de teſtimonio Lamberti extant in his quatuor ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum, ut ex iſto teſte comprobent præclarum illud Pontificis teſtimonium eſſe verum.

Sed jam videamus, quid circa hoc anno præterito ſcriptum fuerit. Quia dixerat P. Poza teſtimonium hoc Innocentij VI. eſſe evidenter ſuppoſititium, ac per conſequens Elogium eſſe falſum, inquit exclamando P. Xantes Mariales in ſua concordia. *Sileas igitur bene* Jesu, *dico ego, non dicas ampliùs, benè ſcripſiſti de me Thoma: Thomæ enim ter à te authenticatam doctrinam audet novus noſtrorum temporum Antechriſtus Poza aſſerere continere plura ab Eccleſia damnata. Linguam cohibe Chriſti Vicarie Joannes XXII. impoſterumq; non dicas ampliùs, quot deciſiones fecit Aquinas, tot miracula patraſſe; juxta perfidum enim Eccleſiæ hoſtem Pozam, multa decidit, quæ Eccleſia rejicit. Abſtine tu quoque Sanctiſſime Clemens VIII. poſt hacq, Provincijs, & Regnis ampliùs non teſtèris, omnia quæ D. Aquinas ſcripſit abſque ullo prorsùs errore ſcripſiſſe; infernale enim Pozæ os non veretur blaſphemare, immò ſcripſiſſe multa erronea, quæ Eccleſia ſuppreſſit. Neque Pozæ temperamentum (nimirum hujuſmodi errata vel à malevolis, vel per ignorantiam impreſſorum operibus D. Thomæ inſerta fuiſſe) Pozæ culpam minuit, immò auget: ſi enim ea, quę Eccleſia damnavit aliorum non D. Thomæ ſunt, quomodò in præjudicium D. Thomæ Eccleſiæ damnationem detorquère contendit? quomodò inde convincit falſum Innocentij dictum? qui ſolius D. Thomæ doctrinam, & non aliorum errores operibus D. Thomæ inſertos approbavit? Non igitur temperamentum ſed temperamenti figmentum, ipſum Pozam lædens eſt, dicere, Eccleſiam damnaſſe multa contenta in doctrina D. Thomæ, & poſteà addere talia damnata non eſſe D. Thomæ, ſed aliorum, ut ſuprà. Et ſi tam facilè negare licet eſſe Innocentij ſermonem, quem totus mundus ut Innocentij agnoſcit; quæ ampliùs certitudo hiſtoriarum, & textuum in Eccleſia remanſerit? Porrò non attuliſſe Pozam vel unum, qui aſſerat illum ſermonem non eſſe Innocentij, argumento eſt, totius orbis conſenſum eſſe, quòd Innocentij ſit.* Unde in *Tabula aurea Bergomenſi impreſſa Venetijs* 1497. *initio operis ponitur teſtimonium illud Innocentij: & quod pluris eſt, ponitur etiam in principio operum D. Thomæ correctorum, & impreſſorum Romæ, de mandato Pij V. ubi ratificatum videtur ſermonem illum eſſe Innocentij, & Lambertus de*

Mon-

Monte in initio ſuorum librorum de Anima, impreſſorum Colonia 1494. ponit & idem ipſe idem Innocentij teſtimonium, & addit ſe illud deprompſiſſe verbatim ex ſuo originali. Immò Ambroſius Catharinus, quem mundus novit ſcholæ Thomiſticæ quàm parùm affectus, quamquam liberrimus ſit in reſpuendis his, quæ ſuo ingenio non quadrant in diſputatione de Conceptione Beatæ Virginis, pag. 51. præfatum ſermonem ut Innocentij approbat: Recipimus, ait, & nos, præclariſſima ſummorum virorum teſtimonia de D. Thoma doctrina. Item & quod quidem Pontifex de illo teſtatus eſt, facilè comprobamus obſervatum eſſe, nullum unquam impugnaſſe Aquinatis doctrinam, qui non fuerit de veritate ſuſpectus. Cui igitur ſtandum erit? Vni Poza ab Eccleſia damnato, neganti præfatum ſermonem eſſe Innocentij, & ne vel unum ſui erroris ſocium ex nomine adducenti, an potiùs tot alijs graviſſimis teſtibus, totiuſq; orbis conſenſui præfatum ſermonem, ut Innocentij venerantibus? Hæc ſunt quæ habet Pater Xantes pro defenſione ſermonis Innocentij. Relinquo convitia, ſcommata, dicteria; quia iſta ſolùm contrà Patrem Alvam judicantur. Pro nunc ſolùm expendere oportet illud, quòd Lambertus de Monte dicat ſe hoc teſtimonium deprompſiſſe ex ſuo Auctographo, ſeu originali proprio Innocentij verbatim, & alia quæ in tota ſua auctoritate circa hoc repetit, clara atque diaphana, ut ignis & aër.

Ex his principijs veris deducitur: quòd, licet Dominicus Gravina dicat Lambertum de Monte afferre teſtimonium Innocentij, non tamen addidit illam clauſulam poſitam à Doctoribus Salmanticenſibus: *Eadem Innocentij verba citat, quæ ex ſuo originali deſumpſit*. Hæc eadem in Patre Joanne à Sancto Thoma aliquantulum crevit, dicente: *Fateturq; Lambertus de Monte ea verba ex ſuo auctographo ſcripſiſſe*. In Patre Arriaga plùs ampliùs ea aucta eſt, ſic ſcribente: *Lamberto del Monte refiere el teſtimonio de Innocencio, y afirma haber ſacado las palabras del ſermon original del Pontifice*. Gravina ſolùm dicit Lambertum de Monte in ſuo libro de Anima adduxiſſe teſtimonium, quod quidem verum eſt, ut ſtatim dicemus: Doctores Salmanticenſes addiderunt, quòd Lambertus de Monte ex ſuo originali deſumpſerit; & hæc potuit eſſe præſumptio, ſed ſine fundamento. Pater Joannes à Sancto Thoma clarè exprimit, quòd Lambertus de Monte fateatur ſe ea verba ex ſuo auctographo tranſcripſiſſe; & ſi hoc non dicit Lambertus de Monte, convincetur expreſsè de deviatione à veritate. Pater Arriaga aliquid ampliùs profert: affirmat enim illum extraxiſſe verba ex ſermone originali Pontificis. Pater Xantes ſuper-addidit: *Se illud deprompſiſſe verbatim ex ſuo originali*. Ecce quomodò intra viginti annos datum ſit in lucem originale ſermonum Innocentij; ſed ut fluxus, & refluxus iſte extinguatur, & ne iterum hæc fabula deſcendat in arenam (quia quando aliquis Auctor veridicus, indifferens, & antiquus dicit: hoc vidi in

in proprio originali, ſeu in manuſcripto auctographo, niſi aliud evidentèr conſtet, profectò ei fides præſtanda erit) decrevi ipſummet librum Lamberti de Monte de Anima ad theatrum introducere, ut ipſe de ſe rationem reddat, & proprio ore damnet falſum teſtimonium contra ſe prolatum.

Certum enim eſt, quòd Lambertus de Monte Doctor Colonienſis, & Canonicus Eccleſiæ Sancti Andreæ, qui mortuus eſt anno 1499. die 17. Aprilis, ut extat in quadam tabula ejuſdem Eccleſiæ exiſtente ad latus dextrûm, ſcripſit ſuprà allegatum librum de Anima, ſub hoc titulo: *Compilatio commentaria Magiſtri Lamberti de Monte Domini, artium, & Sacrarum ſublimitatum interpretis perſpicaciſſimi; in octo libros Ariſtotelis de Phyſico, ſive de naturali auditu intitulatos: ex communi acervo probatiſſimorum Philoſophorum, maximè tamen juxta fideliſſimam doctrinam Sancti, ac Cherubici Doctoris Thomæ Aquinatis, qui cum aliquid ſcribere, aut primùm dictare vellet, ad ſynceram acceſſit orationem, & inde ſurgens mox in promptu habebat, quidquid enunciaret, ac ſi in pagina aliqua ibidem lectitaſſet, illo inſpirante, qui linguas infantium diſertas facit, &c.* Deinde adducit quamdam D. Antonini auctoritatem ſic: *Antoninus in Chronica, parte 3. titulo* 18. *cap.* 10. *de Sancto Doctore Thoma Aquinate ſic ait: Nec enim ullus umquam inhæſit ſcripturæ Sancti Thomæ, cui à puritate ſeſe ſtudioſiſſimum tradidit, qui non fuerit per ejus doctrinam ſapientiæ, & ſcientiæ fructibus uberrimis copioſiſſimè ſatiatus.* Deinde extant quædam carmina de laudibus Montis Gimnici apud Coloniam Agrippinenſem in platea, quam Sexdecimdomos nuncupant. Et tractatus iſte ſuper octo libros Phyſicorum concludit ſic: *Expoſitio textualis probatiſſima in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis, ex communi granario naturalis Philoſophiæ, maximè tamen ex probatiſſimis commentariis Sancti Thomæ Aquinatis, per venerandum Magiſtrum noſtrum Lambertum de Monte, artium, & Sacræ paginæ profeſſorem eximium, ad præfatum ſtudium Gymnaſij Colonien. quod Montis appellant, argumentatiſſimo comparatæ: cui equidem Magiſtro familiare fuit Syriis, & maximè Paleſtinis ſingulis ſuis declarationibus parabolas jungere, ut quòd per ſimplex præceptum teneri non poteris, per ſimilitudinem ſaltem exempli accipiatur. Exculta induſtrioſiſſimæ Minervæ ſarculo, elaborataq; Coloniæ opera, atque impenſis Henrici Quentel, à Virginali partu anno* 1498. Ex hac ultima clauſula videtur, quòd omnes ſcriptores Ordinis Prædicatorum ſuprà relati, Doctores Salmanticenſes, Gravina, à Sancto Thoma, Arriaga, & Xantes Mariales tranſcripſerint unus ex alio: quia omnes habent librum Lamberti de Monte fuiſſe impreſſum anno 1494. Sed hæc fuit quædam hallucinatio exorta à quodam opuſculo inſerto ad finem iſtius operis Lamberti de Monte, de Anima ſub hoc titulo:

Propoſitiones ad opponendum, & reſponden-

dendum perquàm neceſſariæ circa octo libros Phyſicorum, & tres libros de Anima Ariſtotelis comaticè congeſtæ, ex ſcripturis poſt ſe relictis diverſorum artium, & ſacræ paginæ profeſſorum, qui ſuo ævo Burſam-montis feliciſſimè rexerunt, videlicet, Magiſtri noſtri Henrici Gorrychen, Magiſtri noſtri Gerardi de Monte, Magiſtri Gerardi de Olten, Magiſtri noſtri Henrici de Orſe, quorum fama in Univerſitate Colonienſi percelebris eſt, & immortalis; ac tandem ſecundùm doctrinam D. Thomæ Aquinatis, & juxta proceſſum Magiſtri noſtri Lamberti de Monte ſummâ lucubratione impreſſæ finiunt fauſtè, anno ſalutis 1494. *die* 16. *May.* Hoc opuſculum Lamberti, & aliorum fuit impreſſum anno 1494. poſitum ad finem operum: nam libri de Anima fuerunt impreſſi anno, ut dixi, 1498. Sed nihil horum intereſt pro principali noſtro diſcurſu, & ſic pergamus ulteriùs.

Poſt primum librum Lamberti, incipit ſecundus ſic: *Expoſitiones textuales dubiorum, atque luculentiſſimæ explanationes in libros de cælo, & mundo: de generatione, & corruptione, Metheorologorum, atque parvorum naturalium Ariſtotelis, varijs ex ingenijs, primùm tamen, & potiſſimè ex præclariſſimis Commentarijs Angelici Doctoris compendiario ſermone tranſumptæ, ad profectum ſtudentium ingenuarum artium famoſiſſimi Gymnaſij Colonienſis, quod vulgò Burſa-montis dicitur: quibus facilè, dilucidèque intelligerent reparativo proceſſu irrefragabilem, atque inviciſſimam tanti Doctoris Sancti viam, quam magis Spiritûs Sancti unctio, quàm lectio; plùs oratio, quàm ratio docuit.* Et finito iſto tractatu de generatione & corruptione, incipit tractatus, ſeu expoſitio in libros de Anima; & in quodam folio ſeparato ab opere extat magna imago Sancti Thomæ Aquinatis in habitu ſæculari, cum tribus pueris ad pedes quaſi addiſcentibus litteras alphabeti: & ad latus dextrûm habet auctoritatem Innocentij Papæ, de qua noſtra eſt inquiſitio, & extat hoc modo, nullo mutato apice: *Innocentius Papa in ſermone, cujus thema eſt. Ecce plus quàm Salomon hic; de S. Thoma de Aquino, ſic inquit: Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ canonicâ) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum: ita ut numquam, qui eum tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe; & qui eum impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Deinde extant quædam carmina, quæ incipiunt: *Quiſquis fuerit cupidus Sophiæ, &c.* Poſteà adducit epiſtolam, ſeu litteras Stephani Epiſcopi integras, ſed totaliter variato titulo, ſcilicet ſic: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in favorem & laudem maximam, atque excellentiam ſanæ, atque inviciſſimæ doctrinæ S. Doctoris Thomæ Aquinatis, qui nihil ſenſiſſe, nihil docuiſſe, nihil denique ſcripſiſſe reperitur, quod veritati, vel bonis moribus adverſetur, quapropter nomen ejus ſplendidiſſimum per orbem terræ longè lateq; prædicatur uſque adeò, quòd à nonnullis Doctor communis appelletur.* Et poſt aliqua carmina, quæ incipiunt: *Sicut Palladiæ mortalia dona corona, &c.* conclu-

dit ſic: *Ad laudem Thomæ Aquinatis hoc cecinit* N. Et liber Lamberti incipit ſic: *Cùm veterum traditiones acceperim, &c.* Et ſtatim incipiunt libri de Anima hoc modo: *Expoſitio ſaluberrima Magiſtri Lamberti de Monte circa tres libros de Anima Ariſtotelis, quam præclariſſimis commentarijs D. Thomæ Aquinatis, naturalis Philoſophiæ interpretis acutiſſimi ne dum concordat, verùm etiam difficiliores ſententias textûs, unà cum argumentis & replicis, per quaſdam exemplares ſimilitudines luce clariùs reſerat: ad profectum ſtudentium Gymnaſij Colonienſis, quod plures Burſam-montis appellant, per præ-memoratum Magiſtrum Lambertum; & ante eum per Gerardum ejuſdem avunculum, quàm diutiſſimè recti & ſculpti: Idcircò non incongruè meruit tantorum virorum inſigniri cognomine.* Poſteà adducitur auctoritas Urbani ſic: *Vrbanus V. in numero Pontificum* 203. *qui ad cathedram Petri aſcendit anno Domini* 1363. *Sancti Thomæ Aquinatis extollens gloriam, &c.* Et adducit verba Urbani, ut ſuprà in Nodo III. Extant, poſteà alia carmina ſub hoc titulo: *In profundiſſimum diviniſſimumque Thomam Gymnici montis Patriarcham, &c.* Et poſt omnia iſta præludia, expoſitio in libros de Anima incipit ſic: *Circa initium libri de Anima quæritur primò: utrùm de Anima ſit ſcientia, &c.* Ecce habemus citatum Lambertum de Monte, atque latiſſimam, exactiſſimam, & veriſſimam relationem ejus libri de Anima, in cujus principio, ut fideliter dixerunt quinque ſuprà relati ſcriptores Ordinis Prædicatorum, extat auctoritas Innocentij Papæ.

Sed antequam perveniamus ad ultimam concluſionem, ſciendum eſt, quòd ad inquirendam radicitùs veritatem circa iſtam allegationem Lamberti de Monte, iter aggreſſus ſim ex profeſſo, ac deſtinato animo ad civitatem Colonienſem, ut in proprio fonte, & Collegio Burſæ-montis ad Sexdecim domos ipſe viderē proprijs oculis an eſſet aliquod originale, in quo Lambertus de Monte fateretur ſe extraxiſſe auctoritatem Innocentij ex proprio auctographo, aut eſſet in aliqua Bibliotheca Colonienſi manuſcriptum illud Sermonum Innocentij, ut in hac ſecunda impreſſione corrigerem ſuprà poſita & dicta in prima noſtra editione; at poſtquàm ſurſum ac deorſum quantumlibet curſitaſſem Bibliothecas omnes adiviſſem, multa audiviſſem ac legiſſem, non invêni aliquid retractatione dignum, ſed plura, quæ ſcriptorum hujus fictionis temeritatem evidentiùs comprobare videntur, & noſtram non parùm confirmant veritatem.

Nam inprimis invêni expoſitionem prædicti libri de Anima Lamberti de Monte Impreſſ. Coloniæ in Vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli apud Theodoricum impreſſ. infra Sexdecim domos anno 1485. in quo non extabat prædictum elogium Innocentij. Et alteram ab iſta diſtinctam invêni apud Collegas Burſæ-montis

edi-

editam anno 1516. impreſſam etiam Coloniæ Agrippinæ apud Typographum Quentel. Etiam invêni tertiam à duabus præcedentibus diverſam, editam anno 1502. Sed in iſta editione verba extant ſic. *De hoc Sancto Doctore Clemens VI. Pontifex Maximus in quodam ſermone, quem in laudem ejuſdem edidit, cui initium eſt: Vir Dei es tu, & verbum Domini verum eſt in ore tuo. 4. Reg. capite 3. ſic ſcribit: Hujus doctrina cæterorum Doctorum, & Magiſtrorum modernorum eſt verior ſine contagio falſitatis, clarior ſine tædio obſcuritatis, utilior ſine vitio curioſitatis, latior ambitu ſuæ generalitatis. Hæc ille. Alludunt huic ſententię comprobationis & recommendationis Apoſtolicę doctrinę D. Thomæ Aquinatis verba Domini Innocentij Papæ, qui in ſermone, cujus thema eſt: Ecce plus quàm Salomon hic, de Sancto Thoma de Aquino ſic inquit: Hujus Doctoris ſapientia, &c.* Et adducit integram auctoritatem ut ſuprà.

Præter iſtas tres invêni etiam quartam impreſſionem diſtinctam à præcedentibus, factam anno 1498. ſed ad finem habebat illum tractatum impreſſum anno 1494. propter quem decepti dixerunt Salmanticenſes & alij librum de Anima Lamberti de Monte fuiſſe excuſum anno 1494. & exordium hujus tractatûs differebat ab alio, de quo diximus ſuprà: nam titulus ſic ſe habebat: *Poſitiones circa libros Phyſicorum, & de Anima Ariſtotelis juxta ordinarium, & diſputationum proceſſum Magiſtrorum Coloniæ in Burſa-montis regentium ad opponendum & reſpondendum non minùs utiles, quàm neceſſaria.* Ex his ergò quatuor impreſſionibus invêni quindecim exemplaria, quorum decem non habebant verba, ſeu auctoritatem Innocentij: *Hujus Doctoris ſapientia, &c.* de qua noſtra eſt inquiſitio. In alijs quinque extabant modo relato; ſed in nullo dicitur, quòd viderit verba in ſuo originali vel extraxerit ex auctographo verbatim; & in una iſtarum impreſſionum extat quædam quæſtio ſub hoc titulo. *Quæſtio magiſtralis à Reverendo Magiſtro Lamberto de Monte, artium, & Sacræ Theologiæ profeſſore eximio vigilantiſſimè congeſta, oſtendens per auctoritates Scripturæ Divinæ quid juxta ſaniorum Doctorum ſententiam probabilius dici poſſit de ſalvatione Ariſtotelis Stagiritæ, &c.* Hoc diximus ut videant qualiter, licet ſim Servus Nequam, nolim tamen computari inter ſcriptores nequiſſimos. Ex quibus omnibus, tanquam pro ultima concluſione, deducimus ſequentia.

Primum & principale, eſſe penitùs falſum, quod dicunt Salmanticenſes P. Joannes à Sancto Thoma, ac Pater Gundinſalvus de Arriaga, & Pater Xantes Mariales, ſcilicet: quòd Lambertus de Monte fateretur, & affirmaret ſe vidiſſe, & extraxiſſe præpoſitam auctoritatem Innocentij ex proprio auctographo, ſeu originali Summi Pontificis; quia ibi nec talia fatetur, nec affirmat, ſed ſolùm refert ſimpliciter & nudè auctoritatem, nec alibi (revoluimus enim foliatim omnes impreſſiones ſuprà relatas) & ſic

Digitized by Google

recurrere debent, & ſignare alterum auctorem, auctographum, & originale: quod certè non facient, ut ſtatim videbimus, dùm totaliter interclusum fuerit oſtium ad has, & ſimiles confictiones, & confuſiones. Secundum notandum: quòd folium illud ſeparatum, in quo continentur verba Innocentij, non fuerit impreſſum ab ipſo Lamberto de Monte, ſed ab alio incognito, ut conſtat ex verbis ſuprapoſitis: neque Innocentij auctoritas extat in textu Lamberti, ſed in prædicto folio præliminari ſeparato, & addito, quod conſtat evidenter: nam in Collegio Societatis Jesu Bruxellenſi extat aliud originale completum iſtius libri, & in eo deſunt omnia ſuprà relata de approbationibus doctrinæ Sancti Thomæ, & in alijs decem viſis Coloniç. Tertium etiam eſt certum, quòd liber iſte fuerit excuſus, non à Lamberto de Monte, licet tempore impreſſionis viveret, quia mortuus eſt anno ſequenti, ſed ab inſigni illo Doctore N. qui tot tantáque cecinit elogia Sancti Thomæ Aquinatis: & Doctorem iſtum N. ex vehementiſſimis conjecturis judico eſſe Patrem Joannem Ruinkel de Hallis, Ordinis Prædicatorum; ſed ſive ſit iſte, ſive alius, parùm nobis refert, dum ex tot ſignis manifeſtetur manus ſcribentis. Quartum notandum eſt: quòd Doctor iſte N. temperaverit propoſitionem Innocentij, quia non dixit de doctrina, *qui eam tenuit*, nec, *qui eam impugnavit*; ſed de Sancto Thoma: *Qui eum tenuit:* Tenes me? id eſt, qui eum benè intelligit, & *qui eum impugnavit*, id eſt, perſonam ipſius, *ſemper fuit*, & erit *de veritate ſuſpectus*: quæ propoſitiones inter ſe maximè diſtant, quia illa de doctrina eſt plus quàm temeraria, falſa, & ſcandaloſa, & ut talis eſt damnata, &c. ſecunda verò aliqualiter ſupportabilis eſt. Quintum notandum: quòd, ſicut auctoritas iſta fuit inſerta à quodam Patre Dominicano in operibus Lamberti de Monte tempore impreſſionis in quodam ſeparato folio, ſic etiam inveniatur in multis operibus Sancti Thomæ, ſcilicet, in quæſtionibus diſputatis impreſſis 1508. in Catena aurea impreſsâ anno 1494. in Tabula aurea omnium editionum, & in alijs quam-pluribus; & ſi, quia fuit intruſa in unum opus Lamberti de Monte, ipſum adducant in teſtem ad comprobandam ejus veritatem; pari modo poſſent dicere: prædicta Innocentij auctoritas eſt vera, quia Sanctus Thomas de Aquino in initio ſuorum operum illud teſtimonium affert: quod quidem ridiculum eſſet, ſicut eſt totum, quod dicunt de Lamberto de Monte, & originali Pontificis ab eo viſo.

Tertiò probatur falſitas prædicti teſtimonij ex nomine Papæ: nam in Analythica doctrinæ Sancti Thomæ, à figura ſcholaſtica, &c. impreſſ. Pariſijs 1615. in 8. in præfatione ſic dicitur: *Urbanus VI. in quodam Sermone, qui incipit: Plus quàm Salomon hic (excepta*

ceptâ Canonicâ) nullam agnoſcit doctrinam doctrinâ Divi Thomæ veriorem, &c. Et adducit integram auctoritatem. Quòd autem hujus elogij Auctor non fuerit Urbanus Papa VI. ex ſequentibus evidenter conſtabit. Nec hæc potuit eſſe æquivocatio, quia infrà adducit Urbanum VI. in Bulla ad Toloſanos. David Romæus, ut vidimus ad finem antecedentis Nodi, hoc elogium adſcripſit Urbano V. Anonymus, qui primò illud introduxit, in ſuo libro de Conceptione ad annum 1475. ſolùm dicit: *Innocentius Papa in ſermone, &c.* non exprimens, qualis fuerit ille Innocentius. In tertia parte Sancti Thomæ impreſſâ Venetijs per Philippum Pincium Mantuanum anno 1493. eodem modo ſolùm nominat Innocentium. Petrus de Vincentia, qui ſuum tractatum de Conceptione ſcripſit anno 1494. & in eo adducit quatèr prædictam auctoritatem, ſolùm etiam dicit fuiſſe Innocentium. In quæſtionibus diſputatis, in opuſculis, & in Tabula antiqua impreſsâ Bononiæ ex officina Balthazaris Azogidi anno 1475. & alterâ Baſileæ 1478. & in alijs quam-plurimis ex antiquis, ut Lamberto de Monte, &c. ſolùm extat ſub nomine Innocentij. In operibus enim Sancti Thomæ impreſsis ante annum 1470. de quibus latè diximus Nodo I. non reperiuntur talia verba Innocentij. Et ſic elogium hoc fuit fabricatum poſt annum 1470. quando Sixtus IV. fuit aſſumptus ad Summam Petri Sedem: ſive hoc interim fecerit Anonymus, ſive Petrus de Bergamo, ſive quilibet alius. Conſtat etiam hoc: quia cùm parùm anteà ſcriberent Joannes de Montenigro, Joannes de Turrecremata, Sanctus Antoninus, Gyrandus Renerius, & Raphaël de Pornaſio Ordinis Prædicatorum, qui de litteris Stephani, & epiſtola Urbani V. adeò latam faciunt mentionem, de hac Innocentij auctoritate, nec verbum habent. Et omnes reliqui ſcribentes poſt illum annum, ut Pater Dodi, & P. Trickenhauſen, & ſubſequentes utuntur hoc teſtimonio.

Poſtquàm autem Summus Pontifex Sixtus IV. cœpit exaltare myſterium Immaculatæ Conceptionis, & Bandellus varias habere diſputationes in Lombardia: propter & poſt varias controverſias, cœperunt etiam aſſignare numerum illius Innocentij. Et inter ſe diviſi nonnulli dicebant fuiſſe Innocentium IV. de quibus loquitur Nitella Franciſcana folio 42. & Reverendus Pater Petrus de Sobrevilla Lector Jubilatus, Diffinitor Provinciæ Burgenſis, & Sanctæ Inquiſitionis Qualificator in libello dicato D.D. Didaco de Arce, & Reynoſo quondam Epiſcopo Placentino, & nunc meritiſſimo Inquiſitori generali. Alij verò, ut Nicolaus Janſenius in animadverſionibus folio 57. Gabriel Barlete. P. Gregorius de Trickenhauſen in ſuo tractatu de Conceptione. Thomas de Truxillo, Ignatius

Digitized by Google

Galvan, ſæpiſſimè Dominicus de Gravina tomo 1. ſuarum præſcriptionum contra hæreticos folio 12. & in impreſſione Summæ Theologiæ Sancti Thomæ factâ Pariſijs anno 1639. Pater le Clerq folio 20. & alij, verba iſta adſcribunt Innocentio V. licet Gravina poſteà in ſuo Cherubim Paradiſi libro 2. cap. 4. fol. 150. mutaverit ſententiam, dicens fuiſſe Innocentium VI. & pro iſto Innocentio VI. extant etiam Paulus Nazarius, Arriaga, Breviarium reformatum Dominicanum, & omnes moderni. Non ergò conſtat adhuc inter ipſos, qualis fuerit talis Summus Pontifex. Sed ſi non fuerit Innocentius, qui talia verba protulit, nec Urbanus; quomodò poſſunt in ſententia firmâ ſtare, vel in veritate convenire?

Accipite, & notate vaferrimam quamdam machinam. Pater Ignatius Galvan non inveniens Auctorem, aut aliquod leve fundamentum ad ſolvendam quæſtionem hanc, an, ſcilicet, fuerit Innocentius IV. aut. V. vel VI. inquit: *Gordius profectò hic Nodus: nec ego tamen Alexander: ſolvam enim non ſcindam, &c.* Et ſuum propoſitum Nodum ſic ſolvit: Sanctus Thomas, inquit, fuit vocatus à Gregorio X. ad Concilium Lugdunenſe pro Græcorum erroribus confutandis; cùm autem Petrus de Tarantaſia poſteà Summus Pontifex creatus, Innocentius V. dictus, eidem Concilio ut Cardinalis interfuiſſet, in quo contra præfatos errores, juxta D. Thomæ doctrinam, quam in ſcriptis reliquerat, & prædictus Innocentius olim in epitomen redegerat, veriſimile eſt determinatum, ac definitum fuiſſe doctrinam illam ut Catholicam & veram approbandam fore. Huçuſque Galvan, ut ſolvat Nodum, & concludit ſic: *Adeò enim mirabilis erat Sancti Doctoris ſapientia (quam, ut fama ferebat, Chriſtus Dominus laudaverat) eamq; jam Eccleſia utilitatem afferre cœperat, ut Summus Pontifex Doctori noſtro gratulabundus hunc ei honorem detulerit. Immò hinc doctrinæ illius dignitas colligitur: quæ ſtatim ut nata eſt, laudata & approbata ab Eccleſia fuit, &c. Unde benè Summus Pontifex etiam duobus tantùm annis poſt felicem D. Thomæ tranſitum illam potuit approbare.* Omnia iſta ſic æſtimanda, & credenda ſunt, ac ſi illa dixiſſet Galvan; quia in actis Concilij Lugdunenſis, exiſtentibus part. 2. tom. 7. Conciliorum à folio 872. nec verbum extat ex hîc relatis. Tractatum enim contra errores Græcorum laboravit Sanctus Thomas juſſu Urbani IV. nec illum compendiavit Petrus de Tarantaſia, nec facta eſt mentio talis opuſculi, nec habitus fuit in illo Concilio ſermo aliquis incipiens: *Ecce plùs quàm Salomon hic.* Et ſic Nodus iſte Gordius non ſolvitur, nec ſolvet eum Galvan. Quia Auctorem ſermonis dicunt fuiſſe Innocentium Papam; & cernendo in quatuor Innocentijs difficultatem, unus recurrit ad Urbanum VI. alius ad Vrbanum V. & nunc Galvan ad Gregorium X. & ſic ſunt ſep-

ſeptem Pontifices innodati; ſed jam adeſt ALEXANDER VII. qui Nodum iſtum facillimè ſolvet.

Probo igitur nullum fuiſſe Innocentium, diſcurrendo per ſingulos Innocentios. Et incipiendo ab Innocentio III. hic nec fuit, nec potuit eſſe: quia licet ſcripſerit ſermones de tempore,& de Sanctis,aſcendit ad Sedem anno 1198. ſexto Idus Januarij, & naturæ debitum ſolvit anno 1216. antequàm Sanctus Thomas naſceretur per octo annos.Nec fuit Innocentius IV. quia hic creatus fuit Summus Pontifex anno 1243. octavo Kalendas Julij, quando Sanctus Thomas nondùm viginti habebat annos. Inſuper Innocentius IV.nullos edidit ſermones.Nec fuit Innocentius V.anteà Petrus Tarantaſia dictus ex Ordine Prædicatorum; quia electus fuit ad ſupremam Petri Sedem anno 1276. decimo-tertio Kalendas Februarij, poſt duos annos à morte Sancti Thomæ: tum quia hic nullos ſcripſit ſermones: tum quia verba allegata ſupponunt Angelicum Doctorem jam fuiſſe canonizatum: aliter enim de ipſo non concionaretur Summus Pontifex. Innocentius autem VI. in rei veritate potuit eſſe: ſiquidem inauguratus extitit anno 1352. decimo-quinto Kalendas Januarij,hoc eſt, triginta annis poſt canonizationem Sancti Thomæ; & dicunt de ipſo, quòd ſcripſerit ſermones; ſed ſermones iſti à nullo Nomenclatore viſi fuerunt. Nam etſi R.P. Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte-Carmelo in ſua Bibliotheca Pontificia ſcripſerit, Innocentium VI. edidiſſe ſermones: interrogatus os ad os de fundamento, quo hoc dixerit,reſpondit ſe ſecutum fuiſſe in hoc Nomenclatorem: Nomenclator autem tranſcripſit à Poſſevino: Poſſevinus verò deceptus fuit in hoc ab Anonymo & Bandello,ſicut in multis alijs. Veritas eſt, quòd Innocentius VI. nullos ediderit ſermones: quia iſti ſunt Clementis VI. ut ſtatim videbimus. Innocentius enim VI. ſolùm ſcripſit quaſdam epiſtolas, quæ extant in Bibliotheca Vaticana, & etiam in Collegio Navarræ Pariſien. Denique nec potuit eſſe Innocentius VII. electus anno 1404. decimo-ſexto Kalendas Novembris, & migrans è vitâ anno 1406. tum quia licet Auctores ſupra-poſiti varient inter Innocentios, nullus tamen dixit fuiſſe Innocentium VII. tum quia nullos edidit ſermones: tum quia non ſcripſit aliquid aliud, niſi in congreſſu Cardinalium quamdam orationem de Eccleſiaſtica unione. Et multò minùs potuit eſſe Innocentius VIII. nam cùm iſte fuerit electus an.1484. quarto Kalendas Septembris; jam in multis libris erat divulgatum elogium Innocentij ſub eiſdem numero verbis, quibus adducitur in libro Anonymi.

Iſtæ ſunt rationes ex conjecturis, & allationibus univerſalibus,attamen veris; ex quibus in prima impreſſione

So-

Digitized by Google

Solis Veritatis diximus hanc approbationem doctrinę Sancti Thomæ editam ſub nomine Innocentij Papæ eſſe ſuſpectam. Nunc autem deſcendendo ad individuam rationem, & demonſtrativam facti paratam pro ſecunda impreſſione, probatur prædictam auctoritatem Innocentij eſſe penitùs ſuppoſitam, & falsò intruſam, ex ipſomet originali ſic. Anno 1352. fuit electus in Summum Pontificem poſt mortem Clementis VI. quidam Stephanus Aubertus natione Gallus, qui in ſua coronatione vocatus fuit Innocentius VI. ſed hic nullos edidit ſermones, ut ſuprà diximus; ſed prædeceſſor ejus Clemens VI. anteà vocatus Petrus Rogerius Doctor Pariſienſis, patria Lemovicenſis, qui in pubertate ſua Religionis habitum ſumpſit in Abbatia Caſſædei Ordinis Sancti Benedicti in Arvernis: poſteaque Pariſijs ſtudia Philoſophiæ, & Theologiæ cum ſumma admiratione peregit. Ob ejus ſcientiam, & virtutem Prior conſtitutus Sancti Bandeli Nemanſenſis, deindè Abbas Fiſcannenſis: & ſic gradatim aſcendendo fuit electus Epiſcopus Atrebatenſis, deindè Senonenſis Archiepiſcopus; unde anno 1330. fuit promotus ad Rothomagenſem Archiepiſcopatum; & anno 1337. à Benedicto duodecimo Cardinalis titulo Sanctorum Nerei, & Achillei creatus, Benedictoque mortuo nonis Maij anno 1342. Pontificatûs culmen aſcendit, & coronatus Avenione in Eccleſia Ordinis Prædicatorum, cujus devotiſſimus extitit, Clemens VI. vocatus eſt. Qui hujus inſignis viri acta latiùs videre voluerit, legat 1. tomum Galliæ Chriſtianæ, folio 592. & folio 643. Cùm ergò Anonymus Dominicanus in ſuo tractatu de Conceptione, in Claſſi de Summis Pontificibus, paginâ 80. adduxiſſet Clementem Papam in quodam ſermone contra piam ſententiam abſque auctoritate, & infrà paginâ 113. auctoritate 36. ubi etiam adducit auctoritatem Innocentij Papæ, iterum repeteret Clementem VI. ac denique paginâ 186. rat. 29. tertiò adduceret ipſum cum quadam auctoritate, de qua infrà in Virga; illi in mente fuit, ne toties repeteret eumdem Summum Pontificem Clementem VI. pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ mutare nomen Summi Pontificis, ſicut multoties ipſe facit. Mihi autem pro complemento ſecundæ impreſſionis Solis Veritatis neceſsè etiam erat quærere hujus Summi Pontificis ſermones; ſed Deo ita diſponente, poſt varias inquiſitiones (quia nullus Nomenclator, nec ſub nomine Petri Rogerij, nec ſub nomine Clementis VI. de ipſo ullam faciebat mentionem) hoc modo pervenerunt ad manus noſtras.

Invenimus in civitate Pariſienſi in quodam Catalogo manu-ſcripto exiſtente apud R. P. Ludovicum Jacobum à Sancto Carolo Carmelitam, quòd in Bibliotheca D. D. Caroli de Mont-

Montchal Archiepiſcopi Toloſani, codice 61. fuerant aliquando ſermones hujus Clementis VI. Papæ in membranis antiquis in magno volumine eleganter manu-ſcripti, præmiſſo indice copioſo, cujus primus ſermo erat de Purificatione B. Virginis, & ultimus factus in canonizatione Sancti Ivonis Tertiarij Ordinis Minorum. Quam notitiam eiſdemmet verbis invêni apud Reverendum Patrem Philippum Labbeum Bituricenſem Societatis JESU, in ſua Bibliotheca nova manu-ſcriptorum, pag. 195. ſed cùm per mortem prædicti Archiepiſcopi Toloſani ejus Bibliotheca fuiſſet tranſlata ad civitatem Pariſienſem, venaliſq; facta inter multos fuiſſet diviſa, in tam ingenti multitudine nullus ſciebat, nec ſignare poterat, ubi cecidiſſet pars illa librorum manu-ſcriptorum. At poſt non parvam diligentiam reperi, quòd in Bibliotheca Illuſtriſſimi D.D. Fuquet Procuratoris generalis, & Præfecti ærarij Regis, eſſent illius Bibliothecæ Archiepiſcopalis aliqua volumina. Cùm tamen Bibliotheca iſta Fuqueta ob varia diſcrimina rerum clauſa eſſet,& ſigillata Regalibus ſigillis, coactus fui per ſupplicē libellum petere facultatem à Chriſtianiſſimo, pijſſimoque Rege Ludovico XIV. ut pro gloria, atque honore Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ permitteret mihi illam recognoſcere. Quòd cùm ſuâ ſolitâ pietate, ſpeciali decreto fuiſſet conceſſum die ſextâ Octobris, anno 1661. adivimus domum Sancti Mandeti propè Vincenas: ubi ſcrutatis originalibus manuſcriptis invenimus deſideratos ſermones Clementis Papæ VI. Et hæc de inventione libri.

Dum autem in eo quærerem ſermonem ter citatum ab Anonymo contra Immaculatam Virginis Conceptionem, incipientem: *Erunt ſigna in ſole & luna, &c.* Et ab alijs, de quibus infrà: foliatim revolvendo librum invêni duos ſermones de Sancto Thoma. Primus ſermo incipit: *Docebat eos de regno Dei, Matthæi 21. & in fine Evangelij hodierni ſecundùm Quadrageſimam B. Auguſtini, &c.* Et in hoc, quantùm ad doctrinam Sancti Thomæ, ſolùm inquit: *Scripſit enim ad litteram tot & tanta, tam profunda & alta, quòd mirabile eſt, quòd ad hoc potuit ſufficere tempus vitæ ſuæ. Unde videtur impoſsibile, niſi fuerit à Spiritu Sancto; & de eo dicamus quod ſcribitur Ecclеſ. 12. Cùm eſſet ſapientiſſimus, docuit populum, quæſivit verba utilia, conſcripſit ſermones veriſſimos, & veritate plenos. Et videtur, quòd doctrina iſtius Sancti oſtendatur eſſe vera ſuprà omnes doctrinas Doctorum modernorum, ex duobus &c. Talentum enim ſibi creditum liberaliter communicavit: neſcivit enim æmulationis, & falſitatis ac vanitatis vitium, quinimmò fuit oraculorum, & ſecretorum naturalium, & ſupernaturalium enucleator conſpicuus, &c.* Sermonem iſtum poſteà inveni inter alios ejuſdem Auctoris in quodam manu-ſcripto exiſtente in Monaſterio Marquianenſi

Ordinis S. Benedicti propè Duacum in Belgio, ſub hoc titulo : *Sermo, quem fecit D. Rothomagen. Cardinalis de Sancto Thoma de Aquinò, in domo Prædicatorum coram Dominis Cardinalibus, & Clero*, & extabat fol. 64. Et infrà fol. 87. à tergo, columnâ 3. invêni ſermonem pro Sancto Thoma Aquinate ſub hoc themate : *Ecce plus quàm Salomon hic ; & in Evangelio hodierna die, &c.* Et quòd ſermo ille incipiebat ſic : *Ratio docet, quòd quando aliquis alteri laudabiliter adæquatur, &c.* Et ſtatim venit mihi in mentem, quòd ſermo ille citatus ab Anonymo, & alijs in eadem pagina ſub nomine Innocentij Papæ incipiens : *Ecce plus quàm Salomon hic*, eſſet non Innocentij Papæ VI. (quia, ut ſæpè diximus, nullos edidit ſermones) ſed hujus Clementis Papæ VI. Anonymus autem, ut non repeteret toties eumdem Summum Pontificem Clementem VI. in auctoritate pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, mutavit nomen Clementis Papæ in nomen Innocentij Papæ, ut ſuprà dixi. Vel ad meliorem partem hoc projiciendo, iſte fuit lapſus calami, vel error typographiæ : nam, ut ſuprà vidimus, Pater ille Analythicus compilator doctrinæ Sancti Thomæ ex inadvertentia ſua, aut typographorum incuria auctoritatem iſtam adſcripſit Urbano VI. & Romæus Urbano V. Sicut ergò iſti ſcribendo ad ann. 1615. & 1511. erraverunt in Pontificis nomine, potuit Anonymus abſque aliqua ejus poſitiva intentione pro Clemente VI. ponere Innocentium VI. Sed hoc parùm intereſſet pro principali materia, de qua agimus : quia Clemens fuit Papa VI. & Urbanus Papa VI. ſicut etiam Innocentius Papa VI. alter alteri ſucceſſit, immò & Clemens fuit antiquior Innocentio, & Urbano ; ac ſic, licet auctoritas ſive approbatio doctrinæ Sancti Thomæ eſſet ab uno Clemente Papa VI. ſive ab altero Innocentio Papa VI. aut ab Urbano VI. eamdem prorsùs deberet habere vim, & robur. Et ſic non de nomine Pontificis, ſed de auctoritate ſolummodò eſt inquirendum, ſuppoſito, quòd non fuerit Urbanus VI. ut vidimus in antecedenti Nodo : & jam habemus Clementem, vel Innocentium Papam VI. & ſermonem hujus Pontificis incipientem ſub themate : *Ecce plus quàm Salomon hic, &c.* Quæramus auctoritatem, quia in hac conſiſtit tota veritas.

Dico ergò pro unica, firma, & ſtabili concluſione : quòd approbatio doctrinæ Sancti Thomæ adducta ab Anonymo, & poſt ipſum ab omnibus ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum falsò ſub nomine Innocentij Papæ, ſeu auctoritas illa adducta ex ſermone : *Ecce plus quàm Salomon hic*, non extet in Clemente Papa (cujus talis ſermo in rei veritate eſt) nec ſecundùm ſe totam, nec ſecundùm ejus partes eſſentiales, ſed tantummodò ſecundùm aliqua verba, pauciſſima tamen. Unde in toto, & in parte fuit dif-

diſpoſita, & fabricata ab Anonymo Dominicano. Et ſicut dixit ſub nomine Innocentij Papæ: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ canonicâ) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum: ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille.* Veriùs profectò diceret: *Hæc ego* Anonymus auctor, & incognitus ſcriptor Ordinis Prædicatorum, quaſi ex nihilo pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, ex quibuſdam verbis exiſtentibus in ſermone Sancti Thomæ, edito à Petro Rogerio Doctore Pariſienſi, qui incipit, *Ecce plùs quàm Salomon hic*, diſpoſui, fabricavi, & creavi auctoritatem iſtam à fundamentis, ut tamquam decretalis Pontificia repleret libros; ut ſacri alicujus Eccleſiæ Doctoris auctoritas concionaretur ad populum; ut Concilij canon ſtabiliretur in concluſionibus dogmaticis, ut conſtitutio Apoſtolica Romana poneretur in libris Eccleſiaſticis, & tandem ut Fidei articulus recitaretur in choro. Et hoc fecit Anonymus iſte eodem modo, ac ſtylo, quo falſificavit auctoritatem ejuſdem Clementis contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Recurrat Lector ad illam poſitam infrà in Virga, & juxta ibi viſa, allegata, & probata, judicet de iſta. Vel diſcurrat ſic, qui in eodem capitulo & folio pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ finxit integram epiſtolam ſeu Bullam ſub nomine Univerſitatis Pariſienſis, ut in ſequenti Nodo principali videbimus, finxit etiam auctoritatem ſub nomine Innocentij Papæ.

In probatione hujus concluſionis parùm temporis erit expendendum: nam dependet ſolùm ejus evidentia ex demonſtratione auctoritatis, & verborum Pſeudo Innocentij, ſeu veri Clementis. Nam licet ibi multa dicat pro excellentia doctrinæ Sancti Thomæ, præcipua, ex quibus incognitus ille Auctor dolavit propoſitum elogium, ſunt ſequentia: *Doctor noſter Sanctus Thomas Salomoni meritò coæquatur. De Salomone dicitur, tertiò Regum nono, quòd præcedebat Salomonis ſapientia ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum. Et ipſe de ſe dixit Eccleſiaſt. 1. Præceſſi ſapientiam omnium, qui ante me fuerunt in Hieruſalem, &c. Audacter dico, quòd iſte præceſſit ſapientiâ omnes, qui fuerunt ante eum, immò & poſt eum in Univerſitate iſta Pariſienſi. Et certè ſicut Salomon eruditus à juventute impletus eſt quaſi flumen ſapientiâ; ſic iſte à juventute, quia adhuc viginti-ſex annorum legit Pariſijs ſententias, & honorem Doctoratûs trigeſimo ætatis ſuæ anno recepit. Nec mirum, quia Magiſter noſter, qui eſt Chriſtus, antequam publicè doceret in mundo, voluit ſpectare. Meritò ergò Salomoni coæquatur. Et ratio poteſt eſſe, quia ſecundùm Philoſophum 1. Metaphyſicæ, ſignum ſapientiæ eſt poſſe docere: ideo ex doctrinâ eorum conformitate poſſumus ſapientiæ æqualitatem concludere in ambobus. Modò videtur mihi, quòd iſtorum doctrina habet quatuor conditiones*

Digitized by Google

conformes. Prima eſt, quòd habet certitudinem exiſtentiæ, & veritatis. Secunda pulchritudinem evidentiæ, & claritatis. Tertia, plenitudinem affluentiæ, & utilitatis. Quarta, latitudinem continentiæ, & univerſitatis. Eſt enim vera ſine contagio falſitatis, clara ſine tædio obſcuritatis, fructuoſa ſine vitio curioſitatis, copioſa ambitu ſuæ generalitatis, &c. Et paulùm infrà: *Patet, quòd doctrina iſtius habet certitudinem exiſtentiæ, & veritatis. Unde poteſt dici illud Joannis 17. Sermo tuus veritas eſt. Hanc ergò veritatem eme, & noli vendere ſapientiam, ſicut dicitur Proverbiorum 23. ſcilicet eam ſtudendo. In ea ſe fundent Doctores, qui eam docent; audiendo ſcholam, in qua docetur, frequentando: ne ſis de numero illorum, quos Apoſtolus vocat ſuperſtitioſos, qui non vacabant ad alia niſi audire, aut dicere aliquid novi. Actorum 17. Hæc ergò doctrina, Chariſſimi, non recedat ab ore, non recedat à corde; quia ipſam certè ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris, ipſam ſtudens ad veritatem pervenis. Tenui eam nec dimittam, Canticorum 3. Sapientiæ* 8. *Secundò dico: quòd habet hæc doctrina pulchritudinem eminentiæ, & claritatis: quia eſt clara ſine tædio obſcuritatis, clara enim inter omnes doctrinas iſta eſt magis clara. Quis enim habuit ſtylum ita clarum, ubi, & cæteris res eſt de ſe ſummè obſcura, ipſe eam tradidit ita clarè, quòd vix eſt aliquis ita rudis, quin eam intelligere poſſit? & certè non immeritò, quia ſua ſapientia non fuit ſapientia hujus mundi, &c.* Et poſt pauca: *Et benè dixit, ſol; quia ſicut ſol excedit ſtellas, quia eſt majoris ſplendoris in claritate, majoris fervoris in caliditate, majoris valoris in fœcunditate, majoris dulcoris in ſuavitate; ſic omnes Doctores, qui ſunt in Univerſitate iſta, &c.* Et ſic proſequitur cum alijs excellentijs minoris momenti, ſeu communibus, quæ de unoquoque Sancto Doctore modo concionatorio, ſeu panegyrico recitari publicè, & encomiaſticè poſſunt. Ex hoc ergò Pontifice Clemente VI. non Innocentio VI. & ex iſto ſermone incipiente: *Ecce plus quàm Salomon hic, &c.* & relatis verbis fabricavit ille incognitus ſcriptor Ordinis Prædicatorum, & compoſuit ſuam celebrem, atque decantatiſſimam auctoritatem.

Pro qua ſupponendum eſt primò: quòd ſermonem iſtum non prædicaverit Petrus Rogerius, cùm eſſet Summus Pontifex Clemens VI. circa ann. 1342. ſed cùm eſſet Doctor Pariſienſis, poſt annum 1323. & poſt canonizationem Sancti Thomæ Aquinatis, & ſic ſine fundamento fuit adſcriptus ſermo iſte Clementi VI. Papæ, ſeu Innocentio Papæ; ſed publicanda erat auctoritas, & approbatio doctrinæ Sancti Thomæ ſub nomine Petri Rogerij Doctoris Pariſienſis.

Secundò ſupponendum: quòd, cùm hic à juventute ſua fuiſſet nutritus in Univerſitate Pariſienſi, non ignoraret doctrinam Sancti Thomæ in toto, vel in parte fuiſſe interdictam uſque ad annum 1324. ideoque prudentiſſimè protulit illa verba: *Audacter dico, quòd iſte præceſſit ſapientiâ omnes,* qui

qui fuerunt ante eum, immò & poſt eum in Univerſitate iſta Pariſienſi. Comparatio iſta cum Pariſienſibus, ſeu antelatio ad omnes illius Academiæ Doctores parva excellentia viſa eſt illi incognito Patri Dominicano; & ideò eam extendit ad omnes Eccleſiæ Doctores, ſine illa addita diminuente: *Audacter dico*, & etiam illâ: *ſalvâ pace*, ſic dicens abſolutè: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ Canonicâ) &c.* Volens, quòd doctrina Sancti Thomæ non præ cæteris Doctoribus Pariſienſibus, Alberto Magno, Alexandro de Ales, Beato Bonaventurâ, immò & Petro Lombardo ſententiarum Magiſtro; ſed præ cæteris omnibus alijs Eccleſiæ Doctoribus, ſcilicet, Auguſtino, Hieronymo, Gregorio, Ambroſio, Chryſoſtomo, Baſilio, Cyrillo, & Athanaſio, haberet majorem veritatem ſententiarum, & cætera alia, quæ in auctoritate proponuntur: & quòd ſapientia, & doctrina Sancti Thomæ, (exceptâ Canonicâ) primum haberet locum in Eccleſia Dei. Ratio autem à priori, quare appoſuit hanc ingentem clauſulam, *præ cæteris (exceptâ Canonicâ)* fuit, quia cùm legiſſet de Conceptione Virginis in 3. part. ſui Angelici Doctoris verba illa: *Quòd fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, &c.* Voluit poſt Scripturam Canonicam conſtituere doctrinam Sancti Thomę, ut Eccleſiâ Catholicâ deficiente, & textu in Sacra Scriptura circa Sanctificationem Virginis Mariæ in utero, neceſſariò recurreretur ad immediatam doctrinam Sancti Thomæ, & inde ſumeretur determinatio pro hac controverſia diffinienda; quia deficiente determinatione in Scripturâ Sacrâ Veteris, aut Novi Teſtamenti, doctrina Sancti Thomæ eſt immediata regula, & Fidei Canon, ut dicit Galvan tomo 1. l. 2. cap. 4. diſt. 5. folio 309. num. 4. litt. D. 2. & alij quamplurimi, ut infrà videbimus.

Tertiò obſervandum: quòd inter Doctores adductos contra Immaculatam Conceptionem à Capreolo, qui ſcripſit ante Anonymum, & ab ipſomet Bandello, ut videre eſt cap. 21. folio 36. unus fuerit Gotifredus, vel Gualfridus cognominatus de Fontibus, de quo diximus ſuprà in prima approbatione Stephani Epiſcopi Pariſienſis. Et hic, ut ibidem videre eſt, inter alia dixit de doctrina Sancti Thomæ: *Quia ſalvâ reverentiâ aliquorum Doctorum, exceptâ doctrinâ Sanctorum, & eorum, quorum pro auctoritatibus allegantur, prædicta doctrina inter cæteras videtur utilior, & laudabilior reputanda.* Hinc incognitus ille Auctor Ordinis Prædicatorum deſumpſit normam verborum ad componendam ſuam auctoritatem, extrahenſque illud, *exceptâ doctrinâ*; & illud, *inter cæteras*, tranſmutando in, *præ cæteris*, reliquit omnia alia, ſcilicet: *Quia ſalvâ reverentiâ aliquorum Doctorum*; quia non ſolùm aliquos, ſed omnes debet præcedere ſapientiâ & doctrinâ Sanctus Thomas: & illud,

Sanctorum, & eorum, quorum pro auctoritatibus allegantur, reputavit pro parvo elogio; & ſic, ubi Gotifredus dixerat, *exceptâ doctrinâ Sanctorum*, auxit ipſe dicens, *exceptâ doctrinâ Canonicâ*; & pro illis, *utilior, & laudabilior*, appoſuit alia, quæ in auctoritate continentur, ſcilicet illa, *habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum.*

Quartò obſervandum, quòd ultima ſuæ auctoritatis verba, *ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus*, fabricavit ex illa clauſula Petri Rogerij: *Hac ergò doctrina, Chariſſimi, non recedat ab ore, non recedat à corde; quia ipſam certè ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris, ipſam ſtudens ad veritatem pervenis.* Excellentiæ iſtæ doctrinæ Sancti Thomæ, licet tam ſublimes, parvæ etiam viſæ ſunt illi incognito Patri; ideò addidit illud de ſequela, *Ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe*: ſicut & illud de impugnatione, *& qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Ac totaliter tradidit oblivioni pro ſe illud, *ipſam loquens non mentiris.* Pater Truxilius tom. 1. lib. 1. cap. 3. magis expreſſit relativum dicens: *Et quicumque eum impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Vox enim *quicumque* univerſalior eſt, quàm *omnis.* Et hæc de materiali ſtructura hujus auctoritatis, ſeu approbationis doctrinæ Sancti Thomæ: alia vide in Nodo.

De hac auctoritate Clementis V. aut Petri Rogerij, & ſermone ipſius incipiente: *Ecce plùs quàm Salomon hic, &c.* Nullus Ord. Prædicatorum antiquus ſcriptor parvam ſaltem mentionem fecit; aliqui verò moderni de auctoritate, ac ſermone indubitatam notitiam habuerunt: attamen, ne cum auctoritate, ſermone, & nomine Clementis VI. labefactarent id, quod ſui prædeceſſores publicaverant ſub nomine, ac ſermone Innocentij VI. nimis confusè ac ſimulatè locuti ſunt de Clementis VI. ſermone. In impreſſione enim Summæ Theologiæ Sancti Thomæ Duacenſi apud Marcum Wyon, anno 1614. in primo folio depictâ imagine pulcherrimâ Sancti Thomæ circumdatâ ſeptem Summis Pontificibus, ex una parte Joanne XXII. Clemente VI. & Paulo V. & ex alia Pio V. Innocentio VI. & Clemente VIII. & inferiùs Urbano VI. atque ſubtùs Stephano Pariſienſi Epiſcopo in cathedra poſito: ſub Clemente VI. ſubſcripſerunt hæc verba: *Cujus doctrina cæterorum D.D. eſt verior ſine contagio falſitatis, clarior ſine tædio obſcuritatis, utilior ſine vitio curioſitatis. In ſermone de laudibus ipſius* Hucuſque in illa lamina pro Clemente VI. Ubi

Duo ſunt valdè notanda: primò, illa ingens variatio: nam legitima Petri Rogerij auctoritas ſic ſe habet: *Eſt enim*, id eſt, doctrina, vel ſapientia D. Thomæ, *vera ſine contagio falſitatis, clara ſine tædio obſcuritatis, fructuoſa ſine vitio*

vitio curioſitatis : fuit ergò ab iſta ſuperior tranſcripta, ſed non rectè : quia hìc loquitur Clemens VI. abſolutè ſobriè, immò rectè : ſcriptor autem illius iconis comparativè, extortè, immò falsè : nam licet doctrina Sancti Thomæ ſit *vera, clara, & fructuoſa*, at non *cæterorum Doctorum, verior, clarior, & utilior*; cùm comparatio iſta univerſalis ſit tum contra veritatem, tum ſcandaloſa, &c. Item clauſula ultima Clementis VI. dicit, *fructuoſa ſine vitio curioſitatis*, non autem *utilior ſine vitio curioſitatis*, ut corruptor malè appoſuit. Elogia enim, quæ non habent comparationem ac præcedentiam omnium Doctorum, non judicant eſſe congrua pro Sancti Thomæ doctrina, ut infrà millies videbitur. Dicent fortè ſe non extraxiſſe auctoritatem iſtam ex originali Clementis, ſed ex auctoritate Lamberti de Monte, ubi ſic extat : *Hujus doctrina cæterorum Doctorum & Magiſtrorum modernorum eſt verior, &c.* Si hoc fuit, quare abſtulerunt illam vocem, *modernorum*, quâ propoſitionem determinatam fecerunt univerſaliſſimam ? ex omni ergò parte macularunt auctoritatem.

Secundò ac præcipuè notandum eſt illud : *In ſermone de laudibus ipſius* : quia auctoritas iſta Clementis VI. extat in illo ſermone incipiente: *Ecce plùs quàm Salomon*, & ut fugerent ab iſto titulo, & non viderentur conſtituere plures Pontifices ſextos, & plures ſermones incipientes : *Ecce plùs quàm Salomon hic*, variata fuit citatio dicendo: *In ſermone de laudibus illius*. Ex quibus omnibus deducitur quaſi pro concluſione, iſtos compilatores tertiæ partis vidiſſe ſermonem Clementis VI. vel in originali, vel in Lamberto de Monte; ſed artificiosè illum adduxiſſe, ut ædificando de novo alium Pontificem Clementem VI. non deſtruerent antiquum Innocentium VI. Item Franciſcus Sylvius in orat. 2. pro Sancto Thoma factâ Duaci anno 1613. fol. 86. conjunxit auctoritates iſtas Clementis VI. & Innocentij VI. & illas dedit per modum unius, ſic dicens : *Hujus Doctoris ſapientia* (*inquit Innocentius VI.*) *præ cæteris* (*exceptâ Canonicâ*) *habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut, qui eam tenuit numquam inveniatur à tramite veritatis deviaſſe; & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Eſt enim cæterorum Doctorum, & Magiſtrorum verior ſine contagio falſitatis, clarior ſine tædio obſcuritatis, utilior ſine vitio curioſitatis, latior ambitu ſuæ generalitatis, ait Clemens VI. Hinc Urbanus*. Hic, qui etiam ſcripſit Duaci, ſicut præcedentes, & eodem tempore, pariter vidit ſermonem Clementis VI. vel Lambertum de Monte, ut conſtat ex illa clauſula : *Latior ambitu ſuæ generalitatis*, quæ in rei veritate extat in illo ſermone Clementis VI. & non poterat hanc ſuo loco apponere, niſi vidiſſet originale, vel Lambertum de Monte; ſed addidit præter corruptiones ſuprà poſitas & annotatas, aliam non minorem, illam ſcilicet :

Cæ-

Digitized by Google

Cæterorum Doctorum, *& Magiſtrorum*: ut ſic doctrina Sancti Thomæ præcederet non ſolùm Doctores, ſed & Magiſtros: ſed hæc in rei veritate extat in Lamberto. Pater Petrus de Clerq. in ſua oratione de S. Thoma folio 32. inquit: *Vnde ſupremus ille Pontifex Clemens VI in quodam ſermone enumerans Sancti virtutes laconicâ periodo, ſed facundâ diſertiſſimè connotavit: Beatus Thomas, ait, (ſenſus eſt non verba) erat omnium virtutum patronus, &c.* Et adducit latiſſimam auctoritatem relatam ſolùm ad ſenſum verborum Clementis VI. ex illo ſermone incipiente: *Ecce plùs quàm Salomon hic*; ſed occultando initium ſermonis, ut non viderentur ex uno Pontifice, atque ſermone fabricati fuiſſe duo, & ut quærendo veram auctoritatem Clementis VI. non invenirent amatores veritatis hanc fuiſſe penitùs vitiatam, & alteram Innocentij eſſe falſam. Manet igitur ſufficienter comprobata veritas Auctoris legitimi, & auctoritatis illius ſermonis: *Ecce plùs quàm Salomon hic*: Scilicet, quòd Auctor non fuerit Innocentius VI. ſed Clemens VI. & quòd auctoritas à primo uſque ad ultimum verbum ſit ficta.

Quantùm ad formale, ſeu ad ſenſum, illius in re tam ardua, difficili ac periculoſa neſcio quid dicendum ſit, relictis omnibus iſtis altiori judicio. Propono tamen, quòd in civitate Lucruni anno 1658. die 25. Julij Reverendus Pater Frater Joannes de Campomanes, & Oſorio Lector Theologiæ moralis Ordinis Prædicatorum, in quibuſdam concluſionibus Philoſophiæ, quarum titulus erat: *Vtrùm materia prima poſſit exiſtere ſine forma*; dicatis Angelico Doctori D. Thomæ Aquinati (& dedicatoria ſic incipiebat: *Divo Thomæ Aquinati, &c. cujus aſſeclæ in Fide tuti, cujus impugnatores ſemper ſuſpecti de veritate habentur, &c.* Quæ verba, ut ex ipſis conſtat, ſunt extracta ex propoſita auctoritate Innocentij) inter diſputandum concluſerit dicens: *Noſe cauſen que quantos impugnaren à Santo Thomas en qualquiera materia ſon ſoſpechoſos de heregia.* Erat concluſio de materia prima: Utrùm poſſet exiſtere nec ne, ſine forma; & illam impugnantes, in qualicumque materia, erant ſuſpecti de hæreſi; quia omnis, qui impugnat doctrinam Sancti Thomæ, in quacumque materia ſit, ſive Theologica, Phyſica, Morali, Naturali, Hiſtorica, vel Polytica, ſemper erit de veritate, de Fide, & de hæreſi ſuſpectus. Et non credas hoc fuiſſe dictum inconſideratè ex ardore diſputationis: nam hæc eadem invenitur in Patre Ignatio Galvan tom. 1. lib. 2. capite 4. diſt. 5. pag. 513. num. 13. colum. 1. ſic dicente: *Nemo ſine hæreſis ſuſpicione poteſt diſſentire à D. Thomæ doctrina.* Nota verbum, *diſſentire*, quia non ſolùm qui impugnat, ſed etiam qui diſſentit à Sancti Thomæ doctrina, eſt de hæreſi ſuſpectus; vide de hoc alia infrà. Sed omnia iſta die 26. Aprilis anno 1659. per edictum Sanctæ Inquiſitionis ſubſcriptum à D. Petro Mar-

Martinez de Coca Secretario ejuſdem Sancti Tribunalis, fuerunt cenſorio præcepto interdicta, his verbis: *Vnas concluſiones impreſſas en eſta Cindad de Logroño por Juan Diaz Valderrama, que defendio D. Franciſco Balthaſar de Menante, en la Igleſia Real de Santiago della, y las preſidio fray Juan de Campomanes Oſſorio Religioſo en el Convento de Santo Domingo de la dicha Cindad, que empieçan: D. Thomæ Aquitati, &c. por contener el titulo en las dichas concluſiones palabras ſedicioſas, ſcandaloſas, y temerarias.* Nota illud: *Por contener en el titulo*; & ſi tituli verba tunc fuerunt ſeditioſa, & temeraria, quando de origine & principio illorum nulla erat notitia: quid modò de ipſis dicendum eſſet comperto fundamentum fuiſſe falſum & fictum?

Cum his etiam concluſionibus conjungi poſſunt aliæ concluſiones habitæ in Gallia in civitate Piſcenenſi hoc anno 1661. per Joannem Joſephum Bouſſantellum dicatæ Conſulibus illius civitatis, quarum Epigraphe eſt: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis*, *Pſalm*. 43. *verſ*. 6. *Thomiſtica paleatæ ſubtilitatis ventilabra, &c.* Et inter alia quam-plura, quæ in ipſis reperiuntur concluſione 11. hæc habentur: *Nuſquam uſus eſt familiariter Doctore Angelico, quem putas in hac parte non infenſum Scoto: vel enim formalem tantùm diſtinctionem (verba ſunt ipſiſſima nonæ tuæ concluſionis) intelligis, & jam Scotum etiam tuum non intelligis: vel aliam à virtuali poſtulas, ac tum adverſus Angelicum Doctorem pugnas, vel utramque confundis, ac ſic, Auctore Radâ, te turpiter abradis.* Et ſtatim infrà: *Vel ipſo Principum Eccleſiæ decreto diſtinctionem ex natura rei formalem ab omni hæreſeos ſuſpicione contra quoſcumque ventilatores Thomiſtas accedas vindicaturus, ac iterum ille ſua tantùm in Provincia lactabundus cum alumno præſide ventilabitur tutor; ventilabit tot ſordes Thomiſta, quas in Divinam eſſentiam congerit Scotiſta.* Et majuſculis characteribus ad latus habentur hęc verba: *Pabulum relinquit ſubtilibus aſinis ventilabrum Thomiſticum.* Mirum videbitur, quòd in theſibus Philoſophicis, de rationali, morali, ac naturali Philoſophia propter conciliationem factam ab aliquo Scotiſta ſecundùm ſententiam Joannis de Rada inter diſtinctionem formalem, & ex natura rei, cum diſtinctione virtuali Thomiſtica, tractentur Fratres Minores ut aſini, & hæretici? Sed mirabiliùs videtur hæc ſcripta fuiſſe præſide, & tutore cujuſdam ſimplicis ſacerdotis clericorum Minorum Oratorij. Sed ſi de omnibus circa hanc materiam obſervatis, in libris reddenda eſſet ratio, procederemus in infinitum.

Vidimus ſuprà Nodo I. qualiter ſtatim ac promulgatum fuerat hoc elogium, ſeu approbatio doctrinæ S. Thomæ edita ſub nomine Innocentij Papæ, exorta fuerit etiam & impugnatio illius; quod non contigit cum alijs excellentijs, quia ex ſola terminorum apprehenſione cognoſcebatur.

ipſius duriſſima diſſonantia. Propter hoc Pater Samuel de Caſſinis reclamavit impugnando illam clauſulam, quæ acrior videbatur in ficta auctoritate Innocentij, illam ſcilicet : *Et qui eam impugnavit ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Quam propter doctrinam Scoti fuiſſe poſitam, non eſt dubitandum; & ſic non erat mirum, quòd Scotiſtæ conarentur illam ſubvertere rationibus, cùm non haberent unde poſſent illam convincere de falſitate. Ratio autem potiſſima, immò & unica Patris Samuelis fuit illa : D. Thomas in Philoſophia naturali, Metaphyſica , atque Logica cœcutijt aliquando, ergò qui eum non ſequitur non eſt de veritate ſuſpectus. Contra hoc argumentum exarſit Pater Dodi ſic dicens : *Verumtamen conſuetudinem canum Caſſinenſium ruralium ſibi vendicaſſe videtur: ſolent enim in illis exiſtentes contra lunam latrare. Sic Samuel in angulis latitans latratum emiſit in D. Thomam dicens : In Philoſophia autem naturali, & in Metaphyſica atque Logica cœcutijt & ipſe aliquando: Nam cœcutire, ut prædixi, eſt eſſe cœcum per ignorantiam. Dicito Samuel; in quo paſſu notaſti D. Thomam cœcum, in quo puncto expertus es ipſum ignorare? Dicamne quæ meritò exigunt hæ detractiones Samuelis?* Et ſic diſcurrit circa antecedens reduplicando opprobria, ſed circa conſequentiam ſolùm dicit: *Ultima verò pars dictæ concluſionis eſt auctoritas D. Innocentij Papæ, ut præmiſſum eſt, quam ſi negare velis, & in cœlum os tuum ponere non formidas, &c.* Et infrà concludit : *Et cùm infert, ergò Thomam improbare, vel ei contradicere, non eſt eſſe ſuſpectum de veritate , illud dictum eſt D. Innocentij Papæ, ut dictum eſt ſuprà, & negando illud agit Samuel ut ſolet, &c.* Hæc eſt tota reſponſio Patris Dodi ad argumentum Patris Samuelis pro antecedenti; aperuit portas ad convitia, & pro conſequente clauſit oſtium ad rationem dicendo : iſta ſunt verba Innocentij Papæ. Eſtne alia ratio ut dicatur illud : *Et qui eum impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Alia non eſt, niſi quòd ita dictum fuerit à quodam Innocentio Papa. Ergò ſi non eſt alia, neceſſe erit indagare an hoc dixerit Innocentius; quia ſi hoc non dixit, non erit ponere in cælum os, ut de ſe patet. Nec P. Dodi intellexit quid eſſet cœcutire; quia non eſt eſſe cœcum per ignorantiam, ut ipſe malè interpretatus eſt , ſed tantùm ſignificat non rectè, non clarè, non exactâ perſpicacitate videre. Cœcutiebat ille, qui, cùm fuiſſet cœcus totaliter, ſanatus à Chriſto Domino dicebat, video homines ſicut arbores ambulantes : videbat, & verùm dicebat, ſed cœcutiendo. Et relinquendo alios poterit Pater Dodi videre ſuum Joannem de Januâ in Catholicon, ne & ipſe poſt hâc ita cœcutiat in hujus verbi ſignificatione; inquit enim : *Cœcutio, id eſt, lippio, parùm video, inde cœcutiens cœcutientis omnis generis. Unde cœcutientes dicuntur lippientes, id eſt, parùm videntes ſecundùm Papiam. Unde Hieronymus dicit de epiſtolis canonicis,*

quòd rarus eſt, qui non in earum lectione cæcutiat. Non eſt ergò paſſus Pater Dodi, ut de ſuo Angelico Doctore diceretur, quòd aliquando parùm viderit, unde ingens reſultavit Nodus, à cœcutientibus, nec rectè videntibus ſolvendus. Ut ſuprà vidimus.

Ex propoſita Innocentij auctoritate, ſive approbatione doctrinæ Sancti Thomæ quam-plurimæ illationes, & conſequentiæ raræ, & ſingulariſſimæ fuerunt extractæ, ſeu deductæ à ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum. Et incipiendo à Doctoribus Salmanticenſibus, qui folio 26. numero 17. ſcripſerunt verba ſupra-poſita: & folio 202. num. 68. ſic iterùm redeunt ad ipſa verba: *Inocentius VI. jam citatus cùm loquitur de doctrina Doctoris Angelici, ait: eum, qui illam ſequitur, numquam errare, qui verò eam deſerit aut impugnat, ſemper eſt de veritate ſuſpectus. Hanc veritatem confirmavit Joannes XXII. in ſolemnitate canonizationis hujus Sancti Doctoris, ut videre eſt in compendio hiſtoriæ Ordinis Prædicatorum in fine Conſtitutionum: & Clemens VIII. in Bulla ad Neapolitanos dixit expreſsè Sanctum Doctorem ſcripſiſſe ſine ullo prorsùs errore. Dicunt Sancti Pontifices, & docent nos tutam eſſe iſtius Sancti doctrinam, non errare qui eam ſequuntur, ſuſpectos eſſe de veritate qui eam impugnant. Cùm igitur Academia juravit illam ſequi, juravit ſe non exponere periculo errandi. Itaque hoc juramentum non eſt de materia indifferenti, ſed juſta & ſancta; juſta non quomodocumque, ſed ita, ut non impediat bona majora, quin potiùs illa ſecum adferat, ut ex ſupra-dictis apertè colligitur.* Nota hæc ultima verba: *Sed ita, ut non impediat bona majora.* Quia ex ipſis præcipuus Nodus eſt conſtruendus.

Conſideratione ſpeciali indigent illa verba: *Qui verò eam deſerit aut impugnat, ſemper eſt de veritate ſuſpectus.* In auctoritate Innocentij ſolùm dicitur: quòd ſit de veritate ſuſpectus, qui illam impugnat; hîc verò jam additur, quòd ſit de veritate ſuſpectus, qui eam deſerit: quia non ſolùm eam impugnare poſitivè, ſed etiam negativè ſe habere, nec impugnando, nec ſequendo, ſed tantùm deſerendo, eſt etiam ſe de veritate prodere ſuſpectum. Gradum iſtum aſcendit doctrina Sancti Thomæ anno 1632. anno verò 1652. in R. Patre Gundinſalvo de Arriaga, tomo 2. §. 14. num. 10. folio 160. explicando eamdem clauſulam: *Semper fuit de veritate ſuſpectus*, altiùs ſupergreſſa eſt: inquit enim hiſpanicè: *Quiza no ablo el Papa en numero plural, porque no ſoſpechaſe alguno pudiera eſcaparſe de ſoſpechoſo en verdad; pues no ay regla general que no padezca excepcion, uſa de numero ſingular para que ſin deſcarte alguno ſepan todos uno, por uno, que qualquiera que impugnare à Santo Thomas quena ſoſpechoſo de verdad, &c. A eſta traça el Papa con voz ſoberana mirando à ſu hijo Thomas maldiçe a quien le impugna.* Ecce quomodò in ſententia hujus Auctoris tota Religio Minorum in communi & particulari, quia impugnat doctrinam Sancti Thomæ, & aliæ

 Re-

Religiones, quæ non poſitivè ſequuntur eamdem doctrinam, conjunctim & deviſim ſunt maledicti maledictione Pontificiâ cum voce ſuperna, ſupereminenti, ſublimi; & omnibus his non ſufficientèr explicatur terminus ille hiſpanicus: *Soberana:* ſed neſcio, ubi Pater Arriaga invenerit hanc maledictionem. Poſt paucos annos, ſcilicet, 1658. Pater Campomanes, de quo ſuprà dixit illud: *Noſe cauſen que quantos impugnan à S. Thomas en qualquiera materia ſon ſoſpechoſos de heregia.* En quomodò indies creſcit, & dilatatur approbatio illa Apoſtolica doctrinæ Sancti Thomæ ficta ab incognito Patre Dominicano, & creſceret ampliùs & ampliùs, niſi Deus ſpeciali ſuâ providentiâ curaſſet de hoc præſervativo remedio oſtendendo veritatem amantibus originem, & principium hujus elogij, ſeu approbationis falſitatem.

Infrà §. 14. folio 149. num. 104. iterùm redeunt Salmanticenſes ad eamdem approbationem Sancti Thomæ dicentes: *Addimus nos neſcire, cum qua auctoritate Auctores objectionis doctrinas Sanctorum dijudicant contra decreta Pontificum, qui, ut anteà retulimus, declaraverunt in doctrina Sancti Thomæ nullam inveniri falſitatem, neque erraſſe, qui eam ſecutus eſt, & qui eam non ſequitur de veritate ſuſpectum eſſe. Inſuper doctrinam hujus Sancti vocaverunt Catholicam, id eſt, univerſalem; quia omni tempore, & loco, & ab omni genere hominum accepta fuit, & tradita, quam vocis acceptionem docet Vincentius Lirinenſis, &c.* Et adducunt auctoritatem hujus Doctoris, ut probent, quòd idem eſt doctrinam *eſſe Catholicam*, quod omni tempore, loco, & ab omni genere hominum *eſſe acceptam*. Et proſequuntur ſic: *Quid eo modo intelligi debet, quo tradit Sanctus Auguſtinus epiſtolâ* 80. *Non quòd omnes, & ſinguli, nullo excepto, in omnibus locis, aut temporibus talem doctrinam teneant; ſed quòd in omnibus regionibus ſemper aliqui extiterint, qui eam noverint, & amplexati ſint. Hoc ſenſu Pontifices Summi vocant doctrinam Sancti Thomæ Catholicam, quia in omnibus Eccleſiæ partibus illa cognita fuit, & ſectatores habuit, & in omnibus ſæculis illa doctrina recepta fuit, & ſi non ſub nomine Sancti Thomæ, ſub nomine tamen aliorum Doctorum Catholicorum, puta Sancti Auguſtini, & aliorum Sanctorum, quorum illa erat, prout anteà probatum fuit. Itaque objectio temerè judicat de doctrina Sanctorum, & affirmat doctrinam Sancti Thomæ eſſe illi oppoſitam, quorum opera non legit: quòd ſi contingat reperiri aliquem locum apud Sanctos Patres, qui perperam intellectus, videretur eſſe contrarius Sancto Thomæ, omninò ſecurus eſſet is, qui ſententiæ Sancti Thomæ accederet: quandoquidem Sancti Pontifices dicunt non errare eum, qui illam ſequitur, & eum ſe exponere periculo errandi, qui eam non ſequitur, & quòd illius doctrina eſt Catholica, &c.* Nota omnia, & ſingula verba iſta, quia ex ipſis infrà indiſſolubiles Nodi componendi ſunt.

Statim poſt iſta num. 105. ſic proſequuntur: *Tandem dicimus tantùm abeſſe,*

Digitized by Google

eſſe, quòd doctrina Sancti Thomæ contradi- tat veris Sanctorum ſententijs, ut ipſa omnes illas explicet, & doceat; adeò ut meritò de Sancto Thoma dici debebat, quòd de ſe ipſo dicit Iſaias cap. 5. *Dominus dedit mihi linguam eruditam; verè enim dicendus eſt S. Thomas lingua Sanctorum, quâ loquuntur, & ſuos conceptus exprimunt. Sanctus Chryſoſtomus cùm exponit hæc verba Actorum* 2. *Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem ſuam, & locutus eſt illis. Ait: Quid eſt cum reliquis undecim? Et mox reſpondet: communem, inquit, vocem edebant, at Petrus omnium erat os, ſed adſtabant illi undecim comprobantes ſuo teſtimonio ea, quæ ab illo dicebantur. Hoc ipſum Sancto Thomæ accommodari poteſt: ejus nempè doctrinam communem eſſe omnibus alijs Sanctis, ſive qui præceſſerunt, ſive qui eum ſequuntur, omnes ei aſſiſtunt, & auctoritate, ac teſtimonio ſuo approbant, confirmant tamquam vera, quæcumque ab eo determinantur, quia ipſe eſt os omnium, quo omnes loquuntur.* Alia plura habent Salmanticenſes in illo libro, quæ brevitatis cauſa relinquimus, quia dicta ſufficient pro noſtro aſſumpto.

Parùm poſt Salmanticenſes ſcripſit R. Pater Ignatius Galvan Eborenſis ſuos diſcurſus impreſſos Vlyſſiponæ anno 1635. in folio: & tomo 2. libro 3. capite 6. diſc. 2. fol. 409. ſic inquit: *Neque enim ipſe Angelicus fruſtrà ab Eccleſia dictus eſt lilium. Itaque hoc ſecus cæleſtium aquarum decurſus plantatum, & Dei manibus elaboratum, tantâ animi præditus eſt pulchritudine, ut nec Salomon in omni gloria ſua ad illius pulchritudinem pervenerit. Unde Summus Pontifex Innocentius V. idem de Sancto Doctore protulit elogium, quod olim de ſeipſo Dominus* JESUS *protulerat: Ecce plùs quàm Salomon hic: de quo nonnulla primo volumine ſuprà dicta ſunt. Quapropter ſi plùs quàm Salomon, noſter Salomonem ſapientiſſimum antecelluit: quid non, & reliquos ſapientes antecellere dicendus ſit? Immò ſi res hæc abſque zelo & livore conſideretur, abſque alicujus injuria Doctor noſter inter reliquos Doctores ſicut lilium inter ſpinas eſſe invenitur: nam ſicut lilium ſpinas, ſic ille ſapientes quoſque excellit, vel ut aliter rem explicem: tantùm ab illis diſtat, quantùm à ſpinis lilium, &c.* Ad paradoxa contenta in hac auctoritate, ut non dicamus aliquid aliud, occaſionem dedit inſignis iſta fictio incogniti illius Auctoris Dominicani: aliter enim non eſſet auſus Galvan dicere abſque zelo & livore, omnes Eccleſiæ Doctores eſſe ſpinas, & inter illos, & illas solùm Angelicum Doctorem eſſe lilium. Et hoc dicit abſque alicujus injuria, quia ab Auguſtino, & Ambroſio, & ſic de reliquis Sanctis Doctoribus Eccleſiæ, diſtat Sanctus Thomas, quantùm à ſpinis lilium. Item tomo 2. lib. 1. capite 1. folio 12. ſic inquit idem Galvan: *Sanctus Doctor cum Doctoribus alijs collatus ſuper proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ, hoc eſt, in præſtantiori loco, ac honoratiori, id eſt, in medio principum Eccleſiæ, nempè Doctorum, & ſapientum, os ejus aperuit. Oportet hoc loco meminiſſe verborum Innocentij V. Summi Pontificis, quæ à nobis ſuperiori volumine ſunt expo-*

ſita, & ipſa à Domino noſtro accepit, ſic dicente: Ecce plùs quàm Salomon hic, quæ licet Dominus de ſe ipſo dixerit, tamen Summus hic Pontifex Doctori noſtro aptanda cenſuit, ſi ergò de D. Thoma dici poteſt: ecce plùs quàm Salomon hic, haud dubium, quin, & Salomonis elogia, quibus ejus ſapientia in ſuis commendatur, D. Thomæ accommodanda ſint. Vnde D. Thomas dicendus meritò ſapientior cunctis hominibus, &c. Et infrà folio 827. columnâ 1. inquit: *Sed quid de ſcriptis ejus luce ſplendidioribus non dicatur: cujus ſapientia (ſicut Innocentius V. Summus Pontifex dixit) præ cæteris, exceptâ canonicâ Scripturâ, habet proprietatem verborum, veritatem ſententiarum, &c.* Et lib. 5. cap. 2. diſc.7. fol.827. *Benè ergò de Doctoris noſtri Angelici lingua, quæ tantam, ac talem protulit doctrinam, præ cæteris, exceptâ Canonicâ Scripturâ, veriorem, &c.* Et folio 440. *Divus Thomas ſignaculum ſimilitudinis nempè à Deo artifice ſummo perfectum, omnibus numeris abſolutum exemplar in Eccleſia, ut tamquam vitæ, ac ſapientiæ regula, ſive canon à fidelibus omnibus habeatur, &c.* Obſerva ſingula verba: & præter illa, quæ in littera patent, notandum eſt, ex qua parte de novo creſcat elogium fictum ab Anonymo: nam cùm ipſe diceret: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris, exceptâ Canonicâ*, id eſt, exceptâ ſapientiâ *Canonicâ*, in qua exceptione includitur Scriptura Sacra, & omnia illa, quæ ut Canonica recipiuntur ab Eccleſia: ut ſunt articuli Fidei à Apoſtolis diſpoſiti, Canones Conciliorum ab Eccleſia determinati, ac denique ſanctiones ac conſtitutiones Apoſtolicæ: at Pater iſte Galvan judicavit, quòd non omnia relata deberent præcedere doctrinam Sancti Thomæ, niſi tantùm Scriptura Canonica: ideò addidit ly *Scriptura*, ut reſtringeret ly *Canonica.* Si enim accipienda eſſet vox ſecundùm totam ſuam latitudinem: ad quid neceſſe erat addere illud de Scriptura?

Etiam in antiquioribus reperiuntur aliqua notatione digna circa propoſitam auctoritatem Innocentij. Nam R. Pater Joannes Ludovicus Vivaldus à Monte-regali in ſuis operibus in folio abſque anno & loco impreſſionis editis, poſt tractatum de laudibus & triumphis, & ante librum de cognitione electorum à reprobis folio 89. poſitâ magnâ imagine Sancti Thomæ ad pedes ejus hæc exaravit verba: *Splendor Eccleſiæ Thomas, origine illuſtris, tam vehementis fuit ingenij, ut ſtupor ſit in toto orbe, in quo infuſum eſt quidquid naturalitèr eſt capax humanum genus: idcircò qui eum impugnant, ſemper ſunt de veritate ſuſpecti.* Nota pro infrà dicendis clauſulam & elogium illud: *In quo infuſum eſt quidquid naturalitèr eſt capax humanum genus.*

Pater Samuel de Caſſinis Minorita dicebat in ſuo opuſculo hanc propoſitionem eſſe hæreticam: In Thoma fuit infuſum quidquid naturaliter eſt capax humanum genus, ergò Thomas eſt æqualis Virgini MARIÆ: conſequens eſt hæreticum, ergò & antecedens,

cedens, probatur conſequentia: quia Virgini glorioſæ infuſum eſt totum illud cujus eſt capax humanum genus, ut patet per Hieronymum, &c. Ad hanc objectionem duo dicit P. Dodi paginâ 16. alterum: *Illam concluſionem (quam dicit Samuel ſe inveniſſe impreſſam) nec vidi nec intellexi quid de ea, niſi quantùm iſte retulit: Multi aſſerunt hanc eſſe fictionem Samuelis, ſed quomodòcumque ſit, eamdem concluſionem pro nunc ſuſtinere non intendo; oſtendam tamen argumenta Samuelis in illam nullius eſſe efficaciæ.* Prudenter loquitur Pater Dodi dicendo, quòd non intendat ſuſtinere aut defendere concluſionem iſtam, quia in rei veritate videtur plùs quàm temeraria. Quòd autem non fuerit ficta à P. Samuele Minorita, conſtat ex operibus P. Joannis Vivaldi à Monte-Regali, de cujus ſcientia & eruditione multa dicunt ſuæ Religionis Nomenclatores. Alterum dictum P. Dodi eſt: *Secunda verò pars concluſionis prędictę quibuſdam difficultatem adfert, & inter cæteros Samueli, qui dicit illam eſſe hæreticam. Verumtamen arbitror illum, qui poſuit dictam concluſionem, intellexiſſe de infuſione ſcientiæ, & ex verbis concluſionis evidenter elicitur; & non de plenitudine gratiarum, ſicut intellexit Samuel. Et eſt ſenſus, quòd in D. Thoma eſt infuſa omnis illa ſcientia, quam eſt capax naturaliter habere genus humanum ſecundùm ſe. Sed quidquid ſit de veritate hujus dicti nihil determino, oſtendam tamen poſitionem illam non eſſe hæreticam, ut ſomniavit Samuel.* Et quòd non ſit hæreticum probat ad hominem ſic: *Id quod ſecundùm ſe eſt poſſibile non eſt hæreticum, nec quis credens, nec ponens illud eſt hæreticus; ſed illa poſitio eſt hujuſmodi, ergò.* Majorem dicit eſſe conceſſam à Patre Samuele. Minorem probat, quia nulla eſt repugnantia, neque ex parte agentis, nec recipientis; quia Adamo & Salomoni infuſa fuit illa cognitio, cujus genus humanum fuit capax, & concludit. *Sicut ergò Deus infudit prædictis, ſic & D. Thomæ, & aliis infundere potuit & poteſt, cùm non ſit abbreviata manus ejus, &c. Et retorqueo argumentum in auctorem ſuum. In Adam infuſum eſt quidquid naturaliter eſt capax habere genus humanum, ergò Adam eſt æqualis Virgini* MARIÆ. *Antecedens patet per Theologos in 2. ſententiarum, &c. à fortiori ſi quis in alio conveniat cum ea vel in ſexu, vel in aliqua particulari gratia, quod concedere non eſt peccatum in Spiritum Sanctum, cùm potentia Dei non ſit abbreviata, tamen is non eſſet æqualis ei, nulla enim præter eam vel erit umquam ſimul Mater & Virgo ante partum, in partu, & poſt partum Genitrix Dei & hominis, Regina Angelorum, & hujuſmodi.* Et proſequitur in ſua reſponſione. De Nodo autem indiſſolubili ex ea ſecuto, vide infrà.

R. P. Joannes Reynardi in libro de infirmitatibus generis humani, impreſſo Lugduni, anno 1515. in ſermone feriæ ſecundæ Dominicę quartæ Quadrageſimæ, qui incipit: *A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*, folio 51. loquendo de illo dicto Alberti Magni in lau-

laudem Sancti Thomæ : *Mugitus ejus exibit in univerſam terram*, proſequitur : *Prout factum eſt, ut nullus ſine falſitate poſſit reprehendere congruentiam doctrinarum illius*. Et poſt aliqua concludit ſic : *Doctrina ſancta, vera, fructuoſa, & probata, quam nullus impugnare poteſt, niſi Spiritui Sancto, & veritati reſiſtat*. In hoc brevi elogio multa continentur, quæ magno examine indigebant : & illud præcipuè : *Quam nullus impugnare poteſt, niſi Spiritui Sancto, & veritati reſiſtat* : Nam illud in doctrina Chriſtiana dicitur eſſe peccatum contra Spiritum Sanctum, quod nec in hoc ſæculo, nec in futuro remittitur. Et Pater Marcus Antonius Flaminius reſpiciens ad hoc elogium dixit : *In hoc genere floruêre in primis Baſilius Magnus, & duo Gregorij, Nyſſenus alter, & alter Nazianzenus; apud latinos multi quidem, ſed ante omnes ſine ulla controverſia Thomas Aquinas, &c.* Hæc Flaminius.

Omnia iſta, & alia elogia excogitata à modernis ſcriptoribus, ſuper auctoritatem introductam ab illo incognito Anonymo ſub nomine Innocentij Papæ, prævidiſſe videtur alius prudens ſcriptor antiquus, qui in libro: Catena aurea Sancti Thomę, impreſſo anno 1494. operâ & ſtudio Fr. Petri de Vincentia, in quo quater adducitur auctoritas iſta Innocentij, ut ſuprà diximus, reſpondens ad illam clauſulam : *Ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe*; propriâ manu in principio, quaſi interrogando dixit : *Quare ergò condemnatus fuit in Pariſienſi Academia Joannes de Monteſono, & alij hujus doctrinæ ſectatores? Et in tractatu ſuper ipſius Joannis negotio edito plures articuli ſuſpecti ponuntur? Honoremus igitur intra limites veritatis, & condecentiæ doctrinam, ſanctimoniamq́; maximam hujus glorioſi Doctoris : ſimiliter fugiamus deliramenta complurium ſectatorum ejus, qui ipſius omnia ſcripta quaſi Divina oracula volunt ab omnibus recipi. Unde & hæc verba Innocentij (ſi tamen fuerunt illius) ter in hoc libro inculcantur.* Non rectè numeravit ſcriptor iſte, quia non ſunt, niſi quater replicata : *Hic ſcilicet, in fine Evangeliorum octavæ Epiphaniæ, & ad calcem operis*; etiam extant poſt Dominicam in octava Paſchæ : *Vide adhuc*, proſequitur, *& nota, quod Scotus, & alij ſolemnes Doctores in pluribus impugnaverunt doctrinam iſtius Sancti Doctoris, qui tamen apud Sanctam Eccleſiam non ſunt de veritate ſuſpecti, ut in fine hujus epitheti ſomniatur*. Pulcherrima quidem, & compendioſa verba; nam fabrica iſtius auctoritatis ſub nomine Innocentij Papæ fuit quoddam deliramentum primò & directè ſomniatum contrà Sixtum IV. Summum Pontificem, Univerſitatem Pariſienſem, Fratres Minores, & Doctorem Subtilem Scotum propter diverſitatem doctrinæ, & ſententiam Immaculatæ Conceptionis. Etenim in illo ſermone Clementis Papæ incipiente: *Ecce plùs quàm Salomon hic*, eximia extabant, & re verâ extant elogia de do-

ctri-

ctrina Sancti Thomæ contenta intra limites veritatis, & decentiæ, quibus incognitus ille Pater unum tantummodò Doctorem, ſed plures abſque aliorum manifeſto prędjudicio honorare poterat: ſed cùm voluiſſet, ut ſingula opera, & dicta Sancti Thomæ ut Divina oracula ab omnibus reciperentur, præcipuè tangentia materiam Conceptionis, incautus in foveam hujus fictionis cecidit, ex qua jam nec ipſe, nec alij eum ſequentes umquam poterunt ſine infamiæ notâ exire. Hoc dixerim pro veritatis oſtenſione; nam pro noſtro præſenti inſtituto, utinam ſicut finxit præſentem auctoritatem, & litteras Univerſitatis Pariſienſis (de quibus ſtatim) & alia quam-plura demonſtrata in SOLE VERITATIS contra Immaculatam Conceptionem, pari modo alia quam-plura ſomniaſſet pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, ut ex ipſius lapidibus ſine cæmento poſitis noſtrum creſceret ædificium.

Hìc etiam notare oportet pro omnimodo complemento, quòd Petrus Rogerius Doctor Pariſienſis (cujus eſt ſermo: *Ecce plùs quàm Salomon hic*, & auctoritas, de qua hucuſque egimus, edita ſub nomine ſuppoſito Innocentij Papæ VI.) in ſua aſſumptione fuerit vocatus Clemens VI. Ex hoc ergò Clemente VI. adducunt aliam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ Paulus Nazarius fol. 73. numero 17. Didacus de Alvarez de Auxilijs, paginâ 27. ſecundùm impreſſionem Lugdunenſem in 4. folio 53. Mich. Pius colum. 247. Ferdin. del Caſtillo lib. 3. cap. 35. & omnes alij, qui loquuntur de approbationibus doctrinæ Sancti Thomæ; & auctoritas ab iſtis adducta non eſt formalis, ſed tantùm relativa. Dicunt enim ſic: *Clemens VI. in quadam Bulla edita Avenione 5. Februarij Pontificatûs ſui anno 2. eamdem doctrinam Sancti Thomæ commendat, aſſerens illam eſſe ſingularem, ex qua univerſalis Eccleſia uberrimos fructus ſpiritualis abundantiæ colligit, cujus odore recreatur, & nutrîtur, &c.* Quòd Clemens VI. in illa Bulla non habeat clauſulam principalem, nec commendet doctrinam Sancti Thomæ ut ſingularem, ſic demonſtro evidenter: nam illa incipit: *In Ordine Fratrum Prædicatorum, &c.* data Avenione 8. idus Februarij Pontificatûs Clementis anno 2. & extat in Bullario Ordinis Prædicat. fol. 87. pag. 2. & de Sancto Thoma habet: *Attendentes igitur, quòd ordo prædictus in horto plantatus Eccleſiæ, ac in germen ineffabilis ſpiritualis utilitatis ſuccreſcens, illum prælucidum ac fructuoſum palmitem, Beatum videlicet, Thomam de Aquino confeſſorem ac Doctorem egregium (ex cujus ſapientia & doctrina, ſcriptis & traditis univerſalis Eccleſia multiplicis ubertatis ſpiritualis fructum colligens ipſius fructûs odore reficitur inceſſanter) produxit. Et quòd idem Ordo, &c.* Deeſt igitur illa clauſula aſſerens illam eſſe ſingularem. Tamen clauſis oculis ad veritatem, recipio illam, & dico doctrinam Sancti

Thomæ eſſe ſingularem, non ſolùm reſpectu doctrinarum Pariſienſium Doctorum (de hac enim ſingularitate loquitur Clemens VI. ſeu veriùs Petrus Rogerius) ſed eſſe ſingularem abſolutè, indiffinitè, ac univerſalitèr, inter doctrinas omnium Eccleſię Doctorum: Benè eſt: fortè Nodus ex ipſa texendus etiam ſingularis erit.

Circa hanc ſingularitatem Sancti Thomæ inter omnes alios Doctores, multa dicit Pater Ignatius Galvan in primo & ſecundo tomo; & in ultimo, lib. 3. folio 398. ſic inquit: *Inter flores igitur reliquos primatum tenet pulcherrima roſa D. Thomas, inter Doctores ſingulari quâdam dignitate præ-eminet, &c.* Ad hanc ſingularem prę-eminentiam, inter omnes Doctores, reſpiciunt etiam illa verba libri tertij, cap. 6. folio 436. B. 2. ubi ſic dicit: *Neque quotidianis uſibus aurum hoc deterijt: reliquorum Scholaſticorum ſplendor poſt aliquot dies, quibus in pretio habentur, evaneſcit, & quodammodò ſordeſcit, uſuq́; vileſcit, de quare nonnulla volumine ſuperiori annotavimus. Quare illos omnes (eorum pace dixerim) tantùm Doctor noſter præcedit, quantùm pretioſiſſimum auri metallum, argentum es, ferrum, plumbum, ſtannum ſuperat.* Et f. 857. n. 26. *Inter magnos hos*, id eſt Doctores Eccleſiæ, *primo loco recenſendus eſt Doctor Angelicus, cui inter Doctores digniorem locum tribuit Deus.* Et fol. 944. cap. 2. num. 15. quaſi clavem imponens omnibus ſupra-dictis, ſic inquit: *Tradidit Deus Doctori noſtro quinque talenta. Oſtendimus autem volumine ſuperiori reliquos Doctores non æquè omnia pertractaſſe: Divum autem Thomam his omnibus eſſe perfectiſſimum. Vnde adeptus eſt, quidquid Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & Gregorius obtinuerunt. Et inſuper quinque alia ſibi collata talenta; & ut hæc omnia Sanctus Doctor recipere poſſet, maximam illi Deus capacitatem contulit.* Tria ſunt in hac auctoritate notanda. Primò, Doctores Eccleſiæ *non æquè omnia pertractaſſe.* Secundò illa univerſalis: *Vnde adeptus eſt, quidquid* omnes alij Doctores obtinuerunt. Et quia volebat inter ipſos tribuere ei aliquam ſingularitatem, addidit: *Et inſuper quinque alia ſibi collata talenta*; ſuperavit enim omnes Doctores Eccleſiæ ſimul ſumptos, & habuit, ſupra omnes illos, alia quinque talenta. Tertiò, cernens hæc omnia ferè eſſe temeraria, addidit illud (quod præcipuum erit pro noſtro Nodo) ſcilicet, quòd ad recipiendum prædicta, *maximam illi Deus capacitatem contulit.* Nam cum capacitate communi innata, ſive obedientiali non poterat Sanctus Thomas tot tantaque talenta recipere, niſi Deus illi adderet novam capacitatem.

Sed accedamus jam ex cortice ad medullam hujus Innocentiſſimæ approbationis. Idem P. Ignatius Galvan, qui ſcripſit anno 1625. (à quo tranſcripſerunt Nazarius, Gravina, Salmanticenſes, & Arriaga) tomo 1. à pagina 195. uſque 318. ex profeſſo agit de hac Innocentij approbatione, eâ confidentiâ & aſſeverantiâ, ac ſi

eſſet articulus Fidei. Et quia ibi inſurgit acerrimè in duos ſcriptores, ſcilicet, in Patrem Rivera Societatis JESU, quia in ſuis præludijs ad Apocalypſim, capite 5. fol. 10. loquendo de commentarijs illis editis ſub nomine Sancti Thomæ, dixerat verba iſta: *Alij nomine Sancti Thomæ circumferuntur, quos multi ejus eſſe negant, & inter opera Sancti Thomæ juſſu Pij V. edita admiſſi non ſunt, eos tamen, cujuſcumque ſint, nomine Thomæ brevitatis causâ referemus.* Neſcio, quid habeant verba iſta contra Sanctum Thomam, ut Pater Galvan propter illa ita exaſperatus fuerit. Inſurgit etiam in noſtrum P. Alphonſum à Caſtro propter verba aliqua ſatis prudenter, & veraciter dicta; quapropter decrevi hîc ad finem, brevitate quâ potuero, ejus præcipua dicta, quæ ad noſtrum pertinent inſtitutum (nam de alijs eſſet labor ſine fine) in unum concatenare. Ergò diſcurſ. 1. inquit: *Summi Pontificis Innocentij V. oraculo ſectanda Chriſtiano populo doctrina D. Thomæ proponitur, quia imprimis præ cæteris (exceptâ Canonicâ Scripturâ) habet proprietatem verborum.* Infrà dicit: *Divinæ hujus doctrinæ laudes.* Diſcurſ. 2. num. 8. inquit: *Quapropter licet ſingula, quæ in D. Thomæ operibus continentur, ſecundùm ſe exſpectata bona ſint, atque admiratione digna; univerſa tamen ſimul, in quibus ordo egregius, quo ſuis quæque locis diſponuntur, mirum in modum elucet, valdè bona ſunt; digna quoque, quo Dei ipſius ore, omni laude, ac veneratione ſuſcipienda habeantur, &c.* Et diſcurſ. 3. loquendo de eodem Doctore, inquit: *Ipſe enim (abſque cujuſvis invidia dixerim) nuſquam in ijs, quæ poſteritati reliquit, aut erravit, aut errare fecit. Item, nec fefellit umquam, nec falſus eſt, &c.* *Neque in eis umquam aliquid, quòd ſaltem probabile non ſit, ſedula invidorum diligentia potuit reperire, immò quem obſcurare ipſi, atque obnubilare nitebantur, clariorem illuſtrioremq; , dum nihil in eo falſum, aut minùs Divinum ab eis repertum eſt, &c.* Et infrà num. 4. inquit: *Doctori Angelico id accidit, quod nulli mortalium, quorum opera ad poſteros devenerunt: ſeriùs enim aut citiùs alij Auctores aliquam ferè ſaltem falſitatis notam ſubierunt. At quæ D. Thomas edidit, indies veriora, &c.* Et ſuprà hoc diſcurrit latè, & concludit dicens, quòd, licet fuerit incurſionibus impugnata: *Tamen expugnari, vel deprimi numquam potuit, &c.* Et infrà diſcurſ. 4. dicit de doctrina: *Eam quoque certitudinem continere credenda eſt, quâ major citra Scripturæ ejuſdem certitudinem eſſe non poſſit.* Si citra certitudinem Scripturæ Sancti Thomæ alia nón poteſt inveniri certitudo major: quid dicemus de Sacra Scriptura? quid de Concilijs? quid de Summorum Pontificum determinationibus? De Sacra Scriptura jam infrà ſe explicat dicens: *Thomiſtas in animum numquam induxiſſe parem Sacris Scripturis, & D. Thomæ monumentis honorem deferre: cùm ea, quæ tam in Novo, quàm in Veteri teſtamento continentur, Sancto Spiritu dictante, ſcripta ſint, ut Fides docet; atque adeò in illis irrefragabilis veritas contineatur, ita ut, qui oppoſitum*

ſentiret, ſit hæreticus habendus: quæ autem D. Thomas edidit, ad humanam ſcientiam pertinent, licet illa è cælo magna ex parte, non ſine particulari Dei beneficio, infuſa acceperit: Ex hoc tamen non colligitur eidem nos omninò non addici, ac conſectari debere. Multa in his continet Galvan, quæ in Nodo recapitulabimus: & ſi non expendam ſingula, ſaltem indicabo principaliora. In eodem diſcurſu, num. 6. inquit: *Atque hinc etiam, cùm D. Thomas, & in minimis, & in maximis nihil temerè loquatur, ſed ubique ſibi ſimilis ſit, &c. à minimis ergò, quæ in ſolida D. Thomæ doctrina continentur, nullo modo recedendum eſt, ne à maximis poſteà recedamus, &c.*

Quia verò Alphonſus à Caſtro libro 2. adverſus Hæreſes, cap. 7. folio 17. dixerat verba iſta: *Ego enim miſerrimam dicerem ſervitutem, ſic eſſe humanæ ſententiæ addictum, ut non liceat ullo modo illi impugnare, qualem patiuntur hi, qui ſe tantùm Beati Thomæ, aut Scoti, aut Okam dicto ſubjiciunt, aut ab eorum placitis, in quæ juraſſe videntur, nomina ſortiantur, quidam Thomiſtæ, alij Scotiſtæ, alij Okamiſtæ appellati. Paulus quidem juſſit captivare intellectum noſtrum, ſed in obſequium Chriſti, non autē in obſequium hominis. Quo fit, ut hi, qui tam leviter de hæreſi pronuntiant, non expendentes de qua re loquantur, ſæpè ſuâ ipſorum feriantur ſagittâ, incidantq́; in eam foveam, quam alijs parabant. Nam velle humanas ſcripturas in Divinarum ordinem connumerare, hoc veriùs ego dixerim hæreſim: quod faciunt hi, qui humanis ſcriptis diſſentire impium autumant, perindè ac Divinis. Quales ego vidi in tantam inſaniam deveniſſe, ut non ſint veriti ad populum in publica concione hoc effundere: quiſquis à Beati Thomæ ſententia diſceſſerit, ſuſpectus de hæreſi eſt cenſendus. O fortes verbi Dei, immò veriùs dixerim, verbi Thomæ Prædicatores! Erit ergò Beatus Bonaventura ſuſpectus de hæreſi putandus; quòd in multis obviet Beato Thomæ? Erit ergò Beatus Anſelmus ſuſpectus de hæreſi dicendus, quòd contra Beati Thomæ ſententiam, non putat amatorem Virginis, qui Feſtum Conceptionis celebrare reſpuit? Nec tamen iſta ſic à me dicta velim, ut quiſpiam putet me his verbis omnes illius inſtituti, aut Ordinis homines velle mordere. Novi enim ex eis plures doctos, & cordatos, ac verè pios; quibus cùm iſta aguntur, aut ab alijs, ut plurimùm indoctis dicuntur, valdè diſplicent. Valdè enim diſplicet etiam mihi, quòd & noſtrum Sodalitium in verba Scoti ferè juraſſe videatur. Ego quidem Beati Thomæ Sanctitatem veneror, ejus doctrinæ multum tribuo, quòd multùm Eccleſiam illuſtraverit. Non tamen puto adeò eſſe illi favendum, ut per omnia oporteat cum illo ſentire. Neque hoc ego umquam de Beati Thomæ humilitate crediderim, ut velit quempiam ſuis dictis ſic eſſe addictum, cùm nec ipſemet eiſdem adeò fuerit addictus, ut meliora oſtendenti non fuerit paratus obtemperare. Nam ſæpè ſuam ipſe revocavit ſententiam, &c.* Quæ verba (ut vides) ſatis modeſta ſunt, ſed P. Galvan propter illa inſurgit contra Caſtrum vocando eum ore pleno iracundum, & inſanum, &c. Et reſpondens ad iſta, inquit: *Neque ſtante hâc opinione benè infert: erit ergò Beatus Bonaventura ſuſpectus de hæreſi? Nam Summo-*

morum Pontificum oracula D. Thomæ doctrinam approbantium, ac confirmantium ad poſteros referebantur; unde nec D. Bonaventuram, nec alios antiquiores concernebant. Quæ igitur dicere concionatores ſolent, qui de Beati Thomæ doctrina, ejuſq; ab Apoſtolica Sede factâ approbatione loquuntur, ſicut ſæpè me audiviſſe memini, ea tantùm ſunt, quæ Summi Pontifices tradiderunt, nempè eos, qui D. Thomam impugnant, eſſe ac fuiſſe de veritate ſuſpectos, quod velit nolit hic Auctor, dicendum aſſero: id enim in Pontificum Oraculis D. Thomæ doctrinam approbantibus continetur. Aliquantulùm erit hîc immorandum.

Et ſuppono illud, quod concionatores Dominicani ex hac auctoritate falsâ editâ ſub nomine Innocentij Papæ ferè ſemper dicebant, & adhuc dicunt: qui non ſequuntur doctrinam Sancti Thomæ, vel illam impugnant, ſunt non ſolùm *de veritate*, ſed etiam *de Fide*, vel *de hæreſi* ſuſpecti, & qui circa hoc non crediderit doctiſſimo P. Alphonſo à Caſtro, quia eſt Minorita, nec P. Henriquez in ſua Summa, tom. 1. cap. 1. in Gloſſa in ipſomet exordio, quia eſt Societatis JESU, nec Hieronymo Baldo, &c. legat ſuperiùs dicta ab ipſis Patribus Dominicanis. Sed non curemus de dictis aliorum: videamus pro hîc & nunc, quid dicat Pater Galvan ad hanc noſtri à Caſtro objectionem: *Erit ergò Beatus Bonaventura ſuſpectus de hæreſi, &c.*? Ad quam reſpondet Pater Galvan, ſic: *Summorum Pontificum Oracula D. Thomæ doctrinam approbantium, ac confirmantium ad poſteros referebantur; unde nec D. Bonaventuram, nec alios antiquiores concernebant*. Salva eſt ergò doctrina S. Bonaventuræ ab hæreſi, vel falſitate ſolùm, quia ſcripſit ante Sanctum Thomam; nam ſi ſcriberet poſt ipſum, neceſſariò eſſet de Fide, hæreſi, aut veritate ſuſpectus: quia Summi Pontifices hanc protulerunt ſententiam contra Doctores ſcribentes poſt S. Thomam, qui omnes nullo dempto ſunt de Fide, de hæreſi, aut ſaltem de veritate ſuſpecti. Et quando ſolvetur Nodus iſte? Sed non recedamus à Sancto Bonaventura, qui eſt receptus, ut Doctor Eccleſiæ, ſicut S. Thomas. Iſte Seraphicus Doctor habetne aliquas reſolutiones oppoſitas doctrinæ Sancti Thomæ? Plures. Iſtæ reſolutiones oppoſitę doctrinę Sancti Thomæ ſuntne ſuſpectæ de hæreſi, vel de veritate? Dicit Pater Galvan quòd non ſint ſuſpectę, quia ſcriptę fuerunt, antequàm S. Thomas ſuas manifeſtaret veritates, & Fidei reſolutiones, juxta quas omnes alij ſuas debent regulare. Et ſi illæ propoſitiones Sancti Bonaventuræ nunc ſunt, & inveniuntur oppoſitæ reſolutiones Sancti Thomæ, ſicut ſunt oppoſitæ illæ poſteà prolatæ ab Henrico de Gandavo, Durando, & Scoto, &c. quare ergò iſtorum propoſitiones, quia ſcripſerunt poſt Sanctum Thomam ſunt de veritate, vel de hæreſi ſuſpectæ, & non illæ Sancti Bonaventuræ, cùm ſint eodem modo oppoſitæ doctrinæ Sancti Thomæ? Nodum iſtum non ſo-

ſolvet Galvan, ſicut nec alium hinc reſultantem, de quo ſtatim dicemus. Et qui ſcripſerunt ante S. Thomam, & ante Sanctum Bonaventuram, dicentes Virginem MARIAM fuiſſe conceptam abſque originali culpa, ſuntne de veritate, vel de hæreſi ſuſpecti, ut S. Anſelmus, Petrus Cantor, & alij? Videbimus infrà quomodò Galvan ſolvat Nodum iſtum.

Infrà num. 19. inquit: *Nec diſpliuet quorumdam graviſſimorum virorum ſententia credentium, D.Thomam numquam in ſuis libris retractaſſe opinionem, &c*, Et infrà num. 36. idem repetit: *Nec ipſe, ut jam ex quorumdam benè ſentientium opinione diximus, ſententiam umquam mutavit*. Item num.31. inquit: *Dicendum tamen D. Thomam, qui omnium SS.Patrum libros legerat, optimos ex eorum pratis flores legiſſe, ex hiſq́; veluti apem argumentoſam puriſſimum confeciſſe favum, in quo nihil ſuſpectum reperiatur. Cùm tamen in ipſis Patrum ſcripturis aliquæ nonnumquam ſententiæ contineantur, quæ licet eorum ætate veræ, & amplectendæ viderentur, poſteà tamen parùm tutæ viſæ ſunt, &c*. Et lib.4.cap.9. diſcurſ. 5. fol.683. inquit: *Illa enim præ cæteris (exceptâ Canonicâ Scripturâ) vera eſt; ſi Summorum Pontificum oraculis creditur, accedente Conciliorum omnium Generalium conſenſu, quatenùs ea, quæ de Fide decernunt ex Doctoris noſtri libris, at ſententijs deſumunt. Illa profectò doctrina oblivioni traditur, quæ vel falſitatem continet, vel ſaltem ſuſpicionem: at in D.Thomæ doctrina nihil falſum, nihil umquam de falſitate ſuſpectum fuit*. Jam vides ſemel, & iterum repetitum in ſententia graviſſimorum virorum credentium, Sanctum Thomam numquam in ſuis libris retractaſſe opinionem ſuam, vel mutaſſe. Neque in doctrina Sancti Thomæ eſſe aliquid ſuſpectum, quando in ſcripturis Sanctorum Patrum fuerunt aliquæ ſententiæ parùm tutæ. A tempore enim Sancti Thomæ ita firmata eſt doctrina, ut nec quid parùm tutum irrepſerit, id atteſtantibus Summorum Pontificum oraculis, & omnium Conciliorum Generalium unanimi conſenſu. Et ſi quæras à Patre Galvan, qui fuerunt iſti Summi Pontifices? Dicit eſſe Urbanum & Innocentium. Et quibus in locis? Reſpondet, in una Bulla translationis corporis Sancti Thomæ, & in uno ſermone incipiente: *Ecce plùs quàm Salomon hic*. Sed ſi petieris ab eo, an Bulla, & ſermo habeant veritatem, ad hoc certè non reſpondebit Galvan; ſed qui non eſt Galvan, dicit, quòd una ſit ficta, & alter magis fictus, & ſic ſolùm reſtat recurſus ad Concilia Generalia, de quibus dicetur infrà Nodo IX. principali.

Auguſtinus Hunnæus in dedicatoria facta Pio V. Summæ Theologię Sancti Thomæ, ſic inquit: *Innocentius verò in ejuſdem Sedis Apoſtolicæ supremâ dignitate locatus, tanti hujus (de quo loquimur) viri doctrinam fecit, ut ei primum poſt Canonicam Scripturam locum tribuere non dubitaverit*. Et ad marginem habet:

bet: *In ſermone: Ecce plùs quàm Salomon hic.* Pater Choquetius in laudatione, ſeu oratione pro virtute & ſapientia Sancti Thomę, fol. 53. inquit: *Hunc ſequatur neceſſe eſt, ne in erroris, falſitatiſq; Charybdim incurrat, qui per brevia, & ſcopulos ſapientiam venatur: è ſupremis Eccleſiæ roſtris clamat Innocentius: numquam, qui D. Thomæ doctrinam tenuit, inventus eſt à tramite veritatis deviaſſe, & qui eum impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Cur rectum ſcientiæ callem non videat, cui ſol intelligentiæ prælucet? Vbicumque habitabant filij Iſraël, lux erat, cætera, ſcilicet, occupantibus tenebris; & ijs, qui D. Thomam ſequuntur, ac veſtigia ſemper adorant, indeficiens lumen affulget, &c.* Et ad marginem affirmat hoc Innocentij teſtimonium extare in Bulla incipiente: *Ecce plùs quàm Salomon hic*, in quo recedit ab omnibus ſuprà relatis Auctoribus unanimiter dicentibus extare in ſermone, & non in Bulla. Quo autem fundamento auſus ſit dicere, ſequentes Sanctum Thomam eſſe Iſraëlitas, & ambulare in lucè, cæteris omnibus (quaſi eſſent Ægyptij) in tenebris remanentibus, alius pro temporis opportunitate ſcrutari poteſt: ſicut illud Patris Severini Poloni Ordinis Prædicat. in libro *Theatrum*, ſeu potiùs *Officina concionatorum*, impreſſo Venetijs 1579. in fol. ubi in principio inquit: *Officium ergò erit prædicantium doctrina Sancti Thomæ, ſine qua omnis Prædicator mutus extitit, &c.* Et dicta hujuſmodi ſunt ſine numero.

Reverendus Pater d'Aubermont in ſua oratione encomiaſtica, poſt medium ſic inquit: *Ut quid igitur demiretur orbis Innocentium VI. propalàm edixiſſe ejus unius doctrinam præ cæteris (exceptâ Canonicâ) habere proprietatem verborum, veritatem ſententiarum? Cùm exploratum hoc ſit, & in confeſſo nihil ex Angelico calamo prodiſſe, quin Divinitùs antè fuerit approbatum? Habet proinde, habet præ cæteris veritatem ſententiarum, Canonicam unam excipe præ cæteris: nec alium quemquam obtrudere auſis: præ cæteris habet irrefragabile ſummæ auctoritatis teſtimonium. Nec articulorum mihi argumenta, vel theoremata dicas, quæ totidem prodigia ſunt ac miracula, &c. Vnicus ille Divinæ voluntatis, ac veritatis interpres eſt, ac ſcriba, cui Nympha illa candidiſſima mentem ſuam, ac animi arcana aperuit, cui arcanos cæleſtis ſapientiæ theſauros communicavit, cui altiſſimas ſublimium Sacramentorum explanationes, & ſeipſam denique totam credidit. Et extra illum veritatem, aut veritatis ſententiam quæris? Caſſo miſer labore conſumeris. Niſi ſtudioſè iſtum Thomam ſequeris, toto te cælo à veritatis tramite deviare dudùm prædixit Innocentius. Veritatem expetis? Thomiſtam indue. Thomiſta qui non eſt, neque eſt veritatis aſſecla. Qui impugnat jam ab eodem Pontifice Maximo olim eſt prædamnatus, de veritate ſuſpectus, mendacij reus, falſitatis convictus, &c.* Egregia ſanè auctoritas; in qua tria notari poſſunt. Primum eſt illud: *Nihil ex Angelico calamo prodiſſe, quin Divinitùs anteà fuerit approbatum:*

doctri-

doctrina enim Sancti Thomæ, antequam eſſet in calamo erat Divinitùs approbata. Secundum eſt, quaſi iſtius correlativum, qui impugnare intendit doctrinam iſtam, jam *à Pontifice Maximo olim eſt prædamnatus*, tamquam de veritate ſuſpectus, mendacij reus, & de falſitate convictus. In iſtis duabus aſſertionibus ingens medius fidius latitat Nodus pro Immaculata Virginis Conceptione. Tertium eſt illud, quòd extra doctrinam Thomiſticam miſero labore conſumatur, qui aliquam veritatis ſententiam quærit: *Et toto cælo à veritatis tramite* deviat, ut prædictum jam fuit ab Innocentio Papa. Sanè hæc ſine ullo prorsùs fundamento per univerſam Eccleſiam Dei tam leviter ſpargere circumquaque, habet quemdam aculeum, quem pati prudentes ac boni viri difficillimè poſſunt. Quid igitur reſtat dicere? niſi ùt comburantur omnes alij Doctores ſcholaſtici, & diſcipuli ipſorum vel ut minimùm tamquàm peſtifera lues, veluti nociva flamma arceantur ab Eccleſia Sancta Dei, ne hæc inficiatur; ejiciantur è populo Dei, ne hic pervertatur; exterminentur è finibus humanæ terræ, abeuntes in malam peſtem malumque cruciatum, tamquàm de veritate ſuſpecti, mendacij rei, & de falſitate convicti in omnibus ſuis ſcriptis, ſententijs, ac verbis. Quæ deſunt in hac auctoritate, vide infrà in approbatione Pij V. Qui heri coram tota Univerſitate Lovanienſi dixit typiſque mandavit iſta verba; dic, amabò, quid excuſationis habere poteſt?

In illo latiſſimo opuſculo edito à D. Antonio de Waitte Theologo, Abbate Molinenſi, & Ordinum Namurcenſium Aſſeſſore, & impreſ. Namurci anno 1658. in 4. ſub hoc titulo: *D. Thomæ Aquinatis principatus Theologicus ſcriptus ad ritum priſcum, &c.* folio 124. loquendo contra cenſores Divi Thomæ, ſic inquit: *At quis horum Thomam notavit umquam non dico erroris, ſed vel verrucæ minimæ, aut nævi? Contrà, quis eorum non probat, liberatáque non errore ſolùm, ſed ſuſpicione vel levis erroris? Clemens VIII. de Thoma agens, doctrinæ ingens teſtis eſt, ingens librorum numerus, quos ille breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mirâ perſpicuitate, & ſine ullo prorsùs errore conſcripſit. Hoc de Thoma oraculum eſt; contrà mutîre, quis auſit? Quis vellicare alterum illud Innocentij VI. Hujus Doctoris doctrina (exceptâ Canonicâ) nota, quiſquis erroris notâ Thomam notare vis, impudens, imprudens ſanè Cenſor) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eum tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe? Quis poſſit, cùm veſtigijs Patrum veterum inſtiterit ſemper, cumque ijs, veritati auctoratus miles, illam hæreſeon omnium Babelem armis omnibus, & animis non quatere modò, & labefactare ſe profiteatur? Rectè igitur ſentit, qui Thomæ conſentit. Qui diſſentit autem, vel impugnat juratum hunc errorum impugnatorem & hoſtem, qualis eſt, aut fuit? ſemper*

de

de veritate ſuſpectus : ait idem irrefragabilis Cenſor : Quidni autem cum Chriſto adverſus pronuntianti : Benè ſcripſiſti de me Thoma? Nota quot quantaſque excitarit abſurditates non ſolùm intra, ſed & extra Religionem hoc introductum elogium ſub nomine Innocentij VI. Ego non dico eſſe delendum à libris, & Breviarijs tamquàm falſum, fictum, injurioſum, ſcandaloſum, &c. tamen affirmo non eſſe ſubſcribendum nomine ſacratiſſimo, ac venerando Summi Pontificis, ſed adſcribendum ſuo proprio ac legitimo Auctori, ſcilicet, Ordinis Prædicatorum, ut non ſic omnes decipiantur, ſicut hucuſque decepti ſunt. Fatemur enim cum iſto ſcriptore & alijs relatis, eſſe cenſorem impudentem, & imprudentem, quiſquis in doctrina Sancti Thomæ notaverit ullam umquam erroris notam minimam, verrucam, aut leviſſimum nævum, ut inde noſtrum conficiamus Nodum : ſed proponere, aut deducere iſta ex Innocentio VI. error eſt, verruca ingens, & nævus indelebilis. Et hæc de Cortice pro nunc dicta ſufficiant.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

IDem ipſe Anonymus, qui ex ſermone Clementis Papæ VI. de S. Thoma Aquinate : *Ecce plùs quàm Salomon hic*, compoſuit auctoritatem ſuprà poſitam pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, ſub nomine Innocentij Papæ; in eodem folio, immò & paginâ, & auctoritate, ſcilicet 36. partis ſecundæ, tertiæ viæ, folio 113. adduxit alteram auctoritatem contra Immaculatam Virginis Conceptionem ex eodem libro Clementis VI. Papæ ſic : *Item Beatus Clemens Papa in ſermone, qui incipit : Erunt ſigna, &c. Dico, inquit, hoc unum eſſe clarum, quòd Beata Virgo ſecundùm ſententiam Sanctorum Doctorum, fuit in originali peccato concepta. Ratio autem hujus eſt, quia fuit ex libidine, & concubitu viri, & mulieris concepta : ideò peccatum originale in ſui Conceptione contraxit, quod non contraxit Filius ejus, qui non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine fuit conceptus : & ideò non habere peccatum originale, eſt ſolius Chriſti ſingulare privilegium. Hæc ille.* Et hucuſque Anonymus iſte in præallegata ratione 11. ubi agit de auctoritatibus Sanctorum clarè, & expreſsè affirmantium in individuo Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali. Infrà verò ratione 29. impugnando Feſtivitatem Conceptionis, pag. 186. redit ad eumdem Summum Pontificem Clementem

Digitized by Google

Papam VI. & adducit aliam auctoritatem ex eodem ſermone ſic: *Ad idem reſpondet D. Clemens Papa in ſermone: Erunt ſigna in ſole, &c. ſic dicens: Videtur mihi, quòd de iſta Virginis Conceptione non debeat Feſtum celebrari. Primò auctoritate Bernardi, qui in epiſtola ad Lugdunenſes graviter illos reprehendit, quia hoc Feſtum celebrabant. Secundò, quia Feſti celebratio non eſt niſi in reverentia Sanctitatis ejus, de quo celebratur. Conceptio autem Beatæ Virginis non fuit Sancta, ſed cum peccato originali, ut patet per dicta multorum Sanctorum Doctorum; ideò nullo modo eſt celebranda ſub Feſtivitate. Quòd enim Beata Virgo originale peccatum contraxit, clarum eſt. Et cauſa, & ratio hujus eſt: quia fuit ex concubitu viri, & mulieris concepta, & ideò peccatum originale in ſui Conceptione habuit, quod non habuit ejus Filius, qui non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine eſt conceptus, & ideò non habere peccatum originale eſt ſolius Chriſti ſingulare privilegium. Quidam enim dicunt, quòd in eodem inſtanti Beata Virgo fuit in culpa, & in gratia ſecundùm diverſa ſigna naturæ: ſed hoc eſt ſatis impoſſibile, cùm inſtans ſit indiviſibile. Alij dicunt, quòd ſolùm per inſtans fuit in culpa, & in alio inſtanti fuit in gratia: ſed hoc etiam eſt impoſſibile, quia inter qualibet duo inſtantia ſemper cadit tempus medium. Et ideò alij dicunt, & meliùs, quòd ipſa fuit ſub peccato per modicam morulam, & ſtatim poſteà fuit ſanctificata, quia ſecundùm eos, quantò citiùs ſanctificari potuit ſanctificata fuit. Decuit enim ut eâ puritate nitêret, quâ major ſub cælo nequit intelligi. Et certè rationabiliter Filius debuit, quantùm potuit, Matrem honorare. Et hanc opinionem credo eſſe veram.* Hucuſque Anonymus de auctoritatibus Clementis Papæ contra Immaculatam Virginis Conceptionem, & celebrationem Feſtivitatis illius: nam licet ſuprà ratione 9. pag. 80. in claſſe de Summis Pontificibus adducat etiam iſtum Clementem Papam, eſt abſque ulla auctoritate, quia ſolùm dicit: *Idem tenet Beatus Clemens Papa in ſermone: Erunt ſigna in ſole, &c.* Et nihil ampliùs.

Ex iſto incognito, & Anonymo auctore Ordinis Prædicatorum tranſcripſerunt poſteà auctoritates Clementis contra Immaculatam Virginis Conceptionem Bandellus capite 18. in claſſe de Summis Pontificibus, quem poſteà ad litteram ſecutus eſt ejus continuator, folio 28. Petrus de Vincentia, Paulus Gryſaldus, Albertus Caſtellanus, Chryſoſtomus Javellus, & Hyacinthus Arpallegus, folio 29. Sed antequàm ad alia progrediamur, examinanda ſunt duo: Primum, ſuppoſito, quòd Anonymus bis adducat præcipuam auctoritatis partem, ut ex relatis duabus auctoritatibus patet; videndum eſt, quâ fidelitate, & legalitate correſpondeat una alteri. Secundum erit, an Bandellus fideliter tranſcripſerit ab Anonymo. Et quantùm ad Anonymi auctoritates, in prima dicitur ſic: *Dico hoc unum eſſe clarum, quòd Beata Virgo ſecundùm ſententiam Sanctorum Doctorum fuit in originali*

Digitized by Google

nali peccato concepta. Et in ſecunda ſic dicitur: *Conceptio autem Beatæ Virginis non fuit Sancta, ſed cum peccato originali, ut patet per dicta multorum Sanctorum Doctorum, ideò nullo modo eſt celebranda ſub Feſtivitate. Quòd enim Beata Virgo originale peccatum contraxit, clarum eſt.* Confer iſtam clauſulam cum antecedenti, & invenies ſeptendecim verba omninò vitiata, & alterata, quorum octo ſunt eſſentialia. Secunda clauſula primæ auctoritatis ſic ſe habet. *Ratio autem hujus eſt, quia ex libidine, & concubitu viri, & mulieris concepta, ideò peccatum originale in ſui Conceptione contraxit.* Quæ clauſula in ſecunda ſic extat: *Et cauſa, & ratio hujus eſt, quia fuit ex concubitu viri, & mulieris concepta, & ideò peccatum originale in ſui Conceptione habuit.* In hac tria verba eſſentialia vitiavit Anonymus, ſcilicet, ly *cauſa*, & ly *libidine*; & illud, *contraxit*, tranſmutavit in, *habuit*. Tertiam clauſulam etiam alteravit in aliquibus. Unde conſtat Anonymum iſtum incognitum, nec in ſuiſmet auctoritatibus habuiſſe conſtantiam, nec fidelitatem.

Quantùm ad ſecundum, ſcilicet, de legalitate Bandelli, cognoſcetur ex ejus auctoritate, quæ ſic ſe habet: *Idem tenet Beatus Clemens Papa VI. vir eruditiſſimus in ſermone: Erunt ſigna in ſole, &c.* Ubi ſic dicit: *Videtur mihi quòd de Conceptione Beatæ Virginis non debeat fieri Feſtum. Primò auctoritate Bernardi, qui in epiſtola ad Lugdunenſes graviter reprehendit eos, quia hoc Feſtum celebrant Secundò, quia Feſti celebratio non eſt, niſi in reverentia Sanctitatis ejus, de quo celebratur. Conceptio autem Virginis non fuit ſancta, quia fuit in originali peccato concepta, ut patet per multas auctoritates Sanctorum, ideò non eſt ſub Feſtivitate celebranda. Dico enim hoc unum verum eſſe, & clarum, quòd Beata Virgo contraxit in ſui Conceptione originale peccatum. Cauſa autem, & ratio eſt, quia fuit ex libidine per concubitum viri, & mulieris concepta, & ideò peccatum originale in ſui Conceptione contraxit, quod non habuit Filius, qui non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine conceptus eſt. Et ideò non habere peccatum, eſt ſolius Chriſti ſingulare privilegium. Beata igitur Virgo fuit ſub peccato originali per modicam morulam, & ſtatim poſteà fuit ſanctificata. Hæc ille. Floruit anno Domini* 1334. In hac auctoritate aliqua acceſſoria notari debent. Et primum eſt, quòd ſi Bandellus tranſcripſerit auctoritatem iſtam ab Anonymo, in multis eam vitiaverit; & ſi ab ipſo originali Clementis, non ſolùm in multis, ſed in pluribus, ut ſtatim videbimus. Secundum, quòd hæc auctoritas, ut extat in primo originali Bandelli, impreſſo anno 1481. nullo mutato verbo reperiatur in alijs tribus impreſſionibus editis an. 1502. ſine loco impreſſionis, & Mediolani 1512. & in tertia abſque anno & loco impreſſionis. Tertium, quòd, ut extat in Bandello, nullâ alteratâ ſyllabâ, reperiatur in ſuo continuatore, & in Petro de Vincentia, in impreſſione factâ anno 1494. & in alijs tribus noviſſimè impreſſis Toloſæ per Pa-

trem Reginaldum Cananao damnatum ab Univerſitate, & Archiepiſcopo Carolo Montchal, & propter quod exiliatus fuit à civitate; & in ſecunda factâ Panormi, ſicut etiam in tertia editâ Venetijs ſuppoſito typographo, & anno. Hoc dixerim, ut cognoſcatur, quomodò error unius intruſi Anonymi, & incogniti Auctoris excreverit per tot libros & Auctores: nam Gryſaldus, Caſtellanus, Jabellus, Arpalleguſque ab iſtis tranſcripſerunt abſque aliqua dubitatione. Quartum, quòd, cùm Anonymus in ſuis tribus citationibus ſolùm adduxerit Clementem Papam, non ſignando, qualis ille Clemens fuerit, Bandellus declaraverit dicens: *Idem tenet Beatus Clemens Papa VI. vir eruditiſſimus*. Veritatem dixit affirmando, fuiſſe Clementem VI. ſicut etiam vocando eum virum eruditiſſimum; quia in rei veritate eruditiſſimus fuit, ut ex ejus ſermonibus conſtat: ſed neſcio, quâ de cauſâ tam Anonymus, quàm Bandellus, & omnes alij vocaverint ipſum Beatum, quia à nullo ſcriptore tali decoratur honore; ſed hoc Auctoribus iſtis fuit commune, ſcilicet, appellare Sanctos, & Beatos ferè omnes, quos pro ſua ſententia adducere decreverant. Quintum & ultimum eſt illud: *Floruit anno Domini* 1334. & quantùm ad hoc verum dixit, ſi loquatur de Petro Rogerio Archiepiſcopo Rothomagenſi: nam eodem anno in illa præſidebat Sede: falſum autem, ſi loquatur de Clemente VI. Summo Pontifice, ut omnes iſti ſcriptores intendunt, vocando eum Summum Pontificem: nam ad hanc ſupremam dignitatem fuit electus, ut ſuprà diximus, Avenione anno 1342. & mortuus ibidem quarto nonas Decembris, anno 1352. ergò adhuc ſecundùm adverſarios non erat Summus Pontifex, quando hunc prædicavit ſermonem; & ſic falsò, & contra veritatem adſcribitur ſermo iſte Clementi VI. quia ſermo non eſt niſi Petri Rogerij Archiepiſcopi Rothomagenſis, quod evidentiùs conſtabit ex ipſomet ſermone, ex quo convincemus omnes tam quoad punctum iſtud, quàm quoad alia hucuſque ignota, quæ fortè aliquorum veritatem amantium aperient oculos.

Sed antequàm adducamus auctoritatem Petri Rogerij Archiepiſcopi Rothomagenſis ex relato ſermone à tot claſſicis Doctoribus Ordinis Prędicatorum citato, in quibus videbatur nullam poſſe eſſe maculam infidelitatis; neceſſe erit refricare memoriam, ſeu proponere ſermonem iſtum de Conceptione fuiſſe prædicatum anno 1334. ut ſtatim ex ipſomet videbimus, & Vincentius Bandellus fatetur, licet ſub palliato illo verbo: *Floruit*: legerat enim in titulo ipſius ſermonis fuiſſe prædicatum anno 1334. & indè ſine alio delectu affirmavit Clementem VI. floruiſſe illo anno. Ante iſtum ergò ſermonem de Conceptione per plures annos prædicavit Petrus Rogerius ſermonem illum Sancti

cti Thomæ, ſub themate: *Ecce plus quàm Salomon hic,&c.* ut conſtat ex ipſomet originali manu-ſcripto. Unde licet auctoritas illa celebris, & decantata: *Hujus Doctoris ſapientia, &c.* de qua latè diximus in antecedenti Cortice, fuiſſet vera, & non falſa, legitimè extracta à ſuo originali,& non prorsùs ficta, adhuc non erat ſubſcribenda nomine Summi Pontificis; ſed tantùm Petri Rogerij, vel ad ſummum Archiepiſcopi Rothomagenſis. Etenim licet Anonymus vel Bandellus, ſive quilibet alius in hac parte fingendo erraſſent, & errando finxiſſent ſuprà poſitam auctoritatem; Patres graviores poſt ipſos ſcribentes,& præcipuè ſuperiores illi, qui illam in Breviarium ſuum introduxerunt,quaſi eſſet vera, certa, indubitata, atque à Summo Pontifice pro cathedra ſedente prolata, ut docti, Sancti,attenti, veritatis amatores, zelatores, & extirpatores errorum in alijs, non debebant per tot ſæcula ſub tali tantaque vivere confidentia & credulitate, & tam indubiam illi, vel illis præſtare fidem; ſed antequàm iſta ſpargerentur per totum terrarum orbem, & in ſuum introducerentur Breviarium, tenebantur maturo conſilio examinare veritatem, corrigere, ac emendare prudentèr, quæ ab illa erant devia, ut eſt iſta. Et ſi,quando redarguuntur ſolùm de levi crudelitate poſt iſtam evidentem demonſtrationem, velint, ſicut hucuſque etiam voluerunt,aperto Marte illam defendere,ac ſi eſſet vera, certa, indubitata,& Apoſtolicæ Sedis reſcriptum; obſervare debent, quomodò teneantur arguere, reprehendere, immò & ſepelire, ſi opus fuerit, non ſolùm ipſa mendacia, ſed & illorum defenſores: quia abyſſus abyſſum invocat, & tandem iſta poterunt redundare in confuſionem,& detrimentum totius ſuæ Religionis. Et ſi aliquis ob dicta & demonſtrata in antecedenti §. noluerit ſubmittere collum veritati; videat & legat auctoritatem, & epiſtolam integram ex nihilo fabricatam ab eodem Anonymo pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ Univerſitatis Pariſienſis, de quâ in ſequenti Nodo principali latè dicemus. Et ſi adhuc non crediderit,legat attentè auctoritatem iſtam adductam ab eodem contra Immaculatam Virginis Conceptionem,deſumptam & extractam ex libro ſermonum ejuſdem Pontificis Clementis, ſeu Petri Rogerij. Et unuſquiſque ſuum munus adimplebit. Anonymi fuit auctoritates fingere; meum eſt illas detegere, & proponere nudam veritatem, quæ quantò magis oppreſſa, tantò violentiùs ſolet erumpere; & tuum erit judicare juxta allegata, & probata. Quia hæc videtur quaſi infallibilis illatio; ſi Anonymus iſte Ordinis Prædicatorum ex duplici ſermone exiſtente in Petro Rogerio, de Conceptione uno, & de Sancto Thoma altero,ut poneret maculam in Dei Matre, vitiavit totum ſermonem Conceptionis à primo uſque ad ultimum verbum

bum materialiter & formaliter, in verbis & in ſenſu: quid mirum quòd hoc faceret in una auctoritate pro doctrina ſui Angelici Doctoris, quam procurabat exaltare contra eamdem Virginis Conceptionem?

Petrus Rogerius antequàm ad Summum Pontificatum aſcenderet, quam-plures prædicavit ſermones, qui omnes uno continentur tomo in Bibliotheca Fucqueti Pariſijs, & in Monaſterio Marchianenſi in Belgio ex parte, ut ſuprà diximus. Et in eo invenitur ſermo ille de laudibus Sancti Thomæ incipiens: *Ecce plùs quàm Salomon hic.* Et in eodem folio 154. extat etiam ſermo citatus in ſecunda Dominica de Adventu, cum hac ſubſcriptione: *Sermo quem feci ego Petrus Rothomagen. Archiepiſcopus Biſuntinus, in domo Prædicatorum tertiâ Dominicâ Adventûs, anno Domini* 1334. Sermo iſte habet pro themate: *Tu es qui venturus es, &c.* & infrà folio 163. habet alium ſermonem pro Dominica Adventûs, ſub themate: *Erunt ſigna in ſole & luna, &c. Luc.* 21. *Et eſt in Evangelio hodierno de Dominica, &c.* Et totus iſte ſermo qui latiſſimus eſt, agit de Beata Virgine MARIA. Unde colligitur, ſicut etiam ex marginalibus annotationibus, & ex infrà dicendis, quòd factus fuerit in Feſto Conceptionis B. Virginis MARIÆ: an autem habitus eodem anno 1334. ſicut præcedens, in Eccleſia Prædicatorum, vel in altera, neque ex ſermone, neque ex toto libro Clementis conſtat. Cognoſcitur tamen ex illo, quòd Patres Dominicani tunc celebrarent Conceptionis Feſtum. Et hæc de ſermone, & ipſius themate.

In diſcurſu verò ſermonis hæc extant verba: *Erunt ſigna in ſole. Sed antequàm thema dividam, videtur quòd de iſta Conceptione non debeat ſolemnitas celebrari. Et primò auctoritate Bernardi, qui in epiſtola ad Lugdunenſes ipſos graviter reprehendit, quia iſtud Feſtum receperant, & ſolemniter feſtivabant. Secundò: quia cùm Feſti celebratio non debeat fieri, niſi in reverentiam Sanctitatis ejus, de quo celebratur, cùm talis honor exhibeatur Sanctis propter conjunctionem, quam habent ad Deum præ alijs, hoc autem eſt ratione Sanctitatis: & non ſolùm peccatum actuale, immò & originale disjungat à Deo; Beata autem Virgo concepta fuit in peccato originali ſicut videntur dicere multi Sancti, & poteſt per multas rationes probari; videtur quòd de ejus Conceptione non deberet Eccleſia feſtivare. Quia ſermo debet eſſe diſtinctus à diſputatione: quia diſputatio eſt ad veritatum inquiſitionem, prædicatio eſſe debet ad morum ædificationem; ideò nolens diſputare hic, dico breviter: Hoc eſſe unum clarum, ſcilicet, quòd Beata Virgo contraxit peccatum originale in cauſa. Et ratio eſt, quia fuit ex concubitu viri, & mulieris concepta, & ideò peccatum tale in cauſa habuit, quod non habuit ejus Filius, qui non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine eſt conceptus, Lucæ* 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &c. & ideò non habere peccatum.* (Ad marginem habet: *Originale*) *eſt privilegium ſolius Chriſti. Sed utrùm*

Digitized by Google

utrùm contraxerit in forma peccatum originale, aut virtute Divinâ fuerit præſervata, ſunt penes Doctores opiniones diverſæ. Tamen quidquid ſit, dico: quòd ſi etiam in forma, non ſolùm in cauſa, peccatum originale habuit, quòd adhuc de ejus Conceptione poſſumus valdè rationabilitèr feſtivare. Suppono tamen ſecundùm communem opinionem (quoad præſens) quòd Beata Virgo fuit in peccato originali modicâ morulâ; quia ſecundùm omnes, quamprimùm potuit ſanctificari, ſanctificata fuit. Decuit enim ſecundùm Anſelmum, ut eâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi. Et certè rationabilitèr Filius Matrem debuit, quantùm potuit, & decuit honorare, ſicut deducit Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione. Et ideò dicunt aliqui, quòd in eodem inſtanti fuit in culpa, & in gratia ſecundùm diverſa ſigna naturæ; ſed hoc ſatis eſt impoſſibile, cùm inſtans ſit indiviſibile. Alij, quòd ſolùm per inſtans fuit in culpa, & in alio inſtanti in gratia; ſed hoc etiam non videtur poſſibile, quia duo inſtantia non ſunt conſequentèr ſe unientia, immò ſemper inter ipſa eſt dare tempus medium. Et ideò dicunt alij, quòd fuit per modicam morulam in culpa, & poſtmodùm ſemper in gratia. Hoc ergò ſuppoſito, quòd de ejus Conceptione poſſit Feſtum ſolemnizari, perſuadeo brevitèr, & auctoritate, & manu-ductione: primò auctoritate Anſelmi in epiſtola ad Epiſcopos Angliæ, ubi dicit ſic: Non credo eſſe verum amatorem tantæ Virginis, qui renuit celebrare Feſtum ſuæ Conceptionis, &c. Et proſequitur latè probando per auctoritates, & rationes, ſeu congruentias Sacræ Scripturæ, quas ipſe vocat manu-ductiones, Feſtivitatem Conceptionis eſſe celebrandam, & feſtivandam, licet fuerit concepta in peccato originali, ſive ab eo præſervata. A quibus omnibus ſuperſedeo, quia pro hoc parvo opere, & oſtenſione veritatis iſta ſufficiunt; curioſus reliqua poteſt videre in SOLE ſecundæ impreſſionis, id eſt, in RADIIS SOLIS VERITATIS.

Regulatis igitur & benè introſpectis auctoritatibus adductis ab Anonymo & Bandello, invenimus ipſos, ſeu ipſum (quia unus, & idem Auctor eſt) vitiaſſe ſequentia. Ubi Clemens habet: *Videtur, quòd de iſta Conceptione non debet ſolemnitas celebrari.* Anonymus ſic: *Videtur mihi, quòd de iſta Virginis Conceptione non debeat Feſtum celebrari*; addidit illud, *mihi*, ut faceret reſolutionem propriam Clementis, quæ erat ſolùm propoſitio quæſtionis: addidit etiam illud, *Virginis.* Et ubi Clemens: *Non debet ſolemnitas celebrari*, ipſe: *Feſtum* celebrari. Bandellus addit etiam ly *mihi*, & pro *celebrari*, ſcripſit *fieri*, non enim volebat quòd Conceptio celebraretur tamquam quid Sacrum, ſed tantùm ut fieret. Et non curamus hîc de illo Clementis, *non debere*, & ipſorum *non debeat*, licet in rei veritate faciant diverſum ſenſum. Item in illa auctoritate Bernardi aliqua mutarunt, & alia prætermiſerunt, ſcilicet illud: *Et ſolemnitèr feſtivabant*, ut auferrent ſolemnitatem, uti abſtulerant

Digitized by Google

rant celebrationem. Eſſentne credibilia iſta niſi viderentur? In clauſula ſequenti, ubi Clemens: *Secundò, quoniam Feſti celebratio non debet fieri, niſi in reverentiam Sanctitatis ejus, de quo celebratur:* Anonymus ſic: *Secundò, quia Feſti celebratio non eſt niſi in reverentiam Sanctitatis ejus, de quo celebratur*, mutavit enim illud, *debet*, indeterminatum in illud, *non eſt*, affirmativum; & hoc etiam modo ſcripſit Bandellus. Differentia, & maxima ſtat in hoc, quòd fecerint reſolutionem affirmativam ex propoſita dubitatione. Proſequitur Clemens ſic: *Cùm talis honor exhibeatur Sanctis propter conjunctionem, quam habent ad Deum præ alijs: hoc autem eſt ratione Sanctitatis, & non ſolùm peccatum actuale, immò & originale diſjungat à Deo.* Totam hanc omninò clauſulam prætermiſerunt tam Anonymus, quàm Bandellus; quia præviderunt ex illa evidentèr cognoſci hanc non eſſe reſolutionem, ſed propoſitionem quæſtionis. Ideò in ſequenti, ubi Clemens: *Beata autem Virgo concepta fuit in peccato originali, ſicut videntur dicere multi Sancti, & poteſt per multas rationes probari, videtur quòd de ejus Conceptione non deberet Eccleſia feſtivare:* Anonymus ſic: *Conceptio autem Beatæ Virginis non fuit Sancta, ſed cum peccato originali, ut patet per dicta multorum Sanctorum Doctorum; ideò nullo modo eſt celebranda ſub Feſtivitate.* Bandellus ſuperaddidit alia vitia, ſcilicet: *Quia fuit in originali peccato concepta*: non enim judicavit in ſuo ſecundo opere eſſe ſatis expreſſam ſententiam Clementis, niſi adderetur ly *concepta*; & ubi Anonymus: *Per dicta multorum Sanctorum*, ipſe: *Per multas auctoritates Sanctorum*. Sed ſi regulemus illa cum auctoritate Clementis, ferè non eſt verbum, quod non fuerit vitiatum. Nam licet dicat: *Beata autem Virgo concepta in peccato originali*; addidit immediatè: *Sicut videntur dicere multi Sancti*; & hanc clauſulam mutarunt in illam affirmativam: *Ut patet per dicta, ſeu auctoritates multorum Sanctorum*; & omiſerunt illam: *Et poteſt per multas rationes probari.* Et illam: *Videtur quòd de ejus Conceptione non deberet Eccleſia feſtivare*, mutarunt in iſtam aſſertivè abſolutam: *Ideò nullo modo eſt celebranda ſub Feſtivitate, &c.* Nota pro confirmatione ſuprà dictorum illud: *Non celebranda ſub Feſtivitate*, an ſit parva differentia. Et hæc de prima auctoritatis parte.

Propoſitis his à Clemente pro contraria opinione affirmante Feſtivitatem Conceptionis non eſſe celebrandam, quia fuit in originali peccato concepta, addidit illa prudentiſſima verba: *Quia ſermo debet eſſe diſtinctus à diſputatione; quia diſputatio eſt ad veritatum inquiſitionem, prædicatio eſſe debet ad morum ædificationem: ideò nolens diſputare hîc, dico breviter*; quæ omnia prætermiſerunt Anonymus & Bandellus, quia ex illis cognoſcebatur evidenter omnia ſuprà dicta non eſſe juxta mentem, & ſententiam Clementis, ſed argumenta tantùm pro parte negativa. Proponit ergò breviter primam

mam ſuam reſolutionem, dicens ſic: *Dico breviter hoc eſſe unum clarum ſcilicet, quòd Beata Virgo contraxit peccatum originale in cauſa. Et ratio eſt: quia fuit ex concubitu viri & mulieris concepta, & ideò peccatum tale in cauſa habuit.* Sed Anonymus hanc clauſulam tranſcripſit ſic: *Quòd enim Beata Virgo originale peccatum contraxit, clarum eſt. Et cauſa, & ratio hujus eſt: quia fuit ex concubitu viri & mulieris concepta, & ideò peccatum originale in ſui Conceptione habuit.* Bandellus his non contentus adulterationibus ſtrinxit poſteà magis propoſitionem dicens: *Dico enim hoc unum verum eſſe & clarum, quòd B. Virgo contraxit in ſui Conceptione originale peccatum. Cauſa autem, & ratio eſt: quia fuit ex libidine per concubitum viri & mulieris concepta, & ideò peccatum originale in ſui Conceptione contraxit.* Si verba verbis eſſent regulanda, quæ in hac auctoritate Anonymus & Bandellus mutarunt à ſuo originali, obrueremur confuſione, atque pudore: & ſic ſat eſt ſcire, quòd Clemens ſupponat unum clarum, ſcilicet, quòd Virgo MARIA contraxerit peccatum originale in cauſa, id eſt, in parentibus, quod bis repetit. Aſſignat autem rationem quare Virgo MARIA contraxerit, ſeu habuerit hoc peccatum originale in cauſa, à priori videlicet, quia ex concubitu viri Joachimi, & mulieris Annæ concepta fuit. Et hoc totum verum eſt Theologicè, & probabiliſſimè dictum; ſed peſſimè fuit vitiatum ab Anonymo & Bandello, novo atque inaudito adulterationis modo, dicentibus: *Hoc unum verum eſt, & clarum, quòd Virgo* MARIA *contraxit peccatum originale. Et cauſa, & ratio hujus eſt: quia fuit ex concubitu viri & mulieris concepta.* Et ſic illud de peccato originali in cauſa poſitum à Clemente in concluſione, ſeu reſolutione tranſtulerunt ad cauſam, & rationem probationis ſeu argumenti. Et hoc ampliùs infrà declarabitur. Sed qui iſtam clauſulam legerit, eum deprecor, ut non per illam citò tranſeat, ſed maturè perpendat, quid in ipſa contineatur, & ſimul petat à Deo, ut miſericordiâ ſuâ infinitâ cuſtodiat, protegat, & defendat nos à ſimilibus præcipitijs. Clauſulam autem ſequentem: *Ideò peccatum tale in cauſa habuit, quod non habuit ejus Filius, &c.* benè tranſcripſerunt, quia jam erant extra laqueum, & foveam. Ubi ſolùm eſt advertendum: quòd, ſicut Clemens cum omnibus ferè Doctoribus antiquis (quorum alij clarè, alij verò obſcuriùs eâ de re loquuntur) ſolùm affirmabat privilegium ſingulare Chriſti Domini fuiſſe illud, non habere peccatum originale in cauſa, quia non per concubitum ex virili ſemine fuerat conceptus; ſic affirmet hic idem Clemens eſſe clarum, quòd Virgo MARIA habuerit, ſeu contraxerit hoc peccatum originale in cauſa, quod Filius ejus non habuit: ſed Anonymus & Bandellus non quærebant cauſam, ſed effectum, ideò fecerunt tot ingentes mutationes in textu Clementis.

Digitized by Google

In clauſula ſequenti inquirit Clemens de principali aſſumpto dicens: *Sed utrùm contraxerit in forma peccatum originale, aut virtute Divinâ fuerit præſervata, ſunt penès Doctores opiniones diverſæ; tamen quidquid ſit, dico: quòd ſi etiam in forma, non ſolùm in cauſa peccatum originale habuit, quòd adhuc de ejus Conceptione poſſumus valdè rationabiliter feſtivare.* Hæc eſt concluſio, & fundamentalis reſolutio Clementis, ſuper quam ædificat, quidquid in ſequenti quæſtione,& argumentis proponit,& nititur demonſtrare. Et hanc à primo uſque ad ultimum verbum prætermiſerunt,non ſolùm Anonymus & Bandellus, ſed omnes alij ſcriptores Ordinis Prædicatorum, qui hanc Clementis auctoritatem adducunt contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Si hoc fecerunt,quia tranſcripſerunt ab Anonymo-Bandello, à quibus numquam viſa erant originalia verba Clementis, error eſt, ſed comportabilis, quia in fide aliorum deviantes à veritate ceciderunt. Si autem viderunt originale(quod non credo) peſſimus, & execrabilis error eſſet: nam quomodò tot Auctores graviſſimi, Deza Archiepiſ. Hiſpalenſis, Caſtellanus,Petrus de Vincentia,Gryſaldus, Jabellus, & Arpallegus cognoſcentes & videntes proprijs oculis veritatem, unanimiter receſſiſſent ab ea,ita ut neque in uno fuerit zelus juſtitiæ, & æquitatis, & poſitivè fuerint oppugnatores puritatis, & innocentiæ Virginis Mariæ cum tam ingenti falſitate? Sed redeundo ad auctoritatem Clementis, ipſe præſuppoſuit ut certum, Virginem Mariam contraxiſſe peccatum originale in cauſa, quia die 8. Decembris, quando celebratur Feſtivitas Conceptionis, fuit genita à Joachimo & Anna ex commixtione ſeminum, & illam primam generationem vocat Conceptionem, ut ſuprà inſinuavi. Et hîc iterùm noto, in hoc ſenſu locutos fuiſſe ferè omnes antiquos de Conceptione Virginis, peccato originali, & celebratione Feſtivitatis Conceptionis. Quòd autem hoc non ſit ad rem pro præſenti controverſia, ipſimet adverſarij declarant propoſitis vitijs; & etiam in ſuo Breviario antiquo,ut ſuo loco videbitur. Nam ſi hoc quærerent, expreſſa ſententia erat, & clariſſimis verbis extabat in Petro Rogerio, ſeu Clemente: qui quidem illâ ſuppoſitione factâ nunc tranſit ad punctum principale in hac materia, ſcilicet, utrùm contraxerit peccatum originale in forma, ſicut contraxerat in cauſa: vel, an fuerit præſervata virtute Divinâ ab eo. Et circa hanc præcipuam difficultatem dicit eſſe diverſas opiniones inter Auctores: & nolens de ipſis diſputare propter rationem ſuperiùs ab ipſo aſſignatam,quia ſuggeſtum non eſt diſputationis locus, nec ſermo ad populum eſt ad controverſiam, ſed ad ædificationem,ideò addidit: *Tamen quidquid ſit, dico: quòd ſi etiam in forma, & non ſolùm in cauſa* habuit,vel contraxit pec-

peccatum originale, & non fuerit ab eo præſervata: *Quòd adhuc*, hoc admiſſo, *de ejus Conceptione poſſumus valdè rationabiliter feſtivare*. Et hoc probat in tota ſequenti ſermonis parte, quæ latiſſima eſt. Et hîc nota: quænam convenientia ſit inter iſtam concluſionem, & illam poſitam ab Anonymo-Bandello: *Videtur mihi quòd de iſta Virginis Conceptione non debeat Feſtum celebrari*. Et qui finxit hoc contra puritatem Dei Matris: quid miramur de fictione auctoritatis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ?

Proſequitur Clemens, & ut probet concluſionem à ſe poſitam, ſcilicet, quòd adhuc, quamvis Virgo MARIA contraxerit, vel habuerit peccatum originale in cauſa,& in forma, ita ut à nullo iſtorum fuerit præſervata, adhuc inquam ejus Conceptio valdè rationabiliter poſſit feſtivari; dicit: *Suppono tamen ſecundùm communem opinionem (quoad præſens) quòd Beata Virgo fuit in peccato originali modicâ morulâ, quia ſecundùm omnes, quam-primùm potuit ſanctificari, ſanctificata fuit*. Ecce, quomodò ſatis clarè iterum ſupponit quoad præſens, illam communem opinionem, quòd Beata Virgo fuerit in peccato originali per modicam morulam: quia hæc erat communis opinio inter Patres Prædicatores, in quorum Eccleſia concionabatur, & ſic quoad præſens conformabat ſe ipſorum opinioni. Sed hoc mihi parùm intereſt quoad præſens, teneat vel non teneat Clemens opinionem piam, quia ſolùm inquiro de legalitate Anonymi, ſeu Bandelli hanc adducentium auctoritatem, in qua prætermiſerunt omnia contenta in iſta clauſula, ſicut & in antecedenti. De altera verò, quæ ſequitur, non poteſt fieri plenum judicium circa fictiones, & adulterationes in ea commiſſas, niſi cum maxima confuſione, ſummâ difficultate, & obſcuritate; quia tot tantaque inveniuntur mutata, intruſa, vitiata, addita, ut non facilè ſit omnia ſuis locis coaptare, ſed qui poteſt capere, capiat pro nunc. Nam in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS ſeriùs examinabitur.

Proſequitur ergò Clemens ſic: *Decuit enim ſecundùm Anſelmum, ut eâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi: & certè rationabilitèr Filius Matrem debuit, quantùm potuit & decuit, honorare; ſicut deducit Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione*. Hæc clauſula, quæ in Clemente eſt prima, in Anonymo eſt ultima, ubi ſic extat: *Et ideò alij dicunt, & meliùs, quod ipſa fuit ſub peccato per modicam morulam, & ſtatim poſteà fuit ſanctificata; quia ſecundùm eos quantò citiùs ſanctificari potuit, ſanctificata fuit: decuit enim, ut eâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi; & certè rationabiliter Filius debuit, quantùm potuit, Matrem honorare; & hanc opinionem credo eſſe veram*. Bandellus verò prætermittendo omnia, compaginavit hanc breviſſimam concluſionem: *Beata igitur Virgo fuit ſub peccato originali per modicam morulam, & ſtatim poſteà*

 fuit

fuit ſanctificata. Hæc Bandelli concluſio ut concluſio tota eſt ficta. Anonymus autem vitiavit ſequentia : *Et ideò alij dicunt, & meliùs*; nam Clemens non habet hæc verba, & præcipuè illam vocem approbativam, *meliùs.* Item illud, *ſecundùm eos*; in Clemente extat, *ſecundùm omnes*, & Clemens non dicit, *quantò citiùs*, ſed *quam-primùm.* Item prætermiſit, *ſecundùm Anſelmum.* Neque hoc fecit abſque ſingulari intentione, ut ſic introduceret unam ex majoribus adulterationibus, quæ ſub cælo excogitari poterat. Nam cùm Anſelmus, & ex eo Clemens, ut fidelis, doctus, & timoratus ſcriptor dixiſſet : *Vt eâ puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi*, Anonymus ſic : *Eâ puritate nitêret, quâ major ſub cælo nequit intelligi*, nolens, quòd Sacratiſſima MARIA Mater Dei haberet illam puritatem, quæ ſub Deo poteſt intelligi; ſed ſolùm illam, quæ ſub cælo, id eſt, in rebus ſublunaribus : quia jam conſtituerat doctrinam ſui Angelici Doctoris ſuprà cælum in auctoritate in Cortice relata, & infrà in Nodo notabimus. Item ubi Clemens: *Et certè rationabiliter Filius Matrem debuit, quantùm potuit & decuit, honorare :* Anonymus poſuit, *quantùm potuit*; & abſtulit illud, *& decuit*, ut ſic contra auctoritatem Auguſtini & Clementis, & adversùs Virginis MARIÆ honorem exaltaret doctrinam Sancti Thomæ docentis, quòd Deus potuerit Matrem ſuam honorare præſervando eam à peccato originali, ſed quòd non decuerit ita fieri; & ideò abſtulit Anonymus verbum illud, *& decuit*, prætermiſit etiam illud : *Sicut dicit Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione*, & ut clavem imponeret tot tantiſque corruptionibus, addidit ex proprijs : *Et hanc opinionem credo eſſe veram*, cujus clauſulæ nec verbum extat in Clemente : & ubi iſta inveniuntur, credunt eſſe veram approbationem de veritate doctrinæ Sancti Thomæ. Poſt iſta refert Clemens diverſas opiniones circa ſanctificationem Virginis, ſupponendo ipſam fuiſſe conceptam in peccato originali formali; ſcilicet, quòd in eodem inſtanti fuerit in culpa, & in gratia, & quòd in uno inſtanti fuerit in culpa, & in alio in gratia. Quæ verba legaliter tranſcripſit Anonymus, quia res erant jam extra materiam; ſed prætermiſit illa ultima verba eſſentialiſſima : *Hoc ergò ſuppoſito, quòd de ejus Conceptione poſſit Feſtum ſolemnizari, perſuadeo breviter, & auctoritate, & manu-ductione. Primò auctoritate Anſelmi, &c.* Quia hæc ex diametro erant oppoſita illis à ſe propoſitis in principio auctoritatis : *Videtur mihi quòd de iſta Virginis Conceptione non debeat Feſtum celebrari.* Quando Rogerius per tres integras paginas probat contrarium.

Ex ſic dictis, & demonſtratis dicimus pro ultima concluſione, & irrefragabili veritate colligimus, duas illas auctoritates, quæ extant in Petro Rogerio pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ in ſermone : *Ecce plùs quàm*

quàm Salomon huc, & iſtam pro Conceptione Virginis MARIÆ in ſermone: *Erunt ſigna in ſole, &c.* à nobis fuiſſe legaliter tranſcriptas, quia nec pro tota gloria Salomonis, nec pro magna doctrina Sancti Thomæ, immò nec propter ipſammet puritatem Virginis MARIÆ exiret ab ore noſtro, vel calamo in hac materia verbum mendacij, impoſtura aliqua, vel minima cavillatio verborum, aut ſyllabarum mutatio, niſi aliàs inadvertenter, & ex ſubreptione per humanam fragilitatem, quam in omnibus evitare non poſſumus; & niſi, dum quatuor oculis legeretur Originale manu-ſcriptum, aliquod in tranſcribendo irrepſerit vitium in dictione, vel ſyllabâ aliquâ. Scio enim, quòd cùm ſcopus iſtius opellæ noſtræ ſit detegere veritatem ſive pro, ſive contrà, & reſtituere res, & ſcripta Patrum ad ſuum nativum ſplendorem; debeamus, teneamurque noſtrum munus implere fideliter, ut inde rectum forment lectores judicium; ne, dum alios corrigere intendimus, in eadem materia ipſi reprobi inveniamur: præcipuè intervenientibus pro hîc & nunc ipsâ veritatis causâ, totius Eccleſiæ de ipſa deſiderio, Virginis MARIÆ honore, Sancti Thomæ Aquinatis gloriâ, & Anonymi-Bandelli, & aliorum ſcriptorum hujuſmodi famâ, & totius Religionis Prædicatorum opinione (quæ auctoritatem ab iſtis deſumptam pro approbatione doctrinæ Angelici præceptoris in ſuo Breviario collocavit) Petri Rogerij, Innocentij Papæ, ſeu Clementis VI. auctoritate & poteſtate, Familiæ Minorum integritate, ac denique mei ipſius probitate, aut juſtâ reprehenſione, & pœnâ, ſi in re tanti momenti à recta via vel latum unguem deviaverim. Quibus ſuppoſitis, ad Nodos hinc inde ſurgentes ex propoſitis auctoritatibus in Cortice, & Virga putem accedamus. Non leves enim inde exſurrecturos.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

QUandoquidem auctoritas illa adducta ab illo incognito Auctore Anonymo-Bandello Ordinis Prædicatorum (quâ tamquam fortiſſimo muro ſe ceptam eſſe arbitrabatur Dominicana familia) quandoquidem, inquam, illa non ſit Innocentij Papæ IV. V. nec VI. nec Urbani VI. nec Urbani V. aut Gregorij X. nec etiam Clementis VI. ſed cujuſdam Petri Rogerij Ordinis S. Benedicti,

dicti, Doctoris Pariſienſis, Archiepiſcopi Rothomagenſis, qui tranſactis octodecim annis ad ſupremam Petri Sedem fuit aſſumptus; & hoc quidem quoad aliqua ſolùm & pauciſſima verba, ut ex prædictis evidenter manet demonſtratum. Nihil aliud reſtare videtur, quàm ut prò totaliter falsâ, fictâ, & intruſâ ab illo incognito, ſive à quolibet alio ſui temporis ſcriptore reputetur: & per conſequens omnes excellentiæ, elogia, & laudes, quæ ſuper hoc abſque fundamento fabricatæ fuerunt, ſunt inanes, futiles, & nullius momenti, reprehenſione potiùs, quàm laude dignæ: & omnia, quæ ex illa deducta ſunt huc uſque circa approbationem, recommendationem, & receptionem Apoſtolicam doctrinæ S. Thomæ æterno ſilentio ſepelienda, ac oblivioni perpetuæ tradenda. Et cùm etiam auctoritas adducta ab eodem Anonymo, Bandello, & alijs ex eodem Clemente, ſed ſecundùm veritatem à Petro Rogerio, contra Immaculatam Virginis Conceptionem, & ejus Feſtivitatis celebrationem, fuerit etiam vitiata, corrupta, & adulterata in centum quinquaginta verbis eſſentialibus; hinc eſt, quòd, ſicut in illa, nec etiā in iſta, & è contra nulla prædictis auctoritatibus fides præſtanda ſit, ſed tantùm veritati, ut ſuprà manet propoſita, ſcilicet, quòd talis auctoritas pro approbatione doctrinæ S. Thomæ numquam fuerit dicta, vel ſcripta ab aliquo Summo Pontifice, nec à Petro Rogerio, aut quolibet alio antiquo ſcriptore, ſed tantùm ab illo Anonymo-Bandello. Et quòd, cùm in auctoritate circa ſententiam Conceptionis ex propoſitione conditionata fecerint abſolutam, & ex ſuppoſitione dubia fabricaverint determinatam aſſertionem, & circa celebrationem ejuſdem Feſtivitatis ex quæſtione fecerint reſolutionem, & ex argumentis pro parte contraria concluſionem propriam, ſeu ut uno verbo dicamus, ex hac defenſione Petri Rogerij: quòd Feſtivitas Conceptionis, quomodocumque facta fuiſſet, ſive in peccato originali, ſive præſervata ab illo, debitè & congruenter deberet celebrari, conſtruxerint hanc reſolutionem ex diametro oppoſitàm, videlicet: *Feſtivitas Conceptionis nullo modo debet celebrari, quia fuit in peccato originali*; iſte ex utraque parte eſt Nodus, & decurſu temporis factus eſt jam prorſùs indiſſolubilis: quia pariter innodati inveniuntur, veritas libri, & ſermonum Petri Rogerij, cum falſitate auctoritatum Summorum Pontificum Innocentij, & Clementis: veritas thematum & principium ſermonum, cum falſitate ſententiarum, & concluſionum: vera & eximia laus doctrinæ Sancti Thomæ poſita, & demonſtrata ex Petro Rogerio, quæ propter ſui gravitatem, & veritatem merebatur collocari in Breviario, cum falsâ, & fictâ approbatione fabricatâ ab Anonymo, & ab alijs publicatâ, & jam introductâ in ipſa officia Eccleſiaſti-

ca:

ea: vera defenſio celebritatis Conceptionis Virgineæ poſita à Petro Rogerio, cum falsâ ſententiæ inverſione contra ejus mentem. Si iſte, inquam, eſt Nodus ſolubilis per me licet, alijs eum linquo ſolvendum. Nam nos more noſtro, ut fecimus in antecedentibus, & faciemus in conſequentibus, grato animo admittimus auctoritatem, ſeu approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, ut fabricata fuit ab illo incognito Anonymo, & communitèr adducitur ab alijs tamquam ſi eſſet vera & legitima, & non falſa & ſuppoſita, ut in rei veritate eſt. Et ſub hac gratuita condeſcenſione pergimus ad inquiſitionem parallelorum inter doctrinam Sancti Thomæ, & ſententiam de Immaculata Conceptione.

Nodus secundus.

Quia Petrus Rogerius, Clemens, vel Innocentius VI. dixit de doctrina Sancti Thomæ ſuccinctè, & incidentèr loquendo de ejus ſanctitate, vita, & laudibus ſæpè repetitum elogium: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ Canonicâ) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus*; ab omnibus impugnatum, & à nullo receptum, niſi tantummodò à Fratribus Ordinis Prædicatorum, prolatum ab uno Doctore Pariſienſi, qui poſt octodecim annos aſcendit ad Pontificatum; manſit doctrina Sancti Thomæ auctoritate Apoſtolicâ approbata & recepta: & quòd idemmet Auctor (cùm jam eſſet in ſuperioribus conſtitutus, Archiepiſcopali dignitate inſignitus, & ad Pontificalem proximior, ætate & ſapientiâ provectior) in eodemmet libro, non incidentèr, ſed ex profeſſo in ſermone integro, proponendo argumenta, opiniones contrarias, concluſionem ſuam, probationes, varias confirmationes, & reſponſiones ad objecta in contrarium, & quidem cum ponderabili circumſtantia, ſcilicet, concionando in Conventu, Eccleſia, & ſuggeſtu PP. Prædicatorum, determinaverit Feſtivitatem Conceptionis eſſe celebrandam: totum hoc nec fuit approbatio, receptio, aut admiſſio Feſtivitatis, ſed potiùs è contrà, rejectio, reprobatio, & illius excluſio. Eſtne aliquis qui Nodum iſtum ſolvere poſſit? Unus & idem Summus Pontifex in eodem libro ſermonum dicit Feſtivitatem Conceptionis eſſe celebrandam, & doctrinam Sancti Thomæ eſſe ſequendam. Primum probat ex profeſſo, ſecundum dicit incidenter. Primum vitiatur, ſecundum augetur. De Conceptione dicta mutantur in contrarium, & dicta de doctrina debent recipi nullâ mutatâ litterâ, ſyllabâ, ac venerari, &c. Quis quæſo, intelliget Nodum iſtum?

Nodus tertius.

Pro ſententia Immaculatæ Conceptionis adduxit dictus Petrus Rogerius,

gerius, ſive Clemens VI. illam communem Anſelmi auctoritatem ex capite 18. de Conceptu Virginali, quæ integra ſic ſe habet : *Quamvis ergò de mundiſſima Virgine Filius Dei veriſſimè conceptus ſit, non tamen eâ neceſſitate factum eſt, quaſi de peccatrice parente juſta proles rationabilitèr generari per hujuſmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat ut illius Hominis Conceptio de Matre puriſſima fieret : nempè decens erat, ut eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa nitêret, cui Deus Pater unicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tamquam ſeipſum diligebat, &c.* Et pro die Conceptionis alteram ejuſdem Anſelmi, quæ completa ſic ſe habet : *Quiſquis igitur Præſul vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligentèr ejus ſolemnia, & cunctis jube eam coli; quia ſi eam toto corde amaveris, numquam à gradu tuo depoſitus eris. In memetipſo probavi, quod aio. Erubeſcant omninò inſenſati, qui tantum diem, tantaq; Sacramenta, ac Myſteria tenebris ignorantiæ detenti, reſpuunt celebrare, eò quòd viri & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Et licet ejus Conceptionem, eò quòd carnalis extitit, ſtultis non placeat hodie celebrare, tamen diem illum, & noctem (quamvis ſanè multis incognita) & tempus, & horam ſpiritualis Conceptionis ejus hodie celebrare delectat. Quia ipſe, qui eſt animarum Creator, animam ſuæ Matris dignam ſanctiſſimo corpori Virginali ejus, Angelis miniſtrantibus, copulavit. Et ſi non placet illius celebrare ſolemnia Conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ ejus ſpiritualem creationem, ac corporis, & animæ copulationem. O quanta eſt dies illa, quæ noſtræ reparationis anima digna creatur, & ſacratur, & ſanctiſſimo corpori unitur! Non eſt verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem Conceptionis.* Et iſtæ auctoritates prolatæ ab eodemmet ſanctiſſimo Auctore, nec ſunt approbationes puritatis myſterij, nec Feſtivitatis Conceptionis, ſed potiùs reprobatio, & condemnatio expreſſa : & una auctoritas introducta ſub nomine cujuſdam Summi Pontificis, quia eſt pro doctrina Sancti Thomæ, recipitur, prædicatur, defenditur, acclamatur: ſiquidem cantatur in Officio Divino, ac ſi eſſet vera, legalis, certa, & indubitata : iſtæ autem auctoritates (& in ipſis contenta) primò prolatæ à ſanctiſſimo Archiepiſcopo Anſelmo; deinde in eodemmet libro confirmatę ab altero Archiepiſcopo Rothomagenſi, poſteà Summo Pontifice, admiſſæ, receptæ, & ab omnibus Doctoribus, & Chriſti fidelibus in libris, Breviarijs, Officijs, precibus, concionibus, ſolùm deſerviunt ad piam quamdam commendationem devotionis, & favorem piæ ſententiæ, & nihil ampliùs. Et quare hoc? quia auctoritas illa eſt pro doctrina Sancti Thomæ : & licet ficta, plùs valet, quàm veræ, ſi ſunt pro puritate Matris Dei. Et hîc ſiſtat pro nunc Nodus iſte.

NODUS QUARTUS.

Petrus Rogerius, vel Summus Pontifex, in ſua adſcripta auctoritate, ſed non

Digitized by Google

non ab eo ſubſcripta pro ſapientia D. Thomæ dicit, vel dicitur dixiſſe: *Quòd exceptâ Scripturâ vel doctrinâ Canonicâ, præ cæteris omnibus* habeat quinque privilegia, ſeu prerogativas ſingulares: Quarum prima eſt, quòd habeat proprietatem verborum: Secunda, modum dicendorum: Tertia, veritatem ſententiarum: Quarta, quòd eam tenens numquam inveniatur à tramite veritatis deviaſſe: Et quinta, quòd eam impugnans, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. Sed in his nota, ſcrutare, ſigna, & quære, ubinam hîc ſit aliquod verbum ſonans aut redolens approbationem? Dicunt, quòd ipſamet verba ſint approbationes. Valdè benè. De puritate Conceptionis dicit Petrus Rogerius non ſolùm ex ſe, ſed ex verbis Sancti Anſelmi alia etiam quinque elogia. Primum: quòd excepto Deo Virgo MARIA nituerit, & habuerit illam puritatem, quæ ſub Deo intelligi poteſt. Nota hoc, *ſub Deo*, pro ſequentibus. Secundum: quòd ut Conceptio Filij Dei fieret puriſſima, decens fuerit eligere Matrem puriſſimam, & mundam MARIAM. Tertium, quòd Creator omnium ſuæ Matris animam dignam ſuo ſanctiſſimo corpori, miniſtrantibus Angelis copulaverit, & univerit. Quartum, quòd licet aliqui renuant celebrare carnalem Conceptionem, tamen creatio animæ, & unio ejus ad corpus, ſit digna celebratione & veneratione, quia in die illa Conceptionis fuit creata anima noſtræ redemptionis. Quintum, quòd non ſit verus amator Virginis, qui diem Conceptionis ejus reſpuit celebrare. Ergò collatis clauſulis cum clauſulis, comparatis excellentijs cum excellentijs, ex omni parte ſuperant iſtæ veræ Virginis in omni genere cauſalitatis efficientis, formalis, materialis, & finalis; & tamen per ſuas & ſuos, doctrina & ſapientia D. Thomæ manet approbata auctoritate Apoſtolicâ, canonizata & qualificata Pontificiâ dignitate; licet nec verbum in illis ſit, quòd indicet, vel redoleat approbationem: & ſententia puriſſimæ Conceptionis Virginis MARIÆ non manet approbata per ſuas clauſulas; licet omnes in communi, & in particulari loquantur de ejus creatione, & unione admirabili animæ ad corpus. Anima noſtræ redemptionis fuitne maculata in ſuo ingreſſu; & non doctrina Sancti Thomæ? Miniſtrantibus Angelis copulata, & unita fuit anima Virginis ſuo corpori; & puritatem, quam non potuerant dare Angeli illi Conceptui ventris, deditne Angelicus ſuo mentis Conceptui? Quis tanget Nodum iſtum?

NODUS QUINTUS.

De Sancti Thomæ doctrina dicitur, quòd habuerit illas excellentias *præ cæteris (exceptâ Scripturâ Canonicâ)* Et in elogijs Conceptionis Virginis dicitur, quòd exceptâ puritate Dei puritas Virginis MARIÆ ſit major, quàm excogitari poteſt, & puritas iſta adhuc non æquat, ſecundùm ipſos,

ſos, puritatem doctrinæ S. Thomæ: quia puritas doctrinæ S. Thomæ eſt major quàm illa, quæ ſub Deo excogitari poteſt. Nam Sanctus Thomas numquam cogitavit, dixit, aut ſcripſit, quòd non fuerit purum, Sanctum, & Immaculatum, ſine ullo erroris lapſu, aut minimo defectu: Et puritas Matris Dei in ipſamet creatione, & unione animæ ad corpus habuit nævum, maculam, defectum, lapſum, & errorem, & in ipſo defectu gratiæ fuit per aliquas morulas. De doctrina Sancti Thomæ dicitur, creditur, & affirmatur, quòd, exceptâ Canonicâ, præ cæteris alijs ſit purior ſine ullo errore, vel minimo defectu: & admiſſo hoc pro vero, ſic proponitur, docetur, dilatatur, & ampliatur. Interrogo: an hæc puritas, & omnimoda perfectionis integritas doctrinæ Sancti Thomæ ſit ſub Deo, vel ſit idem cum Deo, vel ſit ſupra Deum? Iſta duo, exiſtimo, quòd non dicentur. Si ergò puritas doctrinæ Sancti Thomæ ſit infra puritatem Dei, puritas Mariæ erit ſupra illam, vel erunt ſaltem æquales. Et ſi immediata Domini proximitas non permittatur, nec conceditur Matri Dei (quia puritatem Mariæ non decet eſſe ſuprà puritatem doctrinæ Sancti Thomæ) ſaltem permittant, ut ſit ſicut illa. Nónne decens eſt Virginem Dei Matrem Mariam, quam Creator omnium elegit, ut ex ea Conceptio Filij ſui puriſſima fieret, ante-ire, & ſuperare doctrinam illius, quem Deus elegit pro quinto Doctore ſuæ Eccleſiæ? Saltem relinquant ipſas in æquali gradu, quia nos nihil aliud deſideramus. Et ſic diſcurre per alias auctoritatum clauſulas, in quibus reperies non paucos hujuſmodi Nodos, & omnes indiſſolubiles; nam ego propero ad alios.

NODUS SEXTUS.

Sanctus Anſelmus in ſuprà poſitis auctoritatibus tria dicit. Primum eſt: quòd, exceptâ puritate Dei, puritas Virginis Mariæ excedat omnes alias. Secundum eſt, quòd, qui celebrat Conceptionem Virginis, numquam à gradu ſuo ſit deponendus, vel caſurus. Tertium, quòd, qui non colit Feſtivitatem Conceptionis, non ſit verus amator Virginis. Contra hęc tria dicta à Sancto Anſelmo de puritate Conceptionis, Anonymus ille incognitus decrevit fabricare alias tres ſimiles pro doctrina Sancti Thomæ; quod & de facto fecit dicens: *Hujus Doctoris ſapientia (exceptâ Canonica)* & hæc eſt prima. *Qui ſequitur doctrinam Sancti Thomæ, numquam à tramite veritatis deviavit.* Ecce ſecunda: *Qui eam non ſequitur, ſemper eſt de veritate ſuſpectus:* Ecce tertia: & nota correſpondentiam, & proportionem inter eas. Ideò Anonymus ille incognitus poſtquàm ratione 28. paginâ 183. egiſſet latiſſimè de doctrina Sancti Thomæ, continuò ratione 29. pag. 186. adduxit auctoritatem Petri Rogerij, vel Clementis Papæ. Parùm infrà ratione 32. paginâ 125. inci-

incipit latiſſimè impugnationem epiſtolæ Sancti Anſelmi diſcurrendo per principaliores clauſulas; & poſt plura, paginâ 197. concludit ſic: *Quapropter certus ſum, & nullatenùs dubito, quòd tàm epiſtola illa, quàm tractatus prædictus fuerunt per aliquem ex adverſarijs veritatis malitiosè conſcripti, & adſcripti falsò tanto Doctori, quod non ſine graviſſimo peccato fieri potuit, &c. Vel ergò iſti malitiosè illam epiſtolam confixerunt, & mendaciter eam tanto Doctori adſcripſerunt: illi tamquam ſacrilegi contemptores ſunt Divinarum, & Angelicarum revelationum. Eligant, quidquid velint, quia ſum contentus niſi dicant, quòd utrumque eſt verum, quod firmiſſimè credo.* Gyrandus Renerius hoc magis ſpecificat, ut ſuprà vidimus, tribuens Scoto hujus epiſtolæ inventionem. Ut ergò Anonymus reſarciret illud graviſſimum peccatum à nobis commiſſum, adverſarijs veritatis, malitioſis, & ſacrilegis mendaciorum confictoribus pro puritate Virginis Mariæ, in tribus clauſulis epiſtolæ Sancti Anſelmi, ad inſtar illius fabricavit alteras tres pro doctrina Sancti Thomæ: & hoc ſine graviſſimo peccato, malitia, mendacio, ſacrilegio, & contemptu Divinarum litterarum. Quod quædam leviſſima, & aërea præſumptio eſt iſtius incogniti Auctoris, ſine ullo fundamento veritatis excogitata, ſed neque cum aliquali poſſibilitatis ſpecie; cùm nec Scotus, nec quiſpiam alius ſcriptor Religionis Minorum fuerit, aut potuerit eſſe fabricator illius epiſtolæ, propter rationes ſuperiùs aſſignatas. Sed admittamus fuiſſe poſſibilem illam voluntariam, & inanem impoſturam, & quòd in rei veritate ita factum fuerit, ut quidam Frater Minor propter ſuam ſententiam, & ad augendum myſterium puriſſimæ Conceptionis Dei Matris illam condiderit, & adſcripſerit tanto Doctori Anſelmo. Tunc ſic: In Anonymo hoc non potuit eſſe imaginaria quædam præſumptio; & propter hanc damnatur, & renuntiatur tamquam certus, & indubitatus falſarius, ac malitioſus fictor, de quo firmiſſimè credidit, & affirmavit commiſiſſe graviſſimum ſacrilegij peccatum. Et en Nodus. Quòd idemmèt iſtarum cenſurarum rectiſſimus, & ſeveriſſimus judex in eodem libro, in quo tot tantaſque fulminavit diffinitivas ſententias, ſequendo veſtigia illius iniqui, ac perverſi ſcriptoris Ordinis Minorum in eodem capitulo & parte, & ad inſtar epiſtolæ à ſe reprobatæ fabricaverit, & finxerit alteram ſimilem auctoritatem pro doctrina S. Thomæ in opprobrium & contemptum omnium ſacrorum Doctorum, cujus nulla eſt clauſula, quæ ſpecialem non mereatur Sancti Officij cenſuram, teſte, & judice ipſomet Inquiſitionis edicto: & hanc inſuper non adſcripſerit cuidam Eccleſiæ Sancto, ſed ſupremo ejuſdem Eccleſiæ Pontifici & capiti: hoc recipitur, laudatur, veneratur & collocatur intrà Sancta Sanctorum Officij Divini, quod eſt

ſummum dignitatis culmen, ad quod aſcendere potuit approbatio doctrinæ Sancti Thomæ, ſicut & ultimus dejectionis apex, ad quem deſcendere potuit pia ſententia de Virginis puritate: quòd poſt Gregorij Decretum adhuc in Breviarijs excudatur vox Sanctificationis. Itaque pro doctrina Sancti Thomæ mendacium admittitur ut veritas, & pro ſententia puritatis Dei Matris veritas rejicitur ut mendacium. Quando putas ſolvendus erit Nodus iſte, vel ſcindendus? Quæ autem ex illo reſultabunt, Deus novit.

Nodus septimus.

Sanctus Anſelmus in ſuprà poſita auctoritate dixit, quòd, qui celebrat Feſtivitatem Conceptionis, non ſit deponendus, aut caſurus à ſua dignitate, & gradu; & qui non celebrat eamdem, non ſit verus amator Virginis. Hæc eadem duo delineata fuerunt ab illo incognito Doctore pro doctrina Sancti Thomæ, ſed alijs coloribus, videlicet: *Qui tenet doctrinam Sancti Thomæ, numquam invenitur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Mutavit *cadere* à gradu dignitatis, in *labi* à veritate. Ecce, habemus æquiparatum Sanctum Thomam cum Sanctiſſima Virgine Maria, & doctrinam Angelici Doctoris æmulam factam puritatis, & Conceptionis Dei Matris. Sed non rectè dixi: quia hæc non fuit æquiparantia, nec æmulatio; ſed tribuere illi præeminentiam, & præcedentiam incomparabilem, & conſtituere doctrinam Sancti Thomæ in præſtantiori, ac ſublimiori loco. Et nota, in quantis, & quomodò puritati Virginis Mariæ antepoſita maneat. Inquit ergò Sanctus Anſelmus: *Quiſquis fueris Præſul, Abbas, vel Prælatus.* Obſerva, quomodò ſignet & individuet perſonas; *recole diligenter ejus ſolemnia,* non quomodocumque ſollicitus, ſed recolendo diligenter. O quanto labore ex parte hominis, & quantâ gratiâ ex Dei munere opus eſt in rebus ſpiritualibus ad iſta duo! *Recolere, & diligenter: quâ ſi eam toto corde amaveris;* amare, & non leviter, ſed toto corde, & hoc eſt maximum & primum mandatum, à quo tota lex pendet: *Et cunctis jube eam coli;* difficilius eſt cunctis jubêre, quàm paucis imperare. Ad hoc etiam reſpiciunt illa verba, quæ habentur in Pharetra Mathiæ Farinarij: verbo, Maria, ubi poſt alia ſic inquit: *Sed ei, qui Mariæ laudibus totâ devotione inhæret & inſiſtit, ipſa fortis ut petra contra mala omnia apparebit, &c.* Maria *itaque in mente hominis per piam meditationem reperta, concepta, & generata non reſplendet ex ſplendore ſui auxilij & gratiæ, niſi igne devotionis & amoris igniatur, & devotiſſimis atque inſtantiſſimis precibus poliatur.* Nota quantæ requiruntur circumſtantiæ & actus poſitivi ex parte noſtra, ut Virgo ob merita ſuæ Conceptionis, ac Nativitatis nos juve ac defendat. Nam debemus ipſius laudibus *inhærere*

Digitized by Google

rere & *inſiſtere* totâ devotione; & niſi *igne devotionis* & *amoris* igniamur, & *devotiſſimis*, atque *inſtantiſſimis precibus* imploremus ejus auxilium; auxilium numquàm ab ea ſperandum eſt. En quot quantique requiruntur meritorum agônes, ut per ſequelam devotionis Virgineæ puritatis perveniat ad bravîum, & præmium Præſul, Abbas vel Prælatus, ut numquam à ſtatu ſuo deponatur vel cadat à ſede. Et quid exigitur in ſequela doctrinæ Sancti Thomæ? Nota verba, nam ipſa dicent tibi: *Ita ut numquam qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe.* Solùm exigitur, ut teneamus doctrinam Sancti Thomæ abſque aliqua conditione. Hoc, *qui eam tenuit*, maximam habet latitudinem: quia poteſt tenêri in manu, tenêri in mente, tenêri quoad intelligentiam; tenêri denique ſolùm quoad ſequelam, licet in alijs nec teneas, nec intelligas, nec calleas. Tene igitur eam, qualiſcumque ſis; quia ſi tenes, ſive ſis Prælatus, ſive Subditus, ſive Abbas, ſive Monachus, ſive Præſul, ſive ſimplex Sacerdos, ſive Eccleſiaſticus, ſive Sæcularis, tene: quia cum doctrina Sancti Thomæ non eſt neceſſe illam recolere diligenter, nec aliæ conditiones requiſitæ pro devotione puritatis Virginis: tene tantùm illam, ſi vis numquam à tramite veritatis deviare. Eſtne hoc anteire & præcedere? Sed adhuc reſtat ſecunda clauſula: *Non eſt* (inquit Sanctus Anſelmus) *verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem Conceptionis.* Non dicit Anſelmus abſolutè, non erit amator Virginis, qui reſpuit celebrare diem Conceptionis ejus, ſed non erit verus amator: poteſt enim eſſe amator, ſed non verus; invitat non ad ſimpliciter eſſe, ſed ad melius eſſe. Sed videamus, quid dicat incognitus ille Auctor ſive Clemens VI. per ſuam contra-poſitionem ad iſtam, de doctrina Sancti Thomæ: *Et qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Non dixit, qui eam impugnat de præſenti, vel qui eam impugnabit de futuro; ſed qui eam impugnavit de præterito, ut comprehenderet etiam eos, qui antiquitùs illam impugnarunt, ut Univerſitatem Pariſienſem, Henricum de Gandavo, Durandum & alios, &c. Quia iſti tunc fuerunt, nunc ſunt, & ſemper erunt de veritate ſuſpecti. Impugnatio etenim doctrinæ Sancti Thomæ non admittit magis & minùs, ſicut puritas Virginis Mariæ, quæ magis fuit in ſecundo inſtanti, quàm in primo: nec veritas doctrinæ Sancti Thomæ eſt comparanda cum veritate ſententiæ immunitatis Matris Dei; quia hæc fuit vera in uno momento, in alio verò falſa: nec impugnatio doctrinæ Sancti Thomæ eſt ad inſtar impugnationis à culpa; nam hanc impugnat quilibet abſque eo, quòd ſit de veritate ſuſpectus; ſed qui impugnat doctrinam S. Thomæ, ſemper eſt de veritate ſuſpectus. Eſtne hoc ante-ponere doctrinam puritati Conceptionis, nec ne?

NODUS OCTAVUS.

Perveniamus jam ad deſideratum punctum, & difficultatem exiſtentem in hac auctoritate ficta ab Anonymo ſub nomine Innocentij Papæ. Duo habet doctrina Sancti Thomę per excellentiam, quæ nec ipſi Maternitati Dei Genitricis concedere volunt. Nam ſi ſolùm iſta duo, quæ libentiſſimè dant doctrinæ ſui Angelici Doctoris, darent etiam Reginæ Angelorum, concluſa eſſet controverſia. Primum eſt, quòd, qui eam tenuit, numquam inveniatur à tramite veritatis deviaſſe. Secundum, quòd qui eam impugnat, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. In illis duobus adverbijs: *numquam* & *ſemper* conſiſtit Nodus indiſſolubilis propoſitus in titulo hujus libelli, & omnibus hucuſque dictis, & deinceps dicendis. Hæc propoſitio: MARIA *numquam fuit in peccato*, eſt bona, & valet, vel non? Dicunt, non valet, nec eſt bona: infero ego, ergò nec eſt bona nec valebit iſta: MARIA *ſemper fuit in gratia*? ita eſt, inquiunt, non valet, quia MARIA non ſemper fuit in gratia: & ſic diſcurre per omnes alias: MARIA *numquam fuit impura*: MARIA *ſemper fuit munda*: MARIA *numquam receſſit à Deo*: MARIA *ſemper fuit cum Deo*, &c. Omnes iſtæ ſunt falſæ in Virgine MARIA, & omnes iſtæ ſunt veræ in doctrina S. Thomæ: ergò plùs tribuitur, atque conceditur doctrinæ Angelici Doctoris, quàm puritati Matris Dei. Si doctrina S. Thomæ *numquam* receſſit à veritate, & doctrina S. Thomę *ſemper* fuit cum veritate: ergò *ſemper* fuit vera in principio, medio, & fine. Hoc libentiſſimè conceditur. Si *ſemper* fuit vera, ergò *numquam* habuit falſitatem in fine, medio, & principio. Hoc conceditur ſimiliter. Et de Virgine MARIA quid? Relegant penitùs ab ejus munditia, pulchritudine, & immunitate illa duo adverbia univerſalia: *numquam, & ſemper*: quia aliquando receſſit à tramite juſtitiæ, & fuit immunda, aliquando non fuit cum juſtitia, ſed maculata. Ecce, quomodò veritas Doctoris Eccleſiæ, & juſtitia Matris Dei obviaverint ſibi, & veritas *numquam* victa, *ſemper* vincit, & juſtitia non *ſemper*, quia aliquando fuit victa. Nondùm eſt plenè ſtrictus Nodus: Tota controverſia noſtra eſt, quia dicimus Minores, quòd gratia Dei ſecundùm Scotum ita tenuerit Virginem MARIAM præſervando eam, ut *numquam* diceretur, nec inveniretur eam à tramite veritatis deviaſſe. Sed hanc negant Prædicatores, & loco illius concedunt iſtam: Doctrina Sancti Thomæ ita tenuit Cajetanum, ut *numquam* diceretur, nec inveniretur eum à tramite veritatis deviaſſe, ita tenuit Capreolum, ita tenuit Soncinatem, &c. Ergò plùs adipiſcitur, qui defendit doctrinam pro Sancto Thoma, quàm qui defendit Dei gratiam pro Virgine MARIA. Subtilis Scotus rationibus Theologicis *ſemper* impugnat iſtam propoſitionem: MARIA *habuit peccatum originale*; *ergò non*

eſt de veritate ſuſpectus. Prædicatores negant conſequentiam, & ſimiliter negant iſtam: *Anonymus incognitus ſemper cum auctoritatibus fictis doctrinæ Sancti Thomæ vult probare iſtam:* Maria *fuit concepta cum peccato originali; ergò fuit de veritate ſuſpectus.* Qui negant iſtam, magis videntur favere mendacio dicto pro doctrina Sancti Thomæ, quàm veritati authenticæ, dum eſt in favorem munditiæ Virginis Mariæ. Et iſte non eſt Nodus?

Nodus nonus.

Clemens VI. vel Petrus Rogerius dixit ex Sancto Anſelmo fideliter eum tranſcribendo, quòd Virgo Maria habuerit tantam puritatem, quâ major *ſub Deo* nequit intelligi, & ex Auguſtino, quòd Filius debuerit honorare Matrem, quantùm potuit & decuit. Anonymus incognitus adducendo eamdemmet auctoritatem Petri Rogerij ſeu Clementis VI. tacendo Sanctum Anſelmum dixit, quòd Virgo Maria habuerit tantam puritatem, quâ major *ſub cælo* nequit intelligi: mutando illud, *ſub Deo,* in ly, *ſub cælo.* Et ſimilitèr dixit tacendo Auguſtinum, quòd Filius debuerit, quantùm potuit & decuit, honorare Matrem: à qua auctoritate abſtulit illud, *decuit.* Cui ergò credendum eſt? An Petro Rogerio dicenti veritatem, an verò incognito Anonymo proferenti mendacium? Quid præſtat? An veritatem poſtponere mendacio, an verò mendacium veritati? Vel iſtæ duæ clauſulæ faciunt pro immunitate Virginis vel non: ſi non, quare illas abſtulit? ſi faciunt, ergò cum mendacio impugnavit puritatem, & honorem Matris Dei. Et hæc pro Virga. Pro Cortice verò dicimus: Petrus Rogerius, ſeu Clemens VI. pro doctrina Sancti Thomæ hæc habet: *Audactèr dico: quòd iſte præceſſit ſapientiâ omnes, qui fuerunt ante eum, immò & poſt eum in Univerſitate iſta Pariſienſi, & quòd doctrina ejus eſt vera ſine contagio falſitatis, clara ſine tædio obſcuritatis, fructuoſa ſine vitio curioſitatis,* & cætera alia, quæ Anonymus tamquam infima elogia rejecit, ut parva & vilia excluſit, hæcque pro doctrina Sancti Thomæ recipere noluit, ut introduceret illa ingentia, ſublimia, atque ſingulariſſima in ſuamet auctoritate contenta. Et iſta, quæ contempſit pro doctrina Sancti Thomæ, noluit ullatenùs concedere puritati Virginis Mariæ: quia nihil aliud nos deſideramus pro ipſa, niſi quòd fuerit *pura ſine contagio, clara ſine peccati obſcuritate, & gratioſa ſine vitio culpæ.* Non enim ipſis placuit, quòd ſapientia Sancti Thomæ coæquaretur ſapientiæ Salomonis; & nobis ſat eſſet, quòd pro Virgine Maria concederent innocentiam ejus fuiſſe æqualem innocentiæ Adami. Micas illas, quæ de menſa Salomonis ceciderunt in terram, quæ nec Angelico Doctori profuerunt, utinam darent Virgini Dei Matri; & quæ ipſi ſpernunt, vilipendunt, ac rejiciunt pro ſua doctrina, utinam concederent nobis pro noſtra ſen-

Digitized by Google

ſententia, ut poſſemus eis dicere: *Ipſam certè ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris.* Hæc dixit Petrus Rogerius de doctrina Sancti Thomæ, quæ Anonymus incognitus incognita fecit attribuendo illa Innocentio Papæ, & addendo illa adverbia, *ſemper* & *numquam*, quæ innocentiæ Virginis communitèr noſtri tribuebant dicentes: *Virgo* MARIA *in ſua Conceptione numquam immunda fuit, ſed ſemper munda.* Et hæc voluit auferendo ab immunitate transferre ad doctrinam; ſed ubi manet Nodus?

NODUS DECIMUS.

Doctores Salmanticenſes loquendo pro doctrina Sancti Thomæ, ſtatuto, & juramento facto ab Univerſitate circa ſequelam ipſius, ſic inquiunt: *Cùm igitur Academia juravit illam ſequi, juravit ſe non exponere periculo errandi. Itaque hoc juramentum non eſt de materia indifferenti, ſed juſta & ſancta, juſta non quomodocumque, ſed ita ut non impediat bona majora, quin potiùs illa ſecum adferat, &c.* In quibus verbis expreſsè fatentur, quòd, qui jurat ſequi, & tenere doctrinam Sancti Thomæ, juret ſe non exponere periculo errandi. Unde idem ſunt jurare ſequelam doctrinæ Sancti Thomæ, ac eſſe remotum, & extra periculum erroris ſe ponere, atque etiam occaſionem errandi totaliter auferre proximam & remotam. Et ſi doctrina Sancti Thomæ eſt medicina præſervativa ab errore, & periculo erroris, ergò in apotheca Religionis Prædicatorum in ſolo uno, *recipe doctrinam Sancti Thomæ*, invenitur præſervatio ab errore, & etiam à periculo errandi: & hoc ſanè remedium dicitur ab eiſdem deeſſe in apothecis cæli, Eccleſiæ Catholicæ, Crucis & redemptionis confectę ex infinito Chriſti Sanguinis valore, pro carne & ſanguine, atque anima Virginis MARIÆ? Si eſt in ſacra Scriptura aphoriſmus, qui redimit ab interitu, id eſt, Omnipotentia, & Voluntas Divina: ſi eſt etiam in ſacra Prædicatorum familia aphoriſmus, qui redimat non ſolùm ab errore, ſed etiam à periculo errandi, doctrina, ſcilicet, Sancti Thomæ; quare in illa infirmitate communi deſcendente ab Adamo (*Omne caput languidum: à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas: in quo eramus omnes quaſi oves errantes*) dicunt Diſcipuli, & jurant in verba Magiſtri, non fuiſſe de facto in Sanguine Chriſti pro ejus Sanctiſſima Matre medicinam præſervativam? Si eſt tam commune, ut extet ſemper, & ubique ad manum in defenſorium doctrinæ Sancti Thomæ pro errore, & periculo errandi; quomodò poſt tot ſæcula non potuerunt invenire unicum hujuſmodi defenſivum pro innocentia atque munditia Virginis MARIÆ? Magnus utique hic latet Nodus.

NODUS UNDECIMUS.

Quòd doctrina S. Thomæ ſit juſta, & Sancta, admittimus libentiſſimè; & non juſta, & Sancta quomodocum-

cumque, ſed ita juſta, & Sancta, ut numquam impedierit bona majora, ſed illa ſemper ſecum adferat; quia venerunt nobis omnia bona paritèr cum illa: & hæc doctrina, quæ attulit mundo omnia bona majora, & minora, non attulerit Virgini Mariæ pro ſolo unico inſtanti, & momento immunitatem, innocentiam, juſtitiam originalem, munditiam, &c. Quid ergò dicemus ad hæc? Concedimus illis majorem univerſalem, quia eſt pro doctrina S. Thomę, dent nobis minorem particularem, ſaltem quia eſt pro honore, & gloria Matris Dei. Sanctus Thomas omnibus attulit bona, ſoli ne Virgini Mariæ attulit mala? Hoc certè incredibile videtur; & ſi credatur hoc, magnus præparatur Nodus, & indiſſolubilis. Malum eſt peccatum originale, & radix omnium malorum: culpa mala, macula, & inimicitia Dei peſſima. Bonum eſt ſemper eſſe juſtum; bonum eſt ſemper eſſe Sanctum; bonum numquam recedere à Deo; melius & optimum numquam eſſe ſine ejus gratia. Et doctrina illa, quæ ab omnibus removet mala, & adfert bona, & in omnibus impedit mala; reſpectu ſolius Virginis Mariæ Matris Dei, & Angelorum, & hominum Reginæ, Matris Divinæ gratiæ & puritatis, &c. non tantùm aufert bona, & adfert mala; ſed etiam impedit bona, & impendit mala. Sectatores unius univerſalem affirmant, Sectatores alterius particularem negant. Veniat aliquis indifferens, ut ſolvat Nodum.

Nodus duodecimus.

Iſte eſt Nodus non tantùm indiſſolubilis, ſed etiam cœcus. De ſententia immunitatis Virginis à peccato originali dicunt expreſſis ac formaliſſimis verbis Patres Gyrandus, Anonymus-Bandellus, Spina, Eliſius, Barclete, & alij quam-plures (quia eſt inter ipſos commune proloquium) qui affirmant Virginem Mariam fuiſſe privilegiatam in ſua Conceptione, & exemptam à peccato originali; oſtendant privilegium ac exemptionem, & tunc credemus eis. Si regula generalis: *Omnes in Adam peccaverunt*, habet exceptionem in Maria, vel ſola Conceptio iſta fuit privilegiata ab illa regula: *In peccatis concepit me mater mea, &c.* oſtendant privilegium. Nolunt ergò credere, niſi oculariter videant, & palpent exemptionem, & privilegium, quaſi hæc eſſent ſtigmata, & vulnera Sancti Thomæ. Uſque modò quærebatur hoc privilegium, & exemptio in Sacra Scriptura, Sanctorum Patrum ſcriptis, atque piæ opinionis monumentis, & non inveniebatur. Sed quid quærunt à nobis, quod ipſi habent in propriâ domo? ſtat enim in archivo Salmanticenſi Ordinis Prædicatorum, & reperitur in doctrina Sancti Thomæ. Inquiunt ſiquidem Doctores illius Academiæ: *Addimus nos neſcire, in qua auctoritate Auctores objectionis doctrinas Sanctorum dijudicant contra Decreta Pontificum, qui ut anteà retulimus, declararunt in doctri-*

na Sancti Thomæ nullam inveniri falſitatem, neque erraſſe, qui eam ſecutus eſt, qui eam non ſequitur de veritate ſuſpectum eſſe. Inſuper doctrinam hujus Sancti vocaverunt Catholicam, id eſt, univerſalem, quia omni tempore, & loco, & ab omni genere hominum acceptata fuit, & tradita. Notanda ſunt omnia verba iſta circa commendationem doctrinæ Sancti Thomæ, de qua judicandum non eſt, nec poteſt judicari, niſi contraveniendo Decretis Summorum Pontificum; quia jam auctoritate Apoſtolicâ determinarunt nullam in ea inveniri falſitatem, nullumque errorem poſſe ſequi ex ejus ſequela. Unde doctrina iſta facta eſt Catholica, & univerſalis pro omni tempore, & loco, & ab omni genere hominum, tradita à Summis Pontificibus, & recepta à fidelibus. Hæc ſtabilita ſunt pro una parte Corticis. Pro altera verò Virgæ in formula juramenti dicunt ipſimet Salmanticenſes: *Juro in quotidianis lectionibus, quas in Academia, vel cathedræ moderator, vel voluntarius profeſſor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia ſcholaſtica doctrinam Auguſtini, & concluſiones D. Thomæ, quas in Summa Theologiæ docuit, &c. Excipio opinionem de Immaculata Virginis Conceptione.* Omnes concluſiones D. Thomę ſunt ſequendæ tamquam veræ, univerſales & Catholicæ, in quibus nulla invenîtur falſitas, ut jam dijudicatum eſt auctoritate Apoſtolicâ in Decretis Summorum Pontificium, & ab iſtis ſolùm excipienda eſt concluſio de Conceptione Virginis MARIÆ. Ex quibus magnus, atque cœcus reſultat Nodus. Si doctrina Sancti Thomæ eſt univerſalis & Catholica, & ut talis jam judicata à Summis Pontificibus & tradita, atque ab omnibus recepta; quomodò Patres Dominicani in doctrina univerſali, Catholica, & approbata à Summis Pontificibus, & ab omnibus recepta auſi ſunt dijudicare, apponendo exceptionem de opinione Conceptionis? Si omnis doctrina Sancti Thomæ debet tenêri, & ſequi ab omnibus ſemper, & ubique, omni loco, & tempore, & ab omni hominum genere, exceptâ illâ ſententiâ de Conceptione Virginis in peccato originali; quia licet hæc concluſio ſit etiam Sancti Thomæ, debet eſſe privilegiata & exempta, atque extracta ex illa univerſali, Catholica, & ab omnibus recepta doctrina: ergò ipſimet Patres Prædicatores in ſuamet doctrina Catholica & univerſali invenerunt, & dijudicarunt ſententiam de Conceptione eſſe excipiendam, & privilegiandam. Ad quid igitur petunt à nobis exceptionem, & privilegium, quod ipſimet condiderunt, & habent in ſua doctrina Sancti Thomæ? Quòd fuerit licitum, decens, & congruum Patribus Prædicatoribus dijudieare de doctrina univerſali, & Catholica jam dijudicatâ auctoritate Apoſtolicâ, ut in illam propriâ, & privatâ auctoritate ſuperjudicando introducerent exceptionem unam de ſententia Conceptio-

nis:

nis : & quòd ipſimet velint, quòd Deus ſuâ Omnipotentiâ in hanc doctrinam univerſalem, & Catholicam : *Omnes in Adam peccaverunt*, non potuerit introducere, vel non introduxerit de facto eamdemmet exceptionem. Si nullus eſt error, & falſitas in doctrina Sancti Thomæ, & hoc jam eſt determinatum à Summis Pontificibus, ac propoſitum ut Catholicum & univerſale, ab omnibus receptum, & in hanc Catholicam, ac univerſalem, ſive pro convenientia propria, ſive pro reſpectu alieno, vel propter decentiam, æquitatem, juſtitiam, congruentiam, vel quamlibet aliam cauſam introducunt ipſi exceptionis privilegium circa ſententiam Conceptionis; quo fundamento, vel ratione negant Deo, quod ipſi de facto fecerunt? Habentne ipſi majorem poteſtatem in doctrinam Angelicam, quàm Deus in naturam humanam? Aut hoc privilegium, & exemptio repugnatne magis naturæ humanæ reſpectu Conceptionis, quàm doctrinæ Thomiſticæ reſpectu ſententiæ? Sententiæ exemptio eſt vera, exemptio Conceptionis falſa : ergò qui dant privilegium, & exemptionem ſententiæ; quomodò judicant privilegium, & exceptionem Conceptionis eſſe falſam? Dant privilegium, & exemptionem prædicato, & pro viribus negant exceptionem iſtam ſubjecto. M a r i a, dicunt, non fuit exempta à peccato originali in natura humana; & quòd M a r i a fuerit exempta à peccato originali, excipitur ab ipſiſmet in doctrina Sancti Thomæ. Certè Nodus iſte cœcus eſt.

N o d u s d e c i m u s - t e r t i u s.

Licet doctrinam Sancti Thomæ non ſequantur omnes universìm Provinciæ ac Religiones; nec eadem publicata fuerit omnibus temporibus, nec ab omnibus, & ſingulis in individuo recipiatur, colatur, ac doceatur; ſed tantùm in Religione Prædicatorum, PP. Societatis J e s u, & Carmelitarum Excalceatorum, cum aliquibus alijs, vel paucis, vel pluribus ſæcularibus; *adhuc doctrina iſta eſt dicenda univerſalis, & Catholica, atque ut talis habenda, & recipienda, &c.* Et qui hoc dicunt de doctrina Sancti Thomæ, licet videant ſententiam de Immaculata Conceptione ab omnibus, & ſingulis, locis, temporibus, & Regionibus, communitatibus, Eccleſijs, & Univerſitatibus, viris, fœminis, atque pueris, exceptis tantummodò aliquibus Ordinis Prædicatorum Patribus, acclamatam, & receptam; non verentur dicere in ſuis libris prædictam ſententiam nec eſſe univerſalem, ſed particularem, lotorum, ſutorum, muliercularum, atque plebeiorum, nec Catholicam, ſed erroneam, impiam, & hæreticam. Si hæc eſt vera conſequentia, & valet : *Aliqui cum Patribus Prædicatoribus ſequuntur doctrinam Sancti Thomæ; ergò eſt Catholica, & univerſalis :* Quare hæc non eſt vera nec valet : *Omnes Christi fideles in communi, & in particulari ſequuntur ſententiam Imma-*

maculatæ Conceptionis, exceptis aliquibus ex Ordine Prædicatorum, ergò eſt Catholica, & univerſalis? Si ſufficit ut doctrina Sancti Thomæ ſit Catholica, ut ejus univerſalitas verificetur pro generibus ſingulorum; quare huic excellentiæ, prærogativæ, ſeu privilegio contradicitur, & impugnatur in ſententia immunitatis, cùm ejus univerſalitas inveniatur diſtributa, & verificata pro ſingulis generum? In doctrina Sancti Thomæ addita diminuentia ſunt ſemper latiſſimæ exaltationes: minor ſingularis fit major univerſalis: demere eſt augere, eſt evellere plantare. Et è conrra: pro Virginis immunitate, univerſales fiunt particulares; genera individua; & idem dicere eſt ſuperponere lapides in ędificio, projicere arenam in fundamentum: puteus iſte altus eſt, quia altitudinem ejus menſurantur non aſcendendo ſurſum, ſed deſcendendo deorſum.

Nodus decimus-quartus.

Doctrina Sancti Thomæ eſt Catholica; quia licet non in omnibus, & ſingulis temporibus præteritis, præſentibus, & futuris viſa fuerit, & recepta; *tamen ab omnibus Eccleſiæ Patribus fuit cognita, & venerata adhuc quando non erat*; & ſic proprijſſimè eſt univerſalis, & Catholica. Etenim tempore Apoſtolorum fuit cognita, & venerata in Apoſtolis; tempore Sancti Auguſtini in Auguſtino, & ſic de reliquis. Perpendat unuſquiſque intra ſe hoc elogium doctrinæ Sancti Thomæ: & nos ad extra conferamus illud cum ſententia de Immaculata Conceptione. Communitèr dicitur ab oppugnatoribus piæ ſententiæ Joanne de Montenigro, Joanne de Turrecremata, Anonymo-Bandello, &c. quòd ſententia illa à Spiritu Sancto prolata: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*; ſicut & illa: *Ave* Maria *gratiâ plena, Dominus tecum*, indiffinitè poſita non conveniat Virgini pro omni tempore ſuæ vitæ, ſed tantùm pro illo tempore determinato Incarnationis. Et ſentientes hoc eſſe contra Eccleſiam, & Sanctos Patres dicentes & affirmantes Virginem Mariam ante ſuam Nativitatem fuiſſe ſine macula, & gratiâ plenam, extendunt hoc uſque ad tempus Sanctificationis: iſtud autem tempus ab ipſiſmet determinatur, & præfigitur, aliquibus dicentibus ad libitum, fuiſſe ſanctificatam poſt duas horas à ſua animatione: alij poſt brevem morulam; ſed communitèr, & ferè ſempèr tenent moderni, quòd poſt primum inſtans, & primam temporis partem, id eſt, in ſecundo inſtanti fuerit ſine macula, & gratiâ plena. Siſtamus in hac communi, & recepta opinione. Singulare equidem privilegium eſt doctrinæ Sancti Thomæ, quòd non ſolùm poſt ſui exiſtentiam, quando jam erat extra cauſas, & in rerum natura eſſet recepta, & venerata; verùm etiam quando erat in cauſa remotiſſima, in ipſa radice doctrinæ Evangelicæ, & in ipſamet poſſibilitate: ita ut verificetur, quòd pro omni tempore, præſen-

Digitized by Google

ſenti, præterito, & futuro, de facto, & de poſſibili ſemper fuerit Sancta, & veneratione digna; & privilegium de gratia, & immunitate Virginis prolatum de ipſa abſolutè, & indiffinitè non convenit ei pro tota ipſius vita, ſeu pro tempore ipſius exiſtentiæ, ſed tantùm pro parte vitæ. Doctrina Sancti Thomæ quando non erat, venerabatur, & erat recepta in Sancto Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo, & alijs antiquioribus Doctoribus, qui fuerunt à principio legis Evangelicæ: & puritas, & innocentia Beatæ Virginis, neque in ejus generatione à Parentibus, neque in ejus carnis Conceptione, immò neque in inſtanti animationis, & ejus perſonalis exiſtentiæ fuit digna veneratione? Doctrina Sancti Thomæ, quia Sancti Thomæ, adhuc quando non erat, quaſi eſſet immenſa, æterna, & infinita, venerabatur ubique, & ſemper: & Virginis Dei Matris puritatem nec per quatuordecim annos (quid enumeramus per annos) nec per unicum ſolùm inſtans volunt extendere, & ampliare. Omnes Catholici cum Eccleſia fatentur Virginem eſſe Sanctam & puram in primo & ſecundo inſtanti: ipſi ſoli perveniunt uſque ad ſecundum; & inde per quadringentos annos noluerunt privilegium iſtud extendere ad primum inſtans. Sancti Thomæ gratiæ ac privilegia menſurantur per tempora; & Beatæ Virginis, nec per dimidium temporis, nec per momenta. Illi dantur ante eſſe, & huic nec in eſſe gratiæ conceduntur. Sanctus Thomas venerandus & veneratus quando nondum erat, & Mater Dei nec veranda eſt quando fuit.

Nodus decimus-quintus.

Affirmant, quòd, quandocumque contingit alicui ſtudendo *reperire locum apud Sanctos Patres, qui videatur eſſe contrarius doctrinæ Sancti Thomæ, omninò ſecurus erit, qui ſententiæ Sancti Thomæ accederet.* Hoc determinarunt Patres Salmanticenſes pro doctrina Sancti Thomæ; & ipſi in voto ſuo dicunt, quòd jurent defendere doctrinam Sancti Thomæ, exceptâ opinione de Conceptione. Et interrogo: hæc ſententia de Immaculata Conceptione videturne eſſe contraria doctrinæ S. Thomæ, vel non? Si non: ad quid excipiunt ipſam, & communitèr defendunt Sanctum Thomam ſuſtinuiſſe opinionem de Sanctificatione? Si videtur eſſe contra doctrinam Sancti Thomæ, quâ ſecuritate, & auctoritate permiſerunt relinquere doctrinam Sancti Thomæ? Et hìc annecte illud ſuperiùs tactum; quòd in ſententia Sancti Thomæ invenerint exceptionem pro ſententia Immaculatæ Conceptionis; & quod concedunt ſententiæ, nolunt profiteri de Virginis Conceptione: quia videtur eſſe contra doctrinam Angelici Doctoris. Sed jam ad punctum: Omnes Sancti quando extant in eadem ſententia cum Sancto Thoma, ſunt recipiendi; & ſi in aliqua ſententia videantur eſſe

illi contrarij, ſunt relinquendi omnes Sancti, & ſequendus Sanctus Thomas: ſi ergò doctrina Sancti Thomæ gaudeat hoc privilegio non inter Doctores peccatores, ſed inter Doctores Sanctos: quomodò huic ipſi contradicitur & negatur de ſententia immunitatis Virginis MARIÆ? Pro doctrina Sancti Thomæ eſt privilegium & indultum, ut relinquatur doctrina Sanctorum, & pro ſententia pertinente ad honorem, gloriam, & immunitatem Virginis MARIÆ clamant, & vociferantur quòd non ſit recedendum à veſtigijs Sanctorum, immò recedere nefas ſit: & hoc nónne eſt expreſsè condemnare in ſententia id ipſum quod defendunt in doctrina, & concedere doctrinæ id, quod negant de ſententia? Pro qualibet opinione Sancti Thomæ, quæcumque iſta ſit, poſſumus securè relinquere ſententiam omnium Sanctorum Patrum, & pro puritate ſacratiſſimæ Dei Matris non foret nobis licitum relinquere unam opinionem contentam in doctrina Sancti Thomæ? Ut ſolvant Nodum iſtum, debent recurrere ad alium, ſcilicet, quòd hæc concluſio: *Virgo contraxit peccatum originale*, ſit communis Sanctorum Patrum, & Sancti Thomę. Ecce implicantur alio majori Nodo: quia ſi ipſi in concluſione communi Sanctorum Patrum cum D. Thoma invenerunt exceptionem; quare Franciſcani non potuerunt eamdem conſtituere exceptionem in concluſione, quæ nec eſt Sanctorum Patrum, nec Sancti Thomæ?

NODUS DECIMUS-SEXTUS.

Ex omnibus verbis ſuprà poſitis à Salmanticenſibus præcipuè notanda ſunt illa: *Quòd doctrina Sancti Thomæ eſt communis omnibus Sanctis: quia ipſe eſt os omnium, quo omnes loquuntur, ſive qui præceſſerunt, ſive qui futuri ſunt*: ita ut Sanctus Thomas ſit os omnium Sanctorum ac Doctorum, velut Sanctus Petrus caput totius Eccleſiæ. Locutus eſt Sanctus Auguſtinus, & locutus eſt per os Sancti Thomæ: locutus eſt Sanctus Ambroſius, & per os Sancti Thomæ, &c. Et quia S. Thomas fuit os omnium Sanctorum, inde ſequitur, quòd ipſe in nullo contradixerit, nec contradicere potuerit veris Sanctorum doctrinis. Si hoc eſt cum ſufficienti fundamento, & veritate dictum, non judico: nam mihi ſolùm competit argumentari ad hominem. Si Sanctus Thomas, quia fuit os Sanctorum, non potuit umquam ab eorum veris ſententijs deviare, aut declinare: unde Beata Virgo, quæ fuit vera, ac realis Mater Dei, & per novem menſes non fictum, nec phantaſticum os Verbi æterni, potuit diſcedere, vel declinare ab ejus vera gratia? Dices: quòd hoc verum ſit pro illo tempore, quo fuit os, & Mater Dei. Ecce, redimus cum hac reſponſione ad Nodum ſupra-poſitum: ſi Sanctus Thomas fuit os omnium Sanctorum, non ſolùm illorum, qui poſt ipſum fuerunt, ſed etiam eorum, qui ipſum

ipſum præceſſerunt: unde nec ipſe potuit errare, quia Auguſtinus erat in ipſo, nec errare Auguſtinus, quia loquebatur per futurum os Sancti Thomæ: privilegium hoc, quod habuit Sanctus Thomas ante mille annos ſuæ exiſtentiæ extra cauſas, non potuit habere Virgo Maria ante quatuordecim annos à ſua Maternitate actuali? Dicunt, omninò potuit habere, ſed non habuit; & Sanctus Thomas non potuit habere, & habuit. Componite Nodum iſtum, quia Sanctus Thomas non potuit eſſe os Auguſtini. Vel dico ſic: quia Sanctus Thomas futurus erat os Sancti Auguſtini, Ambroſij, Chryſoſtomi, &c. non permiſit Deus, quòd Ambroſius & Auguſtinus diſcederent à veritate: & Beata Virgo, quæ prædeſtinata & creata fuit, ut eſſet Mater, & os Verbi æterni, os de oſſibus ejus, & caro de carne ejus, non potuit præſervari à caſu, & macula. Potuitne plùs futuritio Sancti Thomæ præſtare Auguſtino & Ambroſio: quàm Chriſtus Deus, & homo venturus præſtare Matri ſuæ? Si valet pro ore Doctoris Eccleſiæ illud: *Aperi os tuum, & implebo illud*; valeat pro eſſe Matris Dei illud etiam: *Et os non comminuetis ex eo.*

Nodus decimus-septimus.

Fuit Sanctus Thomas lilium Dei manibus elaboratum, tantâ omni præditus pulchritudine, ut nec Salomon in omni ſua gloria ad Angelici Doctoris pulchritudinem pervenerit: & ſi antecelluit Salomonem, etiam reliquos Doctores in ſapientia antecellat neceſſe eſt. Unde ſi res abſque zelo, & livore conſideretur, *Sanctus Thomas ſine alicujus injuria fuit inter alios Doctores ſicut lilium inter ſpinas*; ſeu clariùs, aut veriùs loquendo, *Tantùm diſtat Sanctus Thomas ab alijs Doctoribus, quantùm lilium à ſpinis.* Et iterùm Sanctus Thomas omnes alios Eccleſiæ Doctores *præcedit, quantùm pretioſiſſimum aurum metallum, argentum, æs, ferrum, plumbum ſuperat.* Hęc ſunt verba formalia Patris Galvan: in quibus duo ſunt perpendenda. Primum illud: Sanctus Thomas fuit pulchrum lilium Dei manibus elaboratum. Tria igitur habemus lilia purè creata, & Dei manibus elaborata. Primum fuit Adam (à quo Eva) Dei manibus conditum pulchritudine juſtitiæ originalis. Secundum Virgo Maria in utero Annæ, ut lilium elaboratum ab eiſdem Dei manibus, ut omnes fatentur Sancti, atque Doctores, propter illud Scripturæ teſtimonium: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* De quo lilio ſolùm dubium eſt, an in primo inſtanti ſuæ creationis, ſeu formationis fuerit præditum pulchritudine originalis juſtitiæ, nec ne. Tertium lilium eſt S. Thomas Dei manibus elaboratum, & *omni* præditum pulchritudine; & hoc probatur, quia ſic dicitur à Patre Galvan. Inter iſta tria lilia ultimum (ſcilicet, Sanctus Thomas) elaboratum fuit Dei manibus, & omni præditum pulchritudine. Nota univerſa-

verſalem : *omni* præditum pulchritudine. Aſcendamus ergò ad alterum lilium excellentius, ſine ulla comparatione, videlicet, ad Virginem Dei Matrem MARIAM : Et licet lilium hoc fuerit Dei manibus elaboratum, nec fuit præditum pulchritudine, ſed deformitate, nec *omni*, quia defuit illi juſtitia originalis; & hoc dicunt ipſimet affirmantes, Sanctum Thomam fuiſſe lilium Dei manibus elaboratum, & omni præditum pulchritudine. Sed perveniamus ad tertium, ſcilicet, Adam; & hic ſine ulla controverſia, aut quæſtione ſolùm, quia dicitur in Scriptura, fuiſſe Dei manibus elaboratum, tenetur, & creditur fuiſſe omni præditum pulchritudine. Defenſores ergò partis contrariæ de primo Adam fatentur fuiſſe lilium omni præditum pulchritudine, ſine ulla controverſia, vel quæſtione inter homines. De ultimo Sancto Thoma id ipſum affirmant, & atteſtantur inter omnes Doctores : & ſolùm vocant in dubium, immò negant, & impugnant de ſecundo lilio Virgine Dei Matre, fuiſſe lilium Dei manibus elaboratum omni præditum pulchritudine inter filias Adæ. Quod concedunt de Adamo, & Sancto Thoma, negant de Dei Matre. Si Nodus iſte habeat difficilem exitum in Cortice, ex ſequenti ampliùs conſtabit:

NODUS DECIMUS-OCTAVUS.

Dicit Pater Galvan expreſſis, & claris verbis : quòd, ſicut Sanctus Thomas fuit lilium Dei manibus elaboratum, & omni præditum pulchritudine, *Sic omnes alij Eccleſiæ Doctores reſpectu illius fuerunt, & ſunt ſpinæ : & quòd tantùm diſtant ab illo, quantùm ſpinæ à lilio;* & quantùm aurum, *excedit plumbum, & ferrum*, tantùm Angelicus Doctor excedit reliquos Eccleſiæ Patres, & hoc ita tenendum erit, ſi res inſpiciatur abſque aliquâ invidiâ, zelò, & livore. Hæc dicit Galvan, & quamvis proverbio hiſpanico dixerit hoc Galvan, debemus tamen illud credere, & aſſentire, niſi de invidia, zelo, & livore voluerimus eſſe rei. Credamus ergò, & confiteamur, quòd omnes Sancti Doctores, Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, & omnes alij ſint ſpinæ, ferrum, ſtannum, plumbum, & æs, & ad ſummum argentum reſpectu Sancti Thomæ. Et B. Virgo MARIA quando fuit Dei manibus elaborata, exijtne ab illis ſicut lilium, & pretioſiſſimum aurum, omni pulchritudine præditum, vel ſolùm ſicut ſpina, & ferrum ſine pulchritudine, cum macula, ſcoria, culpa, & deformitate? Non primum, quia hoc ipſi negant, contradicunt, & impugnant, ſicut concedunt atque defendunt ſecundum, quia manus Dei non elaboravit ſuam Matrem ſicut Sanctum Thomam? & manus Dei, quæ fuerunt puræ, & nitidæ in formatione Adami, & Thomæ, in MARIA formatione fueruntne nitidæ, & puræ? *Si, pero como manos de herrero que ſolo labraron hierro*, omnes Doctores Sancti ſunt ſpinæ, & ferrum ſi comparantur cum Sancto Thoma,

ma, *quare illos omnes, eorum pace dixerim.* nota univerſalem, *omnes*, & omnes filiæ Adæ non ſunt ſpinæ, & ferrum, ſi comparentur cum Virgine Maria: quia ſicut illæ, ſic ipſa in ſua formatione ſpina fuit, *y tubo hierro*, dum tamen Sanctus Thomas in hac formatione fuit lilium, & pretioſiſſimum aurum. Sanctus Thomas in ſua formatione inter Sanctos, & Sanctiſſimos non fuit, ſicut ipſi, ſpinæ & ferrum; ſed lilium pulchrum, & aurum mundiſſimum: & Beata Dei Mater inter peccatores in ſua formatione non fuit lilium pulchrum, ſed ſpina; non aurum, ſed ferrum; non Sanctiſſima, ſed nec Sancta; deformis peccato, culpâ, & maculâ. Et iſte non eſt Nodus? Denique, quòd Sanctus Thomas fuerit lilium Dei manibus fabricatum, & omni pulchritudine exornatum, & aurum pretioſiſſimum inter Sanctiſſimos Eccleſiæ Doctores fortè ipſo majores, & aurum pretioſiſſimum inter ſordes viles, quamvis hoc dixerit quidam Galvan, debemus hoc concedere ſine ulla invidia, zelo, & livore: & dum tota Eccleſia, Sancti, Doctores, atque Fideles omnes dicunt inter ipſos Virginem Mariam fuiſſe in ſua formatione lilium Dei manibus fabricatum, omni pulchritudine decôrum, & aurum nitidiſſimum, nolunt hoc audire abſque zelo, livore, invidia, contentione, controverſia, deteſtatione, & abjuratione. Qui Nodum iſtum, vel Nodos intellexerit, tentet ſolutionem ipſorum, quia ego non audeo ipſos tangere; quo enim magis tango, magis intrico.

Nodus decimus-nonus.

Non eſt inferior præcedentibus iſte, qui ſequitur: Sanctus Thomas fuit ſtupor in toto orbe, *in quo infuſum eſt, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus* Hoc dixit R. Pater Ludovicus Bivaldus, & in hoc elogio circumvolvitur etiam cardo totius noſtræ controverſiæ. Quidquid naturaliter potuit infundi humano generi, totum infuſum fuit Sancto Thomæ. Diſcurrendo igitur ab Adam uſque ad ultimum hominem, quidquid omnibus & ſingulis infuſum fuit, vel infundi potuit, totum infuſum fuit in Sanctum Thomam. Pro Beata Virgine Maria Dei Matre, Angelorum & hominum Regina, de toto complexo nec apicem reperiemus: nam quidquid quærere poteramus, jam eſt infuſum in Sanctum Thomam. Fuitne illi infuſa juſtitia originalis, cujus capax fuit genus humanum, & de facto infuit in Adam & Evâ? Credo quòd non, niſi aliter Ludovicus Bivaldus credat; igitur jam univerſaliſſima ejus propoſitio illam patitur exceptionem. Quàre igitur iſtam negant in altera propoſitione: *Omnes in Adam peccaverunt*, & pro Dei Matre illam habere non poteſt? Sed tranſeat hoc. Fuit Adamo & Evæ infuſa naturaliter juſtitia originalis? Fuit. Potuitne infundi alteri homini in humano genere? Potuit. Quare ergò non fuit infuſa Dei Matri? Quia, quod non fuit

Digitized by Google

infuſum Sancto Thomæ, non erat congruum, aut decens ut priùs infunderetur alteri. Hoc enim elogium, quidquid naturaliter infuſum eſt humano generi, ſeu eſt capax humanum genus, &c. ſervabatur unico Thomæ; & ſic quod ipſe non habuit, non fuit decens quòd alter haberet. Si hoc modo vellent ſolvere Nodum iſtum, certè plus quàm temeritas quædam foret. Et ſic loquendo intra terminos Catholicos, & juxta noſtras paritates, & reconventiones ad hominem: ſi Beato Thomæ fuit infuſum, cujuſcumque naturaliter eſt capax humanum genus; & capax fuit hujus humanum genus in Adam, & capax eſt etiam hodiè juſtitiæ originalis & gratiæ in primo inſtanti animationis; concedamus igitur Matri Dei, ſi non de juſtitia, ſaltem de gratia, quod ſine juſtitia, gratia, immò & fundamento dicitur de Doctore Eccleſiæ. De Sancto Thoma dicunt ipſi, quòd non fuerit, & de Virgine MARIA dicimus nos quòd ſit, quia fuit; licet non dicant ipſi, quòd fuerit, ut ſic componant dictum, & factum.

NODUS VIGESIMUS.

Doctiſſimus fuit Pater Bivaldus, ut ejus opus eruditum, Regale nuncupatum, & alia quam-plura opuſcula demonſtrant. Hoc ſuppoſito interrogo: hoc quod dicit doctiſſimus Pater pro ſuo Angelico Doctore, *Quòd ipſi, ſcilicet, infuſum eſt, quidquid humano generi fuit infuſum*, vel eſt impoſſibile, vel poſſibile? Si impoſſibile, quomodò de Sancto Thoma dicunt, affirmant, & proponunt, ut credantur quæ ex natura ſua impoſſibilia ſunt, & eodem tempore negant de Dei Matre, impugnant, & nolunt credere quod ipſimet fatentur fuiſſe poſſibile? Si verò fuit poſſibile (ut fuit) reſtat inquirere, an fuerit verum, quòd de facto illi fuerit infuſum, quidquid infuſum eſt humano generi, an verò falſum? Si fuit verum, certè res erit mirabilis videre quòd negent Dei Matri id, quod fatentur de facto Angelico Doctori fuiſſe conceſſum, & anteponant Thomam Dei Genitrici, & non in una vel altera excellentia, ſed in hac univerſali, quòd S. Thomas habuerit de facto ſibi infuſum, quidquid humano generi fuit infuſum, vel infundi poteſt, & Beatiſſimæ Virgini MARIÆ non. Si autem propoſitio non eſt vera ſed falſa (quia Sanctus Thomas non habuit de facto, quidquid infuſum eſt, vel erit humano generi) quare impugnant, quòd propoſitionem ſuam poſſibilem falſam, fecerit Deus veram in illo ſummo, & unico individuo generis humani, & primo inter puras creaturas, Virgine MARIA? Si in aliquo individuo, & non in D. Thoma hæc poſſibilitas reducenda eſſet ad actum, in quo meliùs, aptiùs, & congruentiùs, quàm in Dei Matre? Reſpondent, & eſt unica ipſorum ſolutio, quòd non omnia poſſibilia reduxerit Deus ad actum in Matre ſua. Nam fuit poſſibile, ut ipſam faceret Beatam

per-

Digitized by Google

permanenter ab inſtanti ſuę Conceptionis, & tamen non fecit: fuit poſſibile, ut naſceretur de Virgine, & tamen non fecit: fuit poſſibile ut non moreretur, & tamen mortua eſt: ſic ſimiliter fuit poſſibile, ut conciperetur in juſtitia originali; ſed noluit, & non fecit. Solutio iſta noſtro Nodo, & argumento ad hominem non officit, nec eſt ad rem. De Sancto enim Thoma dicitur (ſive ſit poſſibile, ſive non, ſive verum, ſive falſum) iſta eſt major jam conceſſa; *in quo infuſum eſt quidquid naturaliter eſt capax humanum genus; idcircò qui eum impugnant, ſemper ſunt de veritate ſuſpecti.* Atqui Adamo & Evæ in genere humano fuit infuſa juſtitia originalis, ergò & hæc fuit infuſa Angelicò Doctori. Iſtius Nodi quærimus ſolutionem in Cortice, præcipuè addendo illam cauſalem: *Ideò qui eum impugnant, ſemper ſunt de veritate ſuſpecti*, quia ex ſolutione reſultabit alius Nodus in Virga. Nam ſive excellentia iſta ſit vera, vel falſa, dicitur & affirmatur de S. Thoma; & hæc eadem numero negatur & contradicitur in B. Virgine. Unde deducitur, quòd in genere humano quoad dona infuſa nobilius individuum fuerit S. Thomas de poſſibili, quàm Dei Mater Maria de facto; & qui hoc dicunt & concedunt, non ſunt de veritate ſuſpecti.

Nodus vigesimus-primus.

Admittamus ſolutionem illam: Non omnia poſſibilia conceſſit Deus Matri ſuæ; & ſic, licet potuerit illi dare juſtitiam originalem, noluit hoc facere: & hæc eſt ratio, quare Maria non habuerit de facto *quidquid humano generi fuit infuſum*; optimè. Sed interrogo: Fuitne poſſibile, ut haberet Sanctus Thomas, *quidquid humano generi fuit infuſum*. Ita fuit poſſibile, quia de facto illud affirmant. Sed hoc fuit loqui ſicut in alijs ſine fundamento; quia in rei veritate non habuit Sanctus Thomas, quidquid humano generi fuit infuſum; & quare non habuit, ſi fuit poſſibile? Quia Deus noluit hoc illi concedere, & non eſt alia ratio à priori, quia ſi Deus voluiſſet, ſic factum fuiſſet. Ergò eâdem menſurâ menſurantur voluntatem Dei reſpectu ſuæ Matris, quâ menſurantur Sanctum Thomam? Maria non habuit, quia Deus noluit. Thomas non habuit, quia Deus noluit: igitur æquales. Immò plus concedunt Angelico Doctori; quia de iſto jam dicitur, licet non habuerit, & de Matre Dei nec dicunt, nec volunt audire quod dicatur. Hæc, & alia quam-plura poterant innodari ex verbis propoſitis, ſed ſufficiat pro nunc ſubminiſtraſſe funes: & vide circa verba iſta alium Nodum infrà ex reſponſione P. Dodi.

Nodus vigesimus-secundus.

Non minoris conſiderationis eſt ille reſultans ex auctoritate Patris Raynardi: *Doctrina*, inquit, *Sancti Thomæ eſt Sancta, vera, fructuoſa, & probata, quam nullus impugnare poteſt niſi Spiritui Sancto, & veritati reſiſtat.* Et huic adjunge dictum Patris Arriaga: Sumus

mus

mus Pontifex *maledicit omnes, & ſingulos in individuo, qui impugnant doctrinam Sancti Thomæ.* Doctrina Sancti Thomæ eſt Sancta, & probata; & hæc duo privilegia uſque modò non eſt adepta ſententia de Immaculata puritate Beatæ Virginis MARIÆ. Et ubi invenitur hoc privilegium, quòd doctrina Sancti Thomæ fuerit Sancta, & probata? quia hoc dixit Pater Raynardus. Et in doctrina Sancti Thomæ hoc ſufficit pro vero & authentico privilegio? Sufficiat. Sed quomodò licet millies à Summis Pontificibus, & in quatuor Officijs de Conceptione approbatis à Sede Apoſtolica, vocetur Sancta Conceptio, pura, & Immaculata, contradicitur privilegio huic & impugnatur, dicentibus alijs non eſſe Sanctam, puram, nec approbatam, cùm tamen oſtendamus eis hoc privilegium in Sacra Scriptura? Sed de hoc ſatis dictum eſt, pergamus ad aliud: Doctrinam S Thomæ *nullus impugnare poteſt, niſi Spiritui Sancto reſiſtat.* Et quid ampliùs dici poteſt de Sacra Scriptura ab eodem Spiritu Sancto prolata? Impugnare doctrinam Sancti Thomæ eſt reſiſtere veritati, & peccare contra Spiritum Sanctum; quia nullus, quicumque ille ſit, impugnare poteſt doctrinam Sancti Thomæ ſub pœna maledictionis Pontificię. Et Virginis puritati contradicere, eamq; impugnare ipſi poſſunt abſque præjudicio veritatis, Spiritûs Sancti contradictione, & pœnâ Pontificiæ maledictionis. Nota verba, quia non tantùm ipſa actualis impugnatio, ſed & poſſibilitas ipſa impugnandi eſt Spiritui Sancto, & veritati reſiſtere. Et ubi eſt hoc privilegium? In poſſibilitate, quia poſſibile fuit quòd Innocentius, vel Clemens Papa dicerent: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris, exceptâ canonicâ, &c.* Sed privilegium, quod non habuerunt ab Innocentio, aut Clemente, expedivit quidam Clementiſſimus ſcriptor incognitus, & Innocentiſſimi illud recipiunt ut nullus impugnare poſſit doctrinam Sancti Thomæ, niſi Spiritui Sancto reſiſtat.

NODUS VIGESIMUS-TERTIUS.

Si non majoris, ſaltem ſunt æqualis univerſalitatis iſtę duæ propoſitiones, una promulgata ab Apoſtolo: *Omnes in Adam peccaverunt*, & altera prolata ab Auctoribus iſtis Ordinis Prædicatorum: *Maledictus qui impugnat doctrinam Sancti Thomæ*, vel: *Nullus poteſt impugnare doctrinam Sancti Thomæ.* De prima dicit & docet Pater Arriaga, quòd poſſit admittere exceptionem, non autem iſta ſecunda impugnantium doctrinam Sancti Thomæ, quaſi in mundo eſſet etiam aliud peccatum originale, ſcilicet, impugnare doctrinam S. Thomæ, à quo nullus foret excipiendus. Illa, *omnes in Adam peccaverunt*, aliquam admittit exceptionem, licet ſit Canonica, à Spiritu Sancto per Apoſtolum promulgata; hæc autem, *Maledictus eſt, quiſquis contradicit doctrinæ Sancti Thomæ*, nullam omninò; quia individuatur in ſingularibus:

Digitized by Google

laribus : *uno*, *per uno*, licet non ſit in Scriptura, neque à Spiritu Sancto prolata : nam pro Scriptura Sacra, Apoſtolo Paulo, & Spiritu Sancto æquivalet in iſta, quòd fuerit pro doctrina Sancti Thomæ fulminata; & cauſa finalis doctrina Sancti Thomæ æquiparatur cauſæ efficienti Spiritui Sancto. Nota, quanta abſurda excitaverit Anonymus ille incognitus cum ſua auctoritate ficta ſub nomine Innocentij Papæ. Sed concedamus omnia ſuprà dicta ab iſtis Auctoribus, ut inde conficiamus Nodum. De prima Apoſtoli univerſali reductum eſt ad controverſiam, an habuerit aliquam exceptionem, ipſi negant habuiſſe exceptionem, quam tota Eccleſia admittit. De ſecunda quæritur nunc, an patiatur aliquam exceptionem necne? Pater Arriaga dicit quòd nullam admittat; neque hoc poteſt reduci ad controverſiam. Igitur propoſitiones univerſales pro doctrina Sancti Thomæ ſunt in altiori gradu, quàm prolatæ in Sacra Scriptura, quarum ferè nulla eſt, quæ aliquam non admittat exemptionem. Sed non ſit in altiori gradu, ſed tantùm in æquali; quia de utraque dicitur nullam habere exemptionem. O Sacratiſſima Virgo MARIA, ab utraque etiam parte fores clauſę ſunt pro exemptione tua, atque defenſione! Sententia Pauli eſt contra exemptionem, doctrina Thomæ contra defenſores, & ubique gladius quærens impetere, atque transfodere te. Paulus cum enſe, Thomas cum verſatili romphæa ignea factus Paradiſi Cherubim. Sed mitior ſine comparatione illa Pauli : non enim eſt maledictus, aut peccat contra Spiritum Sanctum, qui in ſua univerſali conſtituit exceptionem; & eſt maledictus maledictione Pontificiâ, qui contra doctrinam Sancti Thomæ, te ipſam defendere conatur, ac ſine redemptione peccat contra Spiritum Sanctum. Et iſte non eſt Nodus?

Nodus vigesimus-quartus.

Tàm in principali auctoritate ficta ſub nomine Innocentij Papæ, quàm in alijs ab illa deductis, & ſuprà relatis, totus conatus ſcribentium eſt perſuadêre Conceptum mentis, ſeu doctrinam Sancti Thomæ fuiſſe, & eſſe unicam, ſingularem, ac exemptam ab omnibus aliorum Sanctorum doctrinis. Et ſi quærimus ab ipſis, an hæc ſingularis exemptio conſiſtat in hoc, quòd plùs ſcripſerit quàm alij, aut minoris temporis ſpatio, quòd clariùs, breviùs, aut reſolutiùs, &c. dicunt, quòd non, quia iſtæ ſunt differentiæ accidentales penès magis, & minùs, quæ non variant ſpeciem; ſed ejus ſingularitatem conſiſtere in eſſentiali diverſitate, ſcilicet, quia aliæ doctrinæ habuerunt aliqua emendatione, & correctione digna, *Quæ licet eorum ætate veræ, & amplectendæ viderentur, poſteà tamen parùm tutæ viſæ ſunt. Nam citiùs aut ſeriùs omnes aliquam falſitatis notam ſubierunt, aut non omnia pertractarunt, &c.* Alia plura hujuſmodi habet Pater Xantes Mariales. Sed

Sancti Thomæ doctrina fuit totaliter pura, & Sancta, vera, tuta;in eâ nulla falſitatis nota, error, aut defectus, & nihil correctione dignum invenitur. Optimè, & ſuper-abundantibus verbis exempta eſt doctrina S. Thomæ ab illo originali peccato, vel defectu omnium aliarum doctrinarum. Sed Conceptus ventris Virginis MARIÆ fuitne hoc modo ſingulariter exemptus inter alios Conceptus, verbi gratia, Sancti Joannis Baptiſtæ, Hieremiæ,&c? Dicunt eſſe ſingularem, at non propter immunitatem à peccato originali (nàm illud contraxit ſicut & alij) ſed quia citiùs, abundantiùs, copioſiùs, aut celeriùs fuit ab illo peccato ſanctificata, & purgata in utero. Et en indiſſolubilis Nodus. Illa, quæ non faciunt conceptum mentis Sancti Thomæ ſingularem inter conceptus mentis aliorum Sanctorum; quomodò faciunt ſingularem Conceptum ventris MARIÆ inter alias conceptiones? Conceptus mentis Sancti Thomæ non eſt ſingularis,quia citiùs alijs ſcripſit, non quia clariùs, non quia reſolutiùs, aut breviùs; quia iſta minima, & parvi momenti differentia eſſet, & nullius æſtimationis pro ſingulari gloria Angelici Doctoris; ſed ideò fuit ſingularis, quia nullum habuit defectum, nullum nævum, aut maculam, nullumque errorem ſicut aliæ doctrinæ, ſed tota intégra fuit ac pura: ergò Conceptus Sacratiſſimæ Dei Matris non eſt tam ſingularis, quàm doctrina S. Thomæ. Immò ex illis, quæ in doctrina Angelici Doctoris ab ipſis deſpiciuntur ac parvipenduntur quaſi fragmenta, micæ, & paleæ excuſſæ, volunt fabricare coronam puritatis Dei Matri: ut in hoc, quod eſt nullum habuiſſe defectum, nullum nævum aut maculam,ſola doctrina Sancti Thomæ ſingularis dicatur, & ſit. Si iſte alicui non videatur eſſe Nodus, pergamus ad alium.

NODUS VIGESIMUS-QUINTUS.

Dedit Deus Angelico Doctori omnia illa talenta, quæ largitus fuerat Auguſtino, Ambroſio, ſingulis, & omnibus alijs Eccleſiæ Doctoribus in particulari, & in communi: & inſuper addidit illi alia quinque talenta numquam alteri conceſſa; & ut tot tantamque talentorum ſummam reciperet, *novam illi Deus capacitatem contulit*, quaſi diceret hiſpanicè: *No ſolo ledio tanta ſuma de dinero, ſi tambien la bolſa, ò erario donde lo guardaſe ſeguro.* O glorioſus Conceptus mentis Quinti Doctoris Eccleſiæ, cui Deus ſimul dedit omnia talenta alijs Sanctis Doctoribus conceſſa,& addidit alia numquam alteri largita. Atque, ut non ſurgeret aliqua objectio petens: ubi recepit Angelicus Doctor tantam talentorum affluentiam? curarunt, ut Deus provideret etiam illi aliam maximam capacitatem. His ſic ſtabilitis circa doctrinam, videamus, quid dicant de Conceptu ventris, & puritate Virginis Matris. Tribuitne Deus illi omnia talenta conceſſa omnibus hominibus? Non; quia caruit juſti-

tiâ originali, largitâ Adamo & Evæ. Deditne illi alia quinque talenta ſuperaddita? Unum talentum recipimus, quando baptizamur, duo talenta receperunt ſanctificati in utero, quinque qui ab originali præſervantur. Sed iſta quinque talenta ab aliquibus Mariæ non conceduntur, immò neque momentum ſtatêræ, id eſt, primum momentum; ſed relinquamus Allegorica. Quia antiqui Doctores non omnia ęquè pertractarunt, & cum ſibi creditis talentis non rectè negotiati ſunt; ideò dedit Deus Angelico Doctori alia quinque talenta, ut omnia æquè pertractaret, & ſcriberet ſine errore & defectu ullo, à quibus nullus alius fuit liber. Et interrogo: Primi parentes noſtri pertractaruntne æquè ſibi tradita talenta? Cui ergò dedit Deus quinque talenta, ut errorem & defectum illorum æquè & rectè pertractaret? Reſpondent: Chriſto Domino; ſed hoc eſt extra quæſtionem, quia loquimur de puris creaturis. Admittamus tamen ſolutionem. Iſte fuit primus Adam de cęlo cæleſtis; ubi eſt Eva? Si autem dixerint, quòd nulli puræ creaturæ hoc conceſſerit, en indiſſolubilis Nodus: nam Deus, qui dedit talentum, & capacitatem puræ creaturæ quinto Doctori Eccleſiæ, ut repararet doctrinam læſam; nec Matri ſuæ, nec alteri puræ creaturæ voluit concedere talentum, nec capacitatem, ut repararet naturam lapſam. Et ſolvant, quomodò potuerint, Nodum.

Nodus vigesimus-sextus.

Omnis conceptus mentis, doctrina & ſcripta Sancti Thomæ ſecundùm ſe, & ſingulariter ſpectata *bona ſunt, & admiratione digna*; ſed univerſaliter & in communi accepta non ſolùm ſunt bona, *ſed valdè bona, laude, & veneratione digniſſima.* Et Conceptus ventris Sacratiſſimæ Virginis ſingulariter acceptus, fuitne bonus, & admiratione dignus? Reſpondent ſic: Conceptus activus, quo concepit Chriſtum, bonus fuit; ſed paſſivus, quo ipſa extitit concepta in utero Annæ, non fuit bonus, ſed malus, nec dignus laude & veneratione, &c. Ergò particularis conceptus Sancti Thomæ exceſſit Conceptum Dei Matris. Et univerſaliter Conceptus Mariæ abſtrahendo à conceptu mentis & ventris, activo & paſſivo, fuitne valdè bonus, laude, & veneratione digniſſimus? Dicunt quòd non: & ſic conceptus Sancti Thomæ univerſaliter & particulariter ſuperavit in bonitate, dignitate, & veneratione Conceptum Virginis Mariæ. Et iſte non eſt Nodus? Sic etiam poteris diſcurrere per alia. In conceptu Sancti Thomæ nihil fuit malum, immò neque indifferens; & Conceptus Virginis fuit poſitivè malus, quia nec permittunt fuiſſe indifferentem. Et iſte eſtne facilis Nodus? In illis omnibus operibus, quæ poſteritati reliquit Sanctus Thomas, neque ipſe erravit, neque errare fecit, nec fefellit, nec falſus eſt, immò ex impugnatione ſedula invidorum

Digitized by Google

dorum clariora, & illuſtriora evaſerunt, quia nihil falſum, aut minùs Divinum in eis repertum eſt. Sed quid dicunt de poſteritate à Joachimo & Anna relictâ? Quòd ipſi erraverint in generatione ſua, & errare fecerint prolem. Sed ſtringendo magis Nodum: Si Maria habuit peccatum originale, & ejus Conceptio fuit cum communi errore, & defectu, ipſa in ſe erravit, & errare fecit nos, & totam Catholicam Eccleſiam celebrantem ſuam Conceptionem. Et interim dum in S. Thomæ doctrina nec aliquid minùs Divinum invenîtur, quia omnia ſunt magis Divina; poſſet dicere aliquis Hæreticus, ut de facto dixit, quòd in Conceptione Virginis eſſet aliquid magis diabolicum, quàm quod ſonaret Divinum. Eſtne Nodus iſte facilis? Item, quia Sanctus Thomas idem ſemper manſit, *neque in minimis eſt ab ejus doctrina recedendum, ne poſteà in maximis recedamus*. In hac propoſitione: Virgo Maria habuit peccatum, poteſt eſſe aliquid minimum, aliquid magnum, & aliquid maximum? Minimum eſt peccatum veniale, magnum peccatum originale, & maximum peccatum mortale: & qui auferunt minima in doctrina Sancti Thomæ, quomodò conſtituunt magnum originale in Maria? Et ſi voluerint dicere, quòd minimum ſit originale, & non veniale, non ideò manet Nodus ſolutus.

Nodus vigesimus-septimus.

Omnes Doctores, qui ſcripſerunt ante Sanctum Thomam (ut Magiſter ſententiarum, Albertus Magnus, & Alexander de Ales, &c) licet habuerint ſententias oppoſitas Angelico Doctori, non ſunt ſuſpecti de veritate, Fide, vel hæreſi; quia Summus Pontifex Innocentius in ſua ſententia ſæpè repetita, non loquitur cum antecedentibus, ſed tantùm cum ſubſequentibus. Hoc dixit Galvan contra Alphonſum de Caſtro; ſed Antonius Waitte (ut vidimus in ultima auctoritate Corticis) aliter ſenſit, dicens: *Qualis eſt, aut fuit ſemper de veritate ſuſpectus*. Cùm ergò iſte declaret comprehenſos præteritos, & futuros, & alter ſolùm futuros, neſcio qualiter ſint conciliandi Sanctus Anſelmus, etiam Petrus Comeſtor, Petrus Abeillardus, & Petrus Cantor; qui ediderunt tractatus ſpeciales pro Immaculata Virginis Conceptione (de quibus jam paramus editionem) Cùm ergò omnes iſti ſcripſerint, antequàm Sancti Thomæ doctrina nata eſſet in mundo, & illorum ſententiam poſteà ſecutus fuerit Scotus, Mayronius, Aureolus, & alij, eruntne iſti in hac parte de veritate, Fide, & hæreſi ſuſpecti vel non? Si non; quomodò dicunt ſententiam piam eſſe falſam, contra Fidem, & de hæreſi ſuſpectam? Si ſunt; ergò ſententia illa Innocentij omnes comprehendit præteritos & futuros, & ſic conſequenter omnes Sancti, qui aliquam habuerunt ſententiam contra doctrinam S. Thomæ,

mæ,

mæ, ſunt de veritate, Fide, & hæreſi ſuſpecti. Item iſta concluſio: *Virgo* Maria *fuit in peccato originali concepta*, fuit primò dicta, inventa, & promulgata à Sancto Thoma, vel ante ipſum ab aliquo alio antiquiore? Si fuit inventa à Sancto Thoma; quomodò pro illa citant Sanctum Bernardum, Auguſtinum, & omnes alios Eccleſiæ Patres? Et quomodò affirmant, quòd Sanctus Thomas nullam novam opinionem introduxerit in Eccleſiam? Si autem opinio illa de Sanctificatione non fuit ab illo inventa, ſed ipſam invênit in primitivis Doctoribus; ergò qui ipſam impugnant, non contradicunt doctrinæ Sancti Thomæ, ſed illi antiquorum, à quibus Angelicus Doctor illam extraxit. Conentur ſolvere dilemmata iſta quomodò voluerint, nam ſemper materia magis innodabitur.

Nodus vigesimus-octavus.

Dicunt, quòd doctrina illa antiquorum Doctorum *quæ falſitatem, vel falſitatis ſuſpicionem continet, citò oblivioni traditur*; ſed cùm in doctrina Sancti Thomæ nihil ſit falſum, aut de falſitate ſuſpectum, numquam oblivioni tradetur. Secundùm hanc regulam nulla ſententia Sanctorum Patrum, neque Scoti, & diſcipulorum ejus eſt falſa, aut de falſitate ſuſpecta, quia non eſt tradita oblivioni. Dicunt etiam, quòd, ſicut *ubicumque habitabant filij Iſraël erat lux*, quando cætera omnia occupabantur tenebris, quòd ſic adorantibus veſtigia doctrinæ S. Thomæ lumen indeficiens affulgeat; quia doctrina illius non ſolùm eſt ſine errore, ſed ſine ulla verruca, aut nævo, vel leviſſima erroris ſuſpicione. Et qui hoc dicunt & affirmant, docent ex alia parte, quòd in Virginis puritate non ſolùm fuerit ſuſpicio culpæ, ſed & actualis culpa; & quòd Maria Dei Mater non ſemper fuerit in luce, ſed aliquando in tenebris; quòd habuerit rugam, nævum, & maculam; & dicere, affirmare, & defendere hoc, non eſt error impudens, neque imprudens. Denique affirmant, quòd *nullus poteſt reprehendere congruentiam doctrinarum S. Thomæ*, non doctrinam, ſed neque congruentiam, & correlationem, quam doctrinæ habent inter ſe; quia prima verba conſonant ultimis, &c. Si autem quærimus, quam congruentiam ponant ipſi in operibus Dei Matris; dicunt quòd Conceptio activa fuerit bona, ſed Conceptio paſſiva mala; quòd fuerit gratiâ plena in medio, & fine, ſed non in principio; quòd non habuerit culpam ut Mater, ſed illam habuerit ut Filia; & iſtæ incongruentiæ apud ipſos ſunt irreprehenſibiles.

Nodus vigesimus-nonus.

R. P. d'Aubermont affirmat ut quid jam exploratum notumque pariter & ſancîtum omnium confeſſione extitiſſe *ex Angelico calamo nihil produſſe, quin Divinitùs ante fuerit approbatum*. Et ſimiliter, inquit, Thomiſticâ doctrinam non ſequentem *jam eſſe prædamnatum à Summo Pontifice*. Et en Nodus. Quia

pro doctrina Angelica eſt *prę-approbatio*, id eſt, *ante-approbatio*, vel *prævventio*, & *præ-benedictio*, & pro non ſequentibus *præ-damnatio*: Et Anonymus-Bandellus, & alij, dicunt mirabilia contra iſtas voces *præventio*, *præſervatio* tamquàm à defenſoribus piæ ſententiæ, excogitatas contra Sacram Scripturam, ac Sanctos Patres, ut Sacratiſſimam Dei Matrem liberent à peccato originali; potuit & de facto approbatur Divinitùs doctrina Angelica antequàm eſſet in calamo ſcriptoris: ſed nec potuit, aut approbatur Divinitùs corpus MARIÆ, antequàm eſſet in calamo Genitoris. Doctrina Angelica antequàm eſſet, Divinitùs approbatur; & puritas Mariana adhuc in ipſo eſſe fuit Divinitùs reprobata. Eſtne iſta approbationis, ac reprobationis Divinæ juſta ſtatera? *Nihil* prodijt ab Angelico calamo, quod Divinitùs non fuerit approbatum; quia omnia & ſingula in communi, & particulari fuerunt Divinitùs approbata: & ſic *nihil* reprobatum, immò nec improbatum invenitur in calamo Angelico. Et in calamo Virgineo, quo Deus ſcripſit in humana natura Verbum ſuum, fuit aliquid improbatum & reprobatum. Item qui non ſequitur doctrinam Angelicam, jam eſt à Summo Pontifice *præ-damnatus*; & qui non ſequuntur, ſed potiùs impugnant Virginis Dei Matris puritatem, ſuntne à Summo Pontifice prę-damnati, vel præ-ſalvati, præ-benedicti, & præ-glorificati?

NODUS TRIGESIMUS.

In illa auctoritate pro doctrina Sancti Thomæ: *Ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe; & qui eam impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus*, ſunt illa duo adverbia, *numquam*, & *ſemper*; ſicut in illa Sancti Hieronymi in Pſal. 77. circa medium pro puritate Virginis ſic dicentis: *Ecce Dominus venit in Ægyptum in nube levi. Nubem levem aut propriè Salvatoris corpus debemus accipere, quia leve fuit, & nullo peccato gravatum eſt; aut certè nubem levem debemus Sanctam* MARIAM *accipere nullo ſemine humano prægravatam. Ecce Dominus venit in Ægyptum ſæculi iſtius quaſi nubem levem, Virginem. Et deduxit eos in nube diei. Pulchrè dixit, diei: nubes enim illa non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Alij legunt hanc auctoritatis ultimam clauſulam ſic: *Nubes enim illa numquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce*; ut videre eſt in Patre Franciſco bonæ Spei Carmelitano, in Appendice tomi 4. ſuæ Theologiæ, fortè quia ſic extare poteſt in aliquo originali impreſſo, aut manu-ſcripto. Ecce ergò habemus pro Virginis MARIÆ puritate illa duo adverbia, *numquam*, & *ſemper*, & cum magna quadam differentia; nam iſta prolata ſunt à Sancto Hieronymo tertio Eccleſiæ Doctore; & pro prima cæli ac terræ Domina, ac Dei Matre; & altera pro quinto Eccleſiæ Doctore, à quodam incognito ſuæ Religionis auctore. Et dato, quòd eſſet dicta à Petro Rogerio,

rio, ſeu Clemente VI. quâ de causâ, vel unde iſta adverbia univerſalia, *numquam*, & *ſemper*, pro doctrina Sancti Thomæ, ſine ulla exceptione, pro omni tempore, & ſtatu ſecundùm totam ſuæ poſſibilitatis latitudinem ſupponere debent, ac ſic accipiuntur à Patribus Dominicanis? Et eadem numero adverbia pro puritate Virginis Mariæ dicta à S. Hieronymo cur accipiuntur, declarantur, atque explicantur in eadem ſchola cum reſtrictione excluſiva primi inſtantis, ſeu animationis principij? Si quis in toto terrarum orbe exiſtimat ſe poſſe ſolvere Nodum iſtum, tentet (quid enim tentaſſe nocebit?) quia ego *ſemper* incepi, ſed *numquam* potui pervenire ad illius difficultatis finem.

Nodus trigesimus-primus.

Pater Vincentius Dodi ex hoc ſolùm probat Sanctum Thomam habuiſſe omnem ſcientiam diſperſam à Deo per totam humani generis capacitatem, tùm quia hoc erat poſſibile; tùm quia de facto fuit talis ſcientia communicata Adamo & Salomoni: & illud quod ex ſe eſt poſſibile, ac per conſequens fuit redactum in duobus individuis humanæ naturæ ad actum, non eſt denegandum Divo Thomæ. Talis qualis hæc fuerit ratio P. Dodi, ipſa conatur ſalvare illam propoſitionem ſui Joannis Judoci Vivaldi, *In quo infuſum eſt, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus*. Ferè eadem numero verba adducit pro Virgine Maria Petrus Bringerius Prior Caſſę-Dei in ſuis opuſculis, libro 2. fol. 82. ubi poſt alia inquit: *Unde ſecundùm Hieronymum nullum bonum ei defuit, cujus pura creatura capax fuit; & ſecundùm Auguſtinum, cùm de peccatis agitur, nulla de ipſa ſit mentio.* Ex his duobus æqualibus principijs ſic argumentor: Bonum illud juſtitiæ originalis fuit poſſibile, ac de facto communicatum duobus individuis Adamo & Evæ; ergò non eſt denegandum Sacratiſſimæ Dei Matri. Antecedens dictum à Vivaldo pro doctrina Sancti Thomæ: *In quo infuſum eſt, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus*, eſt idem cum iſto Hieronymi. *Nullum bonum ei defuit, cujus pura creatura capax fuit*: Et verificatur etiam in duobus individuis. Unde ergò provenire poteſt, ut, qui unum concedunt, negent alterum?

Nodus trigesimus-secundus.

Qui attentè legerit auctoritatem Patris Xantes Mariales, in ſingulis clauſulis aliquos inveniet Nodos; præcipuè in illa: *Et ſi tam facilè negare licet eſſe Innocentij ſermonem, quem totus mundus ut Innocentij agnoſcit; quæ ampliùs certitudo hiſtoriarum, & textuum in Eccleſia remanſerit? Porrò non attuliſſe Pozam vel unum, qui aſſerat illum ſermonem non eſſe Innocentij; argumento eſt totius orbis conſenſum eſſe.* Scriptores iſti omnia ſua comprobant propoſitionibus iſtis univerſalibus. *Omnis Sacra Scriptura eſt pro nobis: & omnes Sancti Doctores noſtram tenuerunt ſententiam*, ut etiam hic dicendo: *Totus mundus ſcit ſermonem illum eſſe Innocentij*. Et huic ſimillima eſt altera

Patris Martinez: *Totus mundus ſcit Sanctum Thomam ſuſtinuiſſe contrariam opinionem.* Sed omnes habent eamdem veritatem, quam iſta Patris Xantes; quia nec unus de toto mundo ſcivit ſermonem iſtum fuiſſe Innocentij: exitus rem probavit, cùm ſermo non ſit Innocentij, ſed Clementis, & ſermonis verba neutrîus. Sicut facilè, immò facillimè fuit introductus ſermo à quodam incognito ſcriptore; ſic facilè, immò facillimè negari licuit. Nota etiam illud: *Quæ ampliùs certitudo hiſtoriarum & textuum in Eccleſia remanſerit?* quaſi ab iſto Innocentij ſermone ficto & gratis introducto pendêret omnis certitudo hiſtoriarum Eccleſiaſticarum. Sublato enim de medio hoc ſermone, quia eſt pro doctrina S. Thomę, nihil certitudinis remanet in tota Eccleſia. Et ſi ab iſto ſermone pendebat hiſtoriarum Eccleſiaſticarum certitudo, ecce jam tota ruit ſecundùm hanc Patris Xantes determinationem. Denique quæ conſequentia eſt, Poza non adducit unum Auctorem dicentem ſermonem illum non eſſe Innocentij, ergò conſenſus eſt totius orbis? &c. Interim iſtæ & hujuſmodi plures propoſitiones falſæ, & abſque ulla congruentia, quia ſunt pro doctrina ſui Angelici Doctoris, toto conatu defenſantur: & licet ſint veræ pro immunitate Virginis oppugnantur, ut diſcurrens per ſingulas unuſquiſque poterit verificando videre.

NO-

NODUS QUINTUS
PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ fictam à quodam ſcriptore Anonymo Ordinis Prædicatorum, & falsò adſcriptam Univerſitati Pariſienſi; & veram defenſionem ſententiæ Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ ejuſdem Academiæ Pariſienſis.

PRO CORTICE
§. PRIMUS.

ANno à nativitate Dom. 1475. ſcripſit quidam Anonymus in Lombardia tractatum latiſſimum contra Immaculatam Conceptionem impreſſum Mediolani in 4. cum hoc ſolummodò titulo: *Incipit procœmium ad inclytum generoſumq; Comitem D. Petrum de Gambara in libellum de veritate Conceptionis glorioſæ Virginis* Mariæ, *ex auctoritatibus & dictis Sacrorum Doctorum fideliter confectum per quemdam Religioſum in doctrina Sacra non mediocritèr inſtructum.* Hic autem Religioſus non mediocritèr inſtructus in doctrina Sacra fuit Vincentius Bandellus de Caſtro-novo Ordinis Prædicatorum, ut ipſemet fatetur in ſecundo opere de eadem materia, edito anno 1481. & in hoc nullum poteſt eſſe dubium, ut oſtenſum eſt in Sole Veritatis: & ſi aliquod fuerit, tranſeat, quia nobis parùm intereſt nomen Auctoris, dum-

Digitized by Google

modò conſtiterit de opere. Iſte ergò Anonymus, ſive Bandellus, ſive quilibet alius viâ tertiâ ſecundæ partis, ratione 11. folio 114. ut probet hanc concluſionem: *Virgo* MARIA *fuit concepta in peccato originali*, adducit argumentum de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ verbis poſitis in primo Nodo in communi; & pro dicta approbatione doctrinæ refert litteras Stephani, & Urbani, quas enodatas reliquimus in Nodis II. & III. per totum. Addit inſuper alias duas, unam ſub nomine Innocentij Papæ, de qua in antecedenti Nodo IV. per totum: & alteram ſub nomine totius Univerſitatis Pariſienſis, de qua in præſenti Nodo V. inchoato inquirimus; & iſtam adducit ſub hac forma, & diſpoſitione

Titulum ſic: *Litteræ Univerſitatis Pariſienſis doctrinam S. Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum approbantes:* Ipſas autem litteras ſic: *Ad perpetuam rei memoriam. Ad laudem, & honorem, & gloriam Beati Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum. Noverint univerſi has litteras inſpecturi: quod nos Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus unà cum venerabili Decano, & Capitulo Eccleſiæ noſtræ, ac viginti tribus Magiſtris in Theologia, & triginta novem Baccalaureis in Theologia, ſicut veritatis zelatores attendentes, quòd Sacroſancta Romana Eccleſia ita magnificavit Sanctum ſuum Thomam benedictum, & colendum dederit univerſis: Cupientes glorioſum Deum in Sanctis ſuis apud fidelium devotionem in terris glorioſiùs exaltari; ac Sanctiſſimæ Matris noſtræ deſiderantes veſtigia Sancta pro viribus imitari, dictumq; Confeſſorem apud terrigenas devotiùs ac celebriùs honorari; præſertim cùm fuerit, & ſit univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſienſis, ſpeculum clariſſimum, & inſigne claritate famæ, vitæ, & doctrinæ, velut ſtella ſplendida & matutina refulgens. Et cùm invenerimus luce clariùs, eum numquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur, propter quæ tam mirifica, & inſignia, & laudabilia de prædicto Sancto inventa, eum Sancta Romana Eccleſia Sanctorum Confeſſorum Catalogo feliciter aſſignavit. Nos cum tota Univerſitate Pariſienſi, ut prædictum eſt, & cum ſigillis noſtris huic approbationi appenſis inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus. Datum Pariſijs* 1324. Hucuſque litteræ totius Univerſitatis ſecundùm Anonymum.

Deinde adducit litteras Stephani Epiſcopi Pariſienſis ſub hoc titulo: *Aliæ litteræ præfatæ Univerſitatis quamdam condemnationem contra doctrinam Beati Thomæ annullantes;* Et incipiendo exordium illarum litterarum, inquit: *Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Magiſtra rerum experientia certis indicijs evidenter demonſtrat multa quibuſdam temporibus ordinata, &c.* Et concludunt: *In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum eſt præſentibus appenſum. Datum*

apud

apud Gentiliacum 1324. *die jovis ante cineres ſacros.* Sed litteræ iſtæ Stephani extant in Anonymo diminutæ, quia deficiunt aliquæ clauſulæ integræ; & cauſa à priori fuit, quia ex hac littera Stephani voluit componere alteram ſub nomine totius Univerſitatis, ut viſum eſt. Habemus igitur in hoc Auctore Anonymo pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ duas epiſtolas diſtinctas, ſeu Bullas (voca ut tibi placuerit) unam totius Univerſitatis, & alteram Stephani Epiſcopi, cum diverſis titulis, diſpoſitione, clauſulis, ac verbis quoad litteram, & quoad ſenſum diſtinctis etiam laudibus, & elogijs Sancti Thomæ, & ipſius doctrinæ. De illa Stephani jam ſuprà vidimus Nodo II. principali per totum, quid ſentiendum ſit: & nunc inquirimus in iſta totius Univerſitatis radicem ſuæ veritatis.

Sit ergò unica & aſſertiva reſolutio: Epiſtola iſta ſub nomine Univerſitatis Pariſienſis edita, eſt abſolutè atque ſimpliciter ficta, ſuppoſitã, & à proprio cerebro ejuſdem Anonymi fabricata: quia talis littera, reſcripta, ſeu approbatio doctrinæ Sancti Thomæ numquam fuit expedita ab Univerſitate, neque ipſius notitia, aut minima memoria reperitur, aut extat in Archivo prædictæ Univerſitatis Sorbonicæ, nec in aliquo alio regeſto totius civitatis Pariſienſis. Sed cùm Anonymus iſte ſeu Bandellus voluiſſet introducere & publicare per univerſum orbem doctrinam Sancti Thomæ non ſolùm fuiſſe approbatam per Stephanum Epiſcopum Pariſienſem approbatione illâ annullatoriâ condemnationis factæ contra doctrinam Beati Thomæ, ut ipſe fatetur in titulo litterarum Stephani; ſed etiam aliâ excellentiori, & abſolutâ factâ in pleno clauſtro à tota Univerſitate; machinatus eſt ex quibuſdam clauſulis contentis in litteris Stephani, annectendo alias de novo ex proprio Marte, conficere alteram ſolemniſſimam approbationem: & executioni mandavit hoc ordine & modo ſuprà poſitis. Immò hæc approbatio ficta anno 1475. tamquam à principio ſtabilito, & recepto, fuit promulgata, & dilatata in Sacra Religione Prædicatorum quaſi irrefragabilis, & indubitatus articulus, & divulgatus in libris, & elogijs Angelici Doctoris. Et licet, in prima impreſſione SOLIS VERITATIS hæc approbatio fuerit recepta, & admiſſa tamquàm ſi foret vera, & ſubſiſtens, (quia Auctor illius non viderat inſtrumenta originalia, archiva Univerſitatis, & Bibliothecas Pariſienſes) fuit in hac parte deceptus, ſicut & alij ſcriptores Ordinis Prædicatorum: quia nullus exiſtimaret eſſe poſſibile, ut aliquis Auctor Catholicus fingeret integras litteras ſub nomine Almæ Univerſitatis Pariſienſis, & præcipuè ob hunc unicum finem, videlicet, conſtituendi maculam in Sacratiſſima Dei Matre Virgine MARIA. Sed jam deceptio iſta communis, quæ hucuſ-

que latuit ſub Cortice, ex inſpectione oculari, nunc frangitur, enucleatur, atque apparet fuiſſe mendacem.

Incipimus ergò demonſtrare, quòd Anonymus ex aliquibus clauſulis exiſtentibus in epiſtola Stephani, & alijs ab ipſo ſuperadditis, hanc fabricaverit litteram Univerſitatis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ. Titulus iſte: *Litteræ Univerſitatis Pariſienſis doctrinam Sancti Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum approbantes*, fuit totaliter fictus ab Anonymo; & cùm iſte titulus fictus ab Anonymo videretur aliquibus magis conſentaneus pro appobatione doctrinæ S. Thomæ, quàm non ille ab eodem Anonymo appoſitus litteris Stephani, ſcilicet: *Aliæ litteræ præfatæ Univerſitatis quamdam condemnationem Beati Thomæ annullantes*: Quia ipſis non bene ſonabat illud de condemnatione doctrinæ S. Thomæ, relegârunt titulum illum à litteris Stephani, & loco illius repoſuerunt alterum poſitum ab Anonymo pro litteris Univerſitatis Pariſienſis: quilibet enim pro ſuo arbitrio utebatur titulis, Bullis, & clauſulis.

Prima clauſula litterarum cum illa introductione Pontificia: *Ad perpetuam rei memoriam, ad laudem & honorem, & gloriam Beati Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum. Noverint univerſi has litteras inſpecturi, &c.* abſolutè etiam fuit ficta ab Anonymo. Et ex hac poſita in corpore litterarum pro Univerſitate Pariſienſi doctiſſimi illi Patres Ordinis Prædicatorum, qui juſſu, & mandato Sanctiſſimi Pij V. Summi Pontificis typis mandarunt Romæ opera Sancti Thomæ, deſumpſerunt titulum pro litteris Stephani Epiſcopi Pariſienſis, dicentes: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in laudem, defenſionem, atque favorem doctrinæ ejuſdem D. Doctoris Sancti Thomæ de Aquino*, ut ſuprà manet demonſtratum in Stephani approbatione. Sicque verba iſta jam ſunt in corpore litterarum Univerſitatis, jam in capite litterarum Stephani. In editione antiqua opuſculorum Sancti Thomæ, in litteris Stephani extat titulus iſte: *Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis in favorem doctrinæ Sancti Doctoris*; ſicque una, & eadem epiſtola ſecundùm caput erat Univerſitatis, & ſecundùm corpus Stephani Epiſcopi: at Anonymus ad evitandam hanc confuſionem inter ſuos fecit capita, & corpora diverſa. Sequentia verba: *Quod nos Stephanus permiſſione Divinâ Pariſien. Epiſcopus, unà cum venerabili Decano, & Capitulo Eccleſiæ noſtræ, ac viginti tribus Magiſtris in Theologia, & triginta novem Baccalaureis in Theologia, ſicut veritatis zelatores attendentes, quòd Sacroſancta Romana Eccleſia ita magnificavit Sanctum ſuum Thomam benedictum, & colendum dederit univerſis*; ex parte ſunt in epiſtola Stephani, ſed omnia alterata. Nam ibi ſic extant: *Venerabiles viri Decanus, & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Pariſienſis ſicut veritatis zelatores intimiùs conſiderantes*; Et tranſactis quinquaginta lineis: *Et aliorum viginti virum in Theologia Magiſtrorum, unà cum R. Patre*

tre

tre prædicto in litteris ſub ſigillis per præfatos Commiſſarios nobis miſſis, *nec non & triginta novem Baccalaureorum in Theologia ſuper hoc per litteras eorum propriis ſubſcriptionibus*, *& ſigillis communitis, nobis ſuper hoc conſulentium*, *&c.* Verba autem ſequentia: *Attendentes quòd Sacroſancta Romana Eccleſia ita magnificavit Sanctum ſuum Thomam benedictum*, *& colendum dederit univerſis*, ferè quoad omnia ſunt ficta; nam in Stephani ſolùm dicitur: *Nos ergò attendentes cum eis*, *quòd Sancta Romana Eccleſia fidelium omnium Mater*, *& Magiſtra*, *&c.* Cùm ergò ibi non ſit illud: *Ita magnificavit Sanctum ſuum Thomam benedictum*, *& colendum dederit univerſis*; videant ipſi, undè extracta ſint talia verba, & quâ veritate, & fundamento ponantur nunc in libris, ut elogium prolatum ab Univerſitate Pariſienſi in laudem doctrinæ Sancti Thomæ.

Secundam clauſulam, ſcilicet: *Cupientes glorioſum Deum in Sanctis ſuis apud fidelium devotionem in terris glorioſiùs exaltari, ac Sanctiſſimæ Matris Eccleſiæ deſiderantes veſtigia Sancta pro viribus imitari*, *dictumq; Confeſſorem apud terrigenas devotiùs, ac celebriùs honorari; præſertim cùm fuerit*, *& ſit univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum*, *gemma radians clericorum*, *flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſien. ſpeculum clariſſimum*, *& inſigne claritate famæ*, *vitæ*, *& doctrinæ*, *velut ſtella ſplendida*, *& matutina refulgens*, tranſcripſit paucis mutatis verbis ex litteris Stephani. Et obſerva, quòd Anonymus fideliter retulerit illud: *Flos Doctorum Univerſitatis noſtræ Pariſien.* ac etiam Pater Dodi, & non ſicut Patres Romani, & Doctores Salmanticenſes adulterando: *Fons Doctorum*, & auferendo verba ſequentia, ut propoſitio iſta vera: *Sanctus Thomas fuit flos Doctorum Univerſitatis Pariſienſis*, tranſmutaretur in iſtam falſam: *Sanctus Thomas eſt fons Doctorum Eccleſiæ*, *à cujus doctrina omnes bibunt*: ideò P. F. Didacus Nuño Cavezudo in illo ſuo opere impreſ. Coloniæ 1630. cum præambulo: *Comprobata doctrinæ Thomiſticæ firmitas, celſitudo, &c.* inquit: *Secundùm Bullam Pariſienſium ſol*, *& lumen Eccleſiæ, ſine quo nihil non tenebroſum, &c.* Si hæc propoſitio eſt ſupportabilis in Eccleſia: Totum eſt tenebroſum, ubi non fuerit doctrina Sancti Thomæ, quæ lux eſt omnium aliorum Eccleſiæ Doctorum, tranſeat; ſed non illud: Sanctus Thomas *ut primus, medius, noviſſimus Sapientum*, quia pro Auguſtino, Ambroſio, & cæteris nullum relinquit locum. Et cùm nec unicum verbum ex his duabus clauſulis ſit in litteris Stephani, neque in fictis Univerſitatis, reſtat quæramus alteram tertiam Bullam. Verba ſequentia Anonymi: *Et cùm invenerimus luce clariùs eum numquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei vel bonis moribus adverſetur*; verè, & realiter extant in epiſtola Stephani præſentata à Monteſono, exceptâ illâ clauſulâ: *Et cùm invenerimus luce clariùs.* Sed Anonymus illa tacuit abſolutè, & prætermiſit in ſua epiſtola Stephani, ut collocaret in

iſta Univerſitatis; nam aliter nulla eſſet approbatio formalis doctrinæ Sancti Thomæ, quia in alijs nihil exprimitur de doctrina. Et hîc etiam obſervabis, quòd Anonymus legaliter dixerit: *Quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur*; & non, ut poſteà vitiarunt aliqui dicentes: *Quod veritati, vel bonis moribus adverſetur*. Eſt enim diverſiſſimum, quòd in doctrina Sancti Thomæ nihil ſit, quòd ſanæ Fidei adverſetur (quod nos concedimus, licet hoc non concedant Doctores Pariſienſes) & aliud, quod nihil veritati adverſetur. Hoc negamus nos, & Pariſienſes fatêri nolunt.

Tertiam, & ultimam clauſulam: *Propter quæ tam mirifica, & inſignia, & laudabilia de prædicto Sancto inventa, eum ſancta Romana Eccleſia Sanctorum Confeſſorum Catalogo feliciter aſſignavit. Nos cum tota Univerſitate Pariſienſi, ut prædictum eſt, & cum ſigillis noſtris huic approbationi appenſis inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum feliciter habere approbamus*; à primo uſque ad ultimum verbum fuiſſe fictam; & præcipuè verba ultima: *Inter Summos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus*, ex omni parte conſtat. Et primus, qui eam finxit in litteris Stephani, fuit Pater Raphaël de Pornaſio, ut ſuprà diximus. Sed Anonymus videns eſſe additam in litteris Stephani, extraxit illam pro iſta Bulla Univerſitatis. Hinc etiam occaſionem ſumpſit Pater Galvan ut folio 142. diceret: *Poteſt igitur Sanctus Doctor Magiſtrorum ac Doctorum Magiſter, ac Doctor meritò appellari, &c.* Atque de ſimilibus invenies mirabilia. Concedimus enim, quòd S. Thomas inter Summos Eccleſiæ Doctores locum debeat habere, ut de facto habet; ſed negamus hoc dictum fuiſſe à Stephano Epiſcopo, vel Univerſitate Pariſienſi ad annum 1324. quando anno antecedenti fuerat Angelicus Doctor in Sanctorum Confeſſorum numerum relatus: tunc enim ſolùm actum fuit de relevanda condemnatione articulorum tangentium doctrinam ejus, litteris illis Stephani Epiſcopi Pariſienſis, incipientibus: *Stephanus permiſſione Divinâ, &c.* Et non iſta totius Univerſitatis, incipiente: *Ad perpetuam rei memoriam. Ad laudem, & gloriam, & honorem B. Thomæ, &c.* Quia eſt quædam fictio ſine ulla veritate introducta ab iſto Anonymo parte 2. ſui operis de Conceptione, pag. 114. ut poſteà parte 3. pag. 199. poſſet ex aliquo fundamento redarguere Doctores Pariſienſes, circa ſententiam de Immaculata Conceptione, ut ſtatim videbimus.

In conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum ſecundùm antiquiorem editionem, de quibus jam aliqua ex novis diximus Nodo I. principali, extant hæc verba, diſt. 2. cap. 14. folio 307. *Eſt enim excellentiſſima hæc doctrina præ cæteris, culta à Doctoribus viris, ordini noſtro utilis, ſalutaris univerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum orbi admirabilis, ac denique Chriſti Salvatoris noſtri judicio comprobata, &c.* Nota pro Nodo ſequenti ultima ver-

Digitized by Google

verba : *Chriſti Salvatoris noſtri judicio comprobata*, Et ſcrutare, quid contineatur in illa voce *Salvatoris noſtri judicio*. Sed ad rem noſtram ſic proſequuntur conſtitutiones : *Cùm præclariſſima Doctoris Angelici Sancti Thomæ Aquinatis doctrina in toto orbe terrarum tamquàm lux ſolis eluceat, & ut firmiſſima, ac ſolidiſſima doctrinarum omnium, à Sede Apoſtolica, & à principalibus Eccleſiæ Doctoribus, cum teſtimonio Epiſcopi, atque Univerſitatis Pariſienſis honorificè approbata fuerit, & Divinis laudibus ornata, &c.* Iſta non ſunt verba unius particularis ſcriptoris, ſed totius Religionis; at neſcio, quomodò intellexerint illam propoſitionem comparativam univerſalem: *Firmiſſima, ac ſolidiſſima doctrinarum omnium*: quia in iſta univerſali, vel nulla, aut aliqua admittenda eſt exceptio : ſi nulla, malum erit pro ipſa doctrina ; & ſi aliqua, bonum eſt pro noſtra ſententia, quatenùs in ejus univerſaliſſimis propoſitionibus jam invenimus exceptionem. *A Sede Apoſtolica honorificè approbata* : Quando iſtæ conſtitutiones diſpoſitæ fuerunt (nam, ut in ipſis dicitur, fuit tempore Generalatûs Vincentij Bandelli circa annum 1506.) ſolùm erant duæ approbationes Apoſtolicæ Urbani V. & Innocentij Papæ : qualem autem veritatem iſtæ habeant, in duobus præcedentibus Nodis demonſtratum eſt. *Et à principalibus Eccleſiæ Doctoribus:* Neque unum principalem Eccleſiæ Doctorem oſtendent. Sed quidquid ſit de iſtis, de quibus hîc nihil curamus, illud tantùm quærimus : *Cum teſtimonio Epiſcopi, atque Univerſitatis Pariſienſis.* Si teſtimonium voluerunt introducere Univerſitatis fuiſſe diſtinctum à teſtimonio Epiſcopi fictum, & falſum eſt eorum teſtimonium; ſi eſt idem ; ſeparatio hîc facta ſub nomine Univerſitatis falſa eſt, & ficta; & ſemper manet falſitatis, ac fictionis indiſſolubilis Nodus.

Vincentius Bandellus in ſecundo ſuo opere, edito ſub expreſſo nomine, anno 1481. loquendo contra Univerſitatem Pariſienſem, ratione 12. folio 90. à tergo adducit verba, de quibus infrà, & poſteà ſic inquit : *Accedit ad hoc, quòd tota illa Univerſitas cum Epiſcopo ſuo Stephano doctrinam Sancti Thomæ approbavit, qui in viginti locis ſuæ doctrinæ dicit Beatam Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali. Nam in quadam epiſtola Stephani Epiſcopi, illius Univerſitatis Cancellarij, ſic dicitur : Cupientes Sacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ imitari veſtigia, Sanctum Thomam de Aquino inter Sanctos Doctores locum habere feliciter approbamus ; præſertim cùm fuerit, & ſit univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, flos Doctorum Univerſitatis Pariſienſis, ſpeculum clariſſimum & inſigne, & in claritate vitæ, & doctrinæ velut ſtella ſplendida refulgens; & luce clariùs invenerimus præfatum Doctorem nihil umquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quod ſanæ Fidei, vel bonis moribus adverſetur. Hæc ille.* Deindè adducit approbationes Urbani dicens : *Et Beatus Urbanus Papa eamdem doctrinam*

approbavit in quadam Bulla, *ſic dicens :* Et adducit integram auctoritatem,& poſteà refert illam Innocentij, de qua diximus in antecedenti Nodo; concluditque Bandellus : *Ex quibus patet*, *quòd Doctores*, *qui dicunt Beatam Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato*, *impugnant doctrinam Sancti Thomæ*, *& per conſequens ſunt de veritate ſuſpecti*. Ex iſtis Vincentij Bandelli verbis aliqua colliguntur. Primum ac præcipuum pro noſtro aſſumpto eſt, quòd Bandellus (ſive fuerit idemmet qui & Anonymus, ſive non) adſcribat verba iſta : *Inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus*, Stephano Epiſcopo, & non Univerſitati (licet dicat Stephanum fuiſſe Cancellarium Univerſitatis, quòd quidem falſum eſt : nam Epiſcopus Pariſienſis non eſt Univerſitatis Cancellarius) Vndè etiam colligitur Anonymum ex epiſtola Stephani feciſſe alteram pro Vniverſitate Pariſienſi ſine ullo fundamento ac veritate. Et hoc confirmatur etiam : quia in Summa Theologiæ Sancti Thomæ, impreſsâ Pariſijs anno 1639. in litteris Stephani habetur titulus iſte: *Stephanus Epiſcopus cum Guilielmo Archiepiſcopo Viennenſi*, *& Vniverſitate Pariſienſi*. Petrus de Vincentia Ordinis Prædicatorum in ſuâ Catenâ aureâ Sancti Thomæ, diſpoſitâ ſecundùm Evangelia ferialia & feſtivalia, impreſsâ anno 1494. non adducit niſi unam epiſtolam ſub nomine Stephani Pariſienſis Epiſcopi, licet in titulo dicat : *Epiſtola Vniverſitatis Pariſienſis in favorem doctrinæ Sancti Doctoris* : & ab illo verbo, *lumen*, uſque ad illud, *refulgens*, extat majuſculis characteribus, quaſi elogium, vel elogia notatione digna.

P. Vincentius Dodi, qui legaliter, & ſecundùm veritatem inter omnes tranſcripſit Bullam. Sic inquit in illo ſuo opuſculo pro doctrina Sancti Thomæ folio 8. *Sed intentum proſequamur principale. Quia per Vniverſitatem Pariſienſem fuerant condemnati*, *& excommunicati quidam articuli*, *qui ſecundùm aliquos* (*non ſecundùm Vniverſitatem ipſam ut facto comprobavit*) *videbantur tangere doctrinam Sancti Thomæ*. *Pariſina Academia ad confutationem hujus opinionis*, *& ad laudem ſui Doctoris tale edidit decretum*. *Vniverſis præſentes litteras inſpecturis*, *Stephanus permiſſione Divinâ Pariſienſis Epiſcopus*, *&c*. Sicque unum & idem decretum ab aliquibus vocabatur Univerſitatis, vel Academiæ Pariſienſis, ab alijs verò Epiſc. Stephani. Iſte P. Dodi adducens decretum ſecundùm veritatem (quam non obſervarunt omnes alij) ſolùm diſceſſit ab ea in hoc, quòd articuli illi damnati tangerent doctrinam S. Thomæ ſecundùm opinionem aliquorum, non tamen Univerſitatis, quia etiam Univerſitas primò, ac præcipuè fuerat in eodem ſenſu, ut diximus Nodo II. principali. Sed hoc pro nunc parùm intereſt, cùm tantùm intendamus demonſtrare unicum fuiſſe decretum, Bullam, ſeu litteram, non autem duas; quod etiam conſtat ex libro opuſculorum

Digitized by Google

lorum Sancti Thomæ impreſſo Venetijs anno 1508. in principio: & ex omnibus alijs libris hucuſque citatis, & à nobis viſis. Fuit ergò tantummodò una epiſtola, quam aliqui ſubſcribebant ſub nomine Univerſitatis, alij verò ſub nomine Stephani Epiſcopi: Anonymus autem ex illa voluit conficere duas, & de facto confecit, ut adderet ſub nomine Univerſitatis Pariſienſis illam clauſulam: *Inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus*, fictam à Patre Pornaſio, quæ in nullo originali antiquo extat, ut ex tali epiſtola ficta pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, redargueret poſteà Univerſitatem Pariſienſem circa ſtatutum ab ipſa factum de tuenda Immaculata Virginis Conceptione, quod fecit hoc modo.

Infrà, ratione 36. fol. 199. ſumptâ ex hoc, quòd Univerſitas Pariſienſis determinaverit Feſtum Conceptionis eſſe celebrandum, proponit pro parte pia hoc argumentum: *Trigeſimo-ſextò arguitur ſic: Illud, quod eſt determinatum per Univerſitatem Pariſienſem, eſt firmitèr tenendum: ſed Beatam Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali eſt determinatum per Univerſitatem Pariſienſem: ergò, & cætera. Reſponſio: Univerſitas Pariſienſis determinavit, dum eſſet in flore, hæreticum eſſe tenêre Beatam Virginem fuiſſe ſine originali peccato.* En, quare Anonymus ille incognitus finxerit litteras Univerſitatis Pariſienſis, ut ex illis deduceret reconventionem iſtam: quòd, quando erat in flore, determinaſſet hæreticum eſſe, tenêre Beatam Virginem fuiſſe ſine originali peccato conceptam: quando enim decidit à flore, & emarcuit, fecit aliud ſtatutum primo, & antiquo contrarium. Hæc Anonymus. Sed videndum eſt nunc, quomodò iſte probet Univerſitatem Pariſienſem determinaſſe eſſe hæreticum, tenêre Beatam Virginem fuiſſe ſine originali peccato; & tranſcribo omnia ejus verba, quæ ſic ſe habent: *Ad hoc reſpondetur primò: quòd non eſt veriſimile, quòd Univerſitas Pariſienſis determinaverit hoc: præcipuè, cùm eadem Univerſitas tempore, quo maximè doctiſſimis, & famoſiſſimis Magiſtris florebat, determinaverit oppoſitum eſſe hæreticum. Primò namq; D. Guilielmus Doctor Pariſienſis antiquus, & Epiſcopus Altiſiodoren. in tertio libro ſuæ Summæ, capite 9. ſic dicit: Beata Virgo in ſui Conceptione contraxit originale peccatum, & ideò Mauritius Epiſcopus Pariſien. prohibuit ne Feſtum Conceptionis ipſius in Eccleſia Pariſien. celebraretur. Hæc ille. Item D. Albertus Magnus Doctor Pariſienſis, in tertio ſententiarum, diſtinctione 3. ſic dicit: Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, nec in ipſa animatione, quia contraxit originale peccatum; dicere autem oppoſitum, eſt hæreſis condemnata à Beato Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & ab omnibus Magiſtris Pariſius. Hæc ille.* Ex contentis in his duabus auctoritatibus tamquàm ex præmiſſis deducit Anonymus conſequentiam ſuam, hoc modo: *Ex quo patet, quòd ſecundùm iſtos duos Doctores præclaros, Univerſitas Pariſienſis cum ſua*

Epiſcopo, tempore, quo habuit Magiſtros celeberrimos, condemnavit tamquàm hæreticam hanc concluſionem, videlicet: quòd Beata Virgo ſit concepta ſine peccato originali; & ideò non eſt veriſimile, quod nunc determinaverit oppoſitum: quod ſi feciſſet, nihil aliud dici poteſt, niſi quòd filij à Patrum ſuorum ſemitis degenerant, & juxta *Sacræ Scripturæ monita, transgrediuntur filij terminos, quos poſuerunt Patres eorum. Et ideò cùm Magiſtri & Patres antiqui illius Vniverſitatis fuerint præclariores, & magis famoſi, ac majoris auctoritatis, quàm moderni Magiſtri, certè illis major fides adhibenda eſt, quàm iſtis. Nam in Decretis, diſt. 5 0. capite Memor eſto, &c. ſic dicitur: Quotieſcumque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilij magis teneatur ſententia, cujus antiquior, & potior extat auctoritas. Hæc ibi. Cùm ergò auctoritas illorum Doctorum, qui fuerunt in Vniverſitate Pariſienſi tempore Alberti Magni, & Mauritij Epiſcopi, & Sancti Thomæ, & Alexandri, & Bonaventuræ, ſit antiquior, & potior, quàm auctoritas Doctorum modernorum illius Vniverſitatis; ideò diſcors inveniatur ſententia inter iſtos, & illos: antiquior ſententia, quæ potior eſt, firmitèr tenêri debet. Secundò dicitur: quòd Vniverſitas Pariſienſis non habet auctoritatem aliquid diffiniendi, ſtatuendi, approbandi, ſeu condemnandi contra determinationem Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis, cuius auctoritate ſubſiſtit, aut etiàm contra Sanctorum Doctorum ſententiam; & ideò cum illa concluſio contradicat Sacræ Scripturæ, & Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum, & auctoritatibus Sanctorum Doctorum, ut oſtenſum eſt in ſecunda parte, illa Vniverſitas nullam facultatem habet; ut illam concluſionem determinet: majoris enim auctoritatis eſt Auguſtinus & Bernardus, quàm ſit illa Vniverſitas. Et ideò determinatio, quæ eſt contra doctrinam iſtorum Doctorum, qui dicunt Beatam Virginem eſſe conceptam in peccato originali, nullius eſt auctoritatis, ſed eſt præſumptuoſa, temeraria, & ſuperſtitioſa. Quapropter illi Vniverſitati, ſi hoc fecit, nulla fides eſt adhibenda, &c.* Huculque Anonymus. Et quòd iſte fuerit Bandellus colligitur ex eo, quòd in ſecundo opere ſub proprio nomine edito, ratione 12. adducat eademmet verba, additis aliquibus; nam cum Altiſiodorenſi, & Alberto Magno enumerat Joannem de Poliaco; & Doctores Pariſienſes, propter ſtatutum editum in favorem Conceptionis, vocat temerarios, & præſumptuoſos. Propter hæc ergò finxit litteras Vniverſitatis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ.

Solùm examinandum reſtat, quâ veritate dixerit pro concluſione certa, & indubitata Vniverſitatem Pariſienſem determinaſſe quando erat in flore, hæreticum eſſe, tenêre Beatam Virginem fuiſſe ſine originali peccato, diſcurrendo per auctoritates trium teſtium Guilielmi, Alberti Magni, & Joannis de Poliaco. De Guilielmi Altiſiodorenſis auctoritate, jam latè ſuprà diximus, in qua nec verbum facit de Vniverſitate, nec de hæreſi: ſolùm enim dicit Mauritium Epiſcopum

Digitized by Google

pum Pariſienſem prohibuiſſe, ne Feſtum Conceptionis celebraretur Pariſijs: ſed hæc non fuit condemnatio, ſed prohibitio; nec à tota Vniverſitate, ſed à ſolo Epiſcopo; nec fuit dicere Beatam Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam, ſed generatam ex concupiſcentia, non de Spiritu Sancto, & ideò contraxiſſe peccatum originale in cauſa, de quo pro nunc non eſt controverſia noſtra. Nec auctoritas Alberti Magni eſt illa adducta ab Anonymo: *Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, neque in ipſa animatione, quia contraxit originale peccatum · dicere autem oppoſitum eſt hæreſis condemnata à Beato Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & ab omnibus Magiſtris Pariſius:* Sed iſta eſt ejus litteralis reſolutio: *Dicimus, quòd Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, & qui dicunt oppoſitum, eſt hæreſis condemnata à Beato Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & à Magiſtris omnibus Pariſienſibus.* Addidit ergò Anonymus ad illud: *Non fuit ſanctificata ante animationem*, illas duas clauſulas: *Neque in ipſa animatione*, & alteram: *Quia contraxit originale peccatum*, & hanc collocavit ultimo loco, ut ſuper eam caderet cenſura. Verba ergò Alberti Magni ſunt iſta: *Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem*; & non iſta ficta ab Anonymo: *Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, neque in ipſa animatione, quia contraxit originale peccatum.* Nam illud: *Neque in ipſa animatione,* fuit impoſtura.

Sed quando hæc fuerit damnata ut hæreſis à Sancto Bernardo, vel à Doctoribus Pariſienſibus, invenire non potuimus. Certum eſt, quòd Sanctus Bernardus in epiſtola ad Lugdunenſes non damnet ut hæreticam, propoſitionem illam relatam ab Alberto Magno: *Beata Virgo* MARIA *fuit ſanctificata ante animationem*. Et ſi veritas Alberti Magni, quoad omnes Doctores Pariſienſes, eſt ſicut iſta de Sancto Bernardo, parùm de ipſa erit curandum. Tertius teſtis Joannes de Poliaco in tertio ſuo Quodlibeto, quæſt. 4. folio 173. probat Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, non quòd opinio contraria ſit probabilis: & poſtquàm cujuſdam argumenti probavit majorem, concludit ſic: *Cùm igitur id, quod eſt contra omnem ſcripturam non poſſit pro opinione probabili teneri, immò in quantùm eſt contra Sacram Scripturam debet hæreticum reputari; Beatam Virginem non contraxiſſe originale peccatum, eſt hujuſmodi, ut declaratum eſt; ideò, &c. Quis igitur debet eſſe tantæ præſumptionis, & audaciæ, ut præſumat contrarium aſſerere in præjudicium prædictorum teſtimoniorum in æternum fundatorum? Certè nullus: quòd ſi præſumeret, non argumentis, ſed aliter contra ipſum procedendum eſſet.* Hæc ſunt verba Joannis de Poliaco extracta ex originali manu-ſcripto exiſtente in Monaſterio Sancti Victoris Pariſien. numero 481. in quibus nec ſaltem nominat Vniverſitatem Pariſienſem, & ſolùm affirmat non eſſe dicendam opinio-

nem

Digitized by Google

nem probabilem illam, quæ opponitur Sacræ Scripturæ, ſed debere pro hæretica reputari. Vnde infert, illam de præſervatione Virginis M A R I Æ eſſe hujuſmodi, ut videbitur latiſſimè in ſecunda impreſſione S O L I S V E R I T A T I S. Hæc eſt vera, & legalis ratificatio trium teſtium adductorum ab Anonymo & Bandello: & cùm ex ipſorum verbis conſtet Altiſiodorenſem non fuiſſe locutum de Vniverſitate, nec hæreſi, Albertum Magnum locutum fuiſſe de hæreſi, & Doctoribus Pariſienſibus, ſed non condemnando illam propoſitionem, Virginem fuiſſe ſine originali peccato; ſed hanc, M A R I A M fuiſſe ſanctificatam ante animationem; Joannem de Poliaco, nec minimum protuliſſe verbum de Vniverſitate, & qualificationem de hæreſi retuliſſe ad impugnatores Sacrarum Scripturarum; deducitur, & conſtat fuiſſe peſſimam impoſturam Anonymi & Bandelli, quod hîc dicunt de qualificatione Vniverſitatis Pariſienſis.

Ex propoſitis principijs duas concluſiones deduxit Anonymus; primam ſic: *Ex quo patet, ſecundùm iſtos duos Doctores præclaros: Vniverſitas Pariſienſis cum ſuo Epiſcopo, tempore, quo habuit Magiſtros celeberrimos, condemnavit tamquàm hæreticam hanc concluſionem, videlicet: quòd Beata Virgo ſit Concepta ſine peccato originali.* Sed hanc non eſſe legitimam illationem, patet: quia conſequentia iſta ex Altiſiodorenſi: Mauritius Epiſcopus prohibuit, ut non celebraretur Feſtum Conceptionis; ergò condemnavit tamquàm hæreticam hanc concluſionem: Beata Virgo fuit concepta ſine peccato originali, non eſt formalis: quia prohibitio Feſtivitatis, non arguit hæreticam fuiſſe ſententiam. Multæ enim Feſtivitates fuerunt prohibitæ, & ſunt ſine tali nota. Nec iſta eſt bona conſequentia ex Alberto Magno: Epiſcopus cum omnibus Pariſienſibus condemnavit ut hæreticum, Virginem M A R I A M fuiſſe ſanctificatam ante animationem: ergò condemnavit ut hereticum, Virginem M A R I A M fuiſſe conceptam ſine peccato originali: quia ſententia & controverſia noſtra non eſt, an M A R I A fuerit ſanctificata ante animationem; ſed an fuerit ſanctificata in ipſa animatione, ideòque addidit Anonymus illa verba: *Neque in ipſa animatione.* Nec valet conſequentia iſta ex Joanne de Poliaco: Non eſt opinio probabilis, ſed hæretica, quæ opponitur Sacræ Scripturæ; ergò eſt hæreticum, quòd Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali: quia reſtat probandum, ſeu demonſtrandum, ubi dixerit Scriptura Virginem M A R I A M fuiſſe conceptam in peccato originali. Erravit igitur in prima conſequentia. Secunda eſt iſta: *Secundò dicitur: quòd Vniverſitas Pariſienſis non habet auctoritatem aliquid diffiniendi, ſtatuendi, approbandi, ſeu condemnandi, &c.* Quibus verbis penitùs deſtruitur, & evellitur id ipſum, quod ædificare, & plantare conatur.

Digitized by Google

natur. Nam ſi Vniverſitas Pariſienſis non habet auctoritatem approbandi, nec condemnandi doctrinas; quomodò approbavit doctrinam S. Thomæ? Aut quomodò condemnavit ſententiam immunitatis Virginis à peccato originali? Sed de Nodo iſto indiſſolubili infrà dicemus.

P. Xantes ad finem ſuorum Prolegomenorum, quæſt. 39. ſub hoc titulo: *Antidotum cœleſte adversùs mortaliora novatorum venena.* Et incipit ſic: *In iſto diſcurſu ſunt plura myſteria, quàm verba habes, &c.* Et in rei veritate ſic eſt; nam totus ille diſcurſus videtur dirigi ad determinationes Summorum Pontificum in materia Conceptionis Virginis MARIÆ. Proponit enim primò *non licère nec abſolutè concedere, nec abſolutè negare Summum Pontificem poſſe decernere contra determinata à Patribus; ſed eſſe diſtinguendum de determinatis, ut de jure Divino, & de jure poſitivo: & dicendum non poſſe determinare contra determinata, ut de jure Divino, & de Fide habenda; benè verò poſſe decernere contra determinata, ut de jure poſitivo, &c.* Hucuſque benè. Secundò ſupponit *quando Pontifex abrogat decreta priora*, eum *non agere contra intentionem eorum, qui ea ediderunt, ſed ſolùm contra materialia eorum verba: intentio enim omnium Patrum eſt utilitas communitatis, idcircò eo ipſo, quòd decreta priora deſinunt eſſe utilia, intentio eorum fuit ut non ſervarentur, &c.* Statuit tertiò non poſſe legitimum Concilium congregari ſine auctoritate Summi Pontificis. Deindè proponit quartò: *Patres legitimè congregatos in Concilio non poſſe quidquam diffinire quod obliget, niſi interveniente auctoritate Summi Pontificis, qui & eos congreget, & congregatos per ſuos nuntios ad decernendum dirigat, & tandem decreta eorum perſonaliter confirmet, & tunc incipiunt obligare ad obſervantiam. Hoc indicatur eis D. Thomæ verbis: Patres Concilij congregati nihil ſtatuere poſſunt, niſi auctoritate Summi Pontificis interveniente, ſine qua etiam nec Concilium congregari poteſt. Eſt cæli & terræ oraculum Aquinas qui loquitur, quem teſtatur Salvator benè ſcripſiſſe, & Eccleſia reſolviſſe lumine plùs quàm humano, & abſque ullo prorsùs errore quæcumque reſolvit; & de quo celeberrima ipſa Galliarum Magiſtra Sorbona in diplomate, quod de illo edidit 1325. dicit eſſe candelabrum inſigne & lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident. Et ſi ita eſt in bona Arithmetica, qui habet aures audiendi audiat; habes ultimò dogmata D. Thomæ, quæ Poza mentitur damnata à Summis Pontificibus, ferè omnia pertinère ad jus poſitivum, ut conſideranti patebit, &c.* Multa in præpoſitis verbis proponit P. Xantes, ſed iſta ultima faciunt ad præſens, ſcilicet, Romanos Pontifices determinaſſe aliqua contra doctrinam Sancti Thomæ; illa tamen vel ferè omnia pertinère ad jus poſitivum. Undè ergò cùm hac confeſſione infert, quòd ſcripſerit ſine ullo prorsùs errore? Sed quidquid ſit de hac conſequentia, obſervetur illud dictum. *Et de quo celeberrima ipſa Galliarum Magiſtra Sorbona*

bona in diplomate, quod de illo edidit 1325. *dicit eſſe candelabrum inſigne & lucens, per quod omnes, qui vias vitæ & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident.* Ex hoc antecedenti falſo & ficto (nam ex omnibus iſtis verbis in Stephani, ſeu Univerſitatis decreto ſolùm extant hæc quinque verba: *Speculum clariſſimum vitæ, famæ, doctrinæ*, ut demonſtravimus latè Nodo II. principali) deducit P. Xantes hanc conſequentiam: *Et ſi ita eſt in bona Arithmetica, qui habet aures audiendi audiat.* Et ſi ita non eſt, ut in rei veritate non eſt, ſecundùm malam Arithmeticam tuam, quam conſequentiam deducent ſurdi, muti, & cœci? Sed admittamus fuiſſe verba de Magiſtra Sorbona, ut conferamus illa cum dictis à Patre Wigando de eadem Magiſtra Sorbona in materia Conceptionis. Reſtat proponere. Virgam veram Univerſitatis, ejus ſcilicet, ſententiam & determinationem circa præſervationem Virginis.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

QUòd Univerſitas Pariſienſis ſecundùm ſe totam, & per modum clauſtri numquàm determinaverit, vel ſenſerit à ſua prima inſtitutione & principio, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, patet ex eo, quòd in archivo ejuſdem Univerſitatis nec legatur, aut in aliquo alio ſcriptore talis reperiatur notitia, ne quidem adhuc ex ſcribentibus, & defendentibus opinionem contrariam. Et pro hac aſſertione comprobanda exiſtimo hoc eſſe efficax argumentum: Controverſia iſta cœpit in epiſtola S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenſes circa annum 1140. at S. Bernardus ſcribens prope Pariſios nihil dicit de Univerſitate, quæ tunc erat in ſuo flore cum Hugone de Sancto Victore, Petro Lombardo, Richardo de Sancto Victore, &c. Eodem tempore, ſcilicet, uſque ad annum 1200. ſcripſerunt pro pia opinione Richardus de Sancto Victore, Petrus Abeillardus, Petrus Comeſtor, & Petrus Cantor, omnes Doctores Pariſienſes, quorum opuſcula apud nos extant; & tamen nihil dicunt de Univerſitate. Ad annum 1240. ſcripſit Albertus Magnus Ordinis Prædicatorum, & dixit verba ſuprà poſita, quæ exiſtimo eſſe introducta ab aliquo non rectè ſentiente. Ad annum 1280. ſcripſerunt latiſſimè illi duo inſignes Doctores Pariſienſes, Ægidius de Roma, & Henricus de Gandavo, in quorum quæſtionibus nullum invenîtur verbum de

Uni-

Digitized by Google

Univerſitate Pariſienſi. Deindè ad annum 1312. ſcripſit quidam Ordinis Prædicatorum contra Petrum Aureolum lectorem tunc Toloſanum in Francia, quem exiſtimo fuiſſe Guilielmum de Gannaco Ordinis Prædicatorum, ut dicetur in SOLE VERITATIS ſecundæ impreſſionis; & licet Auctorem iſtum non viderim, tamen ex reſponſione Petri Aureoli apud nos exiſtente reſpondentis ad omnia argumenta adverſarij colligitur eum nihil dixiſſe de Univerſitate Pariſienſi. Ad ann. 1320. ſcripſit Franciſcus de Mayronis Minorita ſeptem opuſcula, ſeu tractatus pro pia ſententia apud nos exiſtentes; & contra illam ſuas quæſtiones Quodlibetales Joannes à Neapoli, Hervæus, & alij, & nihil dicunt de Univerſitate. Circa annum 1330. ſcripſit Henricus de Haſſia referens patronos, & fundamenta utriuſque ſententiæ, & eodem tempore Joannes Bacconius quatuor diſtinctas quæſtiones; & hîc enumera cum Thoma de Argentina, Gabrielem Biel, & alios quam-plures, quorum nullus de Univerſitate Pariſienſi pro nec contra, aliquam ne vel levem facit memoriam. Et hæc pro nunc de primo principio.

De medio certiſſimum eſt, & evidentèr patet ex multis inſtrumentis authenticis, quòd ad annum 1387. jam Univerſitas Pariſienſis fecerat determinationem, ſeu ſtatutum pro immunitate Virginis MARIÆ à peccato originali, ut ſtatim videbimus. Exorta enim illa magna controverſia cum Joanne de Monteſono Ordinis Prædicatorum, & ſuis Diſcipulis in tribus allegationibus, ſeu defenſorijs pro ſua opinione editis, numquàm in ipſis allegavit Univerſitatem Pariſienſem aliquando ſenſiſſe contrarium: poterat enim in illo ſuo conflictu; & eſſet potiſſimum, vel etiam concludens argumentum. Poſt iſtum ſcripſit P. Nicolaus Eymericus Ordinis Prædicatorum Avenione circa ann. 1395. duos tractatus latiſſimos contra ſententiam piam; & quamvis ibi paſſim vocitet impiam & hæreticam, atque adducat rationes, & auctoritates efficaciores pro ſua opinione, de Vniverſitate tamen Pariſienſi nullum habet verbum; & idem dico de Guilielmo Jordano. Eodem tempore latiſſimos ſcripſerunt tractatus Franciſcus Martini, Joannes Vitalis, & Joannes Alanus Doctores Pariſienſes, quorum tractatus manu-ſcripti apud nos extant, & licet ſcripſerint pro pia ſententia; inter loquendum tamen, vel in argumentis dicerent aliquid de Vniverſitate, ſi fuiſſet contra. Tempore Concilij Baſileenſis circa ann. 1437. Joannes de Montenigro, & Joannes de Turrecremata Ordinis Prædicatorum ediderunt latiſſimos tractatus pro ſua opinione, adducentes quæcumque in hac materia fuerant retroactis ſœculis dicta, acta, vel ſcripta: contra quos ſcripſit duos memorabiles libros Joannes de Segovia Canonicus Toletanus; unum Allegatio-

num, & alterum Aviſamentorum, quos jam habemus mandatos prælo. Sed nec iſte, nec illi aliquid proferunt de antiqua ſententia Vniverſitatis Pariſienſis. Poſteà ſcripſit Gyrandus Renerius non parvum tractatum; & cùm iſte fuerit Doctor Pariſienſis, non taceret hanc circumſtantiam, quando ipſemet dicit in allegato tractatu: *Exiſtimo, quòd, quando fuerit publicatus tractatus iſte Pariſijs, quærent animam meam, &c.* Cum his enumerari poſſunt Sanctus Antoninus Florentinus, & duo alij Anonymi Ordinis Prædicatorum, qui adducunt auctoritates pro ſua opinione, quorum unus manu-ſcriptus extat in Bibliotheca Regia Scoriali, & alter impreſſus in Bibliotheca Cardinalis Mazarini. Scripſit etiam Wigandus Uvirt, ſeu Cauponis ſuum dialogum. Item ſcripſerunt pro pia ſententia in Gallia & civitate Pariſienſi. F. Joannes de Bruxella anno 1419. Nicolaus Granerius Canonicus Regularis Sancti Victoris, Antonius Fornerius Cuciacenſis, & alter Anonymus dialogum inter Amicum & Militem, quorum tractatus uſque nunc incogniti apud nos extant, ſed de Vniverſitate nihil dicunt. Poſt omnes iſtos ſcripſit Anonymus-Bandellus, ſeu Bandellus factus Anonymus, & ſicut finxit litteras Vniverſitatis Pariſienſis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, ſic etiam fabricavit illud: *Vniverſitatem Pariſienſem, quando erat in ſuo flore & principio, determinaſſe, & ſtatuiſſe Virginem* MARIAM *fuiſſe conceptam in peccato originali.*

Neque hoc dictum ab Anonymo & Bandello in ſuis libris de Univerſitate Pariſienſi, quando erat in flore, poteſt probari aliquo rationabili diſcurſu: nam ipſi ſcripſerunt in Lombardia anno 1475. atque anno 1481. & cùm Provincia illa multum diſtet ab Univerſitate Pariſienſi, nullam poterant de ibidem actis habere notitiam, niſi ab aliquo auctore id referente: ſed nullum adducunt, nec adducere poſſunt, ut ſuprà diſcurrendo per ſingulos diximus; aut propter aliquod inſtrumentum ejuſdem Vniverſitatis; ne quidem hoc: quia ſemel, & iterum revolvimus archivum Univerſitatis ad indagandam aliquam pro præſenti materia lucem. Vidimus etiam libros manu-ſcriptos omnium decretorum illius Academiæ, atque etiam noviſſimè typis mandatum de eodem argumento, ſub hoc titulo Gallico: *Partie des pieces & actes, qui concernent l'eſtat preſent & ancien de l'Vniverſité de Paris; Monſieur le Recteur qui en eſt, & a touſiours le chef. Les trois Facultez de Theologie, de droit Canon, & de Medecine. Les quatre Nations de France, de Picardie, de Normandie, & d'Allemagne. Les trois Facultez, & les quatre Procureurs deſdites nations. A Paris* 1653. *in* 4. Ergò ex nullo capite, principio, aut medio conſtat, aut deducitur per leviſſimam ſaltem conjecturam, Vniverſitatem Pariſienſem in ſuo principio determinaſſe eſſe erroneum & hære-

Digitized by Google

hæreticum, immò neque ſenſiſſe Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali. Undè credendum eſt Bandellum locutum fuiſſe in hac parte circa determinationem myſterij Conceptionis, ſicut in alia ſuperiùs demonſtrata de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ. Sed pro majori noſtræ cauſæ juſtificatione, & ſtrictis reconventionibus ad hominem, concedamus & admittamus Academiam Pariſienſem in ſuo flore & principio non tantùm ſuſtinuiſſe opinionem contrariam, ſed & condemnaſſe piam ut erroneam & hæreticam: & ab iſto flore & principio pergamus ad inquirendum de fructu & fine.

Finis ergò, & primus fructus fuit: quòd, cùm Joannes de Monteſono Ordinis Prædicatorum in ſuis veſpertinis concluſionibus habitis anno 1387. propoſuiſſet quatuordecim cenſurâ majori dignas, & ut tales fuiſſent condemnatæ à Facultate Theologiæ per viginti-octo Doctores nomine ejuſdem Facultatis, & poſteà ab Univerſitate tota, & ab Epiſcopo Pariſienſi per diffinitivam ſententiam approbata condemnatio, inter ipſas erant quinque contra piam ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione, quas præcipuè Facultas Theologica, & Univerſitas tota defendit ſic: Prima propoſitio Monteſoni, & in ordine decima fuit iſta: *Non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatum originale, eſt expreſſè contra Fidem.* Hæc damnata fuit à Facultate, Vniverſitate, & Epiſcopo, his verbis: *Revocanda tamquàm falſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiva, & præſumptuosè aſſerta, non obſtante probabilitate quæſtionis, utrùm Beata Virgo fuerit in peccato originali concepta, &c.* Et ſuper hoc diſcurrunt latiſſimè; & poſt plura inquit Vniverſitas: *His præmiſſis contra prædictam propoſitionem, & ad ejus condemnationis juſtificationem arguitur ſic: Omnis propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, & præſumptuosè aſſerta, quæ aſſerit aliquid eſſe expreſſè contra Fidem, quod multi Sancti, & Doctores Catholici tenent & aſſerunt, & quod multi Summi Pontifices, & Sancta Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & alij majores Eccleſiæ prælati, & plures particulares Eccleſiæ, immò ferè univerſalis Eccleſia, aut ejus major, & ſanior pars aſſerunt, & publicè dogmatizant, & ad cujus approbationes tenent miracula eſſe facta, & in ejus commendationem annuale Feſtum ſolemniter celebrant; ſed prædicta propoſitio, & aliæ três ſequentes ſunt hujuſmodi: igitur.* Et hujus argumenti probat majorem, & minorem laitſſimè, cujus verba ad litteram poſſunt videri in SOLE VERITATIS ſecundæ impreſſionis. Ex quibus verbis Univerſitatis Nodum indiſſolubilem conficiemus infrà; & pro myſterio multa declarantur dubia, ſeu potiùs vera ab aſſertoribus contrariæ opinionis hucuſque impugnata. Hæc ſcribebat Univerſitas ad annum 1389. in tractatu, ſeu reſcripto directo Summo Pontifici, & Sacro Conſiſtorio

Cardinalium. Undè ex parte ſubjecti, ſcilicet, graviſſimæ & doctiſſimæ Univerſitatis, ex parte termini Pontificis, & Cardinalium, atque ex gravitate materiæ tenebantur dicere veritatem: igitur ad annum 1388. erant multi Sancti, & Doctores, Pontifices, Cardinales, & Prælati publicè aſſerentes, & dogmatizantes Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali. Quâ ergò veritate auſus fuit dicere hoc eodem anno 1661. Magiſter Notitioſus Complutenſis, & alter Doctor Salmanticenſis, quòd hæc ſententia de Immaculata Conceptione ſolùm à quadraginta annis cœpiſſet in Eccleſia, cùm ipſamet Feſtivitas ex teſtimonio graviſſimæ Univerſitatis Pariſienſis ante annum 1388. celebraretur in Romana univerſali, & ferè in omnibus Eccleſijs particularibus?

Secunda propoſitio Monteſoni, & in ordine undecima, erat iſta: *Beatam* MARIAM *Virginem, & Dei Genitricem non contraxiſſe peccatum originale, eſt expreſſè contra Fidem.* Hanc etiam condemnarunt Facultas, Univerſitas, & Epiſcopus ſic: *Et hæc condemnatur revocanda tamquàm falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiva. De hac autem propoſitione dixit in Conſiſtorio, quòd ipſam propoſuit tamquàm opinabilem, & ibi uſus fuit iſto termino expreſſiſſimè, licet eo non utatur in ſcripto ſuo coram judicibus exhibito. Et poſtquàm allegavit plures Doctores tenentes eam conceptam fuiſſe in peccato originali, inter quos quidam tenent, quod oppoſitum dicere, eſt hæreſis, intulit quòd hoc tenentes tenebantur revocare, ſi ipſe tenetur. Sed improbatio omnium iſtorum patet ex dictis in præcedenti propoſitione, & ſpecialitèr ex dictis Sancti Thomæ in quarta, & quinta rationibus contra eamdem. Item improbatio ejuſdem rationis patet ex dictis in præcedenti. Item, quòd illam non propoſuit præcisè tamquàm opinabilem, patet: quia aſſeruit ſe illam velle defendere uſque ad mortem, prout ſuprà dictum eſt. Item præter illa, quæ dicta ſunt, arguitur contra eamdem propoſitionem ſic: quia Romana Eccleſia, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, cum multis Eccleſijs ſibi ſubjectis, tenet, & aſſerit, quòd non eſt expreſſè contra Fidem, dicere* MARIAM *conceptam ſine originali; igitur aſſerere oppoſitum eſt temerarium, &c.* Et poſtquàm probaſſet efficacitèr hoc argumentum, proſequitur in alio ſic: *Item Doctores Catholici tractantes de hac materia, an ſit expreſſè contra Fidem, determinant expreſſè, quòd non eſt contra Fidem,* MARIAM *fuiſſe ſine originali conceptam, ſicut patet per Bonaventuram tertio, diſt. 3. quæſtione 1. cujus opera pro cauſa Fidei in archivo Papæ ſunt recondita, tamquàm Fidei Catholicæ utilia, &c.* Multa hîc erant notanda, tum pro myſterio, tum contra Notitioſos aliquos dicentes, Joannem de Monteſono nullum feciſſe tractatum, nec defenſorium pro ſuis aſſertionibus: ſed cùm in hoc opuſculo ſolùm tractemus de reconventione, ſeu æquiparantia inter doctrinam Sancti Thomæ, & ſententiam Immaculatæ Conceptionis, omnia

nia extra iſta, licet pulcherrima, ſunt nobis materialia, non formalia. Vide tamen aliqua in Nodo, præcipuè illud de operibus Sancti Bonaventuræ cuſtoditis in archivo Papę pro Fidei Catholicæ utilitate. Quid enim dicerent Auctores Dominicani, ſi ſimile invenirent elogium pro operibus ſui Angelici Doctoris? Et nos tanta ac talia circa illud diximus, quòd uſque modò non ſint inventuri Auctorem Franciſcanum, qui ipſum referat; nec in vita ipſius, aut ſermonibus.

Tertia propoſitio Monteſoni, & duodecima in ordine, ſic ſe habet: *Quòd tantùm eſt contra Sacram Scripturam unum hominem eſſe exemptum à peccato originali, præter Chriſtum, ſicut ſi decem homines ponerentur exempti.* Hanc damnarunt Facultas, Vniverſitas, & Epiſcopus ſic: *Et hæc condemnatur, ſicut præcedens tamquàm falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiva. Et de hac, & ſequenti propoſitione dixit in Conſiſtorio: quòd eam propoſuit tamquàm veram ſine pertinacia. Et ibidem addidit: quòd non minùs eſt contra Scripturam, &c. Quòd in ſcripto coram judicibus non tradidit. Illam etiam proteſtationem ſpecialem, ſcilicet, ſine pertinacia, numquàm Pariſius expreſſit, ſed magis oppoſitum dicendo ſe velle iſtas propoſitiones, ſeu concluſiones uſque ad mortem defendere, &c.* Et hinc latiſſimè proſequitur Vniverſitas qualificationem ſuę damnationis multis, & fortiſſimis argumentis, à quibus ſuperſedeo, quia pro hoc parvo libello non ſunt ad rem, & ſolùm nota illud: *Quòd in ſcriptis coram judicibus non tradidit.* Ergò Monteſonus ſcripſit defenſorium ſuarum concluſionum.

Decima-tertia propoſitio Monteſoni, & quarta contra piam ſententiam fuit iſta: *Magis eſt expreſſè contra Scripturam Sacram, Beatam Virginem non eſſe conceptam in peccato originali, quàm aſſerere ipſam ſimul fuiſſe Beatam, & viatricem ab inſtanti ſuæ Conceptionis, vel Sanctificationis.* De hac propoſitione dicit Univerſitas: *Et poſtquàm probavit Corollarium dixit: quòd pari modo videretur poſſe dici, quod magis eſt expreſſum ipſam unitam fuiſſe hypoſtaticè; & hoc quidem in Conſiſtorio, & in ſcripto ſuo coram judicibus recitavit. Hæc autem propoſitio condemnatur ſicut præcedentes, revocanda tamquàm falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiva. Et meritò potuiſſet rigoroſiùs condemnari, quia nulla præcedentium eſt ita temeraria, &c.* Et circa hanc diſcurrit Vniverſitas eruditè, & doctè, & quàm temeraria ſit, ſatis conſtat ex illis verbis: quod pari modo videretur poſſe dici, *quòd magis eſt expreſſum ipſam unitam fuiſſe hypoſtaticè.* Nota (amore Dei) præcipitationem iſtam. Ad quid enim ampliùs pervenire poterat cœcitas iſtius Patris?

Decima-quarta propoſitio Monteſoni, & quinta contra Conceptionem fuit iſta: *In expoſitione Sacræ Scripturæ, ſive declarando per Eccleſiam, ſive declarando per Doctores, ſive exponendo per quemcumque de Sacra Scriptura, & non aliun-*

aliundè trahenda eſt determinatio, declaratio, ſeu exceptio, ſicut in grammatica, quæ regulas ponit, & in eadem exceptio reperitur. Ad hanc propoſitionem inquit Vniverſitas: *Et hac revocanda tamquàm falſa, erronea, ſi intelligat quòd exceptio, vel expoſitio ſit trahenda explicitè, & expreſſè ex Scriptura Sacra, & non aliundè, prout videtur prætendere: alitèr non eſſet ad propoſitum ſuum diſcurſum. Et hoc patet clarè per proceſſum ſuum: quia ponit illam propoſitionem pro regula generali, & applicat eam ad propoſitum de Conceptione, volens eam apprehendi ſub lege communi, quia ex Scriptura Sacra de ea exceptio expreſſa, & explicita non habetur, &c.* Contra hanc diſcurrit Vniverſitas probando evidentèr ejus falſitatem. Et poſt iſtas quinque propoſitiones concludit ſic: *Sextus articulus eſt: quòd dicta Pariſienſis Vniverſitas rationabilitèr petit & ſupplicat*, id eſt, Summo Pontifici, & Sacro Conſiſtorio Cardinalium, *ut dictus Frater tamquàm hæreticus, vel de hæreſi vehementèr ſuſpectus, carceri mancipatus ſub cuſtodia teneatur, &c.* Oppoſitio iſta facta Joanni de Monteſono, & defenſio Immaculatæ Conceptionis apparet ut primus fructus productus ab Univerſitate Pariſienſi anno 1388. Ex aliquo ergò antecedenti flore proceſſit. Non igitur, quando erat in flore, determinavit eſſe erroneum, & hæreticum credere, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali: ſi enim hoc determinaſſet, quâ fronte pro eademmet propoſitione ab ipſa jam Vniverſitate determinata, damnaret Fratrem Joannem de Monteſono, & ageret contra eum, ut contra errantem præſumptuosè, hæreticum, vel vehementèr ſuſpectum de hæreſi? Aut quo reſpectu, causâ, & occaſione hoc omitteret in ſuis tribus reſcriptis Joannes de Monteſono? Nam reſponſio erat ad manum dicendo: Vniverſitas Pariſienſis condemnavit aliquando ut hæreticam hanc propoſitionem: *Virgo* MARIA *non contraxit peccatum originale*, & hoc ipſum facio ego ejus Filius, & vos eſtis præſumptuoſi ac temerarij, quia receſſiſtis à veſtigijs antiquorum Patrum veſtræ Vniverſitatis.

Secundus fructus editus ab Vniverſitate Pariſienſi pro defenſione piæ ſententiæ fuit, quòd poſt fugam Joannis de Monteſono à civitate Pariſienſi ad Summum Pontificem & curiam Romanam exiſtentem Avenione remanſerint aliqui diſcipuli, fautores, & defenſores opinionum Joannis de Monteſono, præcipuè illarum quinque tangentium piam ſententiam de Immaculata Conceptione (nam circa alias novem nihil curarunt, nec ſaltem unum protulerunt verbum Monteſoniſtæ) quos continuò, & conſtantèr inſecuta eſt Vniverſitas quouſque fecit, ut publicè præcipui, & principaliores palinodiam recantaſſent, revocando opinionem ſuam, & abjurando propoſitiones ſuprà poſitas. Et iſtorum præcipuus fuit Guilielmus Ebroicenſis Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopus, & Confeſſarius Regis Caroli VI. ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, quem propter dignitatis decentiam fecerunt abjurare ſolùm in Palatio coram Rege, & Magnatibus. Et ſuæ revocationis factæ anno 1388. die 17. Februarij clauſulæ principales ſunt iſtæ: *Idcircò, antequàm ad alia negotia & facta prædictæ Vniverſitatis, quæ eidem Domino noſtro Regi, & in ejus, ac Concilij præſentia exponere habebant, procederent, nomine dictæ Vniverſitatis dictum Epiſcopum Ebroicenſem inſtantèr requiſiverunt præfati Deputati per organum ſæpè dicti Magiſtri noſtri de Alliaco: quatenùs in præſentia Domini* N. *Regis, & præfatorum* DD. *Deputatorum, & omnium aliorum ibidem exiſtentium, & præſentium, prædictas concluſiones per ipſum prolatas & dictas, tamquàm malè, & contra Fidem, & veritatem dictas & ſonantes, revocare vellet, prout facere tenebatur, & aliàs eas revocare promiſerat.* Nota hìc, quomodò Vniverſitas noluerit procedere ad alia coram Rege, niſi priùs Epiſcopus ejus Confeſſarius abjuraret ſuas propoſitiones. Obſerva etiam, quòd illas non revocaret quomodocumque, ſed tamquàm malas contra Fidem, & veritatem dictas. *Qui quidem Epiſcopus Ebroicenſis non coactus, non ſeductus, ſed propriâ ſuâ voluntate motus prædictas concluſiones per ipſum ſic, ut præmittitur, prolatas & dictas revocavit, modo, & formâ contentis in quadam papyrea ſcedula, quam ibidem altâ, & intelligibili voce de verbo ad verbum legit, cujus etiam tenor talis eſt:* Ubi inter alia quam-plura ſic inquit: *Item dixi, quòd, ſicut viginti-octo Magiſtri in Theologia Vniverſitatis Pariſienſis condemnaverunt propoſitiones de Monteſono, ita erant viginti-octo de Ordine noſtro, videlicet de majoribus, & ſolemnioribus clericis totius mundi, qui eas approbaverant, & ſic poterant eas approbare, & prædicare. Item addidi & dixi, quòd Magiſtri Vniverſitatis Pariſienſis non intelligebant doctrinam Sancti Thomæ, &c.* Et circa hoc extant non pauca. Et ad finem dicitur: *Item Epiſcopus Ebroicenſis flexis genibus præfatum Dominum noſtrum Francorum Regem conſtanter requiſivit, eidem humiliter ſupplicando, quatenùs Regi Arragonum, &* D.N. *Papæ ſcribere dignaretur, ut vellet eoſdem requirendo, quatenùs Fratrem Joannem de Monteſono, de quo in ſcedula præ-inſerta fit mentio, faceret capi, & Pariſijs adduci puniendum ſecundùm ejus demerita, &c. Acta fuerunt hæc in domo Regali de Lupara Pariſienſi, videlicet, in camera dicti* D.N. *Regis ſub anno, indictione, &c.* Et hæc de Epiſcopo & Confeſſario ejuſdem Francorum Regis; & hujus revocationis extant in Archivo Univerſitatis tria authentica teſtimonia.

Alter ex principalioribus fuit Pater Joannes Adæ in Theologia Magiſter, qui primò ſuas propoſitiones revocavit coram tota Vniverſitate anno 1389. die 20. Auguſti, in quodam revocationis rotulo, ut ibidem dicitur, verbis latinis ſcripto, altâ & intelligibili voce de verbo ad verbum legens, & omnia, & ſingula in eodem titu-

Digitized by Google

titulo contenta, audientibus, auſcultantibus, & intelligentibus Magiſtris, nec non ſcholaribus diverſarum partium ad hoc audiendum convocatis in multitudine copioſa, ore proprio pronuntiavit ſequentia: *Venio hìc propriâ voluntate ad revocandum certas propoſitiones, aliàs per me indebitè pluribus in locis aſſertas: & primò aliàs dixi, aſſerui, & publicè prædicavi in ſermone: quòd Feſtum Conceptionis Beatæ, & glorioſæ Virginis* M A R I Æ *non erat ſolemnizandum, nec colendum, & qui coleret dictum Feſtum, malè faceret, plùs quàm benè. Illud revoco tamquàm falſum, præſumptuoſum, ſcandaloſum, & piarum aurium offenſivum. Item dixi, aſſerui, & publicè prædicavi in ſermone, quod, qui non coleret, nec ſolemnizaret dictum Feſtum, non peccaret, quamvis ego ſcirem Epiſcopum præcepiſſe contrarium; & quòd gentes non deberent dimittere operas ſuas propter dictum Feſtum: Illud revoco tamquàm falſum, præſumptuoſum, ſcandaloſum, in contemptum Epiſcopi, & auctoritatis Epiſcopalis, & piarum aurium offenſivum. Item dixi, aſſerui, & publicè prædicavi: quòd, tenère Beatam* MARIAM *Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali, eſt peccatum mortale, & hæreſis: Illud revoco tamquàm erroneum in Fide: quoad illud, quod dixi fore peccatum mortale, tenère Virginem non fuiſſe, & cætera: quoad illud, quod dixi, quòd eſt hæreſis, revoco tamquàm falſum, malum, præſumptuoſum, & ut prius, erroneum in Fide. Item prædicando ad populum increpavi illos, qui in laudem Virginis* M A R I Æ *tenebant eam non fuiſſe in peccato conceptam, improperando eis, & dicendo, &c.* Et proſequitur referendo talia ac tanta improperia idiomate Gallico, ut puduerit me illa tranſcribere. Et fortè propter iſta præcepit illi Univerſitas Pariſienſis, ut faceret ſecundam revocationem in Feſto Decollationis Beati Joannis Baptiſtæ, die 29. Auguſti, in Sancto Jacobo de Carnificina. Et etiam tertiam, die 26. menſis Septembris, in clauſtro Sancti Honorati prope Caſtrum Regale de Lupara; ſicut etiam fecit cum effectu.

Alius ex principalioribus fuit Pater Joannes Thomæ Doctor Pariſienſis factus anno 1374. ut dicitur in Catalogo Doctorum: Hic qui fuit frater uterinus Joannis de Monteſono, ſecundùm aliquos, & abjuravit die 21. menſis Martij, anno 1388. & propoſitiones ſunt magis ſcandaloſæ, quàm antecedentes: prædicaverat enim, ut ibidem dicitur, apud Sanctum Severinum, & in Sanctis martyribus, & pluribus alijs Pariſienſis civitatis Eccleſijs, quòd Virgo M A R I A fuiſſet concepta in peccato originali, & contrarium dicere eſſet hæreſis, & erroneum, &c. ſicut in præcedenti. Sed de hoc Monteſoniſta fratre Joannis de Monteſono eſt quædam circumſtantia ſingulariſſima, quæ non reperîtur in alijs: nam in una ex tribus revocationibus Patris Joannis Adæ, de quibus ſuprà immediatè diximus, erat quædam clauſula, quæ ſic ſe habet: *Item teneo, & credo quòd dictus de Monteſono fatuè, & malè locutus fit*

ſit in omnibus propoſitionibus per eum aſſertis, ſive dictis; & ſi aliquod falſum, aut ſuſpectum reperiatur in libro tranſlato per Magiſtrum Ioannem Thomæ, nondum examinato ad plenum, quod à me proceſſerit, ad id revocandum ex nunc, & ex tum me ſubmitto, tamquàm illius particeps, aut conſcius. Ex qua clauſula conſtat Joannem Thomæ edidiſſe vel tranſcripſiſſe librum pro Joanne de Monteſono, vel contra Immaculatam Virginis Conceptionem, adjuvante F. Joanne Adæ, in quo aliqua reperiebantur falſa, aut ſuſpecta de veritate, quæ adhuc non erant ad plenum examinata ab Vniverſitate. Hæc autem præcipua fuerunt, quæ circa approbationem doctrinæ Sancti Thomæ referunt Joannes Vitalis, & Joannes Alanus Doctores Pariſienſes; & ipſemet in ſua revocatione etiam fatetur, dicens, quòd à quatuordecim annis, id eſt, ab anno 1374. tranſtulerit, ſeu verterit textum Hieremiæ in linguam Gallicam, à capite 17. uſque 30. in qua tranſlatione inſeruit, & tractavit quæſtionem pro ſua opinione, ſcilicet, quòd Virgo MARIA contraxiſſet peccatum originale, de quo cum alijs articulis revocatis confeſſus eſt palàm ſe malè feciſſe, & veniam petijt. Et fortè iſte eſt tractatus ille de Conceptione, quem vidit Pater Joannes Bunderus Ordinis Prædicatorum ſub nomine Joannis Thomæ in Conventu Ordinis Prædicatorum Sancti Quintini. Et hæc de Hiſtoria Joannis Thomæ. Et ſi in textum Sacræ Scripturæ, & in Canonem Bibliæ introduxit Joannes Thomæ contra legalitatem & veritatem ſuam opinionem, & maculam Virginis MARIÆ; quid agerent in alijs libris non Canonicis, & maximè in operibus Sancti Thomæ, Bullâ Urbani V. litteris Stephani, & operibus Alberti Magni?

Alter ex ijs præcipuis fuit P. Joannes Nicolai, qui revocavit ſuos errores, anno 1390. die 13. menſis Septembris; & inter alias clauſulas habet iſtam: *Aſſero primò, quòd quatuordecim concluſiones poſitæ per eumdem Magiſtrum Joannem de Monteſono per Facultatem Theologiæ condemnatæ, & conſequenter per Univerſitatem Pariſienſem, quarum etiam dogmatizatio fuit per Reverendum in Chriſto Patrem D. Epiſcopum Pariſienſem prohibita, fuerunt juridicè, & rationabiliter condemnatæ, & prohibitæ: quarum tamen concluſionem indebitè, & irrationabiliter fui fautor, & defenſor dictæ condemnationes, & prohibitiones contemnendo: undè mihi diſplicet, & pœnitet, &c. Item fateor, quod pro ſua ſuſtentatione cauſa dicti Magiſtri Joannis, ſive ſuarum concluſionum ſolvi octo ſolidos Pariſienſes, &c. Item fateor, quod ego prædilexiſſem, quod Magiſter Joannes de Monteſono in cauſa ſua obtinuiſſet, quàm Univerſitas Pariſienſis, &c. Item fateor me communicaſſe pluries, & cum pluribus fratribus de Ordine meo habitum ſæcularem deferentibus in favorem & ſuſtentationem dicti Magiſtri Joannis, & ſuorum errorum, & ſententiarum. Item fateor me dixiſſe, quod illi Fratres de Ordine noſtro, qui revocaverunt, verita-*

tem revocaverunt, & ob hoc dixi eos eſſe hæreticos, & excommunicatos propter ſuas revocationes, &c. Item fateor me prohibuiſſe Fratribus de Ordine noſtro, ne communicarent cum illis, qui revocaverant, bibendo, comedendo, item officiando in Eccleſia, &c. Item fateor me dixiſſe, quòd ego vellem, quòd illi, qui revocaverant, eſſent ſuſpenſi, & quòd ordo confuſus erat per eorum revocationes, &c. Hæc ſunt præcipua ad compendium redacta, quæ declaravit, & retractavit Pater Joannes Nicolai, in quibus omnia ſunt notatione digna, præcipuè illud de ſolutione octo ſolidorum Pariſienſium, ex quo confirmatur illud ſuprà declaratum à Patre Richardo Maria, quòd tota Religio Prædicatorum fuerit facta ſub tributo, ut defenderet Joannem de Monteſono dimicantem contra Univerſitatem Pariſienſem, & ſacratiſſimæ Virginis MARIÆ puritatem, ac immunitatem à peccato originali.

Eodem modo præter quatuor ſuprà relatos Monteſoniſtas, retractaverunt, & abjurarunt errores pertinentes ad hanc, de qua loquimur, materiam, PP. Galfridus de Sancto Martino die 24. Julij in domo Fratrum Minorum, Petrus de Concheyo die 12. Octobris, Richardus Maria, de quo ſuprà, Adam de Sueſſione die 16. Maij, & Stephanus Gontier, qui captus fuit in Caſtro Antiſiodorenſi, alij verò fugerunt. Et hîc ſuperaddendum eſt, quomodò Vniverſitas Pariſienſis propter favorem exhibitum Monteſono excluſerit à ſuo conſortio totam Religionem Prædicatorum in communi, & in particulari, quarum litteræ originales dedimus ſuprà Nodo III. loquendo de approbatione Vrbani V. quibus adjunge retractationem Joannis Veri, in civitate de Deppe Rothomagen. Diœceſis, quæ apud nos extat in charta expanſa, & etiam fuit impreſſa in 4. & extat ſimiliter cum alijs ſuprà relatis in archivo Vniverſitatis in tribus manu-ſcriptis.

Tertius fructus Vniverſitatis Pariſienſis fuit: quòd hoc eodem tempore ediderit pro Immaculata Virginis Conceptione illum inſignem tractatum, de quo nos ſuprà latè egimus in Stephano Epiſcopo Pariſienſi Nodo II. principali, à quo extraximus omnia ibi & hîc relata de condemnatione propoſitionum Joannis de Monteſono. Item in principio illius promittit ſe alium editurum pro defenſione individua immunitatis Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ, dicens in condemnatione primæ propoſitionis de Conceptione, quæ eſt decima Monteſoni: *Et ſic patet falſitas prædicta propoſitionis ex prædicta radice, de qua breviter pertranſimus principaliter tractaturi de materia, quam dicta propoſitio tangit contra honorem Virginis glorioſæ, &c.* An verò tractatus iſte fuerit editus nec ne, mihi hucuſque incognitum eſt: ſcio tamen edidiſſe tractatulum parvum, quem apud me habeo, elaboratum etiam ab Vniverſitate tempore

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ controverſiæ cum Joanne Maldonato. Item præcepit eadem Facultas Theologica Joanni Vitali Ordinis Minorum Doctori Pariſienſi, & Joanni Alano etiam Pariſienſi Doctori, ut ſcriberent doctrinaliter, & more ſcholaſtico contra Joannem de Monteſono; quod doctè, & feliciter impleverunt, quorum originalia manuſcripta apud nos extant, ut aliquando lucem videre poſſint cum alijs in libro ſub titulo: *Monumenta antiqua Conceptionis.* Item poſt fugam Joannis de Monteſono ad præſentiam Summi Pontificis miſit Vniverſitas Pariſienſis proprijs expenſis quatuor doctiſſimos viros, ut cauſam iſtam defenderent apud Summum Pontificem, & Conſiſtorium Cardinalium (de quibus diximus ſuprà) quod ita ſtrenuè actum eſt, ut cogerent Monteſonum ad ſecundam fugam à civitate Avenionenſi, propter quam fuit excommunicatus à Cardinalibus à Summo Pontifice delegatis pro negotio ipſius.

Quartus fructus Vniverſitatis Pariſienſis fuit, quòd anno 1497. die 17. menſis Septembris, in quo Eccleſia Romana celebrat Feſtivitatem Sacrorum Stigmatum Seraphici P.N. Franciſci, octoginta duo Doctores Pariſienſes, nomine & voce totius Vniverſitatis congregati fuerint (non in Bertiliaco vel Gentiliaco, ſed in civitate Pariſienſi apud Sanctum Maturinum, ubi continuò, & ferè ſemper Vniverſitas ſuas exercet publicas functiones) & in præſentia totius Vniverſitatis uno ore, unaque ſententiâ ſtatuerint, & determinaverint: *Quòd nemo deinceps præfatæ Univerſitati adſcribatur, niſi ſe hujus determinationis (quod, videlicet, Beatiſſima Dei Genitrix, & Virgo* MARIA *ſemper ab originali macula fuerit immunis, & præſervata) aſſertorem ſtrenuumq́; propugnatorem pro viribus futurum confirmet juramento.* Notandum tamen eſt, quòd, licet hoc decretum fuerit publicatum, ut diximus, anno 1497. die 17. Octobris: tamen ipſum diſpoſitum, & determinatum fuit anno 1496. die 3. Martij, ut conſtat ex quodam manu-ſcripto codice exiſtente Coloniæ in Conventu Sancti Patris noſtri Franciſci Reformatorum ad Olivas. Decretum autem ipſum extat authenticum in archivo Sancti Franciſci Matritenſis, de quo latam mentionem faciunt Auctores relati in Armamentario, columnâ 468. & alij ſuperadditi in *Militia Immaculatæ Conceptionis*, verbo, *Pariſienſis Academia.* Ad tollendam tamen omnem ambiguitatem, obſervandum eſt, quòd aliqui ſcriptores, & non infimæ notæ affirment decretum, ſeu ſtatutum iſtud Vniverſitatis Pariſienſis conditum fuiſſe anno 1383. cujus occaſione poſt quatuor annos Joannes de Monteſono, quaſi in contemptum ſtatuti Vniverſitatis diſpoſuit ſuas concluſiones. Et hoc magnum habere videtur fundamentum, tum in verbis Monteſoni, tum & præcipuè in reſponſione Vniverſitatis: ſæpiſſimè enim inſinuat il-

las eſſe contra determinatum, & ſtatutum per eamdem Vniverſitatem. Alij autem contendunt, ſtatutum Academię fuiſſe ſancitum anno 1330. in quo determinatum fuit, ne contra immunitatem Virginis MARIÆ à peccato originali impoſterùm aliquid in cathedris edoceretur, aut in conclusionibus oppugnaretur. Ita Joannes Bacconius illius temporis ſcriptor, in 4. diſt. 2. quæſt. 4. articulo 3. undè Pater Chriſtophorus de Vega, Paleſtrâ 3. certamine 20. folio 133. nullum tamen de iſtis hucuſque inveni authenticum teſtimonium. Sed iſta in rei veritate non contrariantur inter ſe: nam prima potuit eſſe ſolùm ordinatio, ne aliquid diceretur contrà: ſecunda, determinatio defenſionis; & tertia, juramentum, & ſtatutum formale; res equidem tanti momenti paulatim apud cordatos fiunt.

Quintus fructus Vniverſitatis, eſt perſeverantia in defenſione Immaculatæ Conceptionis, quæ uſque in hodiernum diem inviolabiliter obſervatur: nam formulæ juris-jurandi, quod tum à Magiſtris, tum à Baccalaureis Theologiæ exigi ſolet, antequàm in conſortium Facultatis cooptentur, & impreſſæ unicuique conferuntur in parvo folio pro jure-jurando Baccalaureorum num. 4. ſic dicitur: *Item quòd tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione Immaculatę Virginis* MARIÆ: *videlicet, quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe.* Et in formula juris-jurandi, quod Magiſtri Theologiæ præſtare ſolent in Congregatione generali coram D. Decano, quamprimùm laureâ doctorali donati fuerint, num. 5. extat hæc clauſula: *Item jurabitis, quod tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione Immaculatæ Virginis* MARIÆ: *videlicet, quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali culpa.* Pro cujus obſervantia nullus Baccalaureus, ſeu Doctor habet Theſes Theologicas, in qua aptè poſſit introducere defenſionem myſterij, quòd libentiſſimo animo non ponat conclusionem immunitatis, ut de multis in *Militia Immaculatæ Conceptionis* adductis patebit exemplis. His duobus juramentis Baccalaureis, & Doctoribus communibus, adſtringuntur etiam PP. Ordinis Prædicatorum; & inſuper tertio altero particulari, ſcilicet, ſtandum determinationi & condemnationi Facultatis factæ contra articulos, ſeu concluſiones Joannis de Monteſono. Cùm autem iſti fuerint præcipuè duo, ſcilicet, doctrinam Sancti Thomæ numquam fuiſſe approbatam ab Vniverſitate Pariſienſi, & Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali, videant ipſi, quid dicendum foret de hoc, aut quomodò ſolvendus ſit Nodus iſte.

Omnium approbationum doctrinæ S. Thomæ fundamentum, ſeu primarius lapis conſiſtit in iſtis litteris Vniverſitatis Pariſienſis; attamen Pater Wigandus Uvirt, ſeu Cauponus in ſuo Dialogo contra Immaculatam Con-

Conceptionem, parte 3. in principio ad hanc objectionem Weſaliani,quem introducit interlocutorem, ac defenſorem myſterij Immaculatæ Conceptionis: *Igitur Pariſienſes,& Moguntini,& reliquarum Univerſitatum Magiſtri, degeneres tibi videntur, & indocti.* Reſpondet Wigandus. *Ha vir bone! nimium lepidus es. Scio quæ pro ſe, & quos adducat ſtercus, lenes furores & inſaniam, ſcilicet, quæ neminem ſanæ mentis hominem præmovêre poſſint; Pariſienſes verò, ac aliorum Gymnaſiorum clariſſimi Doctores, nihil umquam in Ordinem Prædicatorum turpe aut ſcripſerunt, aut ſtatuiſſe inventi ſunt.* Et parùm infrà: *Quis inter ordines,num Deo, & Beatiſſimæ, feliciſſimæq; Dei Parenti devotior ſit, non eſt meum judicare. Atque quis Ordo olim plures genuerit illuſtres Sanctitate, & doctrinâ clariſſimos Virgineas laudes humili devotione deſcribentes, non eſt nunc recitare neceſſe, hoc enim toti eſt notiſſimum mundo. Quoniam verò ſolus noſtri Ordinis Doctores ſetùs ac Pariſienſes Gymnaſij lumina determinare (quamquam nil eorum contrà Summorum valeat determinationes ſanctio, neque etiam Fides noſtra ſuper opinionibus illorum fundata ſit) ſentire dicis,&c.* Conſtat ex his P. Wigandi verbis qualiter quaſi deſpiciat ac contemnat Vniverſitatis Pariſienſis determinationem factam circa myſterium Conceptionis; affirmando nihil valêre contra Summorum Pontificum ſanctiones illius, neque Fidem noſtram ſuper opinionibus illorum eſſe fundatam. Et in hoc verum dicebat Wigandus, quia Fides noſtra non nititur determinationibus, aut opinionibus Vniverſitatis Pariſienſis, nec aliorum cujuſque Academiæ, aut Doctoris, ſed in ſanctionibus Eccleſiaſticis & Apoſtolicis, &c. Sed qui hoc dicunt & fatentur ſecundùm veritatem in ordine ad myſterium Conceptionis Deiparæ, qualiter ad doctrinam Angelicam converſi, non ſolùm in opinionibus,& determinationibus Pariſienſibus, ſed in oppugnationibus, ac contradictionibus,volunt,& de facto fundant propoſitiones Catholicas, & Fidei dogmata? Pro Dei Matris puritate determinationes, ac ſanctiones Pariſienſium Doctorum nil valent; & quædam ſimpliſſima verba prolata à Pariſienſibus pro doctrina Thomiſtica, vel in laudem Angelici Doctoris debent habere eamdem ſubſiſtentiam,ac ſi eſſent determinationes Catholicæ, Apoſtolicæ,Romanæ! Ego in rei veritate neſcio qualiter Nodus iſte erit ſolvendus? Quando Vniverſitas Pariſienſis laudat doctrinam pro gloria Angelici Doctoris, decreta illius ſunt Apoſtolicæ ſanctiones; & quando condemnat articulos Monteſoni pro Immaculata puritate MARIÆ, determinationes ejuſdem nihil valent. Quid eſt hoc?

Sed, ne fortè dicatur iterùm (quod jam ſemel fuit tentatum in Notitia ſcriptorum Ordinis Prædicatorum, cap. 2. §. 14. fol. 67. n. 47.) iſta eſſe falſa, & conficta, & à pura imaginatione procedentia; quòd ſint halluci-natio-

nationes hiſtoricæ, & quæ ad myſterium parùm juvare poterant, &c. *Sed ab iſto n.9. & 10. incipiunt, quæ nec Religioſus, nec Thomiſta, nec Catholicus ullus tolerare poteſt. Dicit noſtram doctrinam eſſe erroneam, reprobam, & damnatam, falſam, ſcandaloſam, piarum aurium offenſivam, & præſumptuosè aſſertam. Perſuadêre nititur nos finxiſſe litteras Archiepiſcopi, & Univerſitatis Pariſienſis, immò, & Bullam Apoſtolicam Vrbani V. Et quod ſtupendum eſt, &c. Vide qualiter ſyllogizatur (nec Sanctis Archiepiſcopis referentibus parcens, nec doctrinam Chriſti ore probatam improbare veritus) ipſum locutum fuiſſe ex relatione; quia ſi vidiſſet Bullam, nullibi reperiret approbationem. Sed ex ore tuo te judico, Serve Nequam, &c.* ut ſuprà diximus. Imprimis falſa eſt illa impoſtura de ipſorum, & contrariæ opinionis cenſuris: ſolùm enim num. 9. & 10. à Notitioſo iſto citatis, adducuntur propoſitiones Joannis de Monteſono cum cenſura Vniverſitatis Pariſienſis, ut ſuprà in hoc §. ad litteram dedimus; ſi autem hoc eſt condemnare doctrinam ſuam, nec ne, ipſe interim conſideret. Vniverſitas Pariſienſis, & nos referendo ex ipſa diximus illas propoſitiones Joannis de Monteſono fuiſſe damnatas, & reprobatas ut erroneas, falſas, & ſcandaloſas eiſdemmet numero verbis, ut ſuprà in unaquaque manet expreſſum. Si hoc eſt reprobare & damnare doctrinam ſuam, iterum dico, ipſe videat, ac alij judicent. Si dicere relativè, quod actum fuit Pariſijs cum articulis & doctrina Joannis de Monteſono, eſt reprobare & damnare articulos, & doctrinam Sancti Thomæ, tranſeat, & quod ipſe concedit, nos negare non audemus; quia in hoc libello omnia ab ipſis aſſerta admittimus: ſed exſpectare nos debet ad Nodum. Licet ipſis pro doctrina ſua repetere millies quidquid Univerſitas dixit & non dixit, & non poſſumus nos cum veritate authentica proponere, quod eadem fecit pro puritate Dei Matris?

Dicit inſuper, quòd perſuadêre nitatur Auctor SOLIS VERITATIS illos finxiſſe litteras Archiepiſcopi, & Univerſitatis Pariſienſis, immò & Bullam Apoſtolicam Urbani V. Auctor SOLIS VERITATIS non dixit litteras illas fuiſſe fictas, ſed tantùm eſſe ſuſpectas de veritate. At quod tunc non dixit, nunc affirmat: ibi tantùm dubitabat, ſed nunc aſſertivè reſolvit. Et ſi hoc dicere viſum fuerit ſtupendum, quod nec Religioſus, nec Catholicus ullus tolerare poteſt, ſolvant Nodum, quomodò Religioſus, Thomiſta, Catholicus potuerint hoc facere. Stupendum, & intolerabile eſt detegere fictiones; & quid erit illas committere? Stupenda ſunt, quæ ſuperiùs manent demonſtrata ex ipſiſmet inſtrumentis in approbationibus Epiſcopi Stephani, Urbani Papæ, Innocentij Papæ, & præſentis Univerſitatis Pariſienſis, in quibus nihil affirmamus, niſi quod demonſtramus; nihil dicimus, niſi quod oſtendimus; nihil perſuadêre nitimur, niſi quod conſtat

ſtat ex inſtrumentis authenticis; nec dicimus omnes finxiſſe litteras, ſed unum vel duos incognitos. Quod perſuadere nitimur, eſt, ut nec Religioſus, nec Thomiſta, neque Catholicus ullus fidem eis præſtet: quia hoc intolerabile erit poſt oſtenſionem veritatis. Neſcîmus an benè ſyllogizet, qui ſic argumentatur: P. Abraham Bzovius in ſuis Annalibus affirmat Bullam Urbani V. eſſe commendatoriam doctrinæ Sancti Thomæ: ergò illa eſt commendatio, & non approbatio. Item in ultima impreſſione Antverpienſi, & correctiori editâ per R. Patrem Coſmam Morelles, anno 1612. In ultimo tomo adducuntur auctoritates Innocentij Papæ, Urbani, & epiſtola Univerſitatis Pariſienſis edita ab Epiſcopo Stephano, quem tu vocas Archiepiſcopum (ſed ſcias Notioſe ſcriptor; quòd tunc Pariſienſes non eſſent Archiepiſcopi, ſed primus, qui ſic vocatus eſt, fuit Joannes Franciſcus de Gondy, noſtrâ ætate, ſcilicet, anno 1623. nam anteà tantùm erant Epiſcopi) & omnes relati vocant iſtas commendationes. Tales ſunt omnes tuæ notitiæ, ſed de ipſis latiùs in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS, ubi non ex ore meo judicabis me Servum Nequam, ſed ex ore veſtro. De illo autem: *Nec doctrinam Chriſti ore probatam improbare veritus*; numquàm exiſtimo de hac materia verbum protuliſſe; ſed tu excitaſti dormientem, & ſic infrà audies loquentem.

Deindè num. 50. inquit pro prima: *Imprimis deſidero conſequentiam doctrinæ: nam in toto opere, tractatus, quos ipſe non reperit, dicit à nobis confictos; & nunc vult ſine fictione dici extitiſſe tria opuſcula Monteſoni. Secundò: reſumptam, quæ fit in uno folio à quodam Baccalaureo, & Memoriale quod exhibet Prælato Summo ne damnetur, vult eſſe duo opuſcula, &c.* Tractatus à nobis non inventos palàm profeſſi ſumus in SOLE VERITATIS; ſed gratias omnipotenti Deo, & Sacratiſſimæ Virgini MARIÆ, cujus cauſa agitur, quòd jam pro ſecunda impreſſione ferè omnes inventi ſint, & habeamus ad manus, exceptis illis, de quibus affirmativè diximus eſſe fictos & ſuppoſitos, de quorum fictione jam reperimus authentica teſtimonia, ut Deo dante, univerſo demonſtrabitur orbi. De alijs diximus ſemper: oſtendant, & credemus eis; exhibeant teſtem, & tacebimus; ſed jam pro verbis iſtis dicemus: Ecce ego oſtendo, quia invêni, quod quærebamus; & de hoc theſauro invento abſque dubio erit gaudium omni populo pio, Catholico, & deſideranti veritatem; & per conſequens oppoſitis erit cor mœrens, & ſtridor dentium, & plùs fortè, quàm credibile erit. Quantùm ad opuſcula Monteſoni, ſi diximus fuiſſe tria, iterum reperimus, & in eadem ſententia firmiter ſtamus ſub tutela, & patrocinio Univerſitatis Pariſienſis id affirmantis, è quibus ipſa in ſuo diffuſo tractatu tranſcribit auctorita-

tes, rationes, objectiones, diſcurſus, notabilia, Auctores, ſententias, explanationes, grammaticales acceptiones, Theologicas reſolutiones, & hiſtoricas congruentias. Si autem hæc omnia poſſunt fieri in uno folio, ſeu Memoriali exhibito Summo Prælato, tu ingenti tuâ notitiâ librorum acquiſitâ in otio, & quiete, ut dicebas, potes componere illa.

Et in Memoriali exhibito Regi N. PHILIPPO IV. ſub nomine totius Religionis ac Provinciæ, inter alia idemmet R. P. Joannes Martinez de Prado proponit hiſpanicè hæc verba: *Todo el mundo ſave que el Angelico Doctor S. Thomas lleva la opinion contraria, porque en ſu tiempo ſe ſuzgabo conforme à la ſagrada Eſcritura, y comun de los Sanctos, y tan recebida que el Doctor Sutil Eſcoto de la Orden de S. Franciſco, dice ſermones la comun; y el Seraphico Doctor S. Buenaventura Doctor de la Igleſia, y Cardenal y General de la meſma Religion de S. Franciſco, dice, que ni ſave, ni ha oydo decir que aſta ſu tiempo nadie enſeñaſe lo contrario; y por eſtos y otros fundamentos S. Thomaſſe inclino à eſta opinion, y le han ſeguido ſus diſcipulos que muchos deellos ſon Santos, y Doctores, y Prelados, y Maeſtros, &c.* Quatuor præcipuè propoſitiones continentur in iſtis verbis, quas alibi ex profeſſo, ac ſatis ad longum demonſtravimus eſſe penitùs alienas à veritate. Illas tamen breviter hîc expendam.

Prima, ſcilicet, *quòd tempore Sancti Thomæ judicabatur opinionem contrariam eſſe conformem auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ac dictis Sanctorum Patrum*, eſt gratis dicta, & ſine ullo fundamento, quia nullus illius temporis hoc dixit verbo, nec opere adducendo Sanctos Patres, niſi tres aut quatuor Auguſtinum, Damaſcenum, Anſelmum, & Bernardum, neque Sacræ Scripturæ locum, niſi unum illud, ſcilicet, Pauli, *Omnes in Adam peccaverunt*. A tempore enim Scoti cœperunt iſtæ probationes ex Scriptura, & Sanctis Patribus, ut poſſent dicere piam ſententiam eſſe hæreticam. Legantur omnes Auctores antiqui, & invenietur hoc eſſe verum.

Secunda dicens, *opinionem contrariam fuiſſe tam receptam, ut Scotus dicat ſuo ævo fuiſſe communem*, etiam iſta allegatio claudicat ex mala intellectione verborum ſubtilis Doctoris dicentis: *Dicitur communiter quod ſic*, id eſt, fuerit concepta in peccato originali. In iſtis verbis ubi dicit Scotus eam fuiſſe receptam? Vel ubi loquitur de tempore præterito, cùm tantùm loquatur de ſuo, ut denotat verbum, *dicitur*? Deinde illud, *communiter*, appellat ſupra ſcholam Thomiſticam contra quam ipſe ſuſtinebat piam ſententiam; quia Sanctus Thomas uſque ad tempora Scoti, & per multos deinde annos ſolùm vocabatur Doctor communis, ſicut Alexander Doctor irrefragabilis; ac idem erat dicere hæc opinio eſt communis, ac dicere eſt opinio S. Thomæ, ſive Thomiſtarum. Iſte enim fuit Scoti ſtylus, qui ferè numquam nomi-

nominaverit Sanctum Thomam aut illius opiniones, & ſic per circumloquia impugnabat opiniones communes.

Tertia eſt falſiſſima, illud, ſcilicet, dictum adſcriptum S. Bonaventuræ: *Quòd neſciat nec audiverit dicere, quòd uſque ad ſuum tempus aliquis docuiſſet contrarium*; quia verba Sancti Bonaventuræ ſunt: *Nullus autem invenitur dixiſſe de his, quos audivimus auribus noſtris Virginem, &c.* Iſta imprimis non ſunt verba Bonaventuræ, quia non extant in reſolutione ipſius, ſed inter argumenta opinionis contrariæ, & ſic ſine fundamento ullo adſcribuntur Doctori Seraphico; ſed admiſſo, quòd eſſent illius, verba Sancti Bonaventuræ toto cælo diſtant à verbis ſub ejus nomine allegatis à P. Prado, ut conferenti patebit; vitiavit enim omnia & ſingula.

Quarta clauſula etiam eſt falſa, ſcilicet, *ex diſcipulis Sancti Thomæ ſequentibus contrariam opinionem, multos eſſe Sanctos, Doctores, Prælatos, ac Magiſtros*; quia Sanctus tantùm eſt unus Sanctus Antoninus Prælatus; qui dum eſſet Prælatus ſcriberet nullus; Doctorem nec unum invenio; Magiſtri fortè fuerunt aliqui, ſed hoc non conſtat ex ipſorum libris. Hoc incidenter dixi ad corroborandam propoſitionem Univerſitatis Pariſienſis prolatam ad annum 1387. contra iſtam propoſitam à Reverendo Patre Prado in ſuo Memoriali hoc anno 1663.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

Cum hæc epiſtola introducta ſub nomine Univerſitatis Pariſienſis non tantùm coincidat in aliquibus, ſed in omnibus ſit eadem cum ſuprà poſitâ in approbatione ſecundâ ex Stephano Pariſienſi Epiſcopo, neceſſe eſt, ut etiam Nodi coincidant, & aſſimilentur. Conſtat ergò ex antecedentibus, quòd tempore unius Stephani Epiſcopi tota Academia cum Facultate Theologica in pleno clauſtro nemine diſcrepante condemnaverint, & reprobaverint ducentos & viginti duos articulos, quorum aliqui tangebant doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis; & quòd poſteà alter Epiſcopus Stephanus cum 23. Magiſtris, & 39. Baccalaureis levaverit illam condemnationem, prohibitionem, & interdictum ſub excommunicationis pœnâ promulgatum; & licet nullum hujuſmodi inveniatur authenticum teſtimonium, ſufficit quòd ſic propoſitum fuerit à Patre Joanne de Monteſono, & poſteà promulgatum ab

Auctoribus Ordinis Prædicatorum, ut credamus ſic factum fuiſſe; credimus ergò, & tranſeat hoc tamquam quid hucuſque diſſimulativè toleratum. Dicunt etiam, quòd antiquitus fuerit quidam Epiſcopus Pariſienſis, Mauritius nomine, qui prohibuit Feſtivitatem Conceptionis, & quòd ex hoc motivo, vel alio tota etiam Univerſitas Pariſienſis determinaverit, atque declaraverit eſſe errorem in Fide, blaſphemum, & hæreticum, affirmare ſeu dicere Virginem MARIAM Conceptam ſine peccato originali; & licet hoc ſit falſum, & oppoſitum veritati, ſufficit quòd ſic relatum inveniatur ab aliquibus ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum; ſi hoc ſufficit, ſufficiat, & tranſeat: Sed quòd ſuper omnia iſta ſurgat quidam incognitus Auctor, tacendo proprium nomen, ſcribens in Lombardia contra Immaculatam Virg. Conceptionem, & ſine ullo teſte, ac inſtrumentali comprobatione affirmet Univerſitatem Pariſienſem condidiſſe Bullam formalem pro approbatione doctrinæ S. Thomæ, incipientem: *Ad perpetuam rei memoriam, &c.* Et ipſam diſponat, & fingat ſuo modo ſumendo clauſulas notas ex litteris Stephani, & alteras incognitas repertas in ſuis ſcriptoribus: & qui cognoſcit veritatem, quia ex manifeſtatione talis falſitatis timetur, vel allegatur diminutio gloriæ doctrinæ Angelici Doctoris, & honor diſcipulorum ejus, quando inſtat ex alia parte gloria, honor, & puritas Dei Matris, debeat concludere os, & obmuteſcere, neque Deus, neque Eccleſia, cælum, nec terra, nec ipſamet ſacra Religio Prædicatorum hoc præcipiunt, deſiderant, nec volunt.

NODUS SECUNDUS.

Si legas attentè omnia ſuperiùs relata, invenies dicta fuiſſe à parte contraria de Cortice, & de Virga, de doctrina S. Thomæ, & de Conceptione Virginis iſta quatuor inter ſe repugnantia, oppoſita, & contraria. Primum: Univerſitas Pariſienſis *poteſt approbare, & reprobare*. Secundum: Univerſitas Pariſienſis *nec poteſt approbare, nec reprobare*. Tertium: Univerſitas *poteſt approbare, ſed non reprobare*. Quartũ: Univerſitas *potuit reprobare, ſed non approbare*. An iſta ſic conſiderata in communi ſint plena Nodis indiſſolubilibus, de ſe patet. Sed jam deſcendamus ad individuationem in particulari. Quantùm ad primum: Univerſitas *potuit approbare, & reprobare*: quia tempore Stephani de Borreto approbavit doctrinam Sancti Thomæ; & tempore Mauritij Epiſcopi reprobavit Feſtivitatem, & ſententiam Immaculatæ Conceptionis. Nota ſuper quam hîc cadat reprobatio. Quantùm ad ſecundum: *nec potuit approbare, nec reprobare*: quia non potuit reprobare doctrinam Sancti Thomæ tempore Stephani de Templier; nec potuit approbare ſententiam de Immaculata Conceptione tempore Epiſcopi Petri de Orgemont, & hîc etiam damnum cadit ſupra piam ſententiam.

Quan-

Quantùm ad tertium: *potuit approbare, ſed non reprobare:* quia potuit approbare doctrinam Sancti Thomæ tempore Stephani de Borreto; ſed non reprobare eamdem tempore Stephani de Templier. Quantùm ad quartum: *potuit reprobare, ſed non approbare:* quia potuit reprobare ſententiam Conceptionis tempore Mauritij Epiſcopi; ſed non potuit illam approbare tempore Epiſcoporum Ranulphi, & Petri de Orgemont. Conſidera omnia iſta, & ſtupeſces videns, quòd doctrina Sancti Thomæ ſit ſemper & ubique privilegiata, & ſolùm ad gratiam admiſſa; & ſententia de puritate Virginis ſemper & ubique in reprobum ſenſum data, & à gratia excluſa. Doctrina Sancti Thomæ ſemper comitatâ approbatione; & puritas Virginis Mariæ ſemper reprobatione. Contra doctrinam Sancti Thomæ nulla eſt poteſtas in Univerſitate ligandi, ſeu reprobandi: quia ſi vult habere hanc poteſtatem, debet eſſe ſolùm contra puritatem Virginis, & è contrà: poteſtatem ſolvendi, & approbandi ſolùm habet Univerſitas pro doctrina Sancti Thomæ, & non pro immunitate Virginis. Et quando ſolvetur Nodus iſte?

Nodus tertius.

Cùm Univerſitas Pariſienſis *eſſet in ſuo flore*, doctrina Sancti Thomæ fuit ſolemnitèr condemnata quoad aliquos articulos (de his enim loquimur ſemper) de quo nulla eſt dubitatio; quia hoc ipſimet ſcriptores Ordinis Prædicatorum fatentur; & conſtat ex multis litteris & inſtrumentis authenticis. Noviſſimis autem temporibus, quando Univerſitas erat in *ſuo fructu*, approbavit, & confirmavit doctrinam S. Thomæ. Et licet de iſta approbatione non conſtet authenticè, ſed potiùs ſit dubia, & incerta, nihilominùs hac ultimâ determinatione eſt ſtandum; quia eſt pro gloria & honore doctrinę S. Thomæ, non autem ſtandum eſt illâ primâ & antiquâ, quando erat in flore, quia hoc eſt contra S. Thomæ decorem. Huic acquieſco libentiſſimè; quia juſtiſſimum eſt, ut & in *flore*, & in *fructu* Univerſitas Pariſienſis ſtet pro doctrina Sancti Thomæ, & ejus honore & gloriâ. Sed videndum eſt, quomodò obſervetur hæc regula circa ſententiam puritatis, & immunitatis Virginis Mariæ. Dicunt quòd, quando Univerſitas Pariſienſis *erat in flore*, determinaverit, & decreverit eſſe erroneam, & hæreticam propoſitionem iſtam: *Virgo* Maria *fuit concepta ſine peccato originali:* Noviſſimis autem diebus, quando cecidit *flos* Univerſitatis, & penitùs emarcuit, determinavit contrarium, ſcilicet, eſſe Catholicam, piam, & magis probabilem, &c. Sed hæc ultima determinatio, inquiunt, non eſt tenenda, nec ſequenda, ſed illa antiqua. Et en Nodus indiſſolubilis. Circa doctrinam S. Thomæ non eſt ullatenùs ſtandum antiquâ determinatione Univerſitatis, quando erat in *flore*, licet certâ, & in-

Digitized by Google

infallibili, quia contra doctrinam Sancti Thomę nulla eſt poteſtas: *Buena flor es eſta*; ſed ſtandum eſt noviſſimâ licet incertâ, & ſuſpectâ: quia hæc eſt in favorem doctrinæ Sancti Thomæ. Licet enim *flos* ſit malus, pro doctrina Sancti Thomæ *fructus* debet eſſe bonus. Et pro ſententia immunitatis Virginis MARIÆ omnia vertunt in contrarium: quia ſtandum eſt, inquiunt, antiquâ determinatione Univerſitatis, licet hæc fuerit dubia, & incerta, quia eſt contra puritatem Dei Matris, & non noviſſimâ, & ultimâ; licet tot actibus poſitivis uſque hodiè ſubſiſtentibus videatur confirmata: quia hæc cedit in laudem, & favorem ſuæ puriſſimæ innocentiæ: & in iſta, *flos*, qui ſemel fuit malus, numquam poteſt præſtare bonum *fructum*. Non igitur eâdem regulâ, quâ menſuratur doctrina Sancti Thomæ, menſuratur puritas Beatæ MARIÆ; ſed potiùs alia ex diametro oppoſita. Pro Sancti Thomæ doctrina corruptela eſt ſtrictiſſimum jus, & pro Virginis Dei Matris puritate æquiſſimum jus eſt corruptela. Pro Sancti Thomæ doctrina modernum commentum, & incertum prævalêre debet ſupra legem antiquam certiſſimam: tamen contra immunitatem Virginis MARIÆ antiqua ſuſpicio levis prævalêre debet contra evidentiam facti: & per fas & nefas conceptus mentis Sancti Thomæ ſemper ſalvatur, & Conceptus ventris MARIÆ ſemper condemnatur. Iſto modo judicant, & hoc defendunt, & propter hoc eſt contentio, & fuit controverſia. Judicet nunc litem, & ſolvat Nodum, quiſquis voluerit.

NODUS QUARTUS.

Et pro hujus Nodi compoſitione duæ clauſulæ ſuprà poſitæ ad memoriam revocandæ ſunt: una ex Cortice introducta ab Anonymo ſine ulla veritate in litteram, ſeu epiſtolas Univerſitatis, ſcilicet illa: *Et cum ſigillis noſtris huic approbationi appenſis inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus*; Altera eſt illa ex Virga verè, & realitèr prolata à tota Univerſitate: *Item Doctores Catholici tractantes de hac materia, an ſit expreſſè contra Fidem; determinant expreſſè quòd non eſt contra Fidem*: MARIAM *fuiſſe ſine originali conceptam, ſicut patet per Bonaventuram in tertio, diſt. 3. quæſt. 1. Cujus opera pro cauſa Fidei in archivo Papæ ſunt recondita tamquam Fidei Catholicæ utilia.* Si iſtæ duæ auctoritates conferantur inter ſe: majus ſine comparatione elogium extat in hac verâ pro Sancto Bonaventura, quàm in illa falsâ pro Sancto Thoma. De hoc enim ſolùm dicitur, quòd inter Summos Eccleſiæ Doctores Sanctus Thomas locum habere debeat; ſed illa Sancti Bonaventuræ non loquitur de perſona, ſed de doctrina, cujus opera pro cauſa Fidei in archivo Papæ erant cuſtodita, & recondita tamquam Fidei Catholicæ utilia; & magis glorioſum eſt eſſe neceſſariam, & utilem doctrinam pro cauſa, & utilitate Fidei, quàm Doctorem

rem

Digitized by Google

rem ſedêre inter maximos Doctores. Sed quidquid ſit de hoc: quia Univerſitas Pariſienſis invênit determinatum in Sancto Bonaventura non eſſe contra Fidem, Mariam fuiſſe ſine originali conceptam, amplexata eſt hanc ſententiam: & fortè propter hoc in tanta æſtimatione eſt doctrina Sancti Bonaventuræ apud Doctores Pariſienſes, ut quando in actibus publicis Sorbonicis adducitur aliqua ejus auctoritas, cum omni reverentia admittatur & explicetur; cùm non ſic fiat cum Sancto Thoma: nam numquam pro auctoritate adducitur, quia ab illa facillimè ſe expediunt, dicentes, tranſeat. Hoc ſuppoſito pro prima Academiæ Galliæ; videamus, quid circa iſtos duos Sanctos Doctores actum ſit in Salmanticenſi primâ Hiſpaniæ Academiâ (& voco ſic illos Patres Dominicanos, qui nomine totius Univerſitatis ediderunt libellum illum, de quo hîc ſæpè mentionem facimus) anxiè procuravit Ordo Prædicatorum, ut in ipſa ſolùm legeretur doctrina ſcholaſtica Sancti Thomæ, ſub voto & juramento ſpeciali. Huic ſtatuto ſe oppoſuit Religio Minorum, & inter alia fecit hoc argumentum: Sanctus Bonaventura non eſt inferior Eccleſię Doctor Sancto Thamâ, nec minoribus encomijs, & laudibus à Concilijs, & Pontificibus celebratur: ergò eſſet injuria tanto Doctori illata, ſi hoc juramentum deberet ſubſiſtere. Huic argumento reſpondent Patres Prædicatores, ut videre eſt §. 13. ſui Defenſorij, numero 97. folio 141. quòd nulla irrogetur injuria Sancto Bonaventuræ, ex præciſa ſequela doctrinæ Sancti Thomæ. Et denique concludunt ſic: *Tamenſi hâc re injuria irrogatur Sancto Bonaventuræ, certè eam irrogavit Urbanus V. qui præſcripſit Academiæ Toloſanæ, ut hæreat doctrinæ Sancti Thomæ: defendi vero, & ſuſtineri univerſim non poteſt, quin doctrina Sancti Bonaventuræ aliquando impugnetur, utpotè in pleriſque articulis illi oppoſita, &c.* Non curamus de incongrua illatione iſta: Urbanus V. præcepit Academiæ Toloſanæ, ut ſectaretur doctrinam Sancti Thomæ; ergò ſi Academia Salmanticenſis non ſequitur doctrinam Sancti Bonaventuræ, & impugnat, ex hocque aliquam ei injuriam irrogat, iſta imputanda erit Urbano V. præcipienti Toloſanis, ut ſequerentur doctrinam S. Thomæ. Inſulſa quidem conſequentia, ſed tranſeat: quia jam aliqua de ea ſuprà diximus: & ſuppoſitâ impugnatione, & injuriâ ex excluſione doctrinę Sancti Bonaventuræ intentâ & admiſsâ à parte contraria; inquiramus, unde ortum habere potuerit hæc excluſio impugnationis, & injuriæ illatæ doctrinæ S. Bonaventuræ; non propter ſcripta: quia hæc æqualia ſunt intenſivè, & extenſivè, vera, Catholica, & pia æqualitèr. Non quia unus Sanctus & Doctor Eccleſiæ: quia etiam Sanctus Bonaventura eſt Eccleſiæ Doctor, & Sanctus. Non quia unus dixit, Virginem Mariam fuiſſe concep-

ceptam in peccato originali : quia ambo id affirmarunt, ut fatentur ipſimet Auctores Dominicani, niſi fortè hoc provenerit ex eo, quòd, licet Sanctus Bonaventura ſit Sanctus, & Doctor Eccleſiæ, ſit ex Ordine Minorum, & hoc de Minoritate eſt additum diminuens; & ille Angelicus ſit Doctor, & Sanctus ex Ordine Majori Prædicatorum; & ſic adimpleta eſt ſententia Pauli, &c. Sed demus, quòd non ſit iſta de majori & minori, ſed altera ſignata ab Vniverſitate Pariſienſi, ſcilicet, quòd Seraphicus Doctor S. Bonaventura verè dixerit, & determinaverit, non eſſe de Fide Virginem MARIAM contraxiſſe peccatum originale, quod ſcriptores Ordinis Prædicatorum conſtantèr affirmant eſſe ſententiam jam determinatam, & præſcriptam à ſuo Angelico Doctore. Cùm autem Vniverſitas Pariſienſis derelinquendo ſententiam Sancti Thomæ ſecuta fuerit Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ, cujus opera pro hac cauſa Fidei tunc ſervabantur in Archivo Vaticano, hinc cœpit impugnatio, & injuria contra doctrinam Sancti Bonaventuræ. Si enim dixiſſet eſſe de Fide Virginem contraxiſſe peccatum originale, ſicut dicunt de Sancto Thoma, nec eſſet impugnatio, nec injuria, quia eſſet utriuſque una, & eadem ſententia. Pro reſolutione igitur Sancti Bonaventuræ ſtat Vniverſitas Pariſienſis, Academia Salmanticenſis, & omnes aliæ Vniverſitates, Eccleſia Romana, & Chriſtianitas tota. Pro ſententia Sancti Thomæ ſola Religio Prædicatorum, & adhuc non omnis; & propter hoc dicunt Vniverſitatem Pariſienſem erraſſe, & illam afficiunt injurijs ſuprà poſitis. Sanctus Bonaventura afficitur injuriâ; quia non dixit eſſe de Fide Virginem contraxiſſe peccatum originale. Si hoc diceret, cùm eſſet contra veritatem, Fides ipſa afficeretur injuriâ, & Summi Pontifices, qui declararunt & declarant contrarium : ex hoc etiam Virgo MARIA afficeretur injuriâ, quia nulla major injuria, quàm culpa. Et denique, ſecundùm aliquos, ipſemet Dei Filius ex ea natus afficeretur injuriâ: & omnes iſtæ injuriæ Almæ Vniverſitatis Pariſienſis, Sancti Bonaventuræ Doctoris Eccleſiæ, Fidei Catholicæ, Summorum Pontificum, Virginis Dei Matris, atque etiam Filij Dei innodant, ut quamdam imaginariam injuriam ſolvant in doctrina Sancti Thomæ. Et ſi derelinquere doctrinam Sancti Bonaventuræ, eamque impugnare, eſt injuriam ei irrogare, ut ipſimet fatentur: quare hoc ipſum facere per tot annos contra ſententiam immunitatis, & puritatis Virginis MARIÆ non dicitur injuria irrogata Virgini? Solutionem quærimus. Utinam inveniremus!

NODUS QUINTUS.

Quia quidam incognitus Auctor Ordinis Prædicatorum in fictis litteris ſub nomine Univerſitatis Pariſienſis intruſit clauſulam illam : *Inter ſummos Eccle-*

Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus, tota doctrina contenta in ſeptendecim tomis edita, & edenda (nam quotidie de novo exeunt libri ſub titulo Sancti Thomæ Aquinatis) exiſtens & poſſibilis, in communi & in particulari remanſit approbata; & ipſe inter ſummos Eccleſiæ Doctores pro ſummo, maximo, & primo conſtitutus, & receptus. Et hæc loci, & approbationis gratia ita accrevit, ut tempore Pij V. Summi Pontificis Ordinis Prædicatorum obtinuerit, & jure quidem optimo inter primos, & ſummos Eccleſiæ Doctores quintum locum. Sed nondum completo altero ſæculo, jam in Breviario Ordinis Prædicatorum, & alijs omnibus libris cœpit doctrina ejus obtinêre primum. Ecce quàm citò gradatim capiendo loca, obtinuit locum primum, qui inter Doctores Eccleſiæ fuerat ultimus, ſeu penultimus, atque vi, conſtantiâ, & ſolicitudine ſuorum Diſcipulorum factus eſt primus, tam in loco, quàm in doctrina: Non enim decebat tantum Doctorem eſſe quintum, quartum, neque tertium, immò neque ſecundum; quia gratia inter Patres Prædicatores non debebat quieſcere, quouſque perduceret ſuum Angelicum Doctorem, atque doctrinam ejus ſuper pennas ventorum ad primum locum, primam ſedem, primum dignitatis, & excellentiæ punctum, quo ulteriùs non poſſet progredi. Sanè quidem, & meritò ſic actum eſt cum Sancto Thoma, & ejus doctrina: quia hæc omnia, & alia meretur. Sed iſta, quæ facta ſunt in Cortice, videamus qualiter ſe habeant in Virga. Meruit Sacratiſſima Virgo Maria inter excellentiſſimos, & ſummo mane ſanctificatos in utero matrum ſuarum, Joannem Baptiſtam, & Hieremiam, &c. feliciſſimum etiam locum habere. Et hoc approbavit Eccleſia, & omnes Doctores Univerſitatum, atque omnes fideles, & inter ipſos, Patres Prædicatores atque Minores. Nam quoad hoc concordes ſunt. Sed cùm Eccleſia ſolùm diceret Virginem Mariam fuiſſe ſanctificatam in utero, & eſſet indeciſum, ac incognitum, an in menſe quinto, vel quintâ hebdomadâ ante ſuam Nativitatem, vel an quintâ die, horâ, & puncto à ſua animatione; fratres Minores aſſumpto exemplo à ſuis doctiſſimis fratribus Majoribus Prædicatoribus, & ſequendo illud ab ipſis toties repetitum, quòd, qui ſequitur doctrinam Sancti Thomæ, numquam poſſit à veritatis tramite deviare; decreverunt non recedere à veſtigijs ſuorum Majorum fratrum; & facere ut, ſicut cum Angelico Doctore, & doctrinâ ejus actum erat, dando illi primum locum, & primum punctum inter omnes Doctores, ſic etiam cum Beatiſſima Virgine & ejus innocentia ageretur, illius etiam Sanctificationi dando primum locum, & punctum, id eſt, quòd eſſet Sancta in primo inſtanti, & puncto. Verùm in eodem inſtanti, &

puncto ſurrexerunt Patres Prædicatores impugnando, & dicendo, hoc eſſe blaſphemum, impium, & hæreticum, &c. Et quare, ſi cum Sancto Thoma, & doctrina ejus ſic in proprijs terminis factum eſt feliciter, & nullo repugnante? An non decet facere cum Maria Dei Matre id, quod factum eſt cum Doctore Eccleſiæ? Vndè ergò tot contradictiones? Si doctrina Sancti Thomæ in quinto loco poſita, eſt à vobis in primo collocata, facientibus, quòd quatuor Doctores Magni, & Maximi cederent locum, & fortè contra jus, & rationem: quare immunitatem Virginis Mariæ, vel ejus Sanctificationem à ſecundo inſtanti, non ſinitis collocari in primo, quandoquidem ſolùm mediet inter ipſos, non quatuor Doctores magni Eccleſiæ, ſed quædam pars imperceptibilis temporis, & nulla fiat injuria alteri? Sed noluerunt tunc, nec modò volunt: nam quod actum eſt cum Angelico Doctore, nec cum Regina Angelorum, & Dei Matre fieri debet. Et iterùm dico quare? Quia eſſet injuria doctrinæ S. Thomę affirmantes, quòd, ſi in primo inſtanti, & primo momento ſanctificata fuiſſet, pretioſo Chriſti ſanguine, morte, & paſſione non fuiſſet redempta: & ut non patiatur doctrina S. Thomæ hanc levem injuriam, patiatur injuriam gravem immunitas, & innocentia Matris Dei. Et ſtante, quòd in unam ex duabus debeat cadere macula, in doctrinam Thomæ, vel immunitatem Mariæ; dicunt, redimatur, & ſalvetur doctrina, quia eſt ex noſtris, quamvis cadat & maculetur puritas. Et quando ſolvetur Nodus iſte?

Nodus sextus.

Ex hoc jam ſurgunt alij quam-plurimi Nodi. Dicunt, quòd non debeat poni Sanctificatio Virginis Mariæ in primo loco, & inſtanti, quia eſſet facere injuriam Fidei Catholicæ, ut ſuprà dicebant de Sancto Bonaventura. Quare eſſet injuria Fidei? Reſponſio communis eſt: quia ſolus Chriſtus futurus univerſalis omnium Redemptor debuit habere primum locum inter ſanctificatos, & ſanctificari in inſtanti primo, antequàm contraheret maculam, culpam, & peccatum. At cæteri alij, etiam Mater ſua, quia per ipſum erant redimendi, neceſſe fuit, ut priùs, ſaltem per illud primum inſtans ſuæ Conceptionis, haberent peccatum: Non enim potuit præſervari, cùm adhuc Chriſtus non fuiſſet incarnatus, paſſus, & mortuus. Hæc eſt totalis, & præcipua reſponſio adducta: nam ad hanc tandem reducuntur omnes aliæ. Sed hæc ſolutio non enodat, ſed potiùs innodat, ſuppoſitâ illâ doctrinâ admiſsâ, & conceſsâ in antecedenti §. & in toto hoc libello. Quòd ſic propono his laconicis interrogationibus, ut poſteà unuſquiſque ſolvat, quam potuerit. Si Sanctus Thomas doctrinâ ſuâ præſervavit doctrinas omnium aliorum Sanctorum Doctorum ab errore, & fal-

falſitate ; licet doctrinæ aliorum Doctorum præceſſerint tempore doctrinam Sancti Thomæ per quadringentos, octingentos, & mille annos; quare Virgo Maria non potuit præſervari paſſione, & morte Chriſti futurâ, licet ejus Conceptio anteceſſerit per quadraginta ſeptem annos? Si Sancti Thomæ doctrina eſt prima inter doctrinas purè humanas omnium aliorum Sanctorum Doctorum, exceptâ ſolâ Scripturâ Sacrâ ; quare Mariæ Sanctificatio non poteſt eſſe prima, exceptâ etiam Sanctificatione Chriſti? Si ſecundùm Sancti Thomæ doctrinam Angeli non potuerunt peccare in primo inſtanti ſuæ creationis, & tamen fuerunt redempti Chriſti Sanguine; quare, quæ futura erat Regina Angelorum, non potuit eodem modo redimi, & præſervari à futuro caſu? Si non eſt facta injuria omnibus Doctoribus, qui fuerunt Patres Sancti Thomæ in ſcientiâ, ſapientiâ, magiſterio, & doctrinâ, ipſum illis non tantùm æquando, ſed præferendo; quare fiet injuria Filio, quòd in Sanctificationis tempore, non anteferatur, præferatur, neque æquetur, ſed ſolùm ei aſſimiletur? Si non eſt injuria dicere, quòd in doctrina Sancti Thomæ contineatur, quidquid eſt verum, ſanctum, & Catholicum in doctrina aliorum Doctorum, ita ut nec in puncto diſceſſerit à veritate, excluſo & eliminato quidquid falſum eſt, ambiguum, & incertum; quare redundabit in injuriam Adæ, Evæ, vel etiam Chriſti, quòd Mater eorum contineat omnes gratias, & prærogativas, quæ fuerunt in ipſorum animatione, relegatâ culpâ, maculâ, & peccato? Denique non eſt injuria, ſed ſumma laus, quòd S. Thomas à primo verbo, & primâ lineâ & ſyllabâ nedum à ſyllabâ, ſed à prima litterâ, quâ cœpit ſcribere de humanitate Chriſti, benè ſcripſerit de eâ: & erit injuria Verbi Divini, quòd, quando humanitas ejus incipiebat depingi, de qua poſteà benè ſcripturus erat Thomas, à prima lineâ, litterâ, ſyllabâ, & verbo in Maria Matre ejus malè, & peſſimè incepiſſet? Quod damus humanitati Chriſti, prout in doctrina Sancti Thomæ; quare negamus humanitati ejuſdem, prout in carne Matris? Hæc pauca annotavi parallela inter doctrinam Sancti Thomę, & Matris Dei puritatem: nam ſi per omnia eſſet diſcurrendum, proceſſum faceremus in infinitum.

Nodus septimus.

Ex quo Doctor Angelicus S. Thomas de Aquino incepit clareſcere in ſuo principio litteris, doctrinâ, & ſcriptis, ex tunc propter ipſorum claritatem, & miram diſpoſitionem, & etiam propter ſoliditatem, ac admirabiles reſolutiones, omnibus doctis & indoctis, Magiſtris & Diſcipulis, faciles & intelligibiles, vocatus eſt ſemper, & ubique Doctor *Communis*; & ſub hoc titulo allegabatur in ſcholis, ut videre eſt apud omnes ſcriptores antiquos. Dicebatur enim per Antonomaſiam,

Digitized by Google

Thomas Doctor *Communis*, ſicut Alexander Alenſis Doctor *Irrefragabilis*, Scotus Doctor *Subtilis*, Mayron *Illuminatus*, & ſic de ſingulis. Judicantes autem aliqui ex ejus Diſcipulis titulum iſtum Doctoris, *Communis*, eſſe nimis vulgarem, & *communem*, tam in voce, quàm in ſignificato, & infimæ claſſis; cœperunt alia altiora, ac magnificentiora cumulare epitheta, vocando ipſum, *Magnum*, ut videre eſt in ejus antiquo Officio, & alijs libris. Et hæc fuit prima extractio hujus Doctoris, *Communis*, ad Doctoratum *Magnum*. In ſequenti verò ſæculo perpendentes, quòd in Eccleſia Dei eſſent multi Doctores cognominati, *Magni*, ut Athanaſius *Magnus*, Gregorius *Magnus*, Baſilius *Magnus*, Albertus *Magnus*, *&c.* decreverunt illum etiam extrahere ab hoc nomine, & voce etiam communi, *Magno*, & ipſum collocare inter *Maximos:* ideò Auctor ille incognitus in hac epiſtola ab ipſo ficta pro Univerſitate Pariſienſi appoſuit clauſulam illam: *Nos cum tota Univerſitate Pariſienſi, ut prædictum eſt, & cum ſigillis noſtris huic approbationi appenſis inter ſummos Eccleſiæ Doctores locum habere feliciter approbamus*; ut ex hac approbatione ſigillata à tota Univerſitate Pariſienſi jam Sanctus Thomas non Doctor *Communis*, nec *Magnus* diceretur, ſed *Summus* & *Maximus*. Quod à tempore Summi Pontificis Pij V. Ordinis Prædicatorum, abſque ulla contradictione obtinêre cœpit. Sed cùm in Eccleſia Latina eſſent quatuor Doctores *Summi* & *Maximi*; ſcilicet, Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, & Hieronymus, autumantes eſſe nec congruum, nec decens, quòd tantus Doctor, & tam celebris doctrina eſſet in hac communitate, licet parva, excellentiſſima; illum, & doctrinam ſuam extrahere conati ſunt ab iſta ſocietate, & facere illum, & illam *unicam, ſingularem*, & *primam, exceptâ doctrinâ Canonicâ*, quæ non fuit ab homine, ſed à Deo; ut ſic Angelicus Doctor maneret inter homines *primus*, & poſt Deum etiam *primus*, *exemptus*, & extra omnem aliorum numerum, ab omnibus humanis regulis ſegregatus, ut nihil *commune* inveniretur in eo. Et factum eſt ita, receptus eſt & admiſſus, ſi non ut Pontifex, tamen ut Doctor noſter ſegregatus à peccatoribus, &c. Ecce quomodò ter privilegiatus, & exemptus eſt S. Thomas, extractus à regula & titulo *Communi:* Primò, à *Communi* epitheto ad *Magnum:* Secundò, à *Magno* ad *Maximum:* Tertiò, ab *excellentiſſimis*, & *maximis* ad *unicum*, *ſolum*, & *ſingularem*. Et totum hoc factum eſt abſque ulla contradictione. O felicitas ſingularis! Hoc ipſum quod adeptus eſt Sanctus Thomas, quatenùs Doctor in doctrina (quia Auctores iſti ſic voluerunt) deſiderabat Univerſitas Pariſienſis, & deſiderat tota Eccleſia conſtituere etiam in puriſſima Virgine MARIA quoad puritatem, ut, ſcilicet, ejus exordium, & principium non eſſet *commune*,

ſed

ſed extractum à regula illa generali: *Omnes in Adam peccaverunt*, & quòd Conceptio, quæ in alijs eſt *communis*, utpotè *magna*, & *maxima*, eſſet *ſola*, & *ſingularis*. Sed contra hoc ſtatim ſurrexerunt ex Sacro Ordine Prædicatorum montes magni, & maximi difficultatum, & contradictionum undique inacceſſibiles, Monteſonus, Montenigrus, Montelupus, Montebudellus, Montagniolus dicentes, & clamantes quòd, excipere Virginem Mariam ab illa regula, *communi*, nec factum fuerit à Deo, nec fiat ab Eccleſia, nec futurum ſit in æternum: quia principium, & exordium ejus, ut habeat exceptionem, & privilegium, & extrahatur à *communi* regula, debet eſſe expreſſum, clarum, & patens, ubi eſt ipſa regula *communis*. Cùm autem Virginis Mariæ cauſa maneat intra terminos grammaticæ, ubi quando ponitur regula generalis, & *communis* ponitur etiam exceptio, ſi aliqua eſt; & ſi non ponitur talis exceptio, ſignum evidens eſt, quòd nullam habeat exceptionem; & cùm hæc non reperiatur de Virgine Maria in illa regula *communi*: *Omnes in Adam peccaverunt*, de exceptione nulla eſt redemptio. Et en Nodus tèr indiſſolubilis, more Gallico loquendo: Quòd in eadem ſchola, Religione Sancta, & doctiſſima, ubi inventæ ſunt tres exceptiones pro titulo & pro regula *communi*, Doctori Angelico poſitivo, ei à ſuo principio, & origine adſcripto, nec velint, nec permittant, quòd nos inveniamus unam tantummodò exceptionem *ſingularem*; ſi non *maximam*, ſaltèm *magnam* negativam pro immunitate, innocentia, & puritate Sacratiſſimæ Dei Matris? Quòd pro Sancto Thoma, & doctrina ejus fuerint in tribus ſæculis inventæ in *communi* titulo, *magno*, & *maximo*, tres regulæ, ut ejus Doctor fieret *unicus*, & *ſingulariſſimus* omnibus alijs *communibus* Doctoribus *magnis*, & *maximis* diſſimilis: & per quam regulam? Per regulam Theologiæ, ubi ſunt exceptiones, epycheiæ, interpretationes, ampliationes, extenſiones, diſtinctiones perſonarum, modificationes, præſumptiones, &c. & quòd Virgo Maria, & ejùs immunitas à peccato poſt ſex integra ſæcula debeat ſtare intra terminos grammaticæ, ſine ulla prorsùs exceptione: non ita componibile eſt. Ante S. Thomę exiſtentiam in mundo per duo ſæcula erat in ſcholis immunitas Virginis Mariæ, & cum magno profectu in ſuo principio; ſed ad examen iſtorum Auctorum redacta doctrina Sancti Thomæ ſtat in Theologia ſingularitèr laureata ut *magna*, & *maxima*, tamquàm peritiſſima, in titulo de exceptionibus, & immunitatibus, &c. & puritas Sacratiſſimæ Dei Matris adhuc eſt in grammatica, in aula *communi*, declinando ſubſtantivum *peccatum*, *peccati*, *peccato*: & poſt tot annos nolunt, quòd aſcendat ad illud adjectivum *communis*, & *commune*. Quare hoc? Quia doctrina S. Thomæ eſt in aula Majori, &

Digitized by Google

puritas Virginis MARIÆ in aula Minorum; & nolunt, quòd diſcedat ab illa regula: *Eſt commune trium, generi quod convenit omni.* Videant qualiter Nodus iſte ſit ſolvendus, an in Theologia, an verò in Grammatica?

NODUS OCTAVUS.

In hac epiſtola ſub nomine Vniverſitatis introducta, reperîtur ad litteram illa clauſula, quæ etiam extat in alia Stephani, de qua in ſecundo Nodo principali, videlicet: *Et cùm invenerimus luce clariùs eum numquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quòd ſanæ Fidei vel bonis moribus adverſetur.* Sed cùm iterùm adducatur ad paleſtram, novum ex ipſa compaginabimus Nodum. S. Thomas, ut futurus Doctor Eccleſiæ, munus ſuum cœpit complêre ſcribendo omnia opera ſua Theologica, & illa, quæ habebat mente, litteris & calamo exprimendo, in quibus tamquam in corpore, & Cortice ſufflavit ſpiritum vitæ, ſententias nimirum, quæ ſunt animæ in librorum corporibus. Atque in his ſententijs, quæ in operibus S. Thomæ ſunt innumerabiles, luce clariùs inventum eſt, *eum numquam ſenſiſſe, docuiſſe, ſeu ſcripſiſſe, quòd ſanæ Fidei vel bonis moribus adverſetur, &c.* Hæc dicuntur de doctrina Sancti Thomæ. Sed eodem modo diſcurrendo videamus, quid inter ipſos ſancîtum fuerit de ſententia immunitatis Virginis MARIÆ à peccato. Deus Optimus Maximus, quia futurus erat Filius MARIÆ, aſſumpto calamo ſuæ infinitæ Omnipotentiæ, quæ habebat ab æterno in mente, cœpit ad ipſius fabricam in tempore executioni mandare, ſcribendo ſeu delineando in utero Sanctæ Annæ naturalia, id eſt, compâges, atque delineamenta corporis, & in corpus infudit animam. Hucuſque quaſi pari manu laborarunt Deus ut Creator, & Thomas ut Doctor: iſte docendo, ille operando: unus in informatione Theologiæ, & alter in formatione MARIÆ. Sed reſpiciendus eſt finis. Opus Doctoris completum eſt ſine ullo errore, abſque omni defectu; & opus Creatoris cum defectu & errore. Sanctus Thomas conceptum ſuum mentis Theologicum complevit abſque eo, quòd vel in apice adverſaretur ſanæ Fidei vel bonis moribus; & Deus Matris ſuæ Conceptum ventris non complevit, quin fuerit ab ipſius gratiâ averſa. Sanctus Thomas, licet homo finitus, & miſerijs ſubjectus in labore ſuo, qui duravit per viginti quatuor annos (cœpit enim ſcribere anno 1250. & mortuus eſt anno 1274.) in quibus ſunt anni, menſes, hebdomadæ, dies, horæ, & inſtantia infinita, in nullo inſtanti ſenſit, docuit, aut ſcripſit errorem, verbum, vel ſententiam cum defectu; & Deus, cujus ſapientia eſt infinita, cujus potentia æterna, in operatione ſua, creatione inquam, Matris ſuæ ab æterno excogitatâ, & præventâ, atque in unico ſolo inſtanti indiviſibili abſolutâ, & completâ, invênit in opere ſuo iniquitatem, pravitatem, & defectum.

Vndè

Vndè Sanctus Thomas fuit ille ſcriba doctus,cujus (licet ſcriberet nova, ſimul & vetera, Adami & Chriſti) ſcriptura nihil contraxit ex Adamo; ſed omnia fuerunt Chriſti: & Deus, qui nihil habuit de veteri Adam in ſcripturâ ſuâ exaratâ, ut Filius ſuus Vnigenitus in ea diſceret experientiâ litteras humanas, omnia quæ ſcripſit, fuerunt ex veteri Adamo, & nihil, quod redolêret Chriſtum. Sanctus Thomas in Summa ſua, quæ eſt ejus ultimum, excellentiſſimum, & indubitatum opus, & in qua recollegit omnia excellentiora diſperſa in alijs Doctoribus, puris hominibus, & filijs Adæ, in nullo erravit, aut ejus doctrina in aliquo lapſa eſt; & Deus, qui non ab alio, ſed à ſeipſo pro illo primo, & excellentiori ſuo opere Mariano, in quo fecit Summam omnium mirabilium ſuorum, Summam iſtam cum errore magno incepit in prima parte, & in prima ſecundæ, & in ſecunda ſecundæ, & in tertia parte: ſcilicet, in tertia morula cœpit ſcribere, corrigere, & emendare errata commiſſa in prima parte, ſanctificando Matrem ſuam. Denique ita exactè expreſſit Sanctus Thomas ſuum conceptum mentis, ut numquam habuerit, vel ſcripſerit librum retractationum, nec correxerit litteram illius, quod pro viribus affirmant ſui Diſcipuli, dicentes: Si numquam erravit, ad quid retractationum liber? Corrigat ſe Auguſtinus, & faciat retractationum librum, quia erravit, ſed non Sanctus Thomas. Et qui hoc affirmant, pariter dicunt neceſſe fuiſſe, Deum retractare, corrigere, & emendare errorem Summæ ſuæ Marianæ. Et Nodus iſte eritne facilè ſolvendus? Quando, & à quo?

Nodus nonus.

Et eſt confirmatio, ſeu declaratio antecedentis. Diceret enim fortaſſis quiſpiam argumentum hoc non concludere ex eo, quòd Deo omnium Creatori non imputetur peccatum originale parvulorum; ipſe enim creat animas ſingulorum abſque ulla macula, quarum infectio non à Deo provenit, ſed ab Adæ peccato: quod etiam in Virgine Maria obſervatum fuit: quare non tenet paritas inter D. Thomam & doctrinam ejus, atque inter Deum & Virginem Mariam. Hæc equidem diſtinctio non ſolvit difficultatem. Tum quia Virgo Maria primâ ſuâ electione, ac prædeſtinatione, fuit in mente Divina prædeſtinata ut eſſet Mater Dei, ita ut non eſſet filia Adæ, ſi Verbum carnem non aſſumere decreviſſet ex ipſa, & ſic quoad hoc alio modo proceſſit à Deo, quàm alij Adæ filij. Tum, quia juxta ſententiam graviſſimorum Doctorum, inter quos ſunt aliqui ex Religione Prædicatorum, Virgo Maria in primo inſtanti ſuæ animationis habuit rationis uſum, atque liberum arbitrium. Quibus ſuppoſitis ſi ſecundùm doctrinam Angelici Doctoris 1. parte q. 63. art. 5. *Impoſſibile fuit Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordi-*

na-

natum actum liberi arbitrij ſive mortaliter ſive venialiter, tametſi illius voluntati ſufficienter propoſitum fuiſſet objectum peccaminoſum ſive grave ſive leve, ex eo quòd illud peccatum imputaretur Deo (opus enim liberum, in ipſius ſententiâ, primo inſtanti creationis elicitum adſcribendum eſt Deo tamquàm Auctori, & conſequenter etiamſi ſit peccaminoſum: *Operatio*, inquit D. Thomas citato loco, *quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente à quo habet eſſe, ſicut moveri ſurſum ineſt igni à generante*) pariformiter hîc exiſtimo eſſe argumentandum de Beata Virgine pro illo inſtanti ſuæ animationis, quæ creata eſt à Deo Trino & Vno ut Filia, ut Mater, ut Sponſa; quod nulli alteri creaturæ conceſſum eſt: pariformiter inquam, quia utrobique eadem militat ratio.

NODUS DECIMUS.

Sanctus Thomas fuit canonizatus à Summo Pontifice Joanne XXII. anno Chriſti 1323. decimo-quinto Kalendas Auguſti: & poſt ſex menſes Stephanus Epiſcopus Pariſienſis, ſcilicet, ann. ſequenti 1324. menſe Martio ante ſacros cineres, fecit litteras illas, de quibus diximus ſuprà Nodo II. ubi exſtat illa clauſula: *Cupientes igitur glorioſum Dominum in Sanctis ſuis apud fidelium devotionem in terris glorioſius exaltari, ac Sanctiſſimæ Matris noſtræ prædicta deſiderantes veſtigia ſancta pro viribus imitari, dictumq; Confeſſorem feliciter in cælis regnantem apud terrigenas devotiùs, & celebriùs honorari, &c.* Anonymus ille incognitus, qui ad normam epiſtolæ Stephani ſimilem fictam introduxit ſub nomine Univerſitatis (ut vidimus ſuprà in Cortice) aſſumpſit etiam hanc clauſulam mutando verbum illud; *celebriùs*, in ly, *celeriùs*; quia exiſtimabat ipſe, quòd illud *celebriùs* honoretur, quod *celeriùs* colitur: ideò appoſuit expeditionem illius epiſtolæ eodem anno 1324. ut ſic, antequam compleretur canonizationis S. Thomæ annus, jam expeditæ eſſent duæ litteræ Epiſcopi, & Vniverſitatis, ut orbis totus *celeriùs* Sanctum Thomam, & doctrinam ejus, ſine ulla mora coleret, & celebraret. Nota iſta duo poſita pro doctrina Sancti Thomæ: *Sequendo veſtigia Eccleſiæ*, & *celeriùs honorari*, & videbis, quomodò pro Virga Dei Matre hæc duo præcepta, ſeu conſilia obſervata pro Cortice, executioni fuerint mandata in Virga. Quæſtio fuit antiquitùs de doctrina Sancti Thomæ, an quoad aliquos articulos fuiſſet prohibita, & damnata; ſed quando Angelicus Doctor in Sanctorum numerum fuit relatus à Sacro-ſancta Matre Eccleſia, & poſitus in Catalogo, & Kalendario Beatorum ab uno Summo Pontifice, ceſſavit quæſtio de doctrina S. Thomæ, & admiſſa, recepta, & approbata remanſit eodem anno ab Epiſcopo, & Vniverſitate Pariſienſi: quia ſequendo veſtigia Sanctæ Matris Eccleſiæ *celeriùs*, quàm potuerunt, ipſum honorarunt. Quæſtio ſimilitèr fuit circa immunitatem Virginis MARIÆ à peccato origi-

originali eodem tempore; & poſita Feſtivitas ab immemorabili à quamplurimis Eccleſiæ Pontificibus in Kalendario, Breviario, Miſſali, & inter Feſtivitates ſub titulo Conceptionis, die 8. Decembris. Secuti ſunt iſta Sancta Eccleſiæ veſtigia omnis populus Catholicus; ſed non iſti, cum quibus contendimus: quia noluerunt ipſam recipere in Kalendario, Breviario, nec Miſſali, quin potiùs, ut non ſequerentur Sancta veſtigia Eccleſiæ, pro titulo Conceptionis fabricarunt alium Sanctificationis. Et quia Eccleſia celebrabat Feſtum Conceptionis die 8. Decembris, ipſi fecerunt decretum Toloſæ celebrandi ſuam Sanctificationem in craſtinum Sancti Mathiæ Apoſtoli. Eccleſia dicebat Conceptionem celebrandam eſſe, quia veneratione digna, quia Sancta, pura, & Immaculata: & ipſi totaliter è contrà non eſſe feſtivandam, nec celebratione dignam, quia fuit in peccato, impura, immunda, & maculata. Et ubi manent veſtigia Matris Eccleſiæ ſecuta pro doctrina? Pro Sancto Thoma, & doctrina ejus debemus ſequi veſtigia Matris Eccleſiæ, quia aliter facere eſſet nefas habens annexam maledictionem Pontificiam: & pro Matre Dei, & ejus puritate non ſequuntur veſtigia, ſed inceditur per oppoſitam viam. Pro uno Fratre ſequuntur veſtigia unius Matris Eccleſiæ, & pro *la treſſainte Vierge* aſpernantur, & contemnunt tres Matres, & tales Matres: MARIAM in cælo, Eccleſiam in terra, & Univerſitatem Pariſienſem. Et hìc diſcurre quantum volueris, quia non licet mihi à ſignatis veſtigijs ampliùs digredi: ſiſto enim in ſecundo. Vt *celeriùs* honorarent Eccleſia Pariſienſis, & tota Vniverſitas Sancti Thomæ doctrinam, eodem anno acquieverunt mandatis Eccleſiæ. Poterat hoc fieri in altero anno, & noluerunt niſi in illo primo, in quo celebrabatur natalis Angelici Doctoris in gloria, ut *celeriùs* illum honorarent. Cùm ergò Conceptio Virginis MARIÆ fuerit facta ante novem integros menſes à ſua Nativitate in mundo, concurrit Eccleſia tota, ut *celeriùs* honoraret ejus Conceptionem, & pervenerunt ad ipſum diem octavum Decembris, & ad ipſam Nativitatem in utero: ſed opinionis contrariæ defenſores adeò lento gradu deambularunt viam iſtam, ut pervenerint ad Feſtivitatem poſt octoginta dies, id eſt, in craſtinum Sancti Mathiæ Apoſtoli. At *celeriùs* eſt itinerandum, ut pro Sancto Thoma factum eſt. Audientes fideles, quòd Virgo fuiſſet ſanctificata in utero, & quòd Sanctificatio illa eſſet digna veneratione, & reverentiâ, omnes cucurrerunt ut *celeriùs* eam celebrarent, & adhuc parvuli, & Minores pervenerunt, ad primum punctum in unico inſtanti (ſignum evidens, quòd non eſſent claudi) aliquis in principio nolebat ire, ſed compulſus eſt intrare, licet non haberet veſtem nuptialem Conceptionis, ſed aliam Sanctificationis à

Digitized by Google

ſorde; ſed adeò claudicando inceſſit per iſtam viam, ut poſt quingentos annos non potuerit tranſire unam breviſſimam partem temporis, ut à ſecundo perveniret ad primum punctum. Et eſt notandum: quòd pauper iſte inter omnes pauperes ſemper ſit in primo puncto: Primum punctum habet in antiquitate; numquam amiſit primum punctum in ſcientia; eſt in primo puncto gravitatis, &c. Et qui ſemper fuit, & eſt in primo puncto, ſolùm contra Dei Matris puritatem ſtat firmiter in ſecundo: quare autem hoc ſic fiat, Nodus eſt difficilis, ſed non incognitus.

Nodus undecimus.

Diſcurrendo circa relata ultimo loco in præcedenti §. concatenabimus hîc aliqua ibi ſparſim poſita: Quòd Univerſitas Pariſienſis ad annum 1388. in ſpeciali tractatu ad hoc ſingularitèr edito demonſtret latiſſimè hæc duo, ſcilicet, doctrinam Sancti Thomæ numquam fuiſſe à ſe approbatam aut receptam ut veram & Catholicam, ſed potiùs reprobatam & damnatam, quoad aliquos articulos, & ſimul admittat, recipiat, atque defendat ſententiam immunitatis, atque præſervationis Virginis Mariæ; & illa duo teſtimonia de ſe reddita, & teſtificationes exhibitæ coram Summo Pontifice, & Sacro Cardinalium Conſiſtorio, atque directæ ad totam Chriſtianitatem, ut omnibus conſtet de ejus ſenſu, determinatione, ac conſtanti voluntate, recipiendæ ſint in contrarium, ſcilicet, quòd doctrina Sancti Thomæ ſit approbata ab Univerſitate, & ſententia Immaculatæ Conceptionis reprobata; non eſt Nodus? Item, quòd quidam Anonymus incognitus Ordinis Prædicatorum ſcribens in Lombardia, in quodam libro contra Immaculatam Conceptionem, affirmet Univerſitatem Pariſienſem approbaſſe doctrinam Sancti Thomæ: & ut hoc perſuadeat, finxerit quaſdam litteras ſub nomine ejuſdem Univerſitatis, & in eodem libro affirmet ſententiam immunitatis Virginis eſſe reprobatam, & excluſam ab Univerſitate; & hæc falſitas, & fictio recipiatur, perſeveret, & defendatur; & veritas totius Univerſitatis contemnatur, deſpiciatur, & impugnetur; & hoc permittatur apud homines cordatos, viros doctos, & timoratos, atque prævaleat Vniverſitas illa ficta Lombardiæ, quia eſt contra Immaculatam Conceptionem, & in favorem doctrinæ Sancti Thomæ; & ſuppeditetur vera Vniverſitas Pariſienſis, quia hæc eſt pro myſterio immunitatis Virginis Mariæ, & contra approbationem doctrinæ Sancti Thomæ: non eſt Nodus? Item, quòd Vniverſitas Pariſienſis anno 1388. dicat & affirmet, quòd illo anno jam Eccleſia Romana, multi Summi Pontifices, quamplurimi Sancti, & Doctores, & ferè Chriſtianitas tota ſtaret pro, & fateretur myſterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ; & hoc ſcribens ad Summum Pontificem, &

Con-

Digitized by Google

Conſiſtorium Cardinalium; & quòd anno 1661. & 1663. ſurgant aliqui ſcriptores in Hiſpania, unus Compluti, & alter Salmanticæ abſolutè, & totalitèr affirmantes, quòd nullus Auctor ex antiquis ſuſtinuerit ſententiam piam; ſed omnes, nullo dempto, ſecuti fuerint ſuam opinionem à tempore Sancti Bernardi uſque ad Sixtum IV. & hoc divulgare audeat per litteras miſſivas, qui nullas habet litteras, & per notitias impreſſas, qui nullam habet notitiam expreſſam: & Nodus iſte Gordius erit nè ſolvendus, vel ſcindendus à magno vel maximo tribunali? Item, quòd Facultas Pariſienſis qualificando, damnando, & reprobando propoſitiones Joannis de Monteſono pertinentes ad Immaculatam Conceptionem dicat illas eſſe falſas, ſcandaloſas, piarum aurium offenſivas, & præſumptuosè aſſertas, & ut tales illas abjuraverint, & deteſtati ſint decem Patres ex Ordine Prædicatorum, non coacti, aut metu aliquo impulſi, & cum alijs circumſtantijs ſuprà relatis; & hæc narrativè dicere, & proponere ſit adeò ſcandaloſum, & nequitiâ plenum, ut nullus Thomiſta, aut Catholicus id tolerare poſſit: quia hoc eſt condemnare, & dicere expreſsè opinionem ſuam eſſe erroneam, damnatam, falſam, ſcandaloſam, piarum aurium offenſivam, & præſumptuosè aſſertam: & dicere non narrativè, ſed aſſertivè ex proprio motu, & liberâ reſolutione, fingendo litteras, ſupponendo teſtimonia, & adulterando auctoritates, hæc eadem & alia quam-plura majora contra piam ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione, ſcilicet, eſſe blaſphemam, erroneam, impiam, hæreticam, &c. Hocque libentiſſimo animo ſuſcipit, affirmat, & defendit Religioſus, Thomiſta, Catholicus, abſque eo, quòd ſit Servus Nequam, ſed fidelis: dicere autem quæ Univerſitas Pariſienſis, & ipſimet Fratres Ordinis Prædicatorum, Confeſſor Regis, & Epiſcopus, & alij novem Magiſtri, & Doctores in Theologia publicè, & altâ voce decantarunt latinè, & gallicè per Eccleſias Pariſienſes, tolerare non poteſt ullus Religioſus, Thomiſta, & Catholicus; & aliqui Religioſi Thomiſtæ Catholici defendere, ſuſtinere, & tolerare poſſunt, quòd fingantur litteræ, epiſtolæ, & auctoritates, ut damnetur noſtra ſententia tamquam erronea, reproba, blaſphema, falſa, ſcandaloſa, &c. In his & ſimilibus Nodos experior nimium intricatos.

NODUS SEXTUS
PRINCIPALIS

Inter doctrinam Sancti Thomæ approbatam à Chriſto Domino Crucifixo dicente; *Benè ſcripſiſti de me Thoma*: & alteram revelationem factam à Domino pro Feſtivitate, & myſterio Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

LIcet approbatio iſta ſit prima dignitate, & communi applauſu, ex frequenti repetitione in libris, ſermonibus, colloquijs, & imaginibus Sancti Thomæ: tamen cùm fuerit inventa poſt omnes ſuprà relatas, hoc in loco collocandam eſſe judicavimus. In qua nec verbum unum proferam ex proprijs; ſed tantùm referam, quæ in alijs invenio. Incipiendo ergò à fundamento ſolido, & indefectibili, ut inde ad culmen ædificij pertingamus, ab auctoritate, ſcilicet, Apoſtolica Summi Pontificis Pij V. exordium ſumere decrevi.

Supponendum eſt ergò primò, quòd hic in Bulla edita anno 1567. in qua præcipit, ut natalis Sancti Thomæ celebretur, ut Feſtum quatuor Eccleſiæ Doctorum, quæ inter Conſtitutiones hujus Summi Pontificis eſt num. 36. ſic inquit: *Ut verò etiam memoriæ Sancti Doctoris majori ſtudio, ac pie-*

pietate cultus & debita veneratio adhibeatur, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, omnibus utriuſq; ſexûs Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in ipſo Sancti Thomæ Feſtivitatis die, ſacellum, vel altare in Eccleſia SanctiDominici Neapolitan. ſitum, in quo ſcriptoris Angelici doctrina Salvatoris Crucifixi ore (ſicuti pia teſtatur hiſtoria) mirabilitèr probata fuit, à primis ejus diei veſperis, uſque ad occaſum ſolis, devotè viſitaverint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, &c. Ex hac Pij V. vel ex altera notitia, Clemens VIII. anno 1603. in quodam Brevi directo nobilibus viris civitatis Neapolitan. ſic inquit: *Piè, prudentèrq; cogitatis de novo civitatis Patrono adſciſcendo, cive veſtro, Divinæ voluntatis Angelico interprete, vita Sanctitate, & miraculis claro Thomâ Aquinate, cujus doctrinæ tantum fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ Divinum etiam illud habeat teſtimonium: Benè de me Thoma ſcripſiſti.* Hanc ſic adducunt ferè omnes ſcriptores Ordinis Prędicatorum. Suppoſitâ tamen veritate illius, duo hîc præcipuè notanda ſunt. Primum: quòd litteræ iſtæ tam Clementis, quàm Pij ſint directæ ad civitatem Neapolitanam, ubi creditur patratam fuiſſe revelationem illam, ſeu miraculum. Secundum: illa verba, *Sicuti pia teſtatur hiſtoria*; ex quibus conſtat Summum Pontificem Pium V. ex Ordine Prædicatorum revelationem iſtam, ſeu miraculum reduxiſſe ad teſtificationem cujuſdam piæ hiſtoriæ. Non igitur eſt Fide facta, nec comprobata Summmorum Pontificum teſtimonio, ſed tantùm propoſita ut piè credibilis: & ſi quærimus iſtam piam hiſtoriam, non invenítur niſi in auctoribus Ordinis Prædicatorum, ut infrà videbimus.

Secundò ſupponendum eſt, quòd in Breviario moderno Ordinis Prædicatorum, atque etiam in communi Romano in 2. lectione, 2. Nocturni ad finem contineatur hæc revelatio, miraculum, ſeu approbatio ſic: *Neapoli cùm ad imaginem Crucifixi vehementiùs oraret, hanc vocem audivit: Benè ſcripſiſti de me Thoma: quam ergò mercedem accipies? Cui ille: Non aliam, Domine, niſi te ipſum.* Sed, ut intelligas, quam vim habeat teſtimonium iſtud ab Eccleſia prolatum, refero verba Patris Ignatij Galvan Ordinis Prædicatorum, in ſuo 1. tomo de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, fol. 629. *In Matutinali Officio lectiones, quæ à fidelibus recitari ſolent, vel à Sacra Scriptura, vel ex doctrina Sanctorum Patrum, vel ex hiſtorijs Apoſtolorum, Martyrum, &c. Quæ ſunt prioris generis infallibilem continent veritatem; quæ ex Patrum doctrina ſumuntur, nec omnia, quæ in illis continentur, de Fide creduntur; ſed, ut more humano Eccleſiam inſtruant, & illuminent, lectiones tertij generis non tamquàm in omnibus, & ſingulis infallibiles, ſed tantùm, ut piâ, & humanâ fide credibilia, ac moralitèr certa continentes proponuntur.* Hoc eſt dicere: non omnia, quæ Eccleſia proponit in ſuis Eccleſiaſticis officijs, habent eumdem certitudinis gradum: nam in

illis etiam eſt magis, & minùs; ſicut enim in Matutinali Officio communiter ſunt tria genera lectionum, ſeu tres Nocturni: in uno leguntur lectiones de Scriptura Sacra, & in iſta ſolùm reperîtur veritas infallibilis; in alio leguntur lectiones de Sanctorum Patrum expoſitionibus circa Evangelicam hiſtoriam, & ab Eccleſia propoſita in ſuis Officijs: non tamen omnia, quæ in talibus expoſitionibus continentur, habent infallibilem veritatem, aut ſunt credenda ut de Fide; ſed ſolùm quaſi certa, & quæ more humano Eccleſiam illuſtrant, & illuminant; & ſic inter illas lectiones unius, & alterius Nocturni eſt penè infinita diſtantia; & quæ reperîtur in altero Nocturno, non eſt minor, ubi leguntur hiſtoriæ, vitæ, & paſſiones Apoſtolorum, Martyrum, vel Confeſſorum; quia iſta ſolùm proponuntur ut pia, nihil continentia contra Fidem, quia tantùm ſunt humanâ fide credibilia, ut eſt, verbi gratiâ, hæc revelatio, ſeu verba Chriſti domini: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; quæ ſunt in tertia, & infima claſſe, non tamen in prima, quaſi eſſent Canonica, & de Fide, immò neque in ſecunda.

Tertiò ſupponendum, quòd in Sole Veritatis nihil actum ſit de iſta, nec ſequentibus approbationibus, ſed tantùm de quatuor antecedentibus, & hoc incidenter, loquendo de Joanne de Monteſono, & Anonymo, & illarum auctoribus. Sed quia Notitioſus quidam Complutenſis in ſuo abortivo opere ſub titulo: *Notitia veridica ſcriptorum Ordinis Prædicatorum*, capite 1. §. 5. ſic dixerat: *De auctoribus verò quoſdam vocat temerarios, alios falſarios, quoſdam ſcripſiſſe ridicula, & contemptibilia opera: Tandemq; quo omnis iſte labor collimat, eſt, ut auctorem Angelicum, & doctrinam ejus Chriſti Domini Salvatoris ter voce probatam peſſumdet, & omnia vertat in utrùm, dum, num. 196. obſervatione 6. dicit: difficillimum eſſe velle nunc aſſignare certò ac infallibiliter genuina, ac legitima opera Angelici Doctoris, &c.* Et infrà capite 2. §. 14. folio 62. iterùm redit ad idem, dicens: *Nec Sanctis Archiepiſcopis referentibus parcens, nec doctrinam Chriſti ore probatam improbare veritus, &c. Sed ex ore tuo te judico, Serve Nequam, &c.* Sentiens ergò ſine cauſa, & occaſione ſe vocatum ad judicem, decrevit, licet coactus & invîtus, Auctor illius libri de hac approbatione ter à Chriſti Domini ore prolata, & de ſequentibus etiam reddere rationem; ſed ſi inveneris non ter, ſed quinquies fuiſſe prolatam, non ex ore ſuo, ſed ex dictis tuorum illum judicabis.

Et in primis Gabriel Barelete, ſermone de Sancto Thoma §. *Primò per, &c.* folio 198. columnâ 1. ſic inquit: *Cùm ſcripſiſſet de Corpore Chriſti, quæ eſt materia difficilis, poſuit opus ſuper altare Neapolim, petens informari, utrùm benè an non dixiſſet. Reſpondit Crucifixus: Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam mercedem accipies pro labore tuo? Reſpondit: te ſolum ſpecto. Secundò per Virginem, quæ ſemel apVpa-*

Digitized by Google

parens ei dixit, ſcientiam ejus veram eſſe, & Filio gratiſſimam Hic Auctor ſcripſit circa annum 1480.& tantùm adducit approbationem unam factam Neapoli,& illam ſolùm de reſcripto de Corpore Chriſti, cùm tamen omnes alij ſcriptores uno ore affirment contigiſſe Pariſijs. Pater Ignatius Galvan tomo 2. lib. 5. diſcurſu 17. folio 791. aliter diſcurrit, dicendo: *Nota ſunt illa Chriſti Domini Crucifixi verba Sanctum Doctorem alloquentis: Benè, inquit, ſcripſiſti de me, Thoma: nota, inquam, ſunt omnibus hæc verba, ſed non ab omnibus intellecta: Nam quidam putarunt in illis mentionem tantùm fieri eorum, quæ de anguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento docuit: alij ea tantùm, quæ de Chriſti ipſius myſterijs in tertia parte Summæ ſcripſit, probata fuiſſe contendunt: alij alitèr opinati ſunt. Sed quo ſenſu locutus fuerit Chriſtus, cùm Sancti Doctoris commendavit doctrinam, dilucidè explicavit Clemens VIII. Summus Pontifex: nam cùm ejus laudabilis doctrinæ teſtem produceret ingentem (quos edidit) librorum numerum, ſic ait: quos (nempè libros) ille breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere ſine ullo prorsùs errore conſcripſit, & quos deinde conſcriptos expreſsâ Chriſti Domini voce comprobatos audivit. Hæc Clemens. De quibus verbis vide, quæ dixi volumine ſuprà; ubi ſi cæcutire nolis, vides omnes D. Thomæ libros (Summi Pontificis oraculo atteſtante) abſque ullo prorsùs errore conſcriptos: Item omnes expreſsâ Chriſti voce fuiſſe comprobatos. Itaque illa Chriſti Domini verba: Benè ſcripſiſti, &c. hujus lucis probationem continent, quaſi diceret Chriſtus: tu es lux mundi, lux inquam, probata, pura, ſine fæce, ſine atomis, &c.* Nota hæc ultima verba, & Nodum ex his exortum, vide infrà.

Pater Nazarius in opuſculo de ſcriptis Sancti Thomæ, fol. 75. num. 32. inquit: *Trigeſima ſecunda eſt Jeſu Chriſti Domini Redemptoris auctoritas, tribus vicibus, in locis, temporibuſque diverſis Angelici noſtri Doctoris doctrinam approbantis, ut narrat Plodius libro* 1. *de Viris illuſtribus, &c. Quod etiam Summi Pontifices ſuâ auctoritate confirmarunt, ut patet ex eorum verbis paulò antè relatis, &c.* Id eſt, Clementis VIII. & Pij V. Joannes Michaël Pius citatus à Nazario libro 1. colum. 154. ad annum 1274. habet Italicè hæc verba: *Hebbe belliſſime viſioni. Vide S. Pietro è S. Paolo, che divinamente l'ammaeſtrarono,* MARIA *Virgine, che lo certificò della integrità della vita, della verità della dottrina, & della impetratione di quanto haveſſe richieſto à Dio: in trè luoghi ſentì commandarſi la ſua dottrina dal Crocifiſſo. In Pariggi quella del Sacramento; in Orvieto, in Napoli, quella della terza parte, con quelle parole: Benè ſcripſiſti de me Thoma: è dimandato non ne richieſſe altra retributione, che Chriſto, per amore di cui ſpoglioſſi talhora le proprie veſti, per darli à i poveri, che igniudi vedeba.* Ecce quomodò ſignat loca ubi fuerunt factæ iſtæ tres apparitiones, ſeu approbationes, & Auctor iſte, à quo omnes alij didicerunt non antiquus, ſed modernus; ſcribebat etenim ad annum 1607.

Pa-

Pater Raphaël de Pornaſio in illo ſuo ſecundo opuſculo de maculata Conceptione contra legatos Avenionenſes Cardinales de Foix, & Epiſcopum illius civitatis Alanum Coëtium etiam Cardinalem, qui cum alijs duodecim Epiſcopis fecerant Decretum pro Conceptione, de quo infrà in Nodo, ſic inquit: *An non meminiſtis ipſum cælorum Regem alteri ex his jam conregnantibus apertè dixiſſe: Benè ſcripſiſti de me Thoma? O nefas! O ſcelus! O temeritas inaudita illius reprobare doctrinam, quam Dei Sapientia comprobavit! ac ſi inſuper Romana, & Apoſtolica Sedes, cujus vos officium, neſcio, quo conſilio uſurpaſtis, dudum erraverit eorum approbando doctrinam, &c.* De ſtatuto edito ab his Sedis Apoſtolicæ Legatis anno 1457. in Concilio Provinciali, vide in noſtro Regeſto Armamentarij Seraphici, colum. 45. quorum infrà dabimus formalia verba. Nam ad rem noſtram ſolùm facit: quòd declarare Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali, eſſet reprobare doctrinam Sancti Thomæ Chriſti ore approbatam; & hoc factum à Cardinali & Epiſcopo vocat Pater Pornaſius nefas, ſcelus, & inauditam temeritatem. Item Pater Montagniolus, cujus auctoritatem ad litteram dabimus infrà Nodo VIII. principali, etiam adducit hanc approbationem Chriſti Domini, ut ex ipſa probet Virginem MARIAM fuiſſe maculatam peccato originali. Et Anonymus, qui ſcripſit anno 1475. in tractatu de Conceptione, tertiâ viâ ſecundæ partis, poſt auctoritates Sancti Thomæ contra Conceptionem, ſic inquit: *Crucifixus etiam binâ vice eum eſt allocutus dicens: Benè ſcripſiſti de me Thoma, &c.* Ecce jam variat iſte dicens, quòd tantùm binâ vice fuerit audita vox illa. Ex his tribus auctoritatibus colligitur, quòd hæc approbatio ſolùm fuerit introducta, ut cum illa macularent Dei Matris Conceptionem. Vide infrà in Nodo; quia in Cortice nihil debeo dicere ex proprio diſcurſu.

Pater Ignatius Galvan tom. 1. capit. 1. diſcur. 1. ſub hoc titulo: *Doctrina, quæ tamquam vera, hominibus eſt tradenda, priùs à Deo approbari ſignis & miraculis oportet, &c.* poſtquàm affirmavit doctrinam Sancti Thomæ eſſe veram, quia ſignis, & miraculis fuit comprobata, inquit: *Ecce ergò doctrinæ Divi Thomæ dignitas mirabilibus è cælo ſignis approbatur. Ait enim Chriſtus Dominus coram omnibus apparens: de Corporis mei Sacramento rectè Thoma ſcripſiſti. Neque hoc uno tantùm miraculo, ſed admirandâ quoque illâ in aëre per cubiti ſpatium elevatione confirmatur. Itaque Sanctus Doctor Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis ſuam doctrinam tradidiſſe aſſerendus eſt.* Nota qualitèr jam iſte dicat, quòd coram omnibus Chriſtus apparuerit, ut approbaret quæſtionem illam de Sacramento Altaris. Et infrà cap. 8. diſcur. 5. ſub hoc titulo: *Nullo modo eſſe à D. Thomæ doctrina recedendum Chriſti Domi-*

Digitized by Google

Domini præconijs laudata, ac commendata. Ubi poſt alia inquit: *Laudandus igitur eſt ab omnibus D. Thomas non remiſſè, ſed vehementèr, qui eodem etiam modo à Chriſto Domino laudatus eſt: Benè, inquit ille, ſcripſiſti de me Thoma, &c. Doctrinam igitur D. Thomæ à Deo emanantem, & à Chriſto laudatam, bonamq; appellatam, & ab omnibus proinde meritò laudandam ſequimur Thomiſtæ, ſequendamq; omnibus, qui certam inquirunt veritatem, proponimus, &c.* Et libro 3. in annotationibus cap. 2. pag. 520. inquit: *Conſulendus etiam eſt idem Sanctus Doctor opuſculo 1. quod adversùs Grecorum errores Urbani IV. Pontificis Maximi juſſu ſapientiſſimè conſcripſit; de quo celebrem illam Chriſti Domini vocem (D. Thomam Neapoli ante ipſius Crucifixi Imaginem orantem alloquentis, aſſeverantiſq; illum rectè de ſe ſcripſiſſe) intelligendam eſſe credit Baptiſta Fulgoſius. Fortaſſis autem hæc Chriſti vox ſæpè D. Thomam laudavit. Nam & Clemens VIII. de quo paulò antè diximus, abſolutè libros, à D. Thoma in omni ferè diſciplinarum genere conſcriptos expreſſâ Chriſti Domini voce fuiſſe comprobatos aſſeruit.* Multa hîc dicit Pater Galvan; ſcilicet, quòd Chriſtus Dominus coram omnibus approbaverit opuſculum de Euchariſtiæ Sacramento, &c. & quòd aliâ vice elevatus fuerit in aërem, ut audiret eamdem vocem; quòd nullo modo ſit recedendum à doctrina Sancti Thomæ propter iſtam expreſſam approbationem, ſicut etiam propter aliam de approbatione opuſculi contra errores Græcorum. Sed hîc obiter nota: quòd, licet opuſcula Angelici Doctoris habeant aliquos errores magni momenti, hoc tamen contra errores Græcorum ſcateat graviſſimis mendis ac erroribus, ut infrà dicemus: quomodò autem iſtud approbaverit Chriſtus Dominus, cùm non ſit errorum approbator Deus, non habebit tam expeditam ſolutionem.

Verba Baptiſtæ Fulgoſij citata à Patre Galvan, ſic ſe habent in ſuo libro dictorum factorumque memorabilium, &c. lib. 1. fol. 109. *Neapoli in Prædicatorum templo Cruci affixa Chriſti effigies Aquinati Thomæ reſpondit rectè eum deſcripſiſſe: cùm Thomas librum tenens, quem adversùs Græcorum errores ſcripſerat, Chriſtum oraret, ut ſe monêret ſi quâ in parte ejus libri erraſſet, quòd eum ad Lugdunenſe Concilium Urbani IV. juſſu laturus erat.* Et hoc non dixit Baptiſta Fulgoſius ex ſe, ſed ex aliqua tranſcripſit hiſtoria, & ſic nihil certum remanet circa librum approbatum à Chriſto Domino.

Guilielmus Pepinus in ſerm. Sancti Thomæ fol. 95. inquit: *Quòd, cùm ſemel eſſet in Conventu Neapolitano, & quâdam nocte devotiùs oraret in Eccleſia antè imaginem Crucifixi, quibuſdam Fratribus eum obſervantibus viſus eſt à terra elevatus ſpatio unius cubiti, auditaq; eſt vox de Crucifixo dicens illi: Benè ſcripſiſti de me Thoma, &c. Similis elevatio, & ſimilis reſponſio illi facta eſt in Conventu Pariſinſi, dum, ſcilicet, completo Officio Sacramenti Altaris obtulit Codicem, in quo dictum Officium continebatur, ſuper altare, &c.* Sed com-

Digitized by Google

componenda ſunt omnia ſuperiùs relata cum dictis Franciſci Sylvij à Brania, oratione 2. de Sancto Thoma, paginâ 150. ſic dicentis: *Sed & Christus ſcriptoris Angelici doctrinam hoc elogio mirabilitèr probavit: Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam mercedem accipies? Atqui ne hoc loco nebulâ quorumdam oculis offundatur, ſuſpicantium de illa dumtaxat Doctoris noſtri ſcriptione id pronuntiatum, quâ Divinum Diviniſſimi Sacramenti Officium, Divino magis quàm humano edidit opere, ad eam diſcutiendam valebit, quòd Officium illud anno Domini 1264. in civitate Urbevetana ſcriptum fuerit, ubi tunc temporis Theologiam publicè profitebatur Thomas, & in ejus ditione fertur accidiſſe miraculum Corporalis ſanguine tincti. Elogium verò jam dictum Neapoli contigiſſe, & Crucifixus ad perpetuam rei memoriam aſſervatus, & unus omnium hiſtoricorum conſenſus probat, quos Pius V. ſequitur. Accidiſſe autem imminente jam Sancti viri obitu affirmat Petrus de Natalibus, & mercedis propoſitio ſuffragatur. An verò (quod nonnulli referunt) & locis, & temporibus diverſis eadem vox bis facta fuerit, non hîc diſcutimus: propoſito noſtro ſufficit ſemel auditam; ut quod Deus ſcripto mandatum inſpiraverat, generaliter ipſe probaret: ſic enim approbatam habemus Doctoris noſtri ſcientiam & doctrinam, à Græcis & Latinis, ab Apoſtolis, à Deipara, ab ipſo Domino, &c.* Auctor iſte prævidit nebulam ex aperta contradictione ſcriptorum circa hanc approbationem exortam; ſed dum illam voluit diſſipare, novis condenſavit vaporibus; quomodò enim unum, & idem Officium Sanctiſſimi Sacramenti potuit Angelicus Doctor compaginare in tribus diverſis civitatibus adeò inter ſe diſtantibus, Pariſienſi in Gallia, Urbevetana in ditione Pontificia, & Neapolitana exiſtente in alio regno? Aliqui dicunt ſemel auditam fuiſſe hanc Chriſti vocem, alij affirmant bis fuiſſe prolatam, alij verò ter; quomodò iſta componenda erunt? Secundùm aliquos approbavit Crucifixus tractatum contra errores Græcorum, ſecundùm alios Summam Theologiæ, ſecundùm quoſdam Officium Sanctiſſimi Sacramenti, ſecundùm nonnullos omnia ejus opera: & ſecundùm omnes quæſtionem illam de exiſtentia accidentium in Euchariſtia. Componat iſta, quiſquis voluerit.

Videamus denique, quomodò hanc referat revelationem primus, qui illam in publicum extraxit, ſcilicet, Sanctus Vincentius Ferrerius Valentinus, qui floruit circa annum 1420. & fuit contemporaneus Joannis de Monteſono, immò & ejuſdem Regni, vel territorij alumnus: inquit ergò in ſermone Sancti Thomæ, fol. 152. *Item quando ſibi dubia occurrebant, & ſtatim ab Angelo vel Apoſtolo Petro, & Paulo ei viſibiliter apparentibus de dubijs certificabatur. Ecce quales Magiſtros habebat! Immò ſemel apparuit ſibi Virgo* MARIA *cum Filio in brachijs, quæ ait Filio: Fili declareris ſibi hoc dubium, &c. Item cùm ſcripſiſſet ſuper materia accidentium Sacramenti Altaris,*

taris, in quo illa accidentia exiſtunt ſubjectivè, poſuit ſe in extremis Altaris orans, & dixit ſibi Crucifixus: Benè ſcripſiſti de me Thoma. Ecce ſua doctrina approbata à Papa Jeſu: quam ergò recipies pro tuo labore mercedem? Quid reſpondiſſes tu? Domine, quòd ſim Epiſcopus, vel Cardinalis. Sed Beatus Thomas reſpondit: Domine, non aliam mercedem recipiam, niſi te ipſum: & quia Chriſtus fecit mentionem de mercede, innuebatur de ejus obitu propinquo, & tunc Beatus Thomas ſcribebat ultimam partem, in qua tractabat de prædicta materia accidentium, quam non perfecit morte præventus. Idem de Officio Corporis Chriſti, quod de mandato D. Papæ ordinavit, quo completo librum ſuper Altare poſuit, & ipſo orante Chriſtus in forma pueri ſuper librum ſe poſuit, dicens: quòd illa ordinatio erat Sancta, & bona quantum intellectus humanus poſſet comprehendere. Ergò de ejus doctrina dubitari non debet: quia non ſolùm à Vicario Chriſti, ſed etiam ab ipſo Domino Jeſu Chriſto approbata fuit, &c. Si conferamus auctoritatem iſtam Sancti Vincentij cum alijs ſuprà adductis, ſtatim ſe offerunt oculis aliquæ contradictiones à ſuperioribus diſtinctæ.

Sed illis relictis, videamus qualitèr componenda ſint verba iſta S. Vincentij cum adductis à S. Antonino part. 3. hiſt. titul. 23. cap. 7. §. 7. folio 650. ſic dicente: *Cùm Pariſijs inter Doctores circa Sacramentum Dominici Corporis ventilaretur quæſtio admodum ſcrupuloſa de dimenſionibus & accidentibus, qualiter exiſterent ſine ſubjecto in ipſo mirabili Sacramento, & circa hoc diverſa ſibi diſcordantia Magiſtri dicererent, & ſentirent, in hoc fertur omnium concordaſſe ſententia: quidquid Frater Thomas Doctor determinaret, & diffinitivè proferret, hoc communis ſchola inconcuſſè tenêret. Experti namque fuerant in alijs de eodem, quòd ipſe ſubtiliùs in omni quæſtione veritatem attingeret, & eam clariùs edocêret. Defertur itaque quæſtio in ſcriptis ad ipſum cum rationibus & argumentis ſingulorum. Devotus verò Doctor argûtam quæſtionis hujus intelligentiam judicans, more ſolito, ut alter Moyſes, putavit eam eſſe quærendam à Domino, & oratione præmiſſâ ſcripſit, quod ſibi Divinitùs Spiritus revelavit. Quo facto iterùm cum quaternione ad altare oraturus acceſſit, & ſuper altare coram Chriſto ſummo Magiſtro quaternione depoſito, ſic devotè orans, elevatis ad Crucifixum manibus obtulit thymiama dicens: Domine Ieſu Chriſte, qui in hoc Sacramento mirabili veraciter contineris ut re veritas, & mirabilitèr operaris ut omnium Artifex, & Dei Sapientia, in quo te quæro intelligere, & veraciter edocêre; quæſo te ſuppliciter, ut ſi ea, quæ de te ſcripſi, vera ſunt, concedas mihi illa docêre, & apertè dicere: ſin autem aliquid ſcripſi tuæ Fidei non conſonum, & ab hujus veritate alienum, impedias, ne proponam quæ ſunt Fidei inconvenientia hujus mirabilis Sacramenti. Mira res! Mox ibidem Chriſtus viſibilitèr apparens, à ſocio Doctoris, & aliquibus alijs obſervantibus ſupra quaternionem ſtans in altari conſpicitur, taliter alloquens Sanctum ſuum: Benè de hoc Corporis mei Sacramento ſcripſiſti, & benè determinaſti tibi propoſitam quæſtionem, ſicut*

Digitized by Google

ab homine in hac vita poteſt intelligi, & humanitèr diffiniri, &c. Et hæc de illa apparitione Pariſijs facta, ubi notà illud: *Mira res! Mox ibidem Chriſtus viſibiliter apparens, &c.* Ergò non fuit imago Crucifixi, ſed Chriſtus è cælo ibi mirabilitèr deſcendens.

Alteram ſic refert idem Sanctus Antoninus §. 11. *Anno autem Domini* 1274. *mandatum ſibi fuit à Gregorio X. ut ad Concilium Lugdunenſe tunc celebrandum accederet, propter eminentem ejus ſcientiam, ſecumq; deferret librum, quem de mandato Urbani IV. fecerat contra errores Græcorum, de quibus erant in dicto Concilio, (ad quod fuerant vocati) arguendi rationibus efficacibus: antè tamen, quàm iter ſumeret, in Conventu Sancti Dominici Neapoli exiſtens, cùm quâdam nocte ante imaginem Crucifixi in Eccleſia devotiùs oraret, à quibuſdam eum obſervantibus viſus eſt à terra elevatus cubiti ſpacio, auditaq; eſt vox de Crucifixo: Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergò mercedem à me recipies? &c.* Iſtarum duarum revelationum narrationes in aliquibus differunt: Quoad primam conveniunt in hoc, quòd tunc Sanctus Thomas ſcriberet de materia accidentium in Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; ſed Sanctus Vincentius affirmat, quòd tunc dixerit illi Crucifixus: *Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergò mercedem recipies? &c.* Sanctus Antoninus non dicit illi Crucifixum fuiſſe locutum, ſed viſibilitèr Chriſtum Dominum ſtantem ſuper quaternionem ei apparuiſſe; nec dixit: *Benè de me ſcripſiſti*, ſed: *Benè de hoc Corporis mei Sacramento ſcripſiſti; & benè determinaſti tibi propoſitam quæſtionem, ſicut ab homine in hac vita poteſt intelligi, & humaniter diffiniri*, quæ verba inter ſe valdè differunt. Sanctus Vincentius affirmat hoc contigiſſe circa ejus obitum, Neapoli ſcilicet; Beatus autem Antoninus, quòd quando erat juvenis, & legebat Pariſijs. Item S. Vincentius indicat eum librum approbatum fuiſſe tertiam partem Summæ Theologiæ, quam morte præventus non potuit perficere; & Sanctus Antoninus aſſerit fuiſſe quaternionem continentem tantùm modum exiſtendi accidentium in Sacramento altaris, quòd fuit primum opuſculum totius vitæ ſuæ, licet modò quæſtio iſta inveniatur 3. parte, quæſt. 77. part. 1. Dicit, quoad ſecundam, Sanctus Vincentius, quòd ordinatum eſſet officium Corporis Chriſti, & quòd in forma pueri apparuerit Chriſtus Dominus ſuper librum, & verba prolata ſolùm continerent, quòd ordinatio eſſet ſancta, & bona quantum intellectus humanus poſſet comprehendere: *Et ipſo orante Chriſtus in forma pueri ſuper librum ſe poſuit, dicens, &c.* Et Sanctus Antoninus dicit librum approbatum fuiſſe illum ſcriptum contra errores Græcorum, & tunc ei fuiſſe dictum illud: *Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergò mercedem recipies?*

Ad conciliationem ergò omnium ſuprà dictorum, fatendum erit Chriſtum Dominum non ſemel, nec bis, ſed

ſed quinquies ſub diverſis formis ac figuris, civitatibus aut locis, nec non etiam verbis apparuiſſe, ac approbaſſe opera Sancti Thomæ. Primò, tractatum illum de exiſtentia accidentium Pariſijs, viſibiliter apparens ſupra quaternionem. Secundò, officium Corporis Chriſti in civitate Urbevetana, etiam viſibiliter apparens in forma pueri ſuper librum. Tertiò, librum ſcriptum contra errores Græcorum Neapoli. Quartò, tertiam partem Summæ Theologiæ ibidem. Quintò denique, omnia ejus opera, vel ibi, vel alibi, vel nullibi, quia nullum aſſignat locum. Quiſquis voluerit, ſolvat innodationes iſtas; nam ego libentiſſimè recipio, & admitto propoſitas quinque revelationes, & approbationes doctrinæ Sancti Thomæ. Utinam cum diſcurſu temporis inveniantur plures aliæ! Et hoc unum tantùm affirmo, me vidiſſe ac legiſſe tres vitas Sancti Thomæ à multis annis manu-ſcriptas, Pictavij apud Patres Societatis JESU; Pariſijs apud Canonicos Regulares Sancti Victoris; & Inſulis in Monaſterio Ciſtercienſium Dominæ noſtræ de laude; & alteram communem D. Bartholomæi de Luca Ordinis Prædicatorum & Epiſcopi Torcelani, quam inveni Pariſijs in Collegio Navarræ, in quibus nedum quinque, ſed nec una invenitur revelatio, ſeu approbatio ejuſmodi Chriſti Domini.

Denique omnia ſuperiùs dicta comprobantur ſatis efficaciter; nam Reverendus Pater Laurentius Surius ſcripſit vitam Sancti Thomæ extractam ex diverſis Auctoribus antiquis, quorum aliqui breviter, alij verò prolixè ſatis illam ſcripſerunt, à quo etiam illam tranſcripſit R. Pater Antonius Senenſis cum alijs ſub titulo: *Vitæ Sanctorum Patrum Ordinis Prædicatorum*, impreſſ. Lovanij an. 1575. à fol. 128. uſque 148. in qua nec verbum extat de hac approbatione Crucifixi, neque illarum ex ſuprà poſitis & infrà ponendis: ſignum eſt ergò quòd in antiquis legendis non extraherent omnia iſta fabricata à moderniotibus ſcriptoribus, & hæc propoſui hiſtorialiter, nihil affirmando aut negando.

Nec excludendam judico ab hoc loco auctoritatem Patris Bernard. de Parentinis, qui in illo ſuo libro, cujus titulus eſt: *Lilium ſive Elucidarium difficultatum circa Officium Miſſæ*, impreſſo in folio, & charactère antiquo ad finem inquit: *Ad honorem, & gloriam illius, qui in hoc Sacramento conſecratur mei Domini Noſtri Jeſu Chriſti, necnon illuſtriſſimi, & eximij Doctoris Sancti Thomæ de Aquino, cujus dicta, & determinationes Catholicas in hoc opere, quantùm ad concluſiones, & multa etiam circa expoſitionem Miſſæ, ego Frater Bernardus de Parentinis Ordinis Prædicatorum, Provinciæ Toloſanæ, & Conventûs Ortesij in Vaſconia ſecutus ſum; qui quidem Doctor egregius ad preces omnium Magiſtrorum in Pariſijs ſuper hoc ſcripſit, quod verum eſſe videbatur, & poſtquàm ſcripſit libellum ſuum, præſentavit Crucifixo in Altari rogans ferventiſſimè,*

quòd ſi vera de eo ſcripſerat, ipſe ſibi oſtendere dignaretur; & tunc Crucifixus reſpondit: Benè ſcripſiſti de me Thoma; idcirco apparet liquidè ex confirmatione, & approbatione Divina, quòd, qui hunc Doctorem ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, &c. Firmitèr eſt credendum, quòd, qui ſequitur doctrinam Sancti Thomæ, non ambulet in tenebris, ſed habiturus ſit, & habeat lumen vitæ, ſicut & ille, qui ſequitur Sanctum Auguſtinum, vel Sanctum Bonaventuram, vel quemlibet alium Doctorem Catholicum. Si autem Pat. à Parentinis vult dicere illud, quod indicat, ſcilicet, ex illa approbatione, & confirmatione Divinâ factâ à Crucifixo deduci ſolùm illum, qui ſequitur doctrinam Sancti Thomæ, ambulare in lumine, quia aliorum doctrinæ ſunt tenebræ, fallitur.

Pater Petrus Nigri ex Ordine Prędicatorum, in ſuo Clypeo Thomiſtarum impreſ. Venetijs anno 1481. ad iſtud elogium: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, ſic inquit: *Quòd ſi benè de Chriſto, benè quoque de humanis atque Divinis rebus, de moribus, de natura, de felicitate ſcripſit. Chriſtus namq. ipſe eſt Deus, & homo, per quem facta ſunt omnia, & via eſt hominum, & veritas, & vita, &c.* Ecce, quomodò argumentetur à conſequentia: Sanctus Thomas ſcripſit benè de Chriſto Domino; ergò ſcripſit benè de omnibus alijs rebus creatis, & increatis; idem namque eſt, dicere Chriſtum: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, ac ſi diceret: Benè ſcripſiſti de me, de Angelis, de cælo, de mundo, de gloria, de Paradiſo, de Purgatorio, & inferno: Benè ſcripſiſti de me, & de Adamo, & Eva; de Lucifero, & omnibus alijs creaturis; at ubi relinquitur Sacratiſſima ejus Mater MARIA? Sed hoc jam non pertinet ad Nodum.

De approbatione iſta facta à Chriſto Domino: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; multa dicit D. Joannes Lavunoy Doctor Pariſienſis, & antiquitatum indagator accuratiſſimus, illamque rejicit tamquàm falſam, ſuppoſitam, & introductam à tempore Joannis de Monteſono, quando exorta fuit illa controverſia cum Univerſitate Pariſienſi circa approbationem doctrinæ Sancti Thomæ habita, ut ſuprà vidimus, anno 1387. Ex illo enim anno exierunt ſcriptores in campum ad venandas approbationes doctrinæ Sancti Thomæ, ita ut, cùm tunc ſolùm haberent duas, poſt paucos annos creverint uſque ad quatuordecim. De hac igitur re, & approbatione individua edidit prædictus Doctor opuſculum manu-ſcriptum, cujus titulus eſt: *Poſt annum* 1387. *Sancto Thomæ Aquinati cœpta eſt tribui viſio, quam Neapoli Chriſtus apparens ei dixit: Benè ſcripſiſti de me Thoma, &c.* Et opus incipit ſic: *In themate quod proponimus, continentur duo: ante annum* 1387. *nullum inveniri ſcriptorem, qui hujus viſionis meminerit, &c.* Et diſcurrit probando hanc primam partem, ſcilicet, quòd nullus ſcriptor ante prædictum annum de illa viſione mentionem fecerit, ut Bartholomæus de

Digitized by Google

de Luca Epiſcopus Torcellanus Ordinis Prædicatorum, & Sancti Thomæ auditor, nec Joannes XXII. in diplomate, nec Stephanus Epiſcopus Pariſienſis in ſuis litteris, nec Urbanus VI. in Bulla tranſlationis, nec tandem Joannes de Monteſono in illa ſua acri controverſia, in qua pro hac materia adduxit, quidquid invenire potuit, & non ſolùm ille, ſed & alij decem Patres, & Magiſtri peritiſſimi deſignati à tota Prædicatorum familia in capitulo Toloſano pro defenſione doctrinæ Sancti Thomæ: quibus etiam poterat addere Doctor Lavunoy alia monumenta antiquiſſima à nobis viſa, ſcilicet, vitam Sancti Thomæ de Aquino manu-ſcriptam exiſtentem in Collegio Pictavienſi Societatis JESU, quæ incipit: *Legenda Sancti Thomæ de Aquino de Ordine Prædicatorum, de ortu, vita, & obitu, ac geſtis ejus; cujus feſtivitas celebratur nonis Martij, quâ die tranſijt ex hoc mundo, compilata per Epiſcopum Redonten. &c.* Et extat in 4. Item aliam manu-ſcriptam exiſtentem in Monaſterio Sancti Victoris extra muros Pariſien. in charta pellicea; aliam exiſtentem in Monaſterio Dominæ noſtræ de laude Ciſtercien. propè Inſulas. Monumentum præcipuum eſt illud Petri Rogerij exiſtens in Bibliotheca DD. Fucquet, & in Monaſterio Marchianenſi Duacen. ubi in duabus concionibus latiſſimis habitis poſt annum 1324. refert de Sancto Thoma & doctrina ejus, quidquid uſque ad illud tempus ſcriptum, vel dictum fuerat, tamen de hac approbatione nihil dicit; verum eſt quòd in quadam legenda manu-ſcripta exiſtente in Monaſterio Vallis Viridis Canonicorum Regularium propè Bruxellas dicitur, capite 25. *Cùm enim Pariſijs inter Doctores circa Sacramentum Dominici Corporis ventilaretur quæſtio admodum ſcrupuloſa de dimenſionibus, & accidentibus, utrùm exiſterent ſine ſubjecto in ipſo mirabili Sacramento, &c. Quo facto iterum ad Altare cum quaterno oraturus acceſſit, & coram Altari, coram Chriſto tamquàm Summo Magiſtro quaterno depoſito ſic devotâ oratione, &c.* Et poſitâ oratione concludit cum Crucifixi reſponſione: *Benè de hoc Corporis mei Sacramento Thoma ſcripſiſti, & benè determinaſti tibi propoſitam quæſtionem ſicut ab homine in hac vita degente poteſt intelligi, & humanitùs diffiniri.* Huc uſque in illa Legenda. Sed Codex iſte fuit ſcriptus poſt annum 1450. ut ex ipſo conſtat, & ſic ex ipſo etiam confirmantur omnia ſuperiùs dicta, & hæc de prima parte.

Sed pro hac ſecunda impreſſione jam inventa fuit quædam alia hiſtoria antiqua, à qua omnes alij tranſcripſerunt, cujus Auctor fuit quidam Humbertus Ordinis Prædicatorum in hiſtoria, ſeu vita Sancti Thomæ, quam manu-ſcriptam invêni in Monaſterio Canonicorum Sanctæ Crucis Coloniæ, ſub hoc titulo: *Proœmium de hiſtoria Beati Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, & primò de neceſſitate inſtitutionis, & ejus commendatione,*

ca-

Digitized by Google

caput 1. & incipit: *Deus, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere modernis temporibus, quaſi ad mundi veſperam, &c.* Et habet capita 67. quantùm ad vitam; deindè ponit miracula ab ipſo facta 56. & ſparſim continentur diverſæ apparitiones atque revelationes. In hac ergò hiſtoria, capite 53. ſub hoc titulo: *Quomodò de Sacramento Altaris, quod ſcripſerat & conceperat per viſionem Chriſtus approbavit.* Et hiſtoriam integram ſic deſcribit: *Aliud admirandum Divinæ virtutis prodigium prædicto Doctori dicitur Divinitùs eſſe monſtratum: nam cùm Magiſtri Pariſienſes diverſas rationes adinveniſſent ſuper quæſtione de dimenſionibus Corporis* JESU *Chriſti, & de accidentibus exiſtentibus ſine ſubjecto in Sacramento ipſius Corporis & Sanguinis, quorum evidentiam ſenſus & ſine ſubjecto exiſtentiam ſuaderet Fidei intellectus, & ſuprà dicti Magiſtri ſuper modo dicendi hoc myſterium diſcordarent, in hanc omnes ſententiam convenerunt, ut quidquid ſuper hoc prædictus Doctor F. Thomas diceret, & ſententialiter diffiniret, hoc ab omnibus teneretur ut verum & conſonum Fidei, & perſuaſibili rationi, de qua experti fuerant in aliis, quòd ſubtiliùs in omni quæſtione veritatem attingeret, & clariùs edocêret. Super quâ quæſtione cùm delata fuiſſent ad eum omnia in ſcriptis, quæ unuſquiſque ſentire videbatur recollecto intra ſe ſpiritu, & in contemplatione elevato altiùs intellectu præmiſsâ more ſolito oratione devotâ, quidquid invênire potuit, & quidquid Deus ei dignanter infudit, quo breviùs & clariùs potuit, ſcriptura digeſſit. Quæ cùm non præſumeret, ut in ſcholis coram magiſtris proponeret, niſi priùs ipſum conſuleret, de quo erat quæſtio, quem oraverat ut doceret, accedens ad altare quaternum, quem ſcripſerat de quæſtione prædicta, ante ſe quaſi coram ſuo Magiſtro poſuit, & elevatis ad Crucifixum manibus, ſic oravit: Domine* JESU *Chriſte, qui in hoc Sacramento mirabili veraciter contineris, & res mirabiliter operaris ut Artifex, in quo te quæro intelligere, & te veraciter edocêre, rogo ſuppliciter, ut ſi ex te, & de te ſunt vera quæ ſcripſi, concedas mihi illa dicere, & aperta diſſerere. Sin autem aliquid ſcripſi, quod non ſit Fidei tuæ conſonum, & hujus ſit Sacramenti myſteriis alienum, impediat ne poſſit procedere, quia videntur à Fide Catholica deviare. Quem Doctorem orantem cùm prædictus ejus ſocius cum aliquibus aliis Fratribus obſervarent, ſubitò viderunt ipſum Chriſtum ante dictum Doctorem ſuper quaternum, quem ſcripſerat, ſtare, & Fratri Thomæ dicere: Benè de hoc mei Corporis Sacramento ſcripſiſti, & de quæſtione tibi propoſita benè & veraciter determinaſti ſicut ab homine in via poteſt intelligi, & humanitùs diffiniri. Quo diutiùs in oratione perdurante, quem intellectualis vel ſenſualis viſio delectabat, viſus eſt Doctor prædictus, quaſi per unum cubitum elevari in aëre, quem tanta virtus contemplationis erexerat, & Divina aſſiſtentia attrahebat. Ad quod prodigium intuendum Priorem Conventûs, & plures alios Fratres, quibus revelatum erat hoc mirabile, pro teſtimonio vocaverunt, qui venientes viderunt, & pluribus aliis retulerunt, inter quos fuit*

Fra-

Frater Martinus ſcholaris de Provincia Hiſpaniæ, vir magnæ devotionis & famæ, qui audivit à Fratre, qui prædictam vidit mirabilem viſionem, qui erat in Conventu Sancti Maximini, prædicto Fratri & ejus ſocio, qui pro canonizatione prædicti Doctoris ad curiam accedebant, coram pluribus retulit, & certâ atteſtatione firmavit, reputans, quòd in Dei & Sancti gloriam cederet, ſi, quod de tanto Doctore audiverat, revelaret. Qui Doctor cùm mirificè certus eſſet effectus de diffinitiva propoſita quæſtionis veritate, tam lætanter & lucidè quæſtionem propoſitam coram Univerſitate propoſuit, quàm evidenter Chriſtus, de quo erat quæſtio, Doctorem ſuum de veritate pleniùs illuſtravit. Hæc ille. Placuit tranſcribere totum caput illius hiſtoriæ, quam veram eſſe judico, & ut talem recipio, atque ſubmiſſis poplitibus veneror. Similiter credo hanc eſſe illam piam hiſtoriam, de qua egit Summus Pontifex Pius V. in ſupra-poſita Bulla, quia aliam antiquiorem non invênio; ſed ſi eſt alia, ipſam oſtendant, quia in iſta nullum aliud extat verbum.

Ex illa autem hiſtoria vera aliqua deducimus: Primum, quòd ab iſta tranſcripſerint Sanctus Vincentius, & Sanctus Antoninus, ut conſtat ex verborum identitate. Secundum, quòd non fuerit niſi una apparitio, ſeu revelatio, non tres nec quinque. Tertium, quòd ſolùm fuerint approbata illa, quæ continentur in his Chriſti Domini verbis: *Benè de hoc mei Corporis Sacramento ſcripſiſti, & de quæſtione tibi propoſita benè & veraciter determinaſti*: non autem fuerunt approbata omnia opera, quæſtiones, & determinationes ab ipſo Angelico Doctore factæ. Quartum, quòd totum præpoſitis verbis relatum, non ſit niſi quædam pia hiſtoria, quæ in pietate conſiſtit, & à mera pietate dependet; quia nullus teſtis ocularis hoc juridicè atteſtatus eſt, ſed Frater Martinus ſcholaris, ac per conſequens juvenis hoc audivit à quodam incognito alio Fratre; à Martino divulgatum eſt ad alios: ab illis hoc audivit iſte Hiſtoriographus, & ſic neceſſe eſt, ut pietas conſtituat pro primo principio, quod quatuor ad minùs Patres ſingulares dixerunt veritatem diverſis temporibus. Et quintum etiam, quòd, cùm iſta propalata fuerint pro canonizatione Angelici Doctoris, & in ea nihil dicatur de tali revelatione, quando alia miracula minoris momenti ſine comparatione referuntur in Bulla; pro ipſius credulitate, ſi non operetur pietas Chriſtiana, teſtimonium hoc nimis periclitabitur etiam apud hujus Sancti devotiſſimos. Sextum, quòd non fuerit imago Crucifixi allocuta, ſed ipſemet Chriſtus ſtans ſuper quaternionem; an autem hoc factum fuerit in forma pueri vel viri, non dicitur.

De ſecunda verò, ſcilicet, quòd ab anno 1387. fuerit approbatio illa inventa, & divulgata, probat prædictus Doctor Lavunoy affirmando, quòd primus ſcriptor, in quo invenitur præ-

dicta viſio, ſeu revelatio, ſit Sanctus Vincentius Ferrerius, qui floruit ad annum 1419. in ſermone Sancti Thomæ. Secundus ſit Sanctus Antoninus Florentinus in tertiâ parte ſuæ Chronicæ, titulo 23. cap. 7. §. 7. qui ſcripſit ad annum 1445. & hinc cœpit divulgari per omnes libros. Adducit etiam auctoritatem Melchioris Cani Ordinis Prædicatorum de locis Theologicis cap. 6. ubi quærit: Qui ſint probatæ fidei Auctores, à qua excludit Sanctum Antoninum. Et inſuper notat, quòd in Breviario Romano impreſſo Pariſijs anno 1549. nondum eſſet inſerta prædicta viſio (neque exſtat in alio niſi in illo edito à Bandello) & concludit ſuum opuſculum ſic: *Quamobrem ex lege ſanioris judicij, quo poſt Tridentinum Concilium recenſiti ſunt ſacrorum rituum Codices, quæ viſio ducentis quinquaginta plus minùs annis memorata Breviaria non occupaverat, potuit deinceps non occupare: Sanctus enim Thomas incertis narrationibus non eget ad commendationem ſui, neque Eccleſia, quæ narrationes iſtiuſmodi à Breviarijs tollendas eſſe decernit; Doctori Sancto ſua ſibi ſufficit virtus, & eruditio; ornamentis fœdatur adjectitijs, non honoratur. Eccleſiæ quoque ſuæ ſibi ſufficiunt dotes, quas nulla umquam inferorum vel hæreticorum dedecoratura eſt molitio. De ſacris Patrum Prædicatorum officijs nihil occurrit quod ſcribam: etenim habitum anno* 1551. *Generale Capitulum, ſtatuit, ut Ordinis Breviarium multis hiſtorijs ſuggeſtis Sanctorum apocryphis, & minùs nonnumquàm veriſimilibus pleniùs expurgaretur. Noverant prudentes, atque pij viri Chriſtianam Religionem, quæ ex veritate ſola conſtat, hominum mendacijs non indigêre. Sic in theſi facilè inter omnes convenit, & hypotheſi facilè quoque conveniret, ſi aſſeverandæ veritatis, & deſtruendæ falſitatis regulæ ſervarentur.* Hucuſque Doctor ille Pariſienſis, qui nec unam voluit admittere approbationem, cùm tamen Auctores Ordinis Prædicatorum proponant tres, & ego inveniam eſſe quinque; & ſi adhuc propter hoc vocatus fuero Servus Nequam, quando pro uno talento reddo quinque, ſignum erit, quòd habeam Dominos duros, & auſteros.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

Revelationes, & miracula facta pro comprobatione hujus myſterij puritatis, immunitatis, ac præſervationis à peccato originali, tot tantaque ſunt (ut videre eſt apud Joannem Vitalem in ſuo Defenſorio, Joannem Alanum, Pelvartum à Temeſuar, Cartagenam, Hondeghem, Arma-

Armamentarium noſtrum, atque in Militia, ſed præcipuè tamquàm in fonte reperiuntur apud Bernardinum de Buſtis Ordinis Minorum ſcriptorem, in novem ſermonibus ſui Marialis, ſeu Roſarij elaborati anno 1492.) ut eſſet velle hîc illa tranſcribere, alium conficere tomum: ad quorum finem Buſtis inquit: *Sciant ergò omnes, quòd ea, quæ in hoc opere ſcripſi, aut ipſe ex originalibus libris extraxi, aut ab aliis Auctoribus ſit allegata tranſcripſi. Miracula verò hîc poſita, aut ipſe oculis proprijs vidi, aut à fide dignis narrata, vel deſcripta recitavi, &c.* Hâc tamen proteſtatione non obſtante defenſores opinionis contrariæ dicunt, omnia illa eſſe miracula ficta, & Bernardinum de Buſtis vocant: Bernardinum de *Embuſtes*. Hiſpani ſcient, quid opprobrij in hac voce contineatur. Pater Wigandus Uvirt mira contra ipſum dicit in ſuo Dialogo 2. à folio 15. ſic incipit. *Hîc de opere Bernardini in titulo de Conceptione; etenim rationes componit inutiles, frivolas, ac ſtultas; auctoritates Sanctorum corruptè & extortè adducit, exempla ſimpliciter conficta, mendacijs & his graſſiſſimis atque blaſphemijs in Sanctos referta: quaſi veritatis teſtimonia impudentiſſimo ſcribendi genere refert, &c.* Et hinc deſcendit ad particularia & quidem graviora: ſed ex omnibus ab iſto Bernardino adductis tranſcribo tantummodò unum exiſtentem ſermone 8. parte 3. littera C. quia cum præcedenti de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ à Chriſto Domino, habet aliquam ſimilitudinem. Inquit ergò: *Alia quoque Monialis dum quâdam nocte admiraretur, quòd Eccleſia Dei non celebraret Feſtum Conceptionis Beatæ Virginis, viſio ei eſt oſtenſa hoc modo: nam dum dormiret, venit vox Divina ad eam dicens: Quare turbata miraris, quòd Eccleſia Dei non celebrat Feſtum Conceptionis Matris meæ? Veni mecum, & oſtendam tibi veritatem. Et illa timens ait: quis es tu, qui loqueris? Et vox reſpondit: ne dubites, quia ego ſum via, veritas, & vita. Tunc confortata eſt, & ivit poſt vocem, & duxit eam ad locum pulcherrimum, & valdè delectabilem: & tunc vox ei dixit: Scias filia pro certo, quòd poſtquàm dæmones ceciderunt de cælo, Angeli confirmati in gratia Dei omni anno Feſtum Conceptionis Matris meæ in cæleſti curia ſolemnitèr celebrarunt: quia in mente Divina eſt præſervata ab æterno; & ideò ab Angelis eſt eius præſervatio ſolemnizata; & qui devotè celebrabit hoc Feſtum, remiſſionem conſequetur omnium peccatorum, & vita æterna finalitèr fruetur. Beatus etiam Bernardus poſt mortem ſuam apparens cuidam Monacho ſuo dixit: Quòd in cælo ſit Feſtum Conceptionis. Multis quoque Sanctis revelatum fuit, quòd maximum gaudium ſit in cælo de Conceptione ejus. Et ideò ſimilitèr fieri debet Solemnitas in terra, &c.* Hucuſque revelatio illa. Si iſta revelatio eſt ficta, conſequentèr fictum erit quod dicit Sanctus Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicat. agens de iſta cælica Feſtivitate in ſermone de Conceptione circa finem, ubi concludit: *Ratio, quia ſi gaudium eſt Angelis, ut dicitur, ſuper uno peccatore pœnitentiam*

Digitized by Google

agente, non mirum ſi fecerunt Feſtum de illa, quæ numquam peccavit, &c. Nota verba: *quæ numquam peccavit*, quæ propoſitio falſa eſſet, ſi habuiſſet originale.

Videamus ergò quid dicant defenſores opinionis contrariæ de miraculis, ſeu revelationibus factis in favorem myſterij Conceptionis. Omnes illa negant; aliqui dicunt eſſe falſa, & ficta; alij chimæras-ſomniatas: & ſolùm unum invenio, qui ex profeſſo agit de iſtis miraculis, & hic eſt Anonymus part. 3. ratione 30. folio 189. ubi inquit: *Quòd aliqua non ſint vera miracula, ſed phantaſticè facta, quibus, ſcilicet, ludificatur homo, ut videatur ei aliquid, quod non eſt, ut quotidiè fieri cernimus per incantationes. Quadam ſunt verè facta, ſed non verè habent rationem miraculi, quia fiunt virtute cauſarum naturalium: & hæc duo poſſunt fieri per Dæmones, & per malos homines in virtute Dæmonis, ſicut legitur in vita Sancti Bartholomæi de Aſcaroth, qui curabat infirmos; & etiam vidimus, quòd incantatores ſuis carminibus ſanant multas infirmitates; & hujuſmodi fortè ſunt miracula, quæ fiunt per Conceptionem, quia, videlicet, Dæmon ut diviſionem ponat inter ſervos Dei, & errorem nutriat in Eccleſia, Deo permittente, ut qui in ſordibus eſt, magis ſordeſcat, ad invocationem Conceptionis ſanat aliquas infirmitates &c.* Poſſetne dici quid ampliùs in hac materia? Miracula pro Conceptione Virginis MARIÆ facta ſunt virtute Dæmonis, & incantatorum, Deo ſic permittente, ut in Eccleſia ſua Sponſa Sancta, & dilecta nutriat errorem, ut qui in ſordibus eſt, magis ſordeſcat. En, iſte non tantùm ponit maculam in Dei Genitrice, ſed etiam ſordem in Eccleſia. Deinde adducit illud commune exemplum: *Cùm autem Beatus Martinus illuc ſemel adveniſſet, vidiſſetq; altare conſtructum plenum undique notis, & imaginibus, ignoraretq; nomen, itamq; & conditionem ejus, qui pro Sancto venerabatur, rogavit intentè Deum, ut ſibi dignaretur revelare nomen, & merita illius, & dum ſtaret in oratione, apparuit ſibi umbra ſquallida dicens: Ego miſer ille ſum, qui pro Sancto in hoc loco veneror, & æternis ſùm ſupplicijs deputatus, quia ſicarius, & homicida fui, & latrocinia ſemper exercui, & tandem in ipſo actu latrocinij fui occiſus. Quem Chriſtiani invenientes, errore decepti credentes me pro Chriſti Fide occiſum, uſque ad hanc horam tamquam Martyrem venerati ſunt. Et ad hunc ſenſum dicit Beatus Auguſtinus: quòd multa corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. Et hoc modo dicimus, quòd non virtute Conceptionis, quæ cum peccato fuit, ſed virtute Divinâ propter Fidem, quam habemus ad ipſum, miracula fiunt, &c.* Et poſt plura concludit ſic: *Beata ſiquidem Virgo attendens ad Fidem, & devotionem, quam habemus ad ipſam, ex qua procedit, ut credamus hanc falſitatem, quòd ſit concepta ſine peccato, exaudit vota noſtra, &c. Dicitur quartò, quòd illa miracula, quæ à talibus prædicatoribus dicuntur, non ſunt vera, ſed mendacioſè conſicta, & ideò illis non eſt fides adhibenda, donec ſint benè examinata juxta debitam formam diu ab Eccleſia*

Digitized by Google

cleſia ſervatam in canonizatione Sanctorum, præſertim cùm talia nimis præjudicent auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, &c. Miracula facta, vel relata pro puritate Virginis ſunt falſa, & mediocriter conficta, atque præjudicialia Sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus; & miracula relata pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, nec ſunt ficta, falſa, nec præjudicialia.

Hîc dare decrevi verba doctiſſimi atque eminentiſſimi Sanctæ Romanę Eccleſię Presbyteri Cardinalis Joannis de Lugo Hiſpalenſis in diſputationibus ſcholaſticis & moralibus *De virtute Fidei Divinæ*, diſputatoine 20. ſect. 3. n. 96. ſub titulo *De propoſitione temeraria, ſcandaloſa & ſeditioſa*. Ubi quærens *quid ſit propoſitio temeraria*, inquit: *Propoſitio temeraria apud Cenſores Theologos eſt, quæ communi Patrum ſenſui opponitur; aut quæ contra Doctores Theologos ſentit ſine ſufficienti fundamento, quale eſſet, ſi magni ponderis ratio, vel gravis Doctoris auctoritas, qui rem benè diſcuſſiſſet pro eâ etiam parte reperiretur. Ad hoc autem, ut propoſitio hanc cenſuram mereatur, debet eſſe in materia propriè Theologica; nam quæ ſolùm eſt talis in materia merè Philoſophica, vel Aſtrologiæ v. g. erit quidem temeraria in Philoſophia vel Aſtrologia, non tamen dicetur temeraria ſimpliciter & abſolutè; quia hæc cenſura uſurpatur ſolùm in iis, quæ res Theologicas concernunt. Talis erit, ſi aliquis dicat, aliquem alium Sanctum (præter Beatiſſimam Virginem) conceptum fuiſſe ſine peccato originali, quamvis hæc graviorem cenſuram fortaſſe mereretur; vel eamdem Beatiſſimam Virginem non eſſe aſſumptam in corpore & anima in cælum; vel etiam qui negat hiſtorias pias communitèr ab Eccleſia receptas, & propoſitas v. g. Quòd Chriſtus Beato Thomæ Aquinati dixerit: Benè ſcripſiſti de me Thoma, & his ſimilia.* Docta quidem & prudens determinatio, ſecundùm quam, qui negaret abſque ſufficientiſſimo, ac ſolido fundamento, verba illa: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, eſſet temerarius. Huic ſententiæ acquieſco, & ſubſcribo, & pergo ad fundamentum. Eſſetne temerarius ille quia propoſitio iſta ſeu aſſertio eſt communis Sanctorum Patrum? Non. Quia eſt commune Theologorum placitum? Minimè; ſed eſſet temerarius, quia negaret *hiſtorias pias communitèr ab Eccleſia receptas, & propoſitas*. Ergò iſta eſt ſolùm hiſtoria pia; & ut talis recepta ab Eccleſia. Suppoſita ergò hâc pietate, ingrediamur Nodum.

Digitized by Google

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

REvelationes, prodigia, & miracula facta pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, ita ſunt vera, certa, ac infallibilia, *ac juxtà debitam formam, ab Eccleſia ſervatam in canonizatione Sanctorum examinata* (non obſtantibus tot incongruentijs, repugnantijs, ac contradictionibus de hac prima & præcipua in Cortice oſtenſis) ut non liceat illa vertere in dubium, vel adducere ad quæſtionem, ventilando, utrùm ſic, aut ſic ſint intelligenda: ſed ut nobis proponuntur, cœcâ fide ſunt credenda, amplectenda, & veneranda: quia illis contradicere (quid dico contradicere?) immò vel tangere, aut ſolùm ſuſpicari, quòd labor collimet, & tendat ad illum finem, licet nullum proferatur verbum magnum vel parvum, qualificabitur ut hallucinatus, Servus Nequàm, dignus judicio, ac ſupplicio cum alijs poſitis in primo Nodo, & à Patre Xantes relatis. Impugnare autem, & condemnare ſine ullo fundamento omnia & ſingula miracula, vel revelationes relatas à graviſſimis ſcriptoribus pro Incontaminata Virginis puritate, affirmando expreſſis verbis parùm modeſtis, non eſſe veras, ſed potiùs phantaſticas, confictas, vel factas virtute dæmonum, aut incantatorum (qualiter ſolent eludi ab Hæreticis Catholicorum miracula) eaſque introductas in Eccleſiam Dei ut ponant ſcandalum inter ſervos Dei, & nutriant errorem inter fideles, ut qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, comparando Sacrum myſterium iſtud de Conceptione cum umbra illa ſqualida æternis ſupplicijs deputata ſicarij, & homicidæ, qui in fragranti delicto occiſus in inferno ſepultus fuerat, non eſt delictum, ſed virtus; nec talia ſcribens eſt Servus Nequam, ſed fidelis. Quid cogitavit qui iſta ſcripſit? Quòd non ſit deteſtandum, ſed ſequendum, amplectendum, immò & ampliandum inter Religioſos, Thomiſtas, Catholicos; ut unum ac idem individuum miraculum, ſeu revelatio facta pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ ita multiplicetur, ut ex ipſo faciant quinque diverſa miracula & revelationes; quaſi non ſufficeret pro approbatione doctrinæ Angelicæ, quòd ſemel locutus eſſet Dominus, niſi etiam ſub diverſis ſpeciebus ac figuris, jam in imagine, jam in propria perſona, jam puer factus, jam Crucifixus, multiplicatis etiam locis & civitatibus, Pariſienſi, Neapolitanâ, & Urbevetanâ, toties deſcenderet ad proferenda verba illa: *Benè ſcripſiſti de me Thoma?* Et quòd

pro

pro puritate Matris ejuſdem Crucifixi,& pueri, ex centum miraculis nec unum velint admittere, aut recipere, quin omnia & ſingula nitantur impugnare, explodere ac eludere,etiam cum ſcandalo fidelium? Nodus iſte exitum non invêniet; quia magis credibile videbitur rectè ſentientibus de rebus Divinis, & omnibus fidelibus cordatis plùs rationi conſentaneum, quòd Chriſtus Jesus millies teſtificaverit pro Matre ſua hęc quinque verba: Maria *fuit concepta ſine macula*, quàm pro Sancto Thoma ter, vel quinquies dixerit illa etiam quinque: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*.

Nodus secundus.

Quòd Pius V. Pontifex Maximus Ordinis Prædicatorum fateatur expreſſis verbis in Bulla, in qua agit de feſtivitate, & officio recitando in die S. Thomę: quòd hęc revelatio de imagine Crucifixi loquentis, ac dicentis: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, referatur in quadam pia hiſtoria, & ut talis pia hiſtoria collocetur in lectionibus Breviarij, licet inter antiquas non compareat iſta pia hiſtoria, & cum hac ſola pia comprobatione velint, dicant, & defendant, quòd venerari, recipi, & admitti debeat, quaſi eſſet quidam Fidei articulus: quia etiam ab alio Summo Pontifice Clemente VIII. fuit mirabilitèr in alia Bulla approbata, contra quos non licet movêre linguam; optimè,& libentiſſimè acquieſco. Sed componamus modò alterum extremum: miracula,& revelationes, quæ extant in duobus officijs approbatis à Summo Pontifice Sixto IV. non, ut præcedens, incidentèr in quadam ſuccincta clauſula, ſed in duabus Decretalibus, immò & in quatuor, non epiſtolis miſſis ad civitatem tantùm Neapolitanam, ſed ad totam Chriſtianitatem directis; non in epiſtola relata ab altero ſucceſſore Clemente VIII. ſed confirmatis formâ ſpeciali de verbo ad verbum reſpectivè à quinque, Alexandro VI. Leone X. Pio V. Paulo V. Gregorio XV. & inſuper à Sacro Concilio Tridentino. In quibus non dicitur ſemel: Virginem Mariam fuiſſe conceptam ſine peccato originali, ſed centies. Nec conceditur pro ipſis una indulgentia ſeptem annorum, ſed ſine numero; nec remittitur Pontifex ibi ad piam hiſtoriam, ſed ad veritatem ipſam diſcuſſam & examinatam per tot ſæcula; ac denique non dicitur in illa Decretali: *Sicut pia teſtatur hiſtoria*, ut in epiſtola Pij V. ſed: *Juxta piam & devotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarij noſtri, & quę deſuper à nobis emanavit, &c.* Nota iſta ultima verba, *& quæ deſuper à nobis emanavit*. Quòd ſtantibus omnibus iſtis exceſſibus clauſula epiſtolæ Pij V. relata à Clemente VIII. ſit vera, & irrefragabilis; & Decretales Sixti IV. confirmatæ à quinque Summis Pontificibus, & Sacro Concilio Tridentino ſint falſæ, & apocryphæ: quòd hiſtoria illa incognita ſit tangenda;

&

Digitized by Google

& Decreta univerſalia authentica ſint oppugnanda: quòd pietas nuda pro doctrina Sancti Thomæ faciat evidens teſtimonium; & pietas, devotio, & ordinatio laudata à Summo Pontifice patiatur opprobrium dicente,& ſcribente quodam Generali Ordinis Prędicatorum, quòd Nogarôlis in illis *mentitus eſt in caput ſuum*; quòd fuerit idiota,& homo nullius momenti, & alia, quæ modeſtiæ causâ tacentur: & altero Generali, quòd Sixtus IV. fuerit ex Ordine Minorum, & ſic de ipſius Decretis parùm ſit curandum,quia fuerunt expediti pro ſimplicibus. Et Pius V. pro doctrina Sancti Thomæ non fuit ipſe ex Ordine Prædicatorum? Deditne ipſe ſuamBullam pro ſolis ſapientibus? Igitur pro doctrina Angelici Doctoris per fas, vel nefas pietas aſcendet ad gradum ultimum irrefragabilis veritatis; & pietas, & devotio faciunt deſcendere uſque ad ultimum gradum ficti mendacij cauſam Virginis. Si hæc eſt juſtitia,veritas, & pietas, judicet non tantùm qui habet pietatem, & devotionem cum ſimplicitate, ſed etiam indevotus quilibet & ſapiens.

NODUS TERTIUS.

Quia dixit Chriſtus Dominus illa quinque verba, ſeu dictiones latinas: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*,remanſit tota doctrina Angelici Doctoris, lux totius mundi facta, & judicio Chriſti comprobata habens iſta quinque privilegia: *Approbata, pura, ſine errore, fæce & atomis.* Et quod conceſſit Deus conceptui mentis S.Thomæ, non habuit Conceptus ventris Virginis Dei Matris cum illis decem: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; nec cum alijs decem reduplicatis: *Ave* MARIA, *gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quia illius Conceptio non fuit approbata,ſed reprobata, cum errore, impura,cum fæce, & atomis peccati originalis, concupiſcentiæ, fomitis, &c. Et iſti fueruntne atomi? Sed facillimè ſolvunt Nodum iſtum dicentes, quòd verba iſta non fuerint dicta Virgini pro ſua Conceptione paſſiva, ſed pro activa. Attamen ex ſolutione iſta majores reſultant Nodi: primò: quia etiam dicemus nos verba illa: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, fuiſſe dicta de activa ſcriptura Angelici Doctoris, non de paſſiva; quia etiam conceptus mentis dividitur in activum,& paſſivum.Undè hæc, quâ modò utimur,& ſub nomine Sancti Thomæ circumfertur, non eſt approbata, nec pura, cùm ſcateat erroribus, fæcibus, & atomis; & ſi hanc non admittunt, vel judicant eſſe inſulſam diſtinctionem: inſulſior eſt ipſorum. Secundò: quia verba propoſita fuerunt dicta Angelico Doctori, quando circa mortem laborabat Summam Theologiæ, quam morte præventus conſummare non potuit; & ſi, quòd dictum eſt illi ad extremum vitæ, extendunt ad viginti quatuor annos antecedentes, ac in illis ſcripta; quare nolunt retroire in MARIA per duodecim annos retrocedendo

dendo in Thoma per 24? Tertiò, ſic hæc verba illi dicta fuerunt, quando ſcripſit primò quæſtionem Pariſijs: ergò ſubſequentia quæ ſunt omnia non ſunt approbata à Chriſto Domino. Dicent: quòd propter hoc argumentum, quod concludens erat, providerit Dominus de alia approbatione ad finem vitæ, ut ſic à principio ad finem eſſent omnia approbata, & pura, & ut non remaneret medium abſque hoc privilegio, pro ipſo habent alteram tertiam approbationem. O bone Deus! Quàm providè ſe geſſit cum veſtro Angelico Doctore, ut ejus doctrina ſine ullæ contradictione diceretur pura, ſine fæce, & atomis in principio, medio, & fine! Et quomodò vos correſpondetis huic favori circa puritatem Matris ſuæ; dicendo eſſe puram in medio, & fine, ſed non in principio? Neque iſtius Nodi invenietis principium, neque finem. Omnes affirmant, quòd, quando Chriſtus Dominus dixit hæc verba, habebat Sanctus Doctor ſupra Altare unum quaternum, ſeu quæſtionem de exiſtentia accidentium in Sacramento Euchariſtiæ (ſive ſit tractatus contra Gentes, ſive liber Summæ Theologiæ, ſive officium Corporis Chriſti) per illum quaternionem, tractatum, ſeu librum, illicò remanſerunt omnes quęſtiones, tractatus, & libri Sancti Thomæ approbati, ſententiæ, verba, & ſyllabæ, nullâ excluſâ, pura ſine errore, fæce, & atomis. Hoc totum conſtat ex ipſorum dictis in Cortice. Tunc ſic: in illis verbis: *Ave* MARIA, *gratiâ plena. Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus*, nullum invenietis verbum determinans tempus; ſed omnia extant indiffinita, & indeterminata, ut ex natura ſuæ annuntiationis æqualiter reſpicerent omne tempus præteritum, præſens, & futurum; ab hoc privilegio ipſi auferunt dimidiam partem, ſcilicet, tempus præteritum; ſed dicunt ſe non auferre tempus præteritum, ſed tantùm unum inſtans, ſcilicet, primum: quia à ſecundo inſtanti jam fuit approbata ſine errore, fæce, & atomo. Hâc unicâ reſponſione conantur omnes ſolvere Nodum; ſed ſuppoſito hoc, quod dicunt de doctrina Sancti Thomæ, eſt involvere, & non ſolvere.

NODUS QUARTUS.

Quando Chriſtus Crucifixus dixit: *Benè ſcripſiſti de me*, dicunt, quòd illud: *de me*, non ſolùm ſupponat pro Chriſto Crucifixo, ſed etiam prout nato & incarnato: & illud, *Benè ſcripſiſti*, non intelligatur de uno vel altero opere, ſed de omnibus. Et iſta ſic amplianlantur, & dilatantur, quia cedunt in honorem doctrinæ Sancti Thomæ: & pro Virginis puritate eaſdem ſimiles locutiones reſtringunt, & coarctant uſque ad ſecundum inſtans, & inde nullo modo eſt progrediendum ad primum. Eſtne hoc ſervare æqualitatem in doctrina, & ſententia? Cum conceptu mentis Doctoris, & cum Conceptu ventris Matris? Item: ubi eſt ſcriptum, quòd in ſecundo inſtanti

fuerit Virgo pura? Nam Angelicus Doctor ſolùm dicit fuiſſe ſanctificatam, antequàm exiret de utero, & hoc eſt indifferens ad menſes, ſeptimanas, dies, horas, & inſtantia; quis ergò fecit præterire omnia iſta, & ſiſtere in penultimo inſtanti? Hîc non eſt alia ratio, niſi quia ſic voluêre Majores. Undè aliqui antiqui conſtituunt ſuam Sanctificationem poſt aliquos dies, alij horas, & alij morulas; quia dicere: *Fuit ſanctificata antequàm exiret de utero*, admittit totam iſtam extenſionem; & qui venerunt uſquè ad ſecundum inſtans, quare non progrediuntur ad primum, cùm doctrina Sancti Thomæ etiam pro illo inſtanti habeat latitudinem? Dicunt hoc primum inſtans fuiſſe expreſſis verbis excluſum ab Angelico Doctore ſcribente in 3. ſent. diſt. 3. *Sanctificatio Beatæ Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ, quia gratiæ nondum capax erat, ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*, ergò expreſsè excludit illud primum inſtans. Demus pro nunc, (nam in Sole Veritatis aliud demonſtrabitur) quòd iſta fuerint verba Sancti Thomæ. Contra illud primum inſtans ex una parte ſtat doctrina, ut ipſum dejiciat in terram; ex altera ſtat Eccleſia tota defendens funiculo ſuo, ut prima illa radix vitæ non cadat. Et ecce, inſtans illud eſt ſub controverſia, lite, & opinione, unâ piâ, & alterâ minùs piâ, vel non piâ; unâ inclinante ad gratiam, alterâ ad peccatum; unâ dat in primo inſtanti idipſum, quod alia in ſecundo; quomodò ergò circa illud primum inſtans pietate, & gratiâ plenum primi fiunt noviſſimi, & noviſſimi primi? Qui poteſt capere capiat, nam mihi non licet ultrà progredi. Iſta ſit ratio à priori. Quia in hac controverſia & lite nolunt derelinquere ſuum Doctorem. Et pro Matris Dei puritate non eſt derelinquenda Doctoris doctrina? Relinqueretur, ſi eſſet alterius? Sine dubio. Ergò jam non mediat primum vel ſecundum inſtans; ſed meum, & tuum? Quia eſt tuus, non relinquitur, quia ſi eſſet meus, jam eſſet derelicta; igitur ſi non relinquitur, quia eſt contentio inter me & te, relinquatur, quia eſt Eccleſiæ, quæ pari modo eſt mea & tua: & ſi non vis aſcendere ad primum inſtans, videns totam Eccleſiam in illo conſtitutam, aſcendo ſaltem, quia eſt aſcendere; nam erit contra naturæ leges, ut minores ſint primi, & majores ſecundi.

Nodus quintus.

Quia Legati Apoſtolici Avenionenſes cum duodecim Epiſcopis anno 1457. die 7. Septembris in Concilio Provinciali publicarunt hanc Conſtitutionem: *Præterea Decretum in Concilio Baſileenſi factum de Conceptione Beatiſſimæ Virginis* Mariæ *ſtatuimus inviolabiliter obſervari, diſtrictè omnibus inhibentes ſub excommunicationis pœna, ne quiſquam aliquid contrà prædicare, vel publicè diſputare præſumat; quod ſi ſecùs aliquis fecerit, dictam ſententiam eum incurrere volumus ipſo*

ipſo facto. Et in prima Synodo per Diœceſanos vel per quemlibet celebranda, prædicta ſtatuimus publicari, & curatis Eccleſiarum injungi, ut hæc populo manifeſtent. Eſtne hîc aliquid de doctrina Sancti Thomæ, aut contra eam? Exiſtimo quòd non. Tamen Pater Raphaël de Pornaſio Ordinis Prædicatorum & Inquiſitor Janüenſis ſtatim edidit tractatum ſpecialem contra iſtud Decretum, ubi inter alia dicit: *An non meminiſtis ipſum cælorum Regem alteri uni ex his jam corregnantibus apertè dixiſſe: Benè ſcripſiſti de me Thoma? O nefas! O ſcelus! O temeritas inaudita illius reprobare doctrinam, quam Dei Sapientia comprobavit! &c.* Ubi eſt in hoc Decreto reprobatio doctrinæ Sancti Thomæ? Dicere, clamat Pornaſius, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali, eſt reprobare, & condemnare illud: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, & condemnare Chriſti judicium: quia iſtæ duæ ſunt propoſitiones contrariæ, & inter ſe oppoſitæ, & altera alteram deſtruit. Ecce quare, & ad quid introduxerint hanc approbationem: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*: ut illâ condemnarent, & reprobarent iſtam: MARIA *fuit ſine peccato originali*: ſed cùm ſint immediatè oppoſitæ, & una deſtruat alteram, conquerebatur Pater Pornaſius, quòd ex approbatione facta in illo Concilio de ſecunda, quæ erat de puritate, reprobaretur prima, quæ erat de doctrina. Quo ſuppoſito, ex quo ore judicandus eſſet aliquis Servus Nequam, ſi ſcriberet eſſe impoſſibile, falſum, iniquum, & perverſum, dicere, aut ſaltem cogitare, quòd Filius Dei approbaſſet doctrinam Sancti Thomæ, ut reprobaret puritatem ſuæ Matris? Si enim ſyllogiſmus iſte eſt concludens, ut volunt Pornaſius, Montagnolus, Anonymus, & alij: In doctrina Angelici Doctoris dicitur, Virginem Matrem fuiſſe conceptam in peccato originali; ſed Filius Dei approbavit hanc Sancti Thomæ doctrinam: ergò Filius Dei approbavit Matrem ſuam fuiſſe conceptam in peccato originali: & ſi diceret millies, quòd hujus concludentis ſyllogiſmi aut major ſit falſa, & ſuppoſita: Quia Sanctus Thomas numquam dixit Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali; aut ſi major eſt certa, minor ſit falſiſſima impoſtura: Quia Chriſtus non approbavit doctrinam Sancti Thomæ, nec dixit illud: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, quia ſi eſſet certum, & infallibile, quòd Virgo MARIA contraxiſſet peccatum originale, Filius ejus hoc non revelaret; quia aliàs Chriſtus eſſet alter Cham Filius Noë frangendo præceptum, quod ipſe ſeveriſſimè imperavit Levit. capite 18. verſ. 7: *Ego Dominus: Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus.* (Quæ verba licet loquantur litteraliter de gradu conſanguinitatis, etiam in omni materia obſervari debent) Et ſic vel major vel minor eſt falſa; eligant, quam voluerint: quia ſi Sanctus Thomas dixit Virginem

fuiſſe conceptam in peccato originali, minor eſt falſa, & deſtruunt ſuam per tot ſæculis ædificatam approbationem; ſed ſi volunt conſervare ſuam approbationem in minori, major erit falſa, ſcilicet: quòd Sanctus Thomas dixerit Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali. Et quando, à quibus, vel quomodò ſolvetur Nodus iſte? Et idem dico de altero in illo concluſo, iſtæ duæ propoſitiones: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, & illa: MARIA *fuit ſine peccato originali*, mutuò ſe opponunt ac deſtruunt, ita ut, qui affirmat unam, reprobet alteram; ſed apprehendere iſtam de puritate MARIÆ, eſt nefas, ſcelus, & temeritas inaudita: quia ex illa reprobatur doctrina Sancti Thomæ: apprehendere autem alteram de doctrina Angelici Doctoris, quâ reprobatur illa de puritate Dei Matris, non eſt nefas, ſcelus, nec temeritas inaudita, ſed juſtitia, veritas, rectitudo, &c. quia ſi concurrerint illa ſimul, nefas, ſcelus, & temeritas, debent cadere ſupra puritatem Dei Matris, quia jam ſemel cecidit, non autem ſupra doctrinam Sancti Thomæ, quæ numquam cecidit, nec cadet, & ſemper eſt, & fuit vera. Et iſte poteſtne habere ſolutionem?

NODUS SEXTUS.

Quia illi duo Archiepiſcopi S. R. E. Cardinales, & Apoſtolicæ Sedis Legati cum duodecim Epiſcopis, fecerunt in quodam Concilio Provinciali ſupra-poſitum Decretum pro Immaculata Conceptione, ex quo judicavit Pater Pornaſius, quòd ex tali aſſertione reprobaretur doctrina Sancti Thomæ, atque reprobaretur, & enervaretur totaliter immediatè, ſive mediatè illa Chriſti Domini approbatio: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; vocat ipſos mediatè vel immediatè nefarios, ſceleratos, & temerarios. Eodem ſæculo, quo hæc dicta fuerunt, ſcripſit etiam quidem Magiſter vocatus Gerardus Rondellus Doctor Pariſienſis, & Canonicus Leodienſis quoſdam ſermones exiſtentes in Monaſterio Sancti Martini Canonicorum Regularium prope civitatem Lovanienſem in Belgio; & alibi ſermone 1. qui incipit: *Quaſi aurora conſurgens, ſcripta ſunt hæc verba, &c.*. Ad finem ſermonis inquit: *Ecce doctiſſimi Patres quanta teſtimonia Scripturæ Sacræ, quanta probationes, & clariſſimæ ſupra modum Doctorum atteſtationes! Contra quas tamen certiſſimas approbationes, & atteſtationes veriſſimas nonnulli fuerunt, qui ore polluto evomerent dicentes eam turpiter maculatam fuiſſe originali ſordicie. O ſacrilegos ſermones! O nefarias voces! O profana verba, & nequaquam humanis auribus æquo animo ferenda! &c.* Ecce ex utraque parte expedita ſunt tormenta bellica. Pater Pornaſius defendebat doctrinam S. Thomæ contra duos Cardinales & Sedis Apoſtolicæ Legatos, ac duodecim Epiſcopos; Rondellus verò puritatem Virginis contra illius impugnatores. Cardinales Legati ſolùm dicebant: *Virgo* MA-

RIA

RIA *fuit concepta ſine peccato originali*: & quia ex hac aſſertione ſecundùm quamdam phantaſticam imaginationem reprobatur doctrina Chriſti ore approbata illis verbis: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, vocatur hoc nefas, ſcelus, & temeritas. Ipſi è contrà dicebant: *Beata Dei Mater* MARIA *fuit turpiter maculata originali ſordicie*, & iſtos vocat Rondellus ſacrilegos ſermones, nefarias voces, & profana verba. Et ecce Nodus. Contra doctrinam Sancti Thomæ directè aut indirectè, remotiſſimè aut per levem præſumptionem non ſunt proferenda verba, licet ſit à Legatis Sedis Apoſtolicæ Cardinalibus in Concilio Provinciali duodecim Epiſcoporum: & qui non erant Cardinales, ſed Fratres; nec Legati, ſed mendicantes; nec in Concilio Provinciali, ſed ex concilio privato, &c. immediatè, formaliter, & expreſſis verbis poterant dicere, ac de facto dicebant de ipſamet perſona Dei Matris, quòd fuerit turpiter maculata originali ſorde, id eſt, ſordida, & turpis. Et iſte non eſt Nodus?

NODUS SEPTIMUS.

Quia Chriſtus Dominus dixerat: *Benè ſcripſiſti de Thoma*, inferunt quaſi pro conſequentia formali: ſcripſit benè de Chriſto; ergò benè de Deo, quia Chriſtus Deus eſt: ſcripſit benè de Deo Chriſto, ergò & de creaturis, & per conſequens de rebus Divinis & humanis, de Angelis, de Adamo, de peccatis, beatitudine, moribus, & de omnibus alijs rebus Theologicis, ac Philoſophicis, ita ut dicere ei Chriſtum: *Benè ſcripſiſti de me*, illud *de me*, fuerit etiam exprimere, de me, & de Ariſtotele, de Judæis, de Gentilibus, &c. Et iſtæ illationes ſunt exactiſſimæ, & admittendæ, utpotè redundantes in gloriam, & honorem doctrinæ Angelici Doctoris, quas etiam nos recipimus libentiſſimè; ſed interrogo, an inter alias conſequentias ſit etiam admittenda iſta: Benè ſcripſit Sanctus Thomas de Chriſto; ergò benè ſcripſit de Matre ejus? Quia ſi non valet hæc conſequentia, ſtatim occurremus cum alijs concludentibus. Non valet conſequentia iſta. Ergò majorem connexionem habuit Chriſtus cum Ariſtotele, quàm cum Matre ſua. Si non ſcripſit benè de Matre: ergò nec de Filio, qui caro eſt de carne ejus. Ergò non omnia ejus opera ſunt ſine defectu, &c. Undè debent illam concedere, ac dicere, quòd etiam ſcripſerit benè de Matre MARIA. Et jam ſumus in Nodo: quia vel Mater Chriſti fuit concepta in peccato originali, vel non: ſi non, & Sanctus Thomas dixit quòd ſic, ut volunt Diſcipuli ejus: ergò conceptus mentis Angelici Doctoris activè & paſſivè, formaliter & objectivè fuit falſus, & erravit, & quoad hanc partem non ſcripſit benè de Matre, nec de Filio, & ſic terga vertunt omnia, quæ de tali doctrina dicta ſunt, & dicentur infrà: & hoc non eſt recurrere ad illas nænias, *Benè ſcripſiſti de me*, ſed non de Matre mea, *ſcribio bien de*

aqui ſi, pero de Aquino. Si autem Virgo MARIA contraxit in ſua Conceptione peccatum originale, & hoc dicit Sanctus Thomas, ſcripſit benè de Filio, & benè de Matre, ſed cum diſtinctione, quia Conceptus ejus formalis fuit bonus, ſed objectivus malus; activus bonus, ſed paſſivus malus: nam non fuit bonum, ſed malum tam Matri, quàm Filio ejus, quòd Dei Genitrix haberet peccatum. Undè quòd ipſi dicunt de Conceptu MARIÆ, quòd Conceptus activus fuerit bonus, ſed paſſivus malus; dicendum eſt etiam de conceptu mentis Sancti Thomæ, quia ſcripſit de Matre Dei benè, id eſt, veritatem, ſed non bonum, quatenùs poſuit in illa peccatum. Ecce habemus in conceptu mentis Sancti Thomæ aliquid benè, ſed non aliquid bonum. Et ſiſto hîc, ne ex non bono reſultet aliquid mali.

NODUS OCTAVUS.

Ille magnus Doctor Burgenſis vocatus, ut exiſtimo, Barragan, inter alia quæ hiſpanicè dixit de pia ſententia Conceptionis, unum fuit illud: *Sancto Thomas de Aquino, es Bezerro que muge, y no Pollo que pia, &c.* Nec fuit iſte ſolus qui locutus eſt contrà vocem, *pia:* nam Pater Albertus Duimius ad finem ſuæ epiſtolæ præliminaris ad librum de Conceptione Joannis de Turrecremata dicit, quòd immunitas Dei Genitricis à peccato originali defenditur ab illis, *quòd vulgaribus, quodvè muliercularum gratum judicaverint pietatem aſtruentibus. Nobis è contra nil pium, nil devotum, nilq; Chriſtianâ celebritate dignum exiſtimantibus quod non ex Sacris Litteris auctoritatem habere comprobatur, &c.* Sicque Diſcipuli S. Thomæ nil volunt admittere *pium*, nil *devotum*, niſi auctoritate Divinarum Litterarum fuerit comprobatum: quia admittere *pium* non comprobatum, eſt vulgarium, & mulierculatum, & *piare* ut pulli puſillanimes; nobiles autem viri, robuſti vituli, ac tauri pingues non *piant*, ſed mugiunt. Contra hanc vocem, *pia*, loquuntur etiam Reverendiſſimi Patres Bandellus, & Turcus. Sed pro Nodo noſtro dicta ſufficiunt. Magnus Pontifex *Pius* V. Ordinis Prædicatorum in Bulla de feſtivitate Sancti Thomæ inquit: grati, & *pij* animi affectu colendam ſtatuimus, &c. Et parùm infrà: Quemadmodum Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum feſtivitates *piæ* memoriæ, &c. Et infrà: ut verò etiam memoriæ Sancti Doctoris majori ſtudio, ac *pietate* cultûs, &c. Et infrà: in quo Scriptoris Angelici doctrina Salvatoris Crucifixi ore, ſicuti *pia* teſtatur hiſtoria, mirabiliter probata fuit, &c. Et hæc *pia* hiſtoria in Breviario Romano recitatur ut *pia*, & hæc hiſtoria cum tota illo adjectivo *pius*, *pia*, *pium*, non *piat*. Nam licet Summus Pontifex Maximus *Pius* V. ex *pia* Prædicatorum Familia aſſumptus affirmet in ſua Decretali revelationem, ſeu approbationem iſtam: *Benè ſcripſiſti de me Thoma:* contineri in quadam *pia* hiſtoria; *pietatem* illius hiſtoriæ non ponunt infrà,

ſed

Digitized by Google

ſed ſuprà exaltant uſque ad infallibilitatem,& ita extollunt,ut aperto Marte mugiant, illam non ſolùm eſſe veram, ſed Canonicam, Apoſtolicam, Chriſtiferam, atque indubitabilis Fidei, &c. Et quia Sixtus IV. Summus Pontifex ex Ordine Minorum dixit, non de ſententia aut hiſtoria Conceptionis,ſed de Officio edito pro illa Feſtivitate, quod fuit diſpoſitum ſecundùm *piam*, & laudabilem ordinationem cujuſdam Notarij Apoſtolici Leonardi de Nogarôlis, ita *piant*, ut *piando* dicant ordinationem eſſe *piam*, Officium ſolùm *pium*, ſententiam verò *impiam*, indiſcretam, chimericam, temerariam, erroneam,blaſphemam, atque hæreticam. Illud,quod à Summo Pontifice ſuo pro doctrina Angelici Doctoris vocatur *pium*, non eſt *piare*, ſed mugitus Sacrarum Litterarum auctoritate comprobatus. Et pro puritate Dei Matris, Sacrarum Litterarum loco, SS. Patrum auctoritates, Summorum Pontificum Decreta, omnium Eccleſiarum, ſcriptorum, atque fidelium acclamationes ſunt pullorum voces, & *piare* inter vitulorum, ac taurorum mugitus. *Pia* ſententia de Immaculata Virginis Conceptione non reperitur comprobata in Sacris Litteris: Et illud: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, & alia ſuprà relata pro approbatione doctrinæ,ex quibus Sacrarum Litterarum auctoritatibus comprobantur? Pro Conceptu Sacratiſſimæ Dei Matris omnia illa: *Inimicitias ponam inter te*, *& mulierem*, *& ſemen tuum*, *& ſemen illius*: *ipſa conteret caput tuum*, & illud: *Tota pulchra es amica mea*, *& macula non eſt in te*, & alia hujuſmodi, quia non loquuntur expreſsè, & nominatim de Maria, non ſunt comprobationes: & pro comprobatione iſtiùs: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, eritne Sacræ Scripturæ auctoritas illa: *Et Thomas non erat cum eis, quando venit Jeſus*? Vel altera: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti*? Iſtæ enim expreſsè nominant Thomam: ſed in hac materia, neque inter vitulos, neque inter pullos mugire aut *piare* poſſunt. Et ne *piemus* ampliùs,quia fortè eſſet mugire.

Nodus nonus.

Miraculum illud, ſeu revelatio facta à Chriſto Domino pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, fuit una, qualiter ex antiquis ſcriptoribus ſuprà demonſtratum manet; ſed ex hac una moderni fecerunt quinque, aut ſaltem tres; pro Virginis autem puritate antiquæ antequàm Religiones Minorum & Prædicatorum eſſent in mundo, communes & univerſales receptæ ab omnibus inveniuntur quinque. Prima illa facta homini avaro & furi, de quo in noſtra *Militia* verbo *Hilarus*. Secunda, de Eremitis Græcis; de qua in eadem *Militia*, verbo *Joannes de Mandevilla*. Tertia, Clerico Gallo ſubmerſo. Quarta, de Frederico Fratre Regis Hungariæ poſteà Aquileiæ Patriarcha. Quinta,de Helſino Abbate, de quibus agit Sanctus Anſelmus in ſua epiſtola. Et ſi vis,

vis, adde etiam ſextam relatam à Jacobo de Clauſa Carthuxano, de altero Abbate, ex quibus omnibus nec unam volunt recipere adverſarij: ſed dicunt omnia eſſe figmenta, & falſa miracula, ſeu revelationes diabolicas. Qualis & quantus hinc prodit Nodus! Pro doctrina Sancti Thomæ ex una revelatione faciunt quinque, & omnibus tenentur aſſentiri, ac ſi eſſent de Fide, quia in illis non intercedit pietas, ſed mera juſtitia; & ipſimet pro Virginis Dei Matris puritate, ex quinque vel ſex, nec unam volunt ſaltem pio affectu admittere. Quando illa facta pro doctrina divulgata fuit à quodam Patre Dominicano juvene vocato Martino, qui dixerat ſe hoc audiviſſe à quodam alio Patre, hic ſtatim hoc dixit alteri tertio, tertius quarto, approbatur, & ſcriptis publicis mandatur: in revelationibus autem pro Virginis Dei Matris puritate apud eoſdem nec valet antiquitas, contemnitur multitudo, rident conſenſum, ac denique omnes circumſtantias veritatis, bonitatis, ac legalitatis, quæ non reperiuntur in teſtationibus doctrinæ Angelici Doctoris, projiciunt ut vanas, frivolas, & nullius momenti comprobationes pro puritate Dei Matris. Dicentne iſtum non eſſe Nodum?

NODUS DECIMUS.

Cardinalis de Lugo in eodem loco ſuprà citato dignitatis gradu conſtituit iſtas duas propoſitiones: MARIA *eſt concepta ſine peccato originali*, & : *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, & negantes illas ſine ſufficienti fundamento affirmat eſſe temerarios temeritate ibi à ſe explicatâ (quæ eſt temeritas propriè dicta.) Hoc dixit quidam doctiſſimus Pater Societatis, ac S.R.E. Cardinalis, in quo exaltavit, & honoravit revelationem doctrinæ Sancti Thomæ ultra modum, collocando ipſam in eodem gradu probabilitatis ac certitudinis cum ſententia de Immaculata Conceptione; quia hodie nulla reperitur in Eccleſia ita communis & recepta. Hoc ſuppoſito, ſtabilito, & admiſſo. Componenda erunt iſta: ipſi in communi ac particulari non ſolùm negant, ſed pro viribus impugnant iſtam: MARIA *eſt concepta ſine peccato originali*, & eodem tempore contendunt cum alijs in communi & particulari, quòd altera: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, nec debeat negari, nec vertenda ſit in dubium. Et ecce indiſſolubilis Nodus. Si illæ duæ propoſitiones: MARIA *eſt concepta ſine peccato originali*, & : *Benè ſcripſiſti de Thoma*, etiam ex mente Cardinalis de Lugo ſint ejuſdem prorsùs probabilitatis, & alterutram vel hanc vel illam negans apud Theologos temerarius judicaretur; quo titulo præſumpto vos, vos, inquam, Patres Dominicani, poteſtis negare unam ex illis, non modò negare, ſed & illam impugnare & rejicere abſque ulla temeritatis nota? Vel ſi vobis licitum ſit taliter procedere contra torrentem Doctorum cum iſta unica: MARIA *eſt concepta ſine pec-*

cato

tate originali; cur nobis viciſſim licitum non eſſet, cur non poſſemus vertere in dubium, aut inquirere veritatem alterius niſi ſimus temerarij, audaces, præſumptuoſi, maligni, ac alijs id genus ſcandaloſis in Eccleſia Dei nominibus appellemur? Addantur hîc omnia illa epitheta à P. Xantes Mariales, neſcio quo animo excogitata in Patrem quemdam Societatis JESU nomine Poza. Non omittatur etiam oratio illa ſingularis (non oratio illa encomiaſtica habita in die Sancti Thomæ in qua quidam appellabatur Frater Muſca, Gyrovagus, &c.) ſed illa ſingularis, inquam, coram honeſtiſſimo conſortio habita die Sancti Patris Dominici, anno 1663. Lovanij in Conventu Fratrum Prædicatorum, in qua quid laudis vel vituperij dictum ſit de Patre Alva, noſſe poterit fortè Univerſitas tota; dum putaretur eſſe oratio encomiaſtica, in qua non ſolùm deprædicarentur encomia Patris Dominici, & fructus Ordinis propalarentur, invectiva audientibus apparuit, in qua quidquid mali fingi vel excogitari poterat, in P. Alva cum ſumma crudelitate, ſine ulla miſericordia, & quod pejùs eſt, ſine ullo fundamento projectum eſt: ſed hæc ſuo loco, ne à propoſito digredi cogamur. Quod Chriſtus Dominus dixerit relata verba pro doctrina Sancti Thomæ nullâ vel ſpecie rationis aut congruentiæ probatur, nec poteſt probari, niſi ſolâ extrinſecâ auctoritate atteſtantis; at Virginis puritas comprobatur non unius Patris Dominicani auctoritate, ſed totius Eccleſiæ conſenſu, rationibus ac congruentijs ſine numero; ergò vel etiam eſt temeritas illam negare vel latitat hîc aliquis temerarius Nodus.

NODUS SEPTIMUS PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, factam à Sancto Paulo Apoſtolo, & ſententiam immunitatis Virginis MARIÆ à peccato originali, expoſitionis Angelici Doctoris ſuper eaſdem epiſtolas Pauli.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

Upponendum eſt, quòd multis in locis, ac diverſis temporibus (ut infrà videbimus) prodierit impreſſa ſub nomine Sancti Thomæ quædam expoſitio ſuper epiſtolas Pauli, de quâ expoſitione ſic inquit Sanctus Antoninus 3. part. 3. titul. 19. *Scripſit quoque Poſtillam ſuper Evangelium Joannis, maximè ſuper quinque capita ſtylo proprio: reſiduum dicitur reportaſſe Raynaldus ſocius ejus, ipſo legente, quod poſtmodum idem Doctor correxit, & approbavit; ſcripſit etiam Poſtillas ſuper epiſtolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos uſque ad undecimum caput; & ſuper alias epiſtolas Pauli, reportatæ ſunt per prædictum Raynaldum ſocium ſuum poſt ipſum legentem, quas idem Doctor fertur poſteà correxiſſe, &c.* Omnes alij ſcribentes poſt Sanctum Antoninum unanimiter affirmant expoſitionem illam eſſe indubitatum opus Sancti Thomæ, excepto Patre Joanne Paulo Nazario & aliquibus alijs, qui fuerunt ejuſdem ſententiæ cum Sancto Antonino: componat ergò, vel ſolvat Nodum iſtum quiſquis voluerit,

Digitized by Google

rit, nam ego non audeo illum tangere; quia ſi dixero ſequendo ſententiam S. Antonini, commentaria illa ſuper epiſtolas Pauli non eſſe S. Thomæ, ſed Raynaldi (aliàs Reginaldi) ſocij ejus, ſtatim dicetur mihi: Serve Nequam, detractor gloriæ Sanctorum, quomodò auſus es negare, quòd in impreſſione Romana auctoritate Apoſtolicâ Pij V. Pontificis Maximi eſt jam approbatum, & determinatum? &c. Si verò è contrà dixero ſequendo alios ſcriptores, & originalia ipſa impreſſa contra Sanctum Antoninum, commentaria illa eſſe Sancti Thomæ, & non ſocij Reginaldi, illicò audirem: Serve Nequam, vide quomodò ſyllogizeris, *nec Sanctis Archiepiſcopis referentibus parcens, &c.* & ſic pro nunc expoſitio iſta epiſtolarum manebit inter ſi & non, nego & affirmo, Sanctum Thomam, & ſocium Reginaldum; quia qualem te invênio, talem te relinquere volo. Hoc ſuppoſito.

Anonymus ille ſcriptor Ordinis Prædicatorum (de quo in antecedentibus ſatis latè locuti ſumus) in tractatu ſuo contra Immaculatam Virginis Conceptionem, inter alias approbationes doctrinæ Sancti Thomæ, ex quibus conatur probare Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, poſt ultimam auctoritatem S. Thomæ; fol. 125. ſic concludit: *Ubi non parùm utile eſt commemorari, quòd tantæ devotionis fuit Doctor iſte ad Virginem glorioſam, quod ſæpè, ut in ejus hiſtoria legitur, ipſius Matris Dei familiari demulcebatur eloquio: Crucifixus etiam binâ vice eum eſt allocutus dicens: Benè ſcripſiſti de me Thoma; & Paulus Apoſtolus ſibi apparens dixit: quòd ſuas epiſtolas ita benè intellexerat, ſicut viatori poſſibile erat, &c.* Iſte Anonymus primus fuit, qui in ſuo tractatu de Conceptione uſus eſt hâc Sancti Pauli approbatione contra Immaculatam Virginis puritatem: nam ex antiquis, ut Monteſonus, Eymericus, Pornaſius, Reynerius, licet adduxiſſent reſpectivè ſuprà relatas, numquam ad hanc manum appoſuerunt. Relictis ergò ijs intermedijs, ultimi, qui iſtam Paulinam approbationem extollunt, ſunt Gravina, qui in libro, cujus titulus eſt: *Ad diſcernendas veras à falſis revelationibus*, impreſſo Neapoli 1638. in 4. lib. 1. fol. 64. inquit: *Sanctus Thomas cùm in dubio & difficili loco hæreret, viſum eſt ſibi Petrum & Paulum Apoſtolos videre, qui eum explanarunt, &c.* (nota illud: *Viſum eſt ſibi, &c.* Sed tranſeat hoc, quia poſſunt dicere hanc eſſe diſtinctam revelationem ab illa propoſita de qua agimus) Et Doctores Salmanticenſes, qui in ſuo libello, pro tenenda, ac docenda doctrina Sancti Thomæ, dicunt folio 25. num. 16. *Cujus rei memoriam facit Sanctus Antoninus 3. part. hiſtoriæ. titulo 33. cap. 7. §. 12. dicens: Sciſcitabatur verò ex Sancto Paulo Thomas, num probè aſſecutus eſſet mentem epiſtolarum ejus? Cui Apoſtolus reſpondit: quantum quidem aſſequi poteſt quiſpiam in humano corpore. De*

Digitized by Google

ſoliditate verò doctrinæ, &c. Quia Anonymus citat hiſtoriam, & Salmanticenſes Sanctum Antoninum, neceſſarium duxi ex utroque loco tranſcribere hîc auctoritates integras pro plena veritatis notitia.

In hiſtoria antiqua, ſeu vita Sancti Thomæ hæc auctoritas ſic extat circa finem: *Frater quidam Paulus Aquilanus magnæ Sanctitatis vir, cùm factus extrà ſeipſum eſſet ſolo ſpiritu utens, Thomam vidit magno diſcipulorum numero in ſcholis quibuſdam legentem, tunc Paulum Apoſtolum Sanctorum comitatum eas ingredi, Apoſtoliq; ingreſſu videbatur Thomas è ſolio vellens deſcendere, cui Paulus inquit: Perlege lectionem; & Thomas: Habuine, Sanctiſſime Paule, epiſtolarum tuarum veram ſententiam? Optimè, reſpondit, cognoviſti, ſicuti mortalium aliquis dignoſcere poteſt. Deindè manu apprehensâ tunicâ è ludo Thomam eduxit inquiens: eò te perducam, & rerum omnium perfectam habebis notitiam.* Sanctus Antoninus ſic illam refert: tom. 3. tit. 23. cap. 7. §. 12. folio. 255. *Quidam etiam Frater Paulus de Aquila magnæ probitatis & famæ, illâ horâ, quâ Sanctus migravit, in viſione imaginaria vidit Beatum Thomam in ſcholis legentem in cathedra coram multis; & ecce: videbatur ſibi, quòd Sanctus Paulus intraret ſcholas ejus, qui cùm deſcendens de cathedra vellet occurrere, ait Apoſtolus ei: Revertere ad locum, & proſequere lectiones tuas. Rogavit autem Beatus Thomas Paulum, ut ei diceret, ſi habuiſſet in epiſtolis ſuis verum intellectum? Cui reſpondit, quòd utique verum habuiſſet, quantum poteſt quis vivens habere; & ſubdidit: Volo ut venias mecum, ut habeas clariorem de omnibus intellectum, videbatq; eum per cappam extra ſcholas extrahere.* Hæc Sanctus Antoninus. At, ut nulla deſit notitia ex antiquis, (nam moderni ab illis tranſcripſerunt) in Officio antiquo Sancti Thomæ, lectione 7. ſic dicebatur: *Quidam Frater devotus vidit in ſomnis in hora tranſitûs ſui Sanctum Doctorem in ſchola legentem, & Beatum Paulum Apoſtolum ad ipſum intrantem, &c.* Et proſequitur, ut in præcedentibus. Et in Præfatione ejuſdem Officij in Miſſa dicebatur: *O certam, præclariſſimam, atque excellentiſſimam doctrinam! cui veritatis præcones glorioſiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli tui, & inclyta ſemper Virgo* M A R I A, *cum Filio tuo Domino noſtro* J E S U *Chriſto pro mundi ſalute Crucifixo, & Univerſalis, atque Apoſtolica Eccleſia teſtimonium perhibent veritatis, &c.* Nolo hærêre in illis, an Frater Paulus eſſet dormiens, vel vigilans, aut viſio illius fuerit in phantaſia alienatus à ſenſibus, ſolo ſpiritu utens, in quo videntur diſſentire omnes iſtæ auctoritates; neque in illis Patris Galvan folio 192. dicentis: *Profundam animi cogitationem ſecutus ſenſuum uſum amiſiſſet, &c.* nec, an illa revelatio, quæ tantùm fuerat Sancti Pauli, ſit jam etiam Sancti Petri?

Et ſolùm inquiramus, quâ legalitate tranſcripſerint Patres illi Salmanticenſes, & Magiſtri inſignes auctoritatem allegatam ex ſuo citato Sancto Antonino. Primò propoſuerunt auctoritatem abſolutè, quaſi eſſet dicta

à

à Sancto Antonino ex propria aſſeveratione, & non relativè ab alio, dicentes: *Cujus rei memoriam facit Sanctus Antoninus dicens: Sciſcitabatur verò ex Sancto Paulo Thomas*, tacentes nomen Pauli de Aquila: Nam licet Pater Paulus de Aquila (de quo neque ut Sanctus, aut Beatus, vel homo illuſtris, aliqua invenitur notitia in ſcriptoribus de viris illuſtribus ſui Ordinis, ut Pio, Razzio, & alijs) eſſet approbatæ vitæ, non tamen tantam habet, nec habere debet auctoritatem, præcipuè in revelationibus, ac miraculis, ſicut ipſemet Sanctus Antoninus, & ſic ex hac parte errarunt graviter Salmanticenſes Patres, occultando nomen Fratris Pauli de Aquila. Secundò, prætermiſerunt illud de *In viſione imaginaria*, quia hæc potuit eſſe illud, quòd ſonat auctoritas: *Vidit in ſomnis*, vel: *Solo ſpiritu utens*, aut: *Sequendo profundam animi cogitationem*. Quæ omnia prætermiſerunt Salmanticenſes, quo fine, de ſe patet. Tertiò, omiſerunt omnia alia verba, quæ conducunt ad plenam intelligentiam hujus viſionis. Quartò perveniendo ad auctoritatem formalem, ubi Sanctus Antoninus utitur verbo: *rogavit*, Salmanticenſes excogitarunt aliud æqualitatis, ſcilicet, *ſciſcitabatur*: nam Sanctus Thomas non rogat, ſed ſciſcitatur. Quintò, prætermiſerunt illud: *Autem Beatus Thomas*, in cujus auctoritate non eſt ly *verò*; & alia verba tranſmutarunt. Sextò, ubi Sanctus Antoninus: *Ut ei diceret, an habuiſſet in epiſtolis ſuis verum intellectum?* Salmanticenſes ſic: *Num probè aſſecutus eſſet mentem epiſtolarum ejus?* In qua clauſula nec unum verbum reliquerunt ex illis S. Antonini, quia non eſt ly *num*, nec ly *probè*, nec ly *aſſecutus*, nec ly *eſſet*, nec ly *mentem*, nec ly *epiſtolarum*, nec ly denique *ejus*: Et inſuper ad hæc vitia quoad litteram, addiderunt aliud majus quoad ſenſum; interrogatio enim Angelici Doctoris, ut refertur à Sancto Antonino erat, an in expoſitione ſeu interpretatione ſua habuiſſet veram intelligentiam mentis, & intentionis Sancti Pauli? Salmanticenſes verò dicendo: *Num probè aſſecutus eſſet mentem epiſtolarum ejus*, non curarunt de genuina intelligentia Sancti Thomæ, ſed direxerunt verba ad aſſequendam mentem Sancti Pauli: ſunt enim diverſiſſima intelligere aliquem, & aſſequi mentem illius. Nam Sancti Patres v. g. in ſuis expoſitionibus Sacræ Scripturæ verum habuerunt intellectum, quia quilibet in ſuo ſenſu ſive allegorico, ſive litterali veram habuerunt intelligentiam, & Catholicam; de nullo tamen poteſt dici, quòd aſſecutus fuerit mentem Spiritûs Sancti, quia hoc ſolùm reſervatur Eccleſiæ, & ultimis Conciliorum diffinitionibus. Propter hoc Salmanticenſes variant totum textum, quia volebant introducere, quòd ſolus Sanctus Thomas fuiſſet aſſecutus mentem Apoſtoli, & conſequenter Spiritûs Sancti, quando alij tantùm habuerunt veram intelligentiam.

Ultima clauſula ſic proponitur à

Digitized by Google

Sancto Antonino: *Cui reſpondit: quòd utique verum habuiſſet, quantum poteſt quis vivens habere*; Salmanticenſes illam diſpoſuerunt aliter, ſcilicet ſic: *Cui Apoſtolus reſpondit: quantum quidem aſſequi poteſt quiſpiam in humano corpore.* In qua ſolùm intacta reliquerunt tria illa verba: *cui*, *reſpondit*, *quantum*: & omnia alia vitiarunt: nam in Sancto Antonino non eſt ly *Apoſtolus*, nec emphaticum illud adverbium, *quidem*, nec verbum, *aſſequi*, quod addiderunt in reſponſione propter cauſam dictam in interrogatione: *Num probè aſſecutus eſſet, &c.* nec eſt ly, *poteſt*, nec ly, *quiſpiam* (nota iſtam excluſivam univerſalem) nec tandem illud: *In humano corpore*: auctoritas enim Sancti Antonini hoc non dicit, ſed: *Quantum poteſt quis vivens habere*, quæ valdè diverſa ſunt, ſicut in littera, etiam in ſenſu intento à Salmanticenſibus. In una ergò auctoritate habente viginti quatuor dictiones latinas, in additis, derelictis, ac mutatis inveniuntur plura, quàm quadraginta vitia: & ſi aliquis de hoc dubitaverit, enumeret; & hoc non eſt factum antiquitùs, ſed modò; neque in aliquo angulo terræ, ſed in inſigni Academia Salmanticenſi; nec denique ab aliquo incognito ſcriptore, ſed à novem præclariſſimis Magiſtris, ac Doctoribus in judicio contradictorio, & quando nitebantur excludere ab illa inſigni Univerſitate omnes Eccleſiæ Doctores. Hæc dicta ſunt amore veritatis: nam quantùm ad alia, concedimus libentiſſime expoſitionem illam ſuper epiſtolas Divi Pauli eſſe genuinum opus S. Thomę, ab ipſo non ſolùm elaboratum, ſed & correctum, & ſic fuiſſe approbatum à Sancto Paulo, atque etiam à Sancto Petro, & propter approbationem hujus expoſitionis omnia alia opera Angelici Doctoris per participationem remanſiſſe ab eodem Doctore Gentium approbata ut vera, Catholica, indubitata, &c. & ſi aliud deſiderant in hac materia, ſine ulla admittimus controverſia.

Pater Ignatius Galvan latiſſimè agit de hac approbatione, cap. 10. à fol. 191. & diſcur. 3. ſub hoc titulo: *Divi Thomæ doctrina ex hac quoque viſione vera eſſe deprehenditur, &c.* num. 3. inquit: *Hos igitur Divi Thomæ in epiſtolas Pauli commentarios, hos Divini illius ingenii fœtus Paulus ipſe commendat, ut hinc ſolidam ac veram non hujus tantùm operis, ſed omnium, quæ Sanctus Doctor edidit, ſapientiam, ac doctrinam omni laude & admiratione dignam agnoſcamus. Quapropter ſapientiſſimum illud noſtri temporis oraculum, fulgentiſſimumq; Chriſtianæ Rei-publicæ luminare Frater Ludovicus Soto Major recentioris cujuſdam, aliàs docti, ingratum in tantum Magiſtrum animum non poterat non mirari. In epiſtolam enim ad Romanos (quæ tota dogmatica eſt, elegantiſſimè, ac locupletiſſimè à D. Thoma elucidatur) nec minimam de eo in toto volumine mentionem facit, ac ſi nec nomen, nec doctrinam ejus audierit aliquando, cùm tamen interim, occultato ejus nomine, doctrinam ejus tanquam propriam* pro-

Digitized by Google

penat. Nota de quo conquerantur Patres Soto Major, & Galvan, quòd quidam ſcriptor in expoſitione ſua epiſtolæ ad Romanos non citaverit Sanctum Thomam. Ex omnibus dictis ſolùm noto: quòd ſi hæc expoſitio epiſtolarum fuerit Sancti Thomæ, & viſio Patris Pauli de Aquila vera, opus iſtud elaboravit Angelicus Doctor inſtante morte ſuâ: aliàs tota revelatio, ſeu apparitio Apoſtoli, atque approbatio doctrinæ Sancti Thomæ periclitatur. Si deceſſit è vita laborando iſtam expoſitionem epiſtolarum; quomodò dicit Sanctus Antoninus, quòd ejus ſocius Reginaldus reportaverit, ſeu compleverit iſtam expoſitionem? Quomodò, vel qualiter fuerit poſteà correcta ab ipſo Angelico Doctore? Niſi dicant, quòd venerit è cælo ad illius correctionem. Hæc & alia poſſunt componere me doctiores. Sicut & illud: Sanctus Paulus approbavit expoſitionem Angelici Doctoris ſuper ſuas epiſtolas: ergò & omnia opera manent eodem modo approbata, vel qualificata.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

Suppoſito, quòd expoſitio illa in epiſtolas Beati Pauli ſit legitimum opus Sancti Thomæ, ut ejus Diſcipuli acerrimè defendunt, & etiam comprobatur ex manu-ſcripto antiquo exiſtente Paduæ in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ ad lævam, num. 3. in principio. In hac ergò expoſitione explicans Angelicus Doctor epiſtolam ad Galatas cap. 3. lectione 6. circa principium ad illa Apoſtoli verba: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus; non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno: & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus, &c.* Sic proſequitur ſuam expoſitionem: *Veritatem autem teſtamenti aperit, cùm dicit: & ſeminibus, &c. Quam quidem aperit eodem ſpiritu, quo teſtamentum conditum eſt, & hoc patet ex verbis teſtamenti. Non, inquit, dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, id eſt, ſicut faceret ſi de multis illud valeret, ſed quaſi in uno, quod eſt Chriſtus: quia ipſe ſolus, & ſingularis eſt, qui non ſubjacet maledictioni culpæ, & ſi maledictio pro nobis dignatus ſit fieri, unde dicitur in Pſal.* 140. *Singulariter ſum ego, &c. Item: Non eſt qui faciat bonum, &c. Eccleſiaſt.* 7. *Virum de mille unum reperi, ſcilicet, Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omninò immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali: Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* MARIA *: concluſionem autem, &c.* Et ad mar-

Digitized by Google

marginem extant hæc verba: *Vide hic eſſe de mente Sancti Thomæ nullum habuiſſe peccatum Beatam Chriſti Matrem, nec etiam originale.* Clauſula ultima exceptiva à macula, illa ſcilicet: *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* MARIA, ſicut & notula marginalis, extat primò in impreſſione facta Venetijs apud Hieronymum Scotum anno 1548. in fol. pag. 143. col. 2. recognita, & typis mandata per Patrem Fratrem Jacobum Albertum Caſtrenſem Ordinis Prædicatorum: ut videre eſt in libro exiſtente in Bibliotheca Sancti Franciſci Matriten. litt. R. num. 17. & ſimiliter in Bibliotheca D.D. Cardinalis Barberini, & in Bibliotheca Collegij Societatis JESU Bruxellenſi. Secundò, in eadem Bibliotheca Barberini extat aliud originale impreſſum characteribus antiquis Pariſijs, curâ & ſolicitudine Nicolai Prævoſt, impenſis verò Petri Gandaul Univerſitatis Bibliopolæ, anno 1529. in folio, & pag. 141. colum. 1. in principio extat clauſula exceptiva ſuprà poſita; licet non marginalis nota. Tertiò, eodem modo extat in editione Pariſienſi ex officina viri Ambroſij Girault ſub ſigno Pellicano, viâ Jacobeâ ante S. Yvonem, anno 1538. fol. 157. col. 4. quæ extat in Conventu Inſulenſi in Belgio, & in Collegio Societatis JESU Bruxellis. Quartò, in aliâ etiam editione Pariſienſi, facta anno 1532. apud viduam Nicolai Prævoſt, & hanc invêni in Conventu magno Sancti Auguſtini Pariſien. & Coloniæ apud Patres Conventuales. Quintò, in alia impreſſione facta Pariſijs eodem anno 1532. per Joannem Rhigni, viâ Jacobeâ, ſub quatuor elementis, in folio, extat in Bibliotheca D. Mariæboom, ſive Beatæ Mariæ ad arborem, Ordinis Sancti Brigittæ in Ducatu Clivienſi. Sextò, in alia Pariſienſi edita apud Joannem Suave, an. 1541. recognita per eumdem Patrem Albertum Caſtrenſem Ordinis Prædic. f. 157. cum notatiuncula etiam marginali, & extat in Collegio Anglorum Duaci. Septimò, in alia impreſſione Pariſienſi apud Nicolaum Prævoſt impenſis mercatoris Ambroſij Girault, quæ invênitur in Conventibus Diſtenſi, & Duacenſi in Belgio S.P.N. Franciſci. Octavò, in alia Venetiana edita anno 1553. de qua ſtatim dicemus. Nonò, in alia etiam Veneta; & excuſa anno 1555. de qua loquuntur multi ſcriptores. Decimò denique, etiam extat alia cum exceptione, & marginali nota recognita per eumdem P. Jacobum Albertum Caſtrenſem, impreſſa per honeſtum virum Oudinum Petit, anno 1541. ſub ſigno floris lilij, viâ ad S. Jacobum, quam vidi in Collegio Societatis JESU Lovanij, & in Bibliotheca noſtra FF. Minorum Regularis obſervantiæ Bruxellis. Extat ergò exemptio in his decem impreſſionibus diverſis, quarum proprijs oculis vidi octo in relatis locis & Bibliothecis, & hæc de una contradictionis parte.

Pro

Pro altera verò clauſula illa: *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* MARIA, non extat in impreſſionibus antiquis, primâ Lugdunenſi apud Sebaſtianum Bartholomæi Honoratum anno 1556. in 4. recognitâ, ut ibidem dicitur, per ſuprà memoratum Patrem Jacobum Caſtrenſem. Secundâ Antverpienſi impreſsâ anno 1569. folio 159. recognitâ etiam per eumdem Patrem Jacobum Caſtrenſem. Tertiâ impreſsâ Pariſijs anno 1529. recognitâ per Patrem F. Antoninum Venetum Ordinis Prædicatorum in folio per Franciſcum Rengnaut, & Joannem Petit, folio 126. Quartâ etiam Pariſienſi per eumdem vel alium Joannem Petit ſub lilio aureo 1526. & anno 1518. vel per Nicolaum Savetier in folio parvo, quam vidimus in Monaſterio Alnenſi in Belgio. Quintâ impreſsâ Bononiæ anno 1481. Sextâ impreſsâ Baſilëæ 1495. apud Wolphangum Lachaner recognitâ à P. Petro de Bergamo Ordinis Prædicatorum: omnes iſtæ editiones fuerunt excuſę abſque clauſula exceptiva ante annum 1570. quando juſſu Pij V. fuerunt Romæ conjunctim impreſſa omnia opera Sancti Thomæ: tunc enim Patres in recollectione, & correctione illa laborantes, licet eſſent decem editiones cum exceptione, & ſine illa tantùm ſex, vel ſeptem, derelinquentes majorem numerum, quia erat in laudem, gloriam, & honorem puritatis, ac immunitatis Dei Matris, ſecuti ſunt numerum minorem; & conſequenter ab illo anno omnes editiones prodierunt ſine illa clauſula exceptiva. Et ſi quærat aliquis: quare doctiſſimi, atque pijſſimi Patres illi abſtulerunt iſta, & alia? Ecce, dant ipſimet rationem in Præfatione, quæ aureis litteris debebat hîc, & in omnium cordibus depingi. *Curavimus itaque, ut quàm emendatiſſimè imprimerentur omnia ametis etiam ex eiſdem commentarijs, atque expunctis omnibus locis, juxta noſtri Ordinis ſanctiones, quæ poſt Decreta Tridentina Synodi lectorem poterant detinêre dubium vel ſuſpenſum, quos videlicet vel ipſemet Commentator vivens emendaverat, & ſi viveret, emendaſſet, &c.* Hæc ratio fuit, quare Patres illi tot, tantaque abſtulerunt, & alterarunt in operibus ſui Angelici Doctoris, de quibus aliqua dicemus in Nodo. Pater Frater Remigius Florentinus ſeorſim edere curavit Antverpiæ anno 1591. & iterum ibidem hanc expoſitionem ſuper epiſtolas Pauli: & juxta illam prodijt altera Pariſijs anno 1654. in quibus folio 365. prætermiſsâ exceptione ad marginem extat hæc notula: *Advertas, humaniſſime lector, jam in quibuſdam Venetijs anno* 1553. *impreſſis codicibus, poſt expoſitam auctoritatem, hanc fuiſſe appoſitam particulam; Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* MARIA: *quam à quodam temerè adiectam, nulli dubium fore credimus; nam in manu-ſcriptis neque etiam alibi impreſſis codicibus, quos viderim (nam multos vidi) hæc particula reperitur. Et in eo Pariſijs impreſſo à Fratre*

Yyy *Joan-*

Joanne Alberto Caſtrenſi à mendis expurgato non invenitur, & luce clarius eſt, Divum Thomam minimè hujus fuiſſe ſententiæ, quam millies in ſua doctrina impugnat. Iſte bonus vir etiam in margine imprimi curavit hæc verba : Vide, hîc eſſe de mente Sancti Thomæ nullum habuiſſe peccatum Beatam Chriſti Matrem, neque etiam originale; quod an verum ſit, tuum ſit judicare. Hæc ſunt Patris Remigij verba circa exceptionem repertam in illa epiſtola.

Sed animadvertenda ſunt etiam pro hac Patris Remigij notatiuncula; primò, quòd ipſe tantùm meminerit editionis Venetianæ factæ anno 1553. quando ex ſuperioribus manet demonſtratum fuiſſe, & extare modò alias novem; iſte ergò bonus vir non legaliter proceſſit, referendo unam tantùm impreſſionem, ubi erant decem. Dices, quòd fortè non viderit alias novem; fateor, ſic potuit eſſe: at tunc quomodò verificabitur illud, quòd vidiſſet multos codices impreſſos? Uſque ad tempus Remigij fuerunt ſexdecim impreſſiones, quarum decem extant cum exceptione; quâ ergò veritate potuit dicere non extare exceptionem in manu-ſcriptis, *Neque etiã in alibi impreſſis codicibus*? Secundò, etiam affirmat exceptionem illam non inveniri in recognitione factâ à Reverendo P. Joanne Alberto Caſtrenſi, in quo videtur quàm ſuperficialiter (ut non dicamus aliquid aliud) legerit ſuos Auctores; tùm quia iſte non vocabatur Joannes Albertus, ſed Jacobus; tùm quia, ut ſuprà diximus, fuerunt quinque impreſſiones recognitæ per Patrem iſtum Jacobum Albertum Caſtrenſem Pariſijs 1541. & eodem anno 1541. fuit facta altera Venetijs apud Octavianum Scotum per Patrem F. Vincentium Giachorum apud Joannem Suave: & ſecunda facta Venetijs apud Hieronymum Scotum anno 1548. & tertiam Pariſijs, in quibus reperitur hæc exceptio. Dices fuiſſe hujus auctoris alias duas recognitiones, unam Pariſien. anno 1556. & alteram Antverp. anno 1569. Fateor ita eſſe; ſed hinc efficacius deſumitur argumentum ad probandum in poſterioribus impreſſionibus aliquam commiſſam fuiſſe adulterationem: quia ſi in prima impreſſione facta Pariſijs anno 1541. & in ſecunda impreſſione Venetiana correctis à Caſtrenſi anno 1548. & in tertia invenitur exemptio: quis in factâ Pariſijs anno 1556. poſt quindecim annos abſtulit illam exceptionem? Et idem dico de quarta Antverpienſi factâ anno 1569. id eſt, poſt viginti octo annos; aut quomodò idemmet Albertus Caſtrenſis recognovit epiſtolas iſtas uno modo Pariſijs & Venetijs, & altero Pariſijs, & Antverpiæ? Nodi iſti non videntur ſolubiles. Tertiò dicit, lucè clarius eſſe Sanctum Thomam ſuſtinuiſſe opinionem contrariam, quia millies in ſuis ſcriptis impugnavit piam ſenſentiam: ſed in hoc abſolutè fallitur: quia nec millies, ſed tantùm in duobus

bus vel tribus locis ad ſummum agit in proprijs terminis de hoc puncto: nec tunc impugnat, ſed nudè profert ſuam ſententiam incidenter, immò ſecundùm Cajetanum ejus commentatorem numquàm illam tetigit: at de hoc latè agemus in ſecunda impreſſione Solis Veritatis.

Sed propalemus ſaltem aliquid, ut ex uno colligantur plura. Quidam Doctor Italus vocatus Ferdinandus Adorno, teſtificatus eſt ſe vidiſſe in Sfortiana Bibliotheca commentarium ſuper epiſtolas Pauli manu-ſcriptum ſub nomine Sancti Thomæ Aquinatis, in quo ad illa verba Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt*, erat hæc clauſula: *Unâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculam peccati originalis*; ut videre eſt apud P. Euſeb. Nieremberg. in lib. Concep. cap. 25. & Pater Franciſc. Bonæ Spei, tom. 4. ſuæ Theolog. de peccat. orig. fol. 122. ſi iſta expoſitio eſt diſtincta ab iſta, quæ communiter circumfertur inter opera Sancti Thomæ, & fuit multoties ſub ejus nomine impreſſa, ut videbimus in Virga, jam habemus alteram expoſitionem Angelici Doctoris ſuper epiſtolas Pauli. Et dicere, quòd Sanctus Thomas fecerit duas expoſitiones ſuper epiſtolas Pauli inauditum quid, & nimis difficile videbitur; ſi verò illa expoſitio manu-ſcripta eſt ipſamet impreſſa, jam ſurgit Nodus indiſſolubilis, quia præpoſita clauſula non extat in impreſſis: & fecerunt cum iſta expoſitione epiſtolarum, quòd cum expoſitione Salutationis Angelicæ. Nam in antiquo originali manu-ſcripto exiſtente in Monaſterio Parcenſi prope Lovanium Ordinis Præmonſtratenſis in charta pellicea, fol. 100. colum. 3. in medio ſic dicitur: *Tertiò, quantùm ad puritatem; quia Beata Virgo non ſolùm fuit pura in ſe, ſed etiam procuravit alijs; ipſa enim puriſſima fuit. Et quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Et non ſolùm in hoc originali manu-ſcripto, ſed etiam in alio impreſſo antiquo in folio abſque anno & loco impreſſionis, exiſtente in Bibliotheca Monaſterij B. Mariæ ten boom / id eſt, ad Arborem Beatæ Mariæ, Patrum Ordinis Beatæ Brigittæ in Ducatu Clivienſi, & in alijs originalibus ſic extabant verba, ut latiſſimè videbimus in Radiis Solis Veritatis, præcipuè in originalibus Innocentij III. Summi Pontificis; nam iſte fuit auctor iſtius explicationis Salutationis Angelicæ, ſicut etiam orationis Dominicæ, quæ communiter attribuuntur Angelico Doctori, ut colligitur ex multis originalibus, ut in libro citato latiſſimè dicetur. Et his non obſtantibus, in impreſſionibus correctis ab illis RR. Patribus Romanis, qui tot tantaque correxerunt in textu Angelico juxta ſuas conſtitutiones, locum iſtum mutilarunt ſic: *Tertiò excedit Angelos quoad puritatem: quia Beata Virgo non ſolùm erat pura in ſe, ſed etiam procuravit puritatem alijs*;

ipſa enim puriſſima fuit, & quantùm ad culpam, quia ipſa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. In his duabus auctoritatibus qualis & quanta correctio facta eſt ab illis Patribus! nam cum originalia antiqua haberent: *Ipſa enim puriſſima fuit, & quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*; ipſi abſtulerunt illud, *originale*. Nec hoc verbum extabat in ſex originalibus à nobis viſis. Verùm etiam Joannes de Segovia in ſuis Allegationibus (antequàm eſſet typographia) dicit ſæpè ſic extare in manu-ſcriptis ſub nomine Sancti Thomæ publicatis. Et qui ita clarè & apertè vitiarunt iſta in expoſitione Angelica, & epiſtolis Pauli, mutarunt in operibus Angelici Doctoris, quidquid in ipſis erat pro pia ſententia Conceptionis, introducentes quocumque potuerunt ſuam opinionem, ut in primum ſententiarum, & alia loca. Si in hoc mendax ſim, arguite me mendacij; ſed quàm illud ſubeſſe voce clametur, priùs calamo vel ore probetur; ſicut à me veritatem ſubeſſe probatum eſt atque clamatum, ac magis probabitur atque clamabitur. Verùm doctiſſimi eximijque Patres ac Magiſtri noſtri, cui putatis injuriari, quem lædere, quem offendere, quando in publico ſuggeſtu in feſto humilis veſtri Patroni exorbitatis tam crudeliter invehendo in Patrem Alva ſtomacho ac furore pleni ipſum infamare conantes? An oleum & operam perdatis, & aërem dumtaxat verberetis? Non tango. Probabit exitus. Inſto ſolùm & peto: putatiſne alicujus exiſtimationem lædere per hoc, aut famam tollere ullius præter propriam veſtram? Rabidus ille ſpiritus, volaticus veſter furor, & impetus in vos recidet, in familiam veſtram; in vos, in caput veſtrum convertetur. *Injuria* enim *plerumque redit ad eum, undè exivit.* Veritatem non ſubeſſe multis verborum plauſtris præconis voce declamare non ſufficit, ſed illud probare, confirmare, & ſic divulgare. Negare quidpiam ex alteratione ſeu commotione ſpiritûs facillimum eſt, & non paucis ingenitum: negare autem cum fundamento ſeu ſolidâ ratione difficillimum eſt, & paucis datum. Sed de hoc commodiori loco. Et hæc de Virga recta converſa in arcum pravum.

PRO

Digitized by Google

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

ILla expoſitio epiſtolarum Sancti Pauli, quæ modò circumfertur impreſſa ſub nomine Sancti Thomæ in ſexdecim editionibus, & modernis, vel eſt Angelici Doctoris, vel Reginaldi ejus Diſcipuli? Si eſt Sancti Thomæ, & non Reginaldi, ergò non omnia relata à Sancto Antonino ſunt irrefragabilis Fidei, ut contra Servum Nequam redarguebat notitioſus Complutenſis: ſi expoſitio illa eſt Reginaldi, igitur non omnia poſita, ac edita in libris Sancti Thomæ ſub nomine ipſius ſunt ipſius opera. Et quod dicimus de iſtis epiſtolis, poſſumus affirmare de alijs Evangelijs, &c. Sed admittamus eſſe opus hoc Sancti Thomæ, ut doceamus illos, qualiter nos inter duas opiniones inclinemur ad piam, quia eſt in favorem Angelici Doctoris, & quia ſic proponitur, & adducitur à ſuis. Interrogo: quomodò, cùm expoſitio illa ſit Sancti Thomæ quoad totam, non ſit Sancti Thomæ quoad illam minimam partem, in qua profitetur Virginem MARIAM fuiſſe exemptam à communi lapſu, & macula peccati originalis? Sed facillimè ſolvunt Nodum iſtum dicendo clauſulam illam fuiſſe additam, & vitiatam: ideò illam relegarunt, & expunxerunt, &c. Si fuit addita, & intruſa, benè: ſed quis addidit illam? Quando? Quomodò? Qualitèr, vel Ubi? Sed de hoc nihil dicunt; fuit addita in decem impreſſionibus editis in diverſis mundi partibus; ſed neſcimus quando, & à quo; & ſufficit dicere, fuit addita abſque alia comprobatione. Sed ſufficiat; quid agendum eſt, ſi hoc modo ſcribatur? Interrogo iterum: ſicut fuit intruſa iſta clauſula exceptiva V. Dei Matris à peccato originali in illam expoſitionem epiſtolarum, *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* MARIA, non potuit introduci anteà in tertium ſententiarum q. 3. quæ incluſiva eſt Virginis intra peccatum originale? & verba formalia ſunt: *Sed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, ut, ſcilicet, per gratiam tunc ſibi infuſam conſervaretur, ne culpam originalem incurreret*; illa, quia eſt in favorem Virginis, licet nullum inveniatur fundamentum, fuit intruſa; & hæc, quia eſt contra ejus puritatem tot fundamentis demonſtratis in SOLE VERITATIS, non fuit addita; quæ ſunt in favorem puritatis Dei Matris, immò & doctrinæ Sancti Thomæ non habent aliam ſolutionem niſi dicere: ſunt addita, & clauſa eſt janua; & quæ ſunt contra, non ſunt addita, licet tot tantaque inveniantur fundamenta, & exempla evidentia, ac teſtimonia.

Pauci intelligent, quò vergat Nodus iſte.

NODUS SECUNDUS.

Premendo ampliùs illum ſic urgeo. In iſta expoſitione epiſtolarum, quæ latiſſima eſt, invenerunt aliquam aliam clauſulam intruſam, & ſuperadditam? Nullam niſi iſtam tantùm, unicam, & ſolam. O æterna Dei Sapientia, & lux increata, quomodò dirigis greſſus noſtros in viam pacis! Si in uno ingenti opere, & vaſtâ expoſitione omnium epiſtolarum Sancti Pauli laboratâ ab Angelico Doctore non invenitur, niſi unica tantummodò clauſula addita pertinens ad exceptionem Sacratiſſimæ Virginis à peccato originali; igitur, ſi in expoſitione illa cuſtodita, & clauſa, ſignata, velata tot oculis & cuſtodibus, genita & nata intra clauſtra: hoc eſt, ſcripta intra Religionem Prædicatorum, impreſſa ſemper à Patribus Dominicanis permiſit Deus ut inveniretur, & de facto inveniatur iſta exemptio: *Virgo* MARIA *eſt exempta à communi regula peccati originalis*: Quo fundamento audebimus dicere, & affirmare, quòd in ipſis epiſtolis Pauli, & clauſula illa: *Omnes in Adam peccaverunt*, non poſſit inveniri eadem exemptio, Deo etiam ſic permittente? In conceptu mentis Sancti Thomæ ſcripto, inventa fuit hæc exemptio à peccato originali, & hoc certiſſimum eſt non fuiſſe factum operatione Spiritus Sancti, ſed operatione alicujus viri, abſque eo, quòd vigilantiſſimi cuſtodes, partis contrariæ fautores, litis promotores ſoliciti, atque indefeſſi oppugnatores ſciverint, cognoverint, aut poſſint dicere quando, vel quomodò acciderit. Et ijdemmet, qui iſta fatentur pariter, clamant, & reclamant fuiſſe impoſſibile, quòd in uterum Sanctæ Annæ, & tempore animationis Virginis introducta fuerit in naturam humanam hæc eadem exemptio; & quæ in ſeipſis modò experiuntur, negant tempori, in quo ipſi non fuerunt præſentes; negant Dei Matri, & negant omnium Creatrici Omnipotentiæ, præcipuè cùm hujuſmodi exemptionis inventores, ac fabricatores fuerint ex eadem Prædicatorum Religione; non Fratres Minores: quia hi numquam curarunt de editionibus operum Sancti Thomæ; non Calcographi, quia eiſdem verbis invenitur non in una, aut altera, ſed in decem impreſſionibus in varijs mundi partibus laboratis, ex quarum tres fuerunt correctæ, & emendatæ à Patre Jacobo Caſtrenſi Ordinis Prædicatorum: & iſtæ decem, quia ſunt pro Virginis puritate, non potuerint prævalere contra ſex, in quibus non inveniebatur illa exemptio, ut moderni relinquendo majorem & ſaniorem partem, quæ eſt pro Matre Dei, ſequantur minorem, quæ eſt contra illam, abſque eo, quòd terreantur à voce Minoris, magnum videtur latère myſterium.

NODUS TERTIUS.

Numquam materia iſta Conceptionis

nis acriùs fuit diſputata pro utraque parte, quàm tempore Concilij Baſileenſis: nam Pater Joannes de Montenigro Provincialis Lombardiæ nomine, ac voce totius ſuæ Dominicanæ Religionis exhibuit illas ſuas latiſſimas Allegationes, adversùs quas D. Joannes de Segovia Canonicus Toletanus ſcripſit etiam ſeptem; & in ultima, ſpecificè reſpondendo ad argumenta, inquit: *Ad doctrinam Sancti Thomæ patet jam ex dictis reſponſio, quoniam, prout reperitur in Allegationibus ex adverſo in tribus locis ipſe nominando Virginem tenet pro aſſertione contraria, dicendo eam conceptam in originali peccato, & (prout ſuprà commemoratum eſt) in alijs tribus locis tenet contrarium, ut dixi manifeſtè pro doctrina iſta, &c.* Ecce, qualiter ad annum 1436. Sacra Religio Prædicatorum non invenerat in tota doctrina ſui Angelici Præceptoris, niſi tantùm tria loca, ubi expreſsè diceret, Virginem Dei Matrem fuiſſe conceptam in peccato originali, & tunc erant alia tria, ubi ſimiliter affirmabat fuiſſe conceptam ſine illa macula. Et ſtante in illo tempore hâc paucitate, & æqualitate, ad ann. 1475. id eſt, poſt quadraginta annos, quando ſcripſit Anonymus, jam repetiebantur in doctrina Sancti Thomæ viginti auctoritates contra piam ſententiam, & unica ſolùm pro ejus præſervatione à peccato originali, ſcilicet, illa, quæ extat in 1. ſent. diſt. 44. Et ecce Nodus. Si doctrina Sancti Thomæ fuit ſemper una; quomodò anno 1435. reperiebantur tantùm tres auctoritates in ea contra Immaculatam Conceptionem, & poſt quadraginta annos jam erant viginti? Si doctrina non eſt variata; quomodò tam brevi tempore tres auctoritates, quæ erant contra Conceptionem creverunt uſque ad viginti: & tres, quæ erant in favorem puritatis Virginis, diminutæ ſunt uſque ad unam? Poteſt eſſe, quòd hujus difficultatis ſit aliqua ſolutio; ſed ego illam non invenio, niſi recurrendo ad ſuperiùs dicta de clauſulis exiſtentibus in expoſitione ſalutationis Angelicæ, & epiſtolæ ad Romanos.

NODUS QUARTUS.

Expoſitio iſta Angelici Doctoris ſuper epiſtolas Pauli, ut conſtat ex dictis in Cortice, fuit ultimum ejus opus in hac mortali editum vitâ, vel totum ibi dictum de viſione, & approbatione doctrinæ præſtitâ à Sancto Paulo eſt frivolum, & nullius momenti; & quando non fuerit ultimum, ſaltem fuit ex ultimis, & hoc ſufficit nobis. Propter hanc approbationem factam à Doctore Gentium Paulo omnia opera antecedentia Sancti Thomæ remanſerunt approbata & qualificata: ex approbatione enim unius operis poſterioris omnia antecedentia remanſerunt qualificata ut Canonica, vel ſaltem reputata ut vera, quantum in hac mortali vita eſſe poteſt. Et en Nodus. Quia quando nos pro Immaculata Virginis puritate adducimus illud dictum

ctum abs Spiritu Sancto: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, vel illud Gabrielis Archangeli: *Ave gratiâ plena, &c.* communiter reſpondent iſta eſſe extra propoſitum: quia loquuntur de tempore Conceptionis activæ, & non paſſivæ, quæ jam præceſſerat, per undecim, vel quatuordecim annos. Quomodò ergò coaptantur iſta? Sanctus Paulus loquendo determinatè de ſuarum epiſtolarum expoſitione, approbat illam, & ſimul omnia opera laborata ab Angelico Doctore ante viginti quatuor annos, & verba Spiritus Sancti, & Archangeli miſſi à Deo non extenduntur ad retroacta, ſed tantùm ad illa præſentia. Ex quo potuit provenire hoc? An quia epiſtolæ Pauli habent majorem connexionem cum libris Sententiarum, Quodlibetis, Quæſtionibus diſputatis, &c. quàm Conceptio paſſiva Virginis cum ejuſdem Virginis Conceptione activa? Non, quia illa fuit facta propter iſtam, & ſi illa non fuiſſet, nec iſta in ipſa facta eſſet. An quia Sanctus Paulus habuit majorem dignitatem, & efficaciam in verbis, quàm Archangelus, vel Spiritus Sanctus? Minimè. An quia illa viſio in ſomnijs, & imaginaria Pauli de Aquila refertur à Sancto Antonino, & iſta à textu Sacro? Abſit. Undè ergò provenit hæc differentia? Ego non invenio aliam niſi ex parte termini; quia Paulus locutus eſt pro doctrina Sancti Thomæ, & Angelus pro puritate Dei Matris. Et qui aliam invenerit, ſcindat Nodum.

NODUS QUINTUS.

Præcipuus Nodus reſultat ex illis verbis dictis à Patribus graviſſimis, qui tempore Pij V. & ex ejus præcepto laborarunt in correctione operum Sancti Thomæ, dicentibus: *Curavimus, ut emendatiſſimè imprimerentur omnia amotis etiam ex eiſdem commentarijs, atque expunctis omnibus locis juxta noſtri Ordinis ſanctiones, quæ poſt Decreta Tridentinæ Synodi lectorem poterant detinere dubium, vel ſuſpenſum, &c* Et hinc reſultat non unicus, ſed quàm plurimi Nodi indiſſolubiles. Fatentur illi doctiſſimi Patres, quòd expunxerint omnia loca juxta Ordinis ſanctiones; & contenta in illa univerſali: *Expunctis omnibus locis* ſunt innumerabilia, ut conſtat ex impreſſionibus antiquis collatis cum modernioribus: & ſi tunc uniti, & congregati in Romana curia poſt tot editiones, ex quibus conſtare poterat veritas, expunxerunt omnia loca juxta ſuas ſanctiones; quid fecerint in illis primitivis ſæculis, quando unuſquiſque tranſcribebat ſuum genium, & typis mandabat ad ſuum placitum, & non erant aliæ ſanctiones, niſi inordinatum vel ordinatum cujuſcumque deſiderium? Salmanticenſes dicunt ex una parte, quòd à tempore Pij V. nulli Catholicorum liceat inſurgere, dicere, vel ſaltem excogitare materialiter, aut formaliter, quoad litteram, vel quoad ſenſum aliquid contra doctrinam Sancti Thomæ: quia jam eſt approbata à Religione Prædicato-

cato-

catorum per illos doctiſſimos Patres, & à Sede Apoſtolica, per Summum Pontificem Pium V. Et illa expuncta à doctrina juxta Ordinis ſanctiones fueruntne approbata, vel reprobata? In doctrina Angelici Doctoris nullus fuit, nec eſt error, defectus, vel macula: & illa omnia expuncta continebantne defectum, vel errorem? Si non; ad quid, vel quare tot tantaque fuerunt expuncta à doctrina vera, ſine defectu, & errore, ut regularetur ſanctionibus Ordinis? Si fuerunt expuncta, quia erant errores, & defectus redimus ad noſtrum Nodum communem, & indiſſolubilem, quòd indè expunxerint puritatem Matris, undè integritatem doctrinæ.

NODUS SEXTUS.

Anno 1570. poſt trecentos annos à nativitate, vel conceptu doctrinæ Sancti Thomæ fuerunt expuncta à doctrina illius, juxta Ordinis ſanctiones, omnia illa loca: *Quæ lectorem poterant reddere dubium, vel ſuſpenſum*, ut non eſſet incongruentia, aut aliqua contradictio in illa doctrina, & inter iſta omnia expunxerunt etiam illa, quæ loquebantur de immunitate Virginis MARIÆ à peccato originali, ut patet in duabus allegatis clauſulis epiſtolarum, & Salutationis Angelicæ. Et en Nodus. Ex una parte erat puritas, gloria, & honor Dei Matris; ex altera ſanctiones Ordinis; & in medio poſita doctrina Sancti Thomæ, & iſta ſcripta taliter ut lectorem poſſent detinere dubium, & ſuſpenſum, ad quam partem magis ſe inclinaſſet Sanctus Thomas. Ad auferendum ergò hanc dubiam ſuſpenſionem à lectoribus expunxerunt illi doctiſſimi Patres puritatem, honorem, & gloriam Dei Matris, ut adhærerent Ordinis ſui ſanctionibus. Igitur ſecundùm ſanctiones Ordinis, & illorum Patrum voluntatem eſt Virgo Dei Genitrix concepta in peccato originali, non ſecundùm doctrinam Sancti Thomæ. Et quod ipſi defendunt, & clamant eſſe defendendum, ſuntne ſanctiones ſui Ordinis, & non doctrina Angelici Doctoris? Interrogo: præceperatne Summus Pontifex, ut corrigerent doctrinam Sancti Thomæ ſecundùm ſanctiones ſui Ordinis, vel ſecundùm veritatem originalium? Regula doctrinæ quinti Doctoris Eccleſiæ ſcribentis ad annum 1250. ſuntne ſanctiones Ordinis factæ poſt trecentos annos? Ex una parte iſta quatuor: puritas Dei Matris, doctrina Sancti Thomæ, Decretum Summi Pontificis, & veritatis integritas ponderaruntne minùs, quàm ſanctiones Ordinis? An ſanctiones Ordinis erant, ut errores expuncti ab una, appingerentur in alia? Et ſiſtamus hîc, ne aliæ interrogationes, & conſequentiæ majoris momenti occludant iſtis levibus iter, & tranſitum.

NODUS SEPTIMUS.

Patres illi Romani expunxerunt ab operibus D. Thomæ omnes errores, *quos, videlicet, vel ipſe commentator vivens emendaverat, & ſi viveret, emendaſ-*

 ſet,

ſet: ego exiſtimo, quòd iſte commentator ſit ipſemet Sanctus Thomas, qui quidem dum viveret, correxit in aliquibus ſua opera: in alijs verò incorrecta reliquit. Sed Patres illi Romani ponderando prudenter materias correxerunt illa, quæ invenerunt, & judicarunt eſſe correctione digna: nam ſi Sanctus Thomas his temporibus viveret, abſque dubio illa emendaret, & ſic ipſi, ut optimi filij ac diſcipuli, hoc obſequium præſtarunt ſuo Magiſtro ac Fratri.

Hoc ſtabilito pro Cortice, ſtabiliendum eſt aliud pro Virga, ſcilicet, quòd cùm multi Defenſores piæ ſententiæ ſcripſiſſent, quòd ſi S. Thomas hoc tempore viveret, retractaret, vel emendaret, vel mutaret opinionem ſuam contra Immaculatam Conceptionem, & hoc etiam affirmaſſent aliqui Scriptores Ordinis Prædicatorum, ut Pater Medina in 3. partem, & præcipuè Pater Joannes à Sancto Thoma in prim. part. contra iſtum ſcripſit Generalis ſui Ordinis ſatis acrem epiſtolam ipſum reprehendens, &c. de qua dicemus in ſecunda impreſſione Solis Veritatis. Et contra omnes ſic opinantes P. Arauxo in 1. 2. quæſt. 81. edidit latiſſimam quæſtionem dicendo, hoc eſſe contra honorem, & gloriam Sancti Thomæ, & doctrinæ illius veritatem, puritatem, & ſoliditatem, &c. Et en Nodus. Patres illi doctiſſimi Romani electi à tota Religione, & Summo Pontifice Pio V. affirmant: quòd ſi Sanctus Thomas viveret, multa corrigeret, & emendaret in operibus ſuis, & cum hac ſola præſumptione, ipſi de facto multa, & plura correxerunt, & emendarunt. Et inter iſta omnia unum ſolùm locum non habuit, nec poteſt habere, ſcilicet, puritas Virginis Mariæ à macula peccati originalis. In operibus Sancti Thomæ multa indigebant correctione, & emendatione, ac de facto fuerunt emendata, & correcta; ſed circa opinionem de maculata Conceptione dicere, excogitare, vel addu cere ad quæſtionem: an fortè, utrùm fuerit poſſibile, quòd Sanctus Thomas, ſi hoc tempore viveret, mutaret ſententiam ſuam, vel corrigeret illam ſuam opinionem, eſt contra rationem, delictum magnum, & aſperrimâ reprehenſione digniſſimum. Et quòd plùs eſt, ſi in operibus Sancti Thomæ eſt aliqua clauſula, aut verbum, quæ ſit pro hujuſmodi puritate Conceptûs ventris Mariæ, ut error magnus inter errores debet expungi, corrigi, & emendari, ut factum eſt cum hac clauſula exceptiva exiſtente in expoſitione epiſtolæ ad Galatas, & altera Salutationis Angelicæ, quia Sanctus Thomas adhuc vivit in ſuis, ut mutentur, & corrigantur opera ejus; ſed non vivit in ſuis, nec in alijs, nec poteſt vivere, ut mutet ſententiam, quæ eſt contra Virginis puritatem, ita ut ſola hæc immunitas Dei Matris non habeat hanc immunitatem, privilegium, ſeu præſumptionem, quam habent om-

omnia, & ſingula verba, quæ extant in operibus Sancti Thomæ. Hujus Nodi tentativam videbimus, ſed non ſolutionem.

Nodus octavus.

Tria loca, ſeu clauſulas invenimus hîc expunctas contra Immaculatam Conceptionem. Prima eſt ex epiſtola ad Romanos, de qua parùm curo, quia illam non vidi, & nititur atteſtatione cujuſdam Doctoris particularis. Secunda eſt ex epiſtola ad Galatas; ſed pro hac jam habent aliqua originalia, ſive impreſſiones, in quibus non invenitur exceptio: & ſic ſiſtamus in tertia ſuper *Ave* Maria, de qua nulla poteſt eſſe dubitatio; quia omnia originalia antiquiora impreſſa ac manu-ſcripta à nobis viſa, habent illa verba: *Ipſa enim puriſſima fuit & quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*: Abſtulerunt illud *originale*. Et hoc fecerunt ut non hærerent lectores in quadam textûs contradictione; nam anteà ſic dixerat Angelicus Doctor: *Sed Chriſtus excellit Beatam Virginem in hoc, quòd ſine originali conceptus & natus eſt; Beata autem Virgo in originali eſt concepta, ſed non nata.* Iſtas duas auctoritates judicarunt correctores Romani includere apertam, ac per ſe notam contradictionem, ſed immeritò: quia aliud eſt loqui de prima Conceptione carnali, in qua ſolus Chriſtus conceptus eſt à Matre ſine originali concupiſcentia, ſed Virgo Maria cum hac fuit concepta, & hoc modo facillimè conciliantur propoſitæ auctoritates: Una enim loquitur de Conceptione activa, & alia de paſſiva; de Conceptione generantis una, & altera de Conceptione prolis genitæ. Sed dato quòd hæc interpretatio non placeat, & iſta verba formaliter opponantur, quare ut auferrent unam contradictionem à ſuo Doctore, voluerunt conſtituere peccatum unum in Sacratiſſima Dei Matre? Ut ſalvarent originale Sancti Thomæ, damnarunt ob originale Angelorum Reginam. Et ſi erant vitianda originalia quinti Doctoris Eccleſiæ, eſſet pro Deipara, & non contra ipſam; quia vitiare innocentem Filium, ut Matrem facerent ream, eſt duplicatum delictum, & ſcelus ab utroque latere inſanabile. Quo vergit Nodus iſte?

NODUS OCTAVUS
PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ ſparſam ſub nomine Sacratiſsimæ Virginis Matris Dei MARIÆ, & alias revelationes ejuſdem Dei Matris, præcipuè ex illis Sanctæ Brigittæ pro ipſius immunitate à peccato originali.

PRO CORTICE
§. PRIMUS.

FErè omnes Auctores moderni adducentes approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, factam à Christo Domino in Cruce pendente, ſimilitèr dicunt & affirmant eamdem doctrinam fuiſſe approbatam à Sacratiſſima Virgine MARIA: ſed eſt inter utramque una inſignis diſtinctio, atque differentia. Nam illa Chriſti Domini cœpit publicari poſt controverſiam habitam inter Joannem de Monteſono, & Univerſitatem Pariſienſem an. 1387. ut diximus Nodo VI. principali; approbatio autem Virginis MARIÆ cœpit diffundi poſt integrum ſæculum, id eſt, poſt annum 1480. & controverſiam Vincentij Bandelli de Caſtro-novo in partibus Lombardiæ. Et hinc oritur alia, ſcilicet, quòd illa Chriſti Domini inveniatur in duobus Sanctis ab Eccleſia canonizatis, Sancto Vincentio Ferrerio, ſeu Valentino,

Digitized by Google

tino, & Sancto Antonino Florentino: atque etiam illius mentionem faciunt duo Summi Pontifices Pius V. & Clemens VIII. ex quibus magnam videtur habere recommendationem. Sed omnia iſta deſunt in approbatione iſta Virginis MARIÆ. Primus enim, qui illám publicavit ſub nomine approbationis, fuit ipſemet Vincentius Bandellus in officio à ſe edito de Sancto Thoma Aquinate, ubi in præfatione Miſſæ ſic dixit: *O certam, præclariſſimam, atque excellentiſſimam doctrinam, cui veritatis præcones glorioſiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli tui, & inclyta ſemper Virgo* MARIA *cum Filio ſuo Domino noſtro Jeſu Chriſto pro mundi ſalute crucifixo, & univerſalis atque Apoſtolica Eccleſia teſtimonium perhibent veritatis!* &c. Ex his verbis poſteà Pater Joannes-Michaël Pius Bononienſis in libro de Viris illuſtribus Sancti Dominici, impreſſo Bononiæ an. 1607. parte 1. lib. 1. colum. 154. loquens de Doctore Angelico, ſic inquit Italicè: *Hebbe belliſſime viſioni. Vidde S. Pietro & S. Paolo che divinamente l'ammaeſtrarono*; MARIA *Vergine che lo certificò, dell' integrità della vitta, della verità della dottrina, e della impetratione diquanto haveſſe richieſto à Dio*, &c. Poſteà Pater Ignatius Galvan, Pater Balthaſar Arias, Joannes de Mata, & Gravina lib. *Ad diſcernendas veras à falſis revelationibus*; lib. 1. folio 64. & alij quàm plures.

Pater Xantes Mariales in Prolegomenis cap. 4. folio 29. col. 1. pro viribus conatur defendere illam revelationem, ſeu revelationes propoſitas à Sancto Vincentio Ferrerio in ſermone Sancti Thomæ, ſcilicet, quòd quando Angelicus Doctor erat in aliqua difficultate anceps, *apparebant ei Angeli, Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus, & aliquandò ipſiſſima Dei Mater cum Filio, illumq; de veritate inſtruebant*, eſſe veras & ſubſiſtentes; & quia Pater Poza dixerat verba iſta fortè fuiſſe adjecta, & quòd revelationes illæ, cùm eſſent privatæ & non approbatæ, indubitatæ fidei non eſſent, profert contra ipſum improperia ſuperiùs relata. Sed omnibus iſtis omiſſis admittamus illud, quòd *apparebat illi aliquandò ipſiſſima Dei Mater cum Filio, illumq; de veritate inſtruebant*. At de veritate inſtruere in aliquo particulari non eſt approbare totam doctrinam. Signent, quæ erant illa difficilia loca, in quibus illuſtratus extitit Angelicus Doctor à Filio Dei, & ejus Matre Sanctiſſima, & ut talia recipiemus ipſa; ſed velle ut illa, quæ Sanctus Thomas protulit ex ſe, ſine recurſu ad Angelos, Sanctos Paulum & Petrum, Virginem MARIAM, ac Verbum æternum, habeant eamdem certitudinis veritatem, ac infallibilitatem, quaſi ab omnibus relatis fuiſſent dictata, nec congruum videtur, nec rationabile.

Quòd autem revelatio iſta, ſeu approbatio fuerit excogitata, ut indè probarent Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, ſicut omnes aliæ, ut per ſingulas diſcurren-

do demonſtratur in hoc opuſculo: conſtat etiam in particulari ex Patre Joanne Dominico Montagniolo Senenſi, qui in ſuo libro: Defenſiones Theologicæ, ac Thomiſticæ à recentioribus Theologis, univerſam Theologiæ D. Thomæ Summam complectentes, &c. q. 27. in tertiam partem, inſurgens contra Franciſcum Suarium, & ejus quæſtionem de Immaculata Virginis Conceptione, poſt alia multa, ſic inquit: *Præcipuè verò ſententia noſtra probari poteſt primò: Zozimus Papa habet: Non dicitur verè redemptus, niſi qui fuit ſub peccato. Secundò: Sancti omnes hac de re loquentes, vel implicitè, vel explicitè hoc habent; contrariam verò nullus habet expreſsè. Tertiò: inter Sanctos Eccleſiæ Doctores peculiares quatuor hoc habent expreſsè, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Ambroſius, Sanctus Thomas, & Sanctus Bonaventura. Quartò: in Religione Minorum, quæ contrariam ſententiam tuetur, Sancti de hoc loquentes nobiſcum ſentiunt: Bonaventura, Antonius de Padua, & Bernardinus Senenſis: quòd ſi hoc Suarius in Antonino Paduano non invenit, facilè locum illum æmulatores expunxerunt; non tamen de illo dubitandum videtur, quia tunc temporis nullus oppoſitum aſſerere audebat. Quintò: contrariam nobis ſententiam tenentes non ſunt ab Eccleſia canonizati. Sextò: Sanctæ Virginis devotiſſimi expreſsè hoc habent, ut Anſelmus, Bernardus, D. Thomas, & reliqui; quinimmò Bernardus acerrimè præſervationem impugnat. Septimò: ipſa Virgo Beatiſſima Divi Thomæ doctrinam approbavit. Octavò: ipſe Chriſtus eam confirmavit, &c.* Ecce, quomodò ex approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, factâ à Virgine MARIA, deducit hic Auctor argumentum contra ejus Immaculatam puritatem. Nec ſolùm MARIA approbavit, ſed & Chriſtus confirmavit.

Qualem autem veritatem habeat hæc revelatio Virginis MARIÆ de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, inſinuatur breviter ex eiſdem rationibus adductis à Patre Montagniolo. Et quantùm ad illam primam Zozimi Papæ, non ſervavit legalitatem: non enim dicit textus: *Niſi qui fuit ſub peccato*, ſed ſic: *Niſi qui verè per peccatum fuerit antè captivus*, quæ valdè diverſa ſunt, ut in SOLE VERITATIS oſtenditur. De ſecunda dicit: quòd *omnes Sancti* hac de re loquentes implicitè vel explicitè dixerint, Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali; quod falſum eſt: quia nec omnes, nec aliqui (niſi unicus Sanctus Antoninus, & iſte Ordinis Prædicatorum) id affirmarunt, de quo latè in SOLE VERITATIS, præcipuè ſecundæ impreſſionis. Conſequentèr, tertia etiam eſt falſa: quòd Sancti Eccleſiæ Doctores, peculiaritèr *quatuor hoc habent expreſsè*. De Sancto Auguſtino, atque Sancto Ambroſio conſtat in SOLE VERITATIS: Sanctus Thomas de Aquino in uno vel altero loco, ſed in illis fuit vitiatus à Monteſoniſtis: quid autem ſenſerit Sanctus Bonaventura, cùm pro utraque parte habeat expreſſas auctori-

ctoritates, vide in SOLE VERITATIS, præcipuè ſecundæ impreſſionis, ubi multa, & ſingularia invenies addita. Circa quartam: quòd ex Religione Minorum omnes Sancti de hac re loquentes ſuſtinuerint contrariam opinionem, eſt abſque ullo fundamento poſitum. De Sancto Bonaventura res ſub lite eſt: at de Sancto Antonio Paduano, & Sancto Bernardino Senenſi, ex ipſiſmet conſtat eſſe falſum, ut videre eſt in eodem SOLE VERITATIS; & plùs diſtat ab ea illud: quòd *æmulatores expunxerunt verba ab operibus Sancti Antonij*: quia ſi numquam fuerunt in illis, quomodò poterant expungi ab æmulatoribus? Nos non dicimus, quòd alij æmulatores in plurali appoſuerint verba illa, ſed quidam æmulator vocatus Vincentius Bandellus de Caſtro-novo, qui finxit Bullam, ſeu approbationem Univerſitatis Pariſienſis, Innocentij Papæ, & aliorum, introduxit etiam ſub nomine Sancti Antonij Paduani auctoritatem quamdam Sancti Antonini Florentini, & per conſequens falſus eſt diſcurſus ille: *Non tamen de illo dubitandum videtur, quia tunc temporis nullus oppoſitum aſſerere audebat*. Nam tempore S. Antonij Paduani, & ante ipſum, non ſolùm S. Anſelmus auſus fuit dicere contrarium, Petrus Abaillardus, ſed etiam Nicolaus à S. Albano, Petrus Comeſtor, Richardus de S. Victore, & Petrus Cantor: & iſti non incidentèr, vel in una auctoritate, ſed ex profeſſo in ſpecialibus opuſculis, quæ apud nos extant diſpoſita ut lucem videant. Ad quintam: quòd contrarium tenentes *non ſunt ab Eccleſia canonizati*, dicimus: quòd, ex quo orta eſt controverſia iſta ex parte contraria, ſolus ſit canonizatus Sanctus Antoninus Florentinus Ordinis Prædicatorum; (nam Sanctus Bernardus non eſt enumerandus pro opinione contraria) & Sanctus Vincentius Ferrerius in rei veritate non eſt expreſſus. Et ab eodem tempore pro pia ſententia ſunt canonizati Sanctus Anſelmus, Sanctus Laurentius Juſtinianus, Sancta Brigitta, Sanctus Bernardinus Senenſis, Sanctus Ignatius, Sancta Thereſia, atque Sanctus Thomas à Villanova: Beatificatus verò Sanctus Joannes à Capiſtrano, atque Beatus Ludovicus Bertrandus, & Franciſcus de Sales, cujus Beatificatio jam eſt facta. Ad ſextam: quòd S. Bernardus, & Sanctus Anſelmus habuerint expreſsè contrariam opinionem, verum non eſt; & multò minùs illud, quòd Sanctus Bernardus acerrimè præſervationem impugnaverit; ſcripſit enim hic contra celebrationem Feſtivitatis factam die 8. Decembris, quando MARIA fuit Concepta ſecundùm carnem: de præſervatione autem nec minimum habet verbum. Ex his colligitur, quid dicendum eſſet de ſeptima approbatione, nempe Beatæ Virginis, quòd ipſa Virgo beatiſſima D. Thomæ doctrinam approbaverit. Nam in nullo Auctore antiquo talis appro-

approbationis memoria reperitur: illam finxit Vincentius Bandellus de Caſtro-novo, ſicut alia quàm plura: quòd conſtat, tum quia nec Gyrandus Renerius, nec Raphaël de Pornaſio, qui ſuprà poſitas adducunt approbationes, de hac ullam mentionem faciunt; immò Anonymus, qui recollegit jam relatas, & alias infrà apponendas, folio 125. loquendo de hac materia ſolùm inquit: *Ubi non parùm utile eſt commemorari, quòd tantæ devotionis fuit Doctor iſte ad Virginem glorioſam, quòd ſæpè, ut in ejus hiſtoria legitur, ipſius Matris Dei familiari demulcebatur eloquio. Crucifixus etiam binâ vice eum eſt allocutus, dicens: Benè ſcripſiſti de me Thoma; & Beatus Paulus Apoſtolus ſibi apparens, &c.* Et in hoc veritatem dixit: nam omnes hiſtoriæ antiquæ dicunt Beatiſſimam Virginem familiaritèr locutam fuiſſe cum Sancto Thoma, nullus verò Auctor, quòd approbaverit ejus doctrinam; & ex hac familiaritate collocutionis tranſijt Bandellus ad approbationem doctrinæ. Hoc inſinuavi propter veritatem.

Pater Ignatius Galvan in ſuo primo tomo in præfatione ſtatuit pro principio quaſi infallibili, & per ſe noto, quòd revelationibus privatis etiam ſit adhibenda fides. *Multum enim*, inquit, *tribui ſolet à viris doctiſſimis ac ſanctiſſimis, tum Sanctarum Brigittæ & Catharinæ, tum etiam aliorum; qui ſanctitatis opinione inſignes extiterunt, revelationibus, quæ paſſim honorificâ eorum commendatione recitantur, &c. Cùm ergo revelationes de doctrina, ac ſapientia Divi Thomæ graviſſimis, ſanctiſſimiſque viris factæ ſint (ut ſingulas explicantes oſtendemus) & ſcriptorum, qui eas memoriæ prodiderunt, magna ſit auctoritas, &c. nulli dubium eſſe poterit illas quidem omni humanâ fide dignas, & tamquam veras eſſe ſuſcipiendas, illoſque, qui oppoſitum ſenſerint, imprudentes, duros, ac infideles infidelitate, quæ eſt contra humanam fidem, eſſe judicandos.* Et ſic incipit capite 1. adducendo revelationes factas pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ eſſe veras, & ſubſiſtentes. Sed in illis duobus tomis nullum aſſignat virum graviſſimum, aut ſanctiſſimum, cui factæ fuiſſent illæ revelationes, niſi Paulum de Aquila pro antecedenti. Et poſt illas omnes lib. 4. cap. 3. diſc. 4. fol. 590. concludit pro doctrina Sancti Thomæ ſic: *Addit præterea Eccleſia miris prodigijs Sanctum Doctorem ſplendere. Profectò ſcientia, ſive doctrina, cui firmitèr adhærere debemus, ſignis, prodigiiſque probanda ac confirmanda eſt.. Nec enim cujuſcumque, qui ſe Doctorem profitetur, aſſertis fides eſt adhibenda; ſed his tantùm, quæ prodigijs, ſignis, ac miraculis è cælo confirmantur.* Et cum aliarum revelationum adducat Auctores, ex quibus illas extraxit, & folio 148. tom. 1. cap. 7. tranſcribat iſtam de Beata Virgine, nullum adducit graviſſimum, ſanctiſſimum, immò neque aliquem ſcriptorem ſimplicem, ex quo illam deſumpſerit, non quia caret Patre ac Matre, ſed quia noluit ejus genea-

Digitized by Google

genealogiam propalare, eo quòd nimis ſuſpecta eſſet.

Franciſcus Sylvius oratione 1. de Sancto Thoma, folio 87. ſic inquit: *Ecce Sancti hujus doctrinam Divinitùs habitam, à Chriſti Vicarijs confirmatam, &c, ut Pius V. loquitur, Salvatoris Crucifixi ore mirabilitèr probatam, Sanctæ etiam Dei Genitricis teſtimonio ſecuram, ut teſtatur Julius III. quid ergò mirum, ſi in ſummam auctoritatis arcem recepta, inviolabilis, irrefragabilis, invicta celebretur? Jam etiam cum Sanctorum Catalogo nondum eſſet adſcriptus, communis nomen ſortitus eſt. Nam, & Durandum, & Thomam de Argentina, Brulæum, Godefridum de fontibus, reliquoſq́ fere omnes Theologos communis Doctoris titulo Sanctum hunc inducere ſolitos, teſtatum relinquit Vincentius Haerlemius. Paludanus etiam in 4. diſt. 44. quæſtione 7. Quinta, inquit, opinio eſt Thomæ communis Doctoris, &c.* Ex hac auctoritate duo comprobata manent ut vera: primum, D. Thomam apud omnes Doctores antiquos, ante ſuam canonizationem, ac etiam poſt ſuam canonizationem fuiſſe Doctorem communem: hoc etiam fatetur Pater Petrus Clerq in ſua oratione, folio 21. quomodò autem ingreſſus fuerit ad poſſeſſionem, & aſcenderit ad titulum Angelici, aliquandò fortè propalabitur. Secundum eſt, doctrinam Sancti Thomæ eſſe ſecuram ex atteſtatione mirabili Sacratiſſimę Dei Genitricis; hanc autem revelationem adſcribit Sylvius Summo Pontifici Julio III. qui cœpit ſedêre anno 1550. ſexto idus Februarij, & ad marginem habet, quòd hoc extraxerit à Patre Nuño in 3. partem: & hoc etiam affirmat idem Sylvius in 2. oratione, folio 150. dicens: *Beatiſſima Deipara, teſtante id Julio III. Pontifice, ipſum de vitæ, ac ſcientiæ, quam longè lateq́; effuderat, integritate, per viſionem edocuit, &c.* Et etiam ad marginem vocat in teſtem Patrem Nuñum: & in rei veritate ſic eſt; nam Pater Nuñus Cabezudo in 3. partem impreſ. Coloniæ 1630. in folio magno, ſub hoc titulo: *Comprobata doctrinæ Thomiſticæ firmitas, celſitudo, &c.* inquit: *Julius III. teſtatur Deiparam Virginem* MARIAM *cum Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo certum reddidiſſe Beatum Thomam de vitæ puritate, & ſcientiæ integritate.* Iſte autem extraxit verba iſta à Patre Seraphico Caponi à Porrecta, ex libro, *Elucidationes formales totius Summæ Theologiæ, &c.* impreſ. Venetijs 1588. in proloquio de altitudine doctrinæ Thomiſticæ, omni veritate ſubnixum, ubi ſic inquit: *Nam, ut communitèr in Eccleſia legitur, & à Papa Iulio III. approbatur, Beatiſſima Dei Mater* MARIA *D. Thomæ quâdam vite apparuit; & ipſum de ſuæ vitæ, & ſcientiæ integritate certificavit. Quam ergò ſcientiam B. Virgo dixit eſſe integram, quis umquam dubitavit eſſe non integram? &c.* Hujus revelationis, & Julij III. approbationis authenticum teſtimonium nullus hucuſque vidit, nec oſtendit; & credo, quòd vix, aut numquam inventuri ſint: Nam, ut alibi notavi, quærere patronos facillimum eſt,

ut in Antonio Pizzamano, & Lamberto de Monte, Eleutherio, Innocentio, & Univerſitate Pariſienſi, ſed in ipſis oſtendere allegata difficillimum, immò impoſſibile. Et relictis alijs de hac Julij III. teſtificatione, vellem videre verba, vel aliquod rationabile fundamentum. Et hæc de Cortice.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

De miraculis, ac revelationibus factis à Sacratiſſima Virgine Maria pro comprobatione ſuæ Immaculatæ puritatis in Conceptione, diverſis temporibus, & perſonis, latiſſimè diximus in Regeſto Armamentarij Seraphici, à columna 562. uſque 599. ubi invenies ſeptuaginta duo miracula, & triginta duas revelationes. Et in *Militia noſtra Immaculatæ Conceptionis* addemus inventa de novo, & patrata ob hujus myſterij venerationem, & exaltationem: ex quibus omnibus pro hîc, & nunc ſolùm adducere decrevi factas Sanctæ Brigittæ, quia approbatas ab Eccleſia.

Prima eſt ex lib. 1. c. 9. ubi Virgo Maria ſic Sanctam Brigittam alloquitur: *Ego ſum Regina cœli, &c. Ego volo tibi dicere, quàm dulcitèr ipſe dilexit corpus meum, & quàm dulcitèr animam meam, quantùm etiam honoravit nomen meum. Ipſe Filius meus priùs me dilexit, quàm ego eum; quia Creator meus eſt. Ipſe conjugium Patris mei, & Matris tantâ caſtitate conjunxit, ut tunc non inveniretur caſtius conjugium, & numquam convenire vellent niſi juxta legem, ſolummodò cauſâ ſuſcitandi prolem, & cùm ſibi nunciatum eſſet ab Angelo, quòd Virginem parerent, undè ſalus mundi procederet, magis voluiſſent mori, quàm carnali amore convenire: & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quòd ex charitate Divina, & ex verbo Angeli nuntiantis convenerunt carne, non ex concupiſcentia aliqua voluptatis, ſed contra voluntatem ſuam, & ex Divina dilectione; & ſic ex ſemine eorum per Divinam charitatem caro mea compaginata eſt. Facto autem corpore meo Deus à Divinitate ſua animam creatam immiſit corpori, & mox anima cum corpore ſanctificata eſt, quam Angeli cuſtodiebant, & ſervabant die, ac nocte. Cùm autem anima ſanctificaretur, & corpori conjungeretur, tanta Matri meæ advenit lætitia, ut impoſſibile eſſet dictu, &c.* Hæc clara revelatio eſt, & expreſſa.

Secunda revelatio eſt in libro 5. libro 13. quæſtionum, ubi ſic incipit: *Deus Pater loquitur*; & in declaratione figurarum, circa medium, ſic dicitur: *Quintò: Maria fuit vas mundum, & non mundum. Mundum vero fuit, quia tota*

Digitized by Google

ta pulchra, & tanta immunditia non inveniebatur in ea, ubi cuſpis acûs infigeretur. Sed non mundum fuit, quia de radice Adæ proceſſit, & de peccatoribus nata eſt, licet ſine peccato concepta, ut Filius meus de ea naſceretur, &c. Hæc etiam expreſſa eſt.

Tertia revelatio extat in lib. 6. capite 49. ubi ſic dicitur: *Virgo Mater Dei loquitur. Si alicui volenti jejunare, qui deſiderium habet comedendi, ſed voluntas reſiſteret deſiderio, præciperetur à ſuperiori, cui obediendum eſſet, quòd propter obedientiam comederet, & ille propter obedientiam contra velle ſuum comederet, illa comeſtio majori remuneratione digna eſſet, quàm jejunium. Per ſimilem modum conjunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta fui, & veritas eſt, quòd ego concepta fui ſine peccato originali, & non in peccato; quia ſicut Filius meus, & ego numquàm peccavimus, ita nullum conjugium fuit, quod honeſtius eſſet, quàm illud, de quo ego proceſſi, &c.* Nihil poteſt eſſe clarius.

Quarta revelatio extat eodem libro 6. capite 55. ubi ſic dicitur: *Mater Dei loquitur. Quando Pater meus, & Mater mea matrimonialitèr convenerunt, plùs fecit hoc obedientia, quàm voluntas; & plùs operata eſt ibi charitas Divina, quàm voluptas carnis. Nam hora, in qua ego concepta fui, benè poteſt vocari aurea hora, & pretioſa; quia alij conjuges conveniunt ex voluptate, mei verò parentes convenerunt ex obedientia, & præcepto Dei. Benè ergò aurea hora fuit Conceptio mea: nam tunc incepit principium ſalutis omnium, & tenebræ quaſi feſtinabant in lucem. Deus namq; ſingulare quoddam, & à ſæculo abſconditum facere voluit in opere ſuo, quemadmodum fecit in virga arida floreſcente. Sed ſcito, quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quòd, ſicut ante legem ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & poſteà veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus; ſic placuit Deo, quòd amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret in tempore præordinato.* Contra piè dubitantes nihil dicimus, ſed tantùm loquimur adversùs impugnantes ex falſis ſuppoſitionibus, & ſic non debent facere propoſitiones univerſales ad totam Religionem: quia noſtræ tantùm ſunt particulares de ſcriptoribus.

Quinta revelatio extat in ſermone Angelico de excellentia Virginis MARIÆ, in feria quarta, lectione 1. capite 10. ubi poſt alia ſic inquit: *Ita Deus, qui huic Aquilæ comparatur, cujus conſpectui omnia futura, ſicut & præſentia clara ſunt, & aperta, dum univerſa juſta, & honeſta conjugia, quæ à primi hominis creatione uſque in diem noviſſimum fieri debebant, proſpiceret, nullum ſimile Joachim, & Annæ conjugio in omni Divina charitate, & honeſtate prævidit. Et idcircò et placuit de hoc Sancto conjugio honeſtiſſimæ ſuæ Matris corpus, quod per nidum intelligitur, generari, in quo ipſe cum omni conſolatione dignaretur quieſcere. Congruè quidem decoris arboribus devota comparantur conjugia, quorum radix eſt unio talis duorum cordium, ut ſcilicet, pro illa ſolatione conjungantur, quòd ipſi Deo honor,*

& gloria indè proveniat. Convenientèr etiam fructiferis ramis ipſorum conjugium voluntas ſimilatur, quando in omnibus ſuis operibus ita timorem Dei obſervabant, quòd etiam tantummodò causâ prolis, ad laudem Dei procreandæ, juxta Dei præceptum ſe invicem honeſtè diligant. Talium denique coniugiorum ſublimitatem, viribus, vel artibus ſuis inſidiator nequit attingere, quando ipſorum gaudium non eſt aliud, niſi, ut Deo rependatur honor & gloria; quando nulla etiam eos commoleſtat tribulatio, niſi Dei offenſa, & inhonoratio. Tunc autem in tuto loco ſtare videntur, quando bonorum mundalium, ſive divitiarum affluentia ipſorum animos ad ſuum amorem, ſeu ſuperbiam non valet allicere. Undè, quia tale Joachim, & Anna conjugium Deus prænovit fieri debere, propterea domicilium ſuum, videlicet corpus ſuæ Matris, ex ipſo colligi præordinavit. O Anna Mater reverenda! Quàm pretioſum theſaurum in tuo bajulaſti utero, quando MARIA, *quæ Mater Dei fieri debebat, in ipſo quievit! Verè ſine ambiguitate credendum eſt, quòd materiam illam ſtatim, quando in Anna utero concepta & collecta fuit, de qua* MARIA *formari debebat, ipſe Deus plùs diligebat, quàm omnia humana corpora à viro & muliere generata, & generanda per Mundum univerſum. Undè venerabilis Anna verè nuncupari poteſt Omnipotentis Dei gazophylacium, quia ipſius theſaurum ſuper omnia ſibi amabilem in ſuo utero recondebat. O quàm propè erat jugiter cor Dei huic Theſauro! O quàm piè, & alacritèr huic Theſauro oculos ſuæ Majeſtatis infixit, qui poſtmodùm in Evangelio ſuo ſic ait: Ubi eſt Theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum! Et ideò verè credibile eſt, Angelos ex hoc Theſauro non modicum exultaſſe, quando Conditorem ſuum, quem plùs ſeipſis diligebant, ita illum Theſaurum diligere cognoſcebant. Quapropter benè eſſet conveniens, & dignum, quòd dies illa ab omnibus in magna reverentia haberetur, quâ materia illa in Annæ utero concepta & collecta fuit, ex qua benedictum corpus Matris Dei formari debebat, quam ipſe Deus, & omnes eius Angeli in tanta charitate peramabant, &c.* Et hæc de revelationibus Sanctæ Brigittæ.

De approbatione illarum, tam in communi, quàm in particulari à Summis Pontificibus, & duodecim Cardinalibus ad hoc deſtinatis, inter quos præcipuus fuit Joannes de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, conſtat ex ipſo libro Sanctæ Brigittæ in principio, atque etiam ex notis additis in unaquaque à doctiſſimo Conſalvo Duranto. De quibus etiam nos in Regeſto Armamentarij Seraphici à columna 24. uſque 45. circa quas de novo occurrit dicendum, ipſas fuiſſe juſſu Patrum Concilij Baſileenſis viſas & approbatas in judicio contradictorio à quatuor doctiſſimis viris ex quatuor præcipuis Chriſtianitatis nationibus, ac alijs doctiſſimis viris, ſcilicet, Heymerico de Campo, Germano Doctore Colonienſi, atque Cancellario Univerſitatis Lovanienſis, Reverendo P. ac D.D. Joanne Roberti Abbate Monaſterij Bonæ-vallis Ordinis Ciſtercienſis Gallo, Reveren-

Digitized by Google

rendo Adm. D. D. Ludovico de Pirano Miniſtro Provinciali Ordinis Minorum Italo, Adam Cardinali Anglico, Joanne Roberto, Galfrido de Ballalant Abbate Anglico, Joanne de de Baſilēa Ordinis Sancti Auguſtini tempore Urbani VI. Item ab alio Doctore Anonymo Anglico, cum alijs tribus ejuſdem nationis, ut dicitur in libro manu-ſcripto exiſtente apud nos ex Monaſterio Waztenenſi Ordinis Sanctæ Brigittæ.

Deindè in libro dicto: *Onus Eccleſiæ*, cap. 3. ſub hoc titulo. De auctoritate & Sanctitate Brigittæ, quod incipit: *Futura prænoſcendi & revelandi munus, &c.* Et per totum agit de hac materia, & inter alia n. 2. ſic inquit: ***Alphonſus in prologo, quem ſcripſit in volumine revelationum ipſius Sanctæ Brigittæ, narrat, &c. Ecce jam videmus, quòd Spiritus Sanctus cum illa erat, ideò nemo dubitare debet ipſius Brigittæ revelationibus & monumentis eſſe ſtandum, atque credendum, ſicuti Alphonſus per multa argumenta in præfato prologo planè deducit, &c.*** Quis autem fuerit iſte Alphonſus, qui ita latè ſcripſit, ac defendit revelationes Sanctæ Brigittæ, mihi incognitum eſt.

Denique Joannes de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, cùm eſſet Magiſter Sacri Palatij in Concilio Baſilēenſi ex mandato Judicis Fidei, approbavit poſt exactum examen prædictas revelationes, & de unaquaque ſpeciale protulit judicium & pro iſta de Immaculata Conceptione dixit verba poſita in noſtra *Militia*, columna 845. & in ſua atteſtatione ſeu epiſtola præliminari ſic inquit: *Rationabilibus præfatorum Patrum votis annuentes dicimus, & atteſtamur per præſentes, quòd, antequàm ad Cardinalatûs dignitatem promoveremur exiſtentes adhuc in Baſilēenſi Concilio, videlicet, anno Dominicæ Incarnationis* 1435. *Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, & unus ex Sac. Theologiæ Profeſſoribus per ipſum Concilium deputatus ad examen præfatorum articulorum, ſcilicet, an in libris revelationum præfatæ Sanctæ Brigittæ, ut per plures æmulos affirmabatur, aliquid contra Scripturam Sacram, & Sanctorum Doctorum doctrinam, vel bonos mores contineretur, aliquave ex parte offenderet, zelo veritatis, & honore Sanctæ Brigittæ incenſi, de Omnipotentis Dei confiſi clementia omnes prædictarum revelationum libros ſtudioſè, & diligenter perlegimus, & juxta nobis deſuper datam gratiam, & ſensûs noſtri parvitatem, & temporis brevitatem, &c. In quorum omnium fidem ſcripturam ſequentem propriâ manu & noſtro magno ſigillo duximus roborandam, &c.* Extant in impreſ. Nierembergæ factæ anno 1518. & in alijs.

Quantis autem impugnationibus fuerint ab Auctoribus contrariæ opinionis impetitæ, & expugnatæ, & quibus verbis tam in communi, quàm in particulari; incipiendo ab Anonymo, tertia parte, rat. 30. & 32. Thoma de Vio Cajetano in ſuo opuſculo de Conceptione, capite 5. Bartholomæo de Spina, Dominico Montag-

niolo, & alijs hujuſmodi, ſi hîc tranſcribenda eſſent, arduam, & numquàm finiendam ſumeremus Provinciam. Nec omnia tamen ſunt prætermittenda: Anonymus loquens de duabus primis factis à Beata Virgine, & relatis à Sancto Anſelmo fol. 159. ſic inquit: *Quartò: idem colligitur ex conditione, & qualitate perſonarum, quibus facta eſt revelatio prædicta, & eis conjunctum, ut Feſtum illud celebrarent, celebrandumq́; prædicarent. Nam unus illorum fuit Apoſtata: quia cùm eſſet ordine Levita, habitum clericalem temerariè depoſuit, & matrimonium cum quadam juvencula contraxit; ſed à B. Virgine, ut dicitur, fuit poſtmodùm revocatus. Alius verò dicitur fuiſſe quidam Presbyter adulter, qui alterius nuptam concubinam tenebat, & carnali conceptioni continuè operam dabat. Planè non eſt veriſimile, nec rationale, quòd tales viri ſcelerati, & immundi ſpurcitijs luxuriæ dediti à pudiciſſima, & caſtiſſima Matre Virgine fuerint electi prædicatores ſuæ Feſtivitatis celebrandæ: ſi enim ſuam Conceptionem celebrari voluiſſet, non hos carnales, & ſceleratos viros, ſed pudicos, & caſtos prædicatores ad hoc annuntiandum elegiſſet.* Hæc Anonymus ille, qui ſcripſit jam ferè à duobus ſæculis. Et Pater Georgius Frikenhauſen in ſua prima allegatione art. 3. dixit: *Hactenùs nullum fide dignum privilegium eſt oſtenſum; nec viſiones, quæ hodiè à pluribus ſomniantur aliquid probant; ſed ſunt ſuſpectæ tamquàm Scripturæ Sacræ contrariæ, &c.* Et hoc modo loquuntur omnes de omnibus revelationibus factis pro immunitate Virginis.

Nunc autem, id eſt, anno 1648. ſic inquit Reverendiſſimus Pater Thomas Turcus Generalis Ordinis Prædicatorum, in ſuo opuſculo contra Immaculatam Virginis Conceptionem ſæpè in hoc libello citato fol. 29. ut diluat hoc argumentum: *Congerunt etiam Sanctarum mulierum, ac virorum illuſtrium teſtimonia, quibus lumen Divinæ revelationis affulſit, Divinitùsq́; inſtruxit, Dei Matrem omni prorsùs labe caruiſſe, & ab originali macula præſervatam, quibus cùm temerarium ſit objici, valdè rationabile eſt, ac pium, ingenuè ſubſcribere. Intèr multas autem, quas proferunt, celeberrima eſt Sanctæ Brigittæ pietate ac doctrinâ clariſſimæ, uti non ſemel cæleſtem hanc doctrinam ſibi revelatam fuiſſe ipſamet eſt teſtata.* Cui reſpondet, ſic dicens: *Sed hæc cum dubiæ fidei ſint, parùm adverſarijs favent, minùs verò nos lædunt: quamvis enim omnem fidem eis abnegaverimus, ipſarum ferula timorem nullum nobis incutiet. Et licet nimis rigidè hac in re videatur locutus Silveſter verbo:* Dominica; *in quo ejus contra auctoritatem Sanctorum, Conciliorum, ac Scripturarum ſtultum eſt credere muliercularum ſomnijs: graviter tamen, & pro dignitate reſpondit Cajetanus; dum ait: Sancta autem Brigitta opponitur Sancta Catharina de Senis, quæ dicit revelatum ſibi fuiſſe oppoſitum, ut refert Archiepiſcopus Florentinus primâ parte Summæ cap. 2. circa finem. Et majori fide digna videtur Sancta Catharina, quia canonizata eſt ſicut cæteri Sancti: Sancta verò Brigitta canonizata eſt tempore ſchiſmatis, quo nullus habebatur certus, & indubitatus Papa,*

à

à Bonifacio IX. Non diſſimulabo tamen Silveſtri conſentaneum videri Gloſſam ſuper illud Matthæi 17. *Apparuerunt Moyſes, & Elias loquentes cum* JESU *: quam ponderavit Gerſon de examine doctrinarum : Suſpecta, inquit, eſt omnis revelatio, quam non confirmat lex, & Propheta cum Evangelio, alioquin illuſiones dæmonum, aut potiùs proprij capitis ſanctificationes habentur, quibus facem prætuliſſe videtur Bernardus epiſt.* 174. *ad Canonicos Lugdunenſes, &c.* Proſequiturque latè. Pro nunc exiſtimo non eſſe ad rem tranſcribere hîc verba Patris Sylveſtri, verbo, *Dominica*, ubi agit de feſtivis diebus, & per conſequens de Conceptionis Feſto, quia in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS in RADIIS illis illuſtrantibus omnia, iſta tranſcribentur. Neque verba Gerſonis ex illo tractatu, cujus titulus eſt : *Ad diſcernendas viſiones veras à falſis*, & incipit : *Ex lectionibus meis, &c.* Qui impreſſus & manuſcriptus extat Pariſijs in collegio Navarræ, & Lovanij in Belgio in Conventu Fratrum Minorum arcâ 140. quia ſupponimus iſta.

Verumtamen quia omnes ſcriptores partis adverſæ conantur defendere revelationem Sanctæ Catharinæ Senenſis, immò non verentur affirmare eſſe præſtantioris fidei, auctoritatis ac veritatis, quàm ſint omnes ſupra-poſitæ Sanctæ Brigittæ ; decrevi hîc tranſcribere capitula novem poſita à Reverendo P. Hippolyto Maraccio congregationis Clericorum Regularium Matris Dei in libello typis mandato hoc anno 1663. in 4. ſub hoc titulo: *Vindicatio Sanctæ Catharinæ Senenſis à commentitia revelatione eidem Sanctæ Catharinæ Senenſi adſcripta, contra Immaculatam Conceptionem Beatiſſimæ Virginis* MARIÆ, dicato Reverendiſſimo Patri Generali Ordinis Prædicatorum, & ſunt ſequentia.

Caput I.

Ab auctoritate gravium ſcriptorum revelatio Sanctæ Catharinæ appicta de maculato Virginis Conceptu fabuloſa prorsùs eſſe demonſtratur.

Caput II.

A primo Auctore hujus revelationis eadem revelatio ficta, ac fabuloſa oſtenditur

Caput III.

A loco & tempore factæ revelationis ficta prorsùs, ac commentitia hæc revelatio declaratur.

Caput IV.

A ſcriptoribus vitæ Sanctæ Catharinæ ejuſdem revelationis fictio aperitur

Caput V.

Ex libro revelationum Sanctæ Catharinæ ejuſdem revelationis falſitas evincitur.

Caput VI.

Ex oratione, in qua hæc contineri dicitur revelatio, ejuſdem revelationis commentum arguitur.

Caput VII.

Ex tribus dignoſcendarum rerum revelationum regulis ejuſdem revelationis fabuloſitas deducitur.

Caput VIII.

Ex approbatione revelationum Sanctæ Brigittæ, revelationis Sanctæ Catharinæ appictæ falſitas exploditur.

Ca-

Caput IX.

Ex Sanctitate perſona Sancta Catharina, cui hac facta dicitur revelatio, ejuſdem revelationis fabuloſitas refellitur.

Ad iſta ibi quaſi evidenter demonſtrata addi poſſet aliud caput, ſcilicet, quòd in diverſis Bibliothecis Galliç, Flandriæ, ac Germaniæ viderimus quinque libros manu-ſcriptos revelationum Sanctæ Catharinæ Senenſis, & in nullo extet talis revelatio; & ſi adhuc voluerint contendere non fuiſſe fictam & ſuppoſitam in Lombardia tempore, & fortè induſtriâ Patris Fratris Vincentij Bandelli de Caſtro-novo, videant quid dicimus in RADIIS SOLIS VERITATIS; & nunc pergamus ad Nodos ex omnibus dictis inſolubiliter ſurgentes.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

PRimò loquimur in communi: Pro incontaminata Virginis puritate in ſua Immaculata Conceptione facta ſunt majora ſigna, prodigia, revelationes, ac miracula in ſubſtantia, quantitate, qualitate, numero, quàm pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ; & tamen iſta, licet pauca, & deſtituta omni probabilitatis auxilio, recipiuntur à ſuis ut vera ſolùm, quia dicunt in communi fuiſſe facta *graviſſimis, atque Sanctiſſimis viris*, licet in particulari nullus compareat, nec inveniatur talis Sanctiſſimus, & graviſſimus; & è contrà illis relatis pro puritate Sacratiſſimæ Dei Matris ab antiquis, & modernis ſcriptoribus, examinatis in Concilio à duodecim peritiſſimis Doctoribus, approbatis à Cardinalibus, ac Summis Pontificibus, ab Eccleſia, & fidelibus receptis, omnis fides negatur, impugnantur, & rejiciuntur, quia *ſunt muliercularum ſomnia, ac dæmonum illuſiones, &c.* non ob aliam cauſam, niſi propter illam communem, ac generalem regulam: quia ſunt revelationes particulares, & non extant in Scriptura Sacra, lege, & Prophetis, nec in ipſo Evangelio comprobatæ; & ecce magnus Nodus: Revelationes factæ pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ ſunt particulares, & non extant in Scriptura Sacra, nec inveniuntur comprobatæ à lege, & Prophetis in Evangelio, & recipiuntur à vobis tamquam veræ, ac fide dignæ, ac recipiendæ ſunt ab omnibus alijs, ita ut, qui oppoſitum ſentiret, eſſet imprudens, durus, atque infidelis. Videte quid dicat Pater Xantes contra Patrem

trem Poza, quia affirmavit illas relatas à Sancto Vincentio eſſe revelationes particulares, & non approbatas. Et undè hæc tam ingens differentia? Ego non invenio aliam, niſi quia Sanctus Thomas, & doctrina ejus habent exceptionem ab omnibus regulis generalibus contentis in Scriptura, lege, Prophetis, & Evangelio, ubi Matris Dei puritas uſque modò non invenit unam. Eſtne iſte Nodus?

Nodus secundus.

Loquimur in particulari. De doctrina Sancti Thomæ affirmat Pater Galvan, quòd revelationibus privatis, ut *ſunt Sanctæ Brigittæ, & Sanctæ Catharinæ Senenſis, fides præſtanda eſt*, ut indè deducat, quòd etiam particularibus editis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ integra fides præſtanda ſit. Et Pater Turcus loquendo de myſterio Conceptionis affirmat: *quòd nullo modo præſtanda eſt fides revelationibus privatis*, ut ſic excludat omnes hucuſque factas pro puritate Dei Matris. Cui ergò credendum eſt? Patri Galvan, vel Patri Turco? Nam, ſi Galvan dicit veritatem pro ſua doctrina Sancti Thomæ, ergò revelationibus privatis factis pro Immaculata Virginis Conceptione præſtanda eſt fides, & ut veræ recipiendæ ſunt, & P. Turcus erravit. Ac vice versâ; ſi Pater Turcus dicit veritatem, quòd non ſit credendum revelationibus Sanctæ Brigittæ, quia ſunt pro Immaculata puritate Conceptionis Dei Matris, ſed tantùm revelationibus Sanctæ Catharinæ quia ſunt contra ipſam: ergò undique eſt Nodus indiſſolubilis: quia eſt præſtanda fides revelationibus particularibus, ſi fiant intra Religionem Prædicatorum, & non eſt præſtanda fides factis extra Religionem Dominicanam. Præſtanda eſt fides revelationibus particularibus factis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, & non eſt præſtanda fides revelationibus particularibus ſi ſunt pro puritate Sacratiſſimæ Dei Matris: & nulla alia regula invenîtur ad diſcernendas revelationes veras à falſis, niſi doctrina Sancti Thomæ, & puritas Virginis; non Scriptura, lex, Prophetæ, nec Evangelium. Quia illæ, quæ loquuntur de approbatione doctrinæ Angelici Doctoris, licet non ſint approbatæ ab Eccleſia, illæ ſunt veræ, & fide dignæ; & illæ, quæ fuerunt factæ pro puritate Dei Matris, quantumvis ſint examinatæ & approbatæ ab Eccleſia, ſunt falſæ, & fictæ. Et Nodus iſte eſtne ſolubilis?

Nodus tertius.

Pro doctrina ſui Angelici Doctoris dicit Pater Galvan, quòd non debeamus credere doctrinis Doctorum Eccleſiæ, *niſi ſignis, prodigiis, miraculis, atque revelationibus fuerunt comprobatæ*, ut eſt doctrina Sancti Thomæ, quæ ut Catholica, & vera recipi debet, quia eſt omnibus modis comprobata. Contra puritatem Dei Matris dicit P. Turcus, quòd, licet ſententia pia habeat pro ſui comprobatione, *ſigna, prodigia, miracula, atque revelationes*, omnes ſint

parvæ fidei, quæ parùm favent nobis, aut nocent ipſis, immò *quòd abſque ullo timore omnis fides eſt eis abneganda.* Inter has oppoſitas aſſertiones prolatas ab ipſis de revelationibus doctrinæ, & puritatis, dicant nobis, qualis ſit vera: quia ſi Galvan dicit veritatem, opinio Sanctificationis non eſt approbata, nec vera, nec humanâ fide digna, nec ſuſcipienda; quia nullum ſignum, prodigium, miraculum, aut revelationem habet pro ſe ab Eccleſia comprobatam; & ſententia de Immaculata Conceptione eſt approbata, vera, fide digna, & ſuſcipienda; quia ſaltem in revelationibus Sanctæ Brigittæ manet ab Eccleſia approbata. Si autem Turcus dicit veritatem, nec doctrina Sancti Thomæ, nec ſententia de puritate Conceptionis ſunt approbatæ; licet habeant pro ſe ſigna, prodigia, miracula, & revelationes; ſed ſolùm opinio de maculata Conceptione: & quare hæc, cùm nullum habeat pro ſe ſignum, prodigium, miraculum, aut revelationem, & non ſit confirmata à lege, Prophetis, Scriptura, & Evangelio? Quia dicit Sanctus Antoninus Sanctam Catharinam habuiſſe de hoc revelationem; & hoc ſufficit pro ſigno, prodigio, & miraculo, Scripturâ, lege, Prophetis, & Evangelio. Et quando fuerunt iſta approbata ab Eccleſia? In Conventu Bernenſi, ab illa Virgine Magiſtrâ Novitiorum habente pedes longos. Sed benè erit, quòd Nodus iſte maneat hîc, quia ſatis longus poterat eſſe.

NODUS QUARTUS.

Pater Galvan dicit, quòd revelationibus approbantibus doctrinam Sancti Thomæ debeamus fidem præſtare, quia fuerunt factæ graviſſimis, atque Sanctiſſimis viris; & Auctores, qui eas memoriæ prodiderunt, magnæ fuêre auctoritatis, licet nullum aſſignet, nec poſſit aſſignare, unum ſaltem gravem, nec Sanctum virum in ſingulari, & ſine ſuperlativo. Et relictis alijs de iſta approbatione factâ à V. MARIA non ſignat, cui, vel quando fuerit facta; quia in antiquis eorum Annalibus non extat, niſi tantùm illa in Cortice relata. Sed admittamus illos Sanctiſſimos, atque graviſſimos viros. Pater Gyrandus Renerius affirmat, quòd non ſit præſtanda fides revelationibus factis pro puritate Conceptionis: *Quia Helſinus Abbas fuit quidam ebrius de bochetò, & de cereviſia, vel de vino de patria ſua, &c.* Bandellus Anonymus dicit, quòd non ſit credendum Diacono Hungariæ Regis germano, & poſteà Patriarchæ Aquilejenſi, quia fuit quidam *Apoſtata*; nec Canonico Gallo, quia fuit quidam *adulter*, & ambo ſcelerati, immundi, carnales, & luxuriæ ſpurcitijs dediti. Pater Turcus cum Cajetano affirmant, quòd non ſit præſtanda fides revelationibus Sanctæ Brigittæ, quia fuerunt *mulierculatum phantaſia, vel illuſiones dæmonum, &c.* Sed ſolùm eſt præſtanda fides revelationi de maculata Conceptione Sanctæ Catharinæ de Senis, quia fuit canoniza-

ta

Digitized by Google

ta,ſicut cæteri Sancti,non autem tempore ſchiſmatis, ſicut fuit S. Brigitta. O peccatum originale! Quo ibimus à facie tua, vel quo fugiemus à calore tuo? Omnes loquentes pro doctrina Angelici Doctoris fuerunt graviſſimi, atque Sanctiſſimi viri; & qui locuti ſunt pro tua immunitate, & puritate (O Sacratiſſima Virgo Maria Dei Mater!) omnes fuerunt ebrij, Apoſtatæ, adulteri, vel mulierculæ à dæmone illuſæ; & quid expectat Servus Nequam, & lignum iſtud aridum quando hæc vidit fieri in viridi? Sed non curo dè viro, dum, extracto Cortice, omnes viderint, quòd tuus honor, & puritas cœperint virêre.

Nodus quintus.

Cum omnibus ſuis defectibus magnis & parvis, reſolvit Pater Galvan approbationes doctrinæ Sancti Thomæ eſſe recipiendas ut veras. Repetamus ipſius verba: *Nulli dubium eſſe poterit illas quidem omni humanâ fide dignas, & tamquam veras eſſe recipiendas, illoſq́, qui oppoſitum ſentirent, imprudentes, duros, ac infideles infidelitate, quæ eſt contra humanam fidem, eſſe judicandos.* Hæc extant pro approbationibus doctrinæ: & pro alijs circa puritatem Conceptionis inquit Pater Turcus: *Sed hæc cùm dubiæ fidei ſint, parùm adverſarijs favent, minùs verò nos lædunt: quamvis enim omnem fidem eis abnegemus, ipſarum ferula timorem nullum nobis incutiet.* Pro doctrina Sancti Thomæ *nulli* in communi, nec in particulari *dubium*: non timor, opinio, indeterminatio, ſed nec dubitatio *eſſe poteſt*, non tantùm in actu, ſed nec in potentia: *illas quidem* revelationes factas pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, *omni humanâ fide dignas*, ita ut nulla poſſit eſſe in humana capacitate fides, quæ ipſis non debeatur, & clamet *tamquam veras eſſe ſuſcipiendas*, non ut dubias diſcernendas, vel per indifferentiam omittendas, ſed poſitivè ſuſcipiendas & amplectendas eſſe, ita ut *illos, qui oppoſitum ſenſerint*, non oppoſitum dicere, vel aſſeverare; ſed qui oppoſitum tantùm ſenſerint, nullo modo eſt dubitandum *ut imprudentes, duros, ac infideles eſſe judicandos.* Hâc duriſſimâ ferulâ utitur Pater Galvan pro revelationibus tangentibus doctrinam Sancti Thomæ, ſed pro illis de puritate Virginis è contra judicandum eſt. Quia ab omnibus, ac ſingulis in dubium verti debent, nec tantùm de illis dubitare, ſed poſitivè contradicere, & impugnare tamquam omni fide humanâ indignas, & ut fictas, & falſas non ſuſcipiendas eſſe, ſed reſpuendas; ita ut, qui oppoſitum ſenſerint, affirmaverint, ac defenderint, ſint prudentes, maturi atque fideles. Conjungamus Nodum iſtum cum ſequenti.

Nodus sextus.

Pater Turcus affirmat, quòd omnia miracula, & revelationes factæ pro Immaculatâ Virginis puritate ſint *dubiæ fidei*, & quòd illæ *parùm nobis faveant*, & quamvis hoc ſit parùm pro nobis, *minùs illos lædunt*: nam tales

 ſunt,

ſunt, quòd, quando omnem fidem eis *abnegaverimus*, non ideò *ipſarum ferula timorem ullum* illis *incutiet* : quia eſt credere *muliercularum ſomnijs*, & recipere *illuſiones dæmonum, aut proprij capitis phantaſiationes.* Exiſtimo, quòd ſi aliquis auderet iſta proferre de revelationibus ab ipſis relatis pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, nec eſſet virga, aut cortex in arboribus totius mundi, ex quibus non componerentur ferulæ, & flagella ad puniendam imprudentiam, duritiam, infidelitatem illius: ſed relicto eo, quod dicerent, videamus, quid dicant. Revelationes particulares factæ pro doctrina Sancti Thomæ ſine ullo dubio ſunt ſuſcipiendæ, licet ignoretur ipſarum principium, vel undè venerint : quia Auctores Sacræ Religionis Prædicatorum non proponerent, niſi quod fuiſſet certum, evidens, & authenticum. Sed in revelationibus factis, vel adductis pro Immaculata Virginis puritate nec eſt credendus Sanctus Anſelmus, nec Cardinales, aut Pontifices audiendi, nec Sancta Brigitta, nec Eremitæ Græci, nec alij tres peccatores. Ferula dura, imprudens, & infidelis eſt in ſchola pro dubitantibus, vel non recipientibus revelationes approbationum doctrinæ Sancti Thomæ. Sed pro illis circa puritatem Dei Matris nulla eſt ferula, nec aliquid, quod timorem poſſet incutere. Iſti, & alij Nodi continentur in duabus auctoritatibus Patrum Galvan, & Turci, ita duri, ut juxta Hiſpanicum proverbium loquendo, non ſolvent illos Galvan, nec magnus Turcus.

NODUS SEPTIMUS.

Ex omnibus ſuprà relatis unum credo, ac recipio, & alterum nec recipere, nec credere volo. Credo, & recipio, quòd Sacratiſſima Virgo MARIA pietatis Mater approbaverit doctrinam, & conceptum mentis Sancti Thomæ, dicendo eſſe puram, Sanctam, ſine errore, aut defectu. Sed nolo recipere, nec credere, quòd Sanctus Thomas dixerit Conceptum ventris ipſius Dei Matris fuiſſe impurum, maculatum, cum errore, ac defectu, &c. Quia nimis durum videtur, imprudens, & infidele, quòd Mater laudet filium, Domina ſervum, & Magiſtra diſcipulum; & in eadem re, materia, & puncto filius, ſervus, ac diſcipulus diffamet Matrem ſuam, Dominam, ac Magiſtram. Sed Nodum iſtum facillimè ſolvunt, proferendo illud : *Licet amicus Plato, magis amica veritas.* Undè hæc ponderavit magis in illo Sanctiſſimo Eccleſiæ Doctore, quàm reſpectus Matris, Dominæ, ac Magiſtræ, atque honor ipſius Chriſtiparæ : quia in doctrinam iſtam non poterat cadere vel unicum mendacium, nec ſuſpicio mendacij; & ſic veritas ſuper omnia. Ita reſpondent Turrecremata, Anonymus-Bandellus, Renerius, & alij ſcribentes de hac materia. Optima eſſet Nodi ſolutio, niſi ex illa reſurgerent alij majores. Veritas non eſt tacenda, licet ſit contra honorem Virginis; & veri-

tas

Digitized by Google

tas eſt tacenda (non contra honorem Sancti Thomæ, quia Angelicus Doctor numquam ſuſtinuit hanc opinionem, ut alibi latiùs oſtendemus; & eſto ſuſtinuiſſet, non dixit Virginem Mariam hoc approbaſſe) ſed propter honorem illorum, qui contra veritatis, & legalitatis leges dixerunt: Sanctum Doctorem ſuſtinuiſſe iſtam opinionem, & illam fuiſſe à Virgine Dei Matre approbatam. Non eſt iſte Nodus? Ubi ergò dixit hoc Sanctus Thomas? Non in uno vel in duobus locis, reſpondent; ſed in viginti. In viginti? Ad quid tot reduplicationes? Non poterat Angelicus Doctor propter honorem Dei Matris intactam relinquere hanc materiam, vel illam tractare in uno, aut altero loco tantùm? Non niſi in viginti. Et quare in tot locis? Quia erat res pertinens ad Fidem, & ſic debuit toties reduplicari. Et ecce alius Nodus. Quomodò ergò nunc dicitur, ac defenditur, quòd articulus iſte non pertineat ad Fidem? Quòd Sanctus Thomas diceret: *Virgo* Maria *contraxit originale*, pertinebat ad Fidem; & quòd Eccleſia dicat: *Virgo* Maria *non contraxit originale*, non pertinet ad Fidem. Iſtene Nodus? P. Montagniolus dicit, ex eo quòd Virgo Maria approbaverit doctrinam Sancti Thomæ, ex proprio Virginis ore manere approbatum, quòd ipſa contraxerit originale. Et ecce alter Nodus: quia jam Virgo Maria dicit unum, & Eccleſia Sancta alterum. Dei-para ſeipſam condemnat per os, & organum Patris Montagnioli; & Eccleſia per os, & organum Summorum Pontificum illam liberat à peccato. Cui ergò credendum eſt? An Montagniolo, vel Montibus Summi Pontificis Alexandri VII?

Nodus octavus.

Pater Humbertus in vita Sancti Thomæ, cap. 28. incipit agere de puritate admirabili mentis & corporis Angelici Doctoris, & cap. 29. proſequitur eamdem materiam dicens ſic: *De hujus Doctoris puritate mirabili & inviolatâ, ac modernis temporibus inauditâ, facta eſt revelatio cuidam Fratri devoto dicti Sancti, de quo inferiùs dicetur, quòd revelationem habuerit de rete argenteo contexto in nodis diverſis lapidibus pretioſis, cùm cœpiſſet ejus hiſtoriam texere, de quibus poſſet ipſum virtutibus commendare, qui cùm proſecuturus prædicti Doctoris canonizationem rediret ad Curiam, & eſſet in portu Aſturicen. cum intolerabili tempeſtate, rogavit prædictum Thomam Sanctum, ſicut frequenter oraverat, &c.* Et refert latiſſimè quomodò apparuerit ei Sanctus Doctor, & liberaverit ipſum Fratrem à tempeſtate, & revelaverit ipſi ſuam puritatem mentis & corporis fuiſſe inviolatam, &c. Et ecce Nodus. Puritas inviolata Angelici Doctoris potuit revelari, ac de facto revelata fuit cuidam Fratri ſuo devoto, cùm eſſet in quadam tempeſtate conſtitutus; & quia hoc dixit Pater Humbertus, debemus ei præſtare indubitatam fidem; præſtemus profectò, quia hoc

Digitized by Google

eſt rationabile, pium, ac juſtum. Sed cùm in alia tempeſtate maris fuerit revelata puritas Virginis Dei Matris, non cuidam Fratri juveni Dominicano dormienti, ſed Abbati venerando, vigilanti, coram tot teſtibus exiſtentibus in navi, quare non creditur nec admittitur, quin potiùs rejicitur, contradicitur, & impugnatur? Illa revelatio facta pro S. Thomæ puritate cum tot circumſtantijs diminuentibus veritatem; debet eſſe firma, ſtabilis, ſubſiſtens, &c. Et pro puritate Dei Matris, nec valet revelatio facta in mari Helſino Abbati, nec Brigittæ Sanctæ; nec altera in partibus Græciæ patefacta Eremitis Sanctiſſimis, de qua Joannes de Mandeville in quodam ſermone de Conceptione antiquiſſimis characteribus manu-ſcriptis exiſtente cum alijs ejuſdem opuſculis in Monaſterio Canonicorum Regularium Rubræ-vallis prope Bruxellas, ad finem ſic dicit: *Et quia iſtud ratione non comprehenditur, ideò Deus pauperrimi intellectûs ſupplens defectum, per multa ſigna cœleſtia miraculosè patefecit. Undè in partibus Græciæ die octavâ menſis Decembris plures Sancti Eremitæ in loco unius eorum convenerunt, ut de verbo ſalutis ſimul conferrent: Cumq; de vita, & paſſione Chriſti diu tractaſſent, de laude Beatæ* MARIÆ *tractare cœperunt. Audientes autem in cœlo cantus dulciſonos Angelorum, & melodiam, dixit unus Fratrum: Credo quod aliqua Sancta anima ab Angelis in cœlis recipiatur. Alius vero inquit: Forſitan habent in cœlo Feſtum nobis ignotum. Tertius ait: Silete, non enim noſtrum eſt deſuper cœleſtibus judicare; ſed oremus, ut nobis miſeris cauſam ſolemnitatis ipſius revelet clemens Dominus. Ipſis ergò orantibus venit Angelus dicens: Quid miramini, ſi Feſtum ſolemne in cœlis fiat; omnes enim Beatorum ſpirituum ordines lætantur, & exultant cantantes, atque laudantes Deum de ſolemnitate hodierna Feſti Conceptionis Sanctæ Virginis* MARIÆ: *in qua Conceptione ſemita facta fuit, per quam Deus deſcendit, & venit in mundum perditum, ut in ſe credentes ſalvos faceret. Vos itaque omni anno hoc Feſtum celebretis, & ſolemnizari ab alijs procuretis. Et his dictis diſparuit. Fratres ergo Patriarchæ Conſtantinopolitano audita narrarunt, & ſic eſt Feſtum ubique divulgatum. Sumus ergò per ſigna, & experimenta cœleſtia illuſtrati, &c.* Sed omnia iſta experimenta cœleſtia, cùm non ſint pro doctrina, ſunt muliercularum revelationes, ſomnia ficta, & ſuſpecta; ubi facta pro doctrina Sancti Thomæ qualia qualia ſunt, recipiantur paſſim ut vera & authentica.

Digitized by Google

NODUS NONUS PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ ex Concilio Tridentino fabricatam : & exemptionem ejuſdem Concilij in Decreto de peccato originali, pro immunitate Virginis MARIÆ.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

INter ſuas approbationes excogitarunt Doctores Salmanticenſes alteram ex Concilio Tridentino. Repeto hic omnia ipſorum verba, ut videatur, quàm debili fundamento talis approbatio introducta fuerit. Inquiunt enim in ſuo libello: De tenendâ ac docendâ Sanctorum Auguſtini & Thomæ doctrinâ, fol. 28. n. 18. ſic: *Decreta quoque Concilij Tridentini à nobis nuper relata teſtimonium huic perhibent veritati, quorum plurima ex doctrina Angelici Doctoris ſunt deprompta : cujus rei teſtis fideliſſimus eſt Pius V. in Bulla, quâ D. Thomam inter celebriores Eccleſiæ Doctores retulit, cujus verba ſunt hæc : Sed quoniam Omnipotentis Dei providentiâ factum eſt, ut Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cæleſtibus civibus adſcriptus eſt, multæq; deinceps exortæ ſunt hæreſes confuſæ, & convictæ diſſiparentur : quòd, & anteà ſæpè, & liquidò nuper in Sacris Concilij Tridentini decretis apparuit, & cætera.* Hucuſque prima clauſula Salmanticenſium : in qua notare oportet nullum hucuſque negaſſe Angelici Docto-

ctoris doctrinæ vi, & veritate multas diſſipatas fuiſſe hæreſes tam in Concilio Tridentino, quàm extra. Nam cùm Sanctus Thomas in ſua Summa Theologiæ reduxiſſet ad compendium, & congregaſſet in unum omnes veritates, quas Petrus Lombardus Magiſter ſententiarum extraxit à Sanctis Patribus, & quas poſteà ad ſcholaſticam normam reduxerunt antiqui Theologi Hugo, & Richardus de Sancto Victore, Albertus Magnus, Alexander de Ales, &c. nec in Concilio, nec extra Concilium poterit aliquid verè, & Catholicè determinari, niſi conſulatur D. Thomas: de hoc enim nullus dubitat. Inquiritur tamen, an ex eo Tridentinum fecerit aliquam ſingularem approbationem doctrinæ Sancti Thomæ: Dicunt Patres Salmanticenſes, quòd ſic; & hanc indagamus.

Suam demonſtrationem proſequuntur ſic: *Quanti denique hujus Sancti Doctoris doctrina in Concilio Tridentino fuerit, Didacus à Payva in ſermone quodam de hoc Sancto Doctore apertiſſimè oſtendit. Cùm enim ventilata fuiſſet ſeſſ. 22. in qua decretum eſt, Chriſtum Dominum Diſcipulos ſuos in nocte cœnæ ſacerdotes inſtituiſſe, & coram omnibus Concilij Patribus hic articulus legeretur, aſſurgens quidam Epiſcopus dixit, hanc determinationem doctrinæ D. Thomæ contraire videri: quod audientes Concilij Patres, ſeſſionem illam ſuſpenderunt, & Decretum illud, quouſque de mente Doctoris Angelici conſtaret, retinuerunt. Cùm igitur Eccleſia, ac Sacra Concilia non abnuant eſſe Thomiſtas, nomenq; hoc non ſolùm verbo, verùm opere etiam complectantur; quis erit tam protervus, qui dicat Academiæ electionem inconſideratè fuiſſe factam, quæ ſe ad doctrinam hujus celeberrimi Doctoris amplectendam jurejurando adſtrinxerit?* Hæc eſt ſecunda clauſula Salmanticenſium. Ad quam dicimus, eſſe verum, quod Didacus de Payva refert: extant enim in 1. parte ſuorum ſermonum, conc. 2. de Sancto Thoma; ſed idem eſſet, quòd aliquis Epiſcopus diceret doctrinam illam de inſtitutione ſacerdotum eſſe contra mentem Sancti Auguſtini, Sancti Ambroſij, Sancti Hilarij, Chryſoſtomi, Leonis, &c. eodem modo ſuſpenderetur ſeſſio illa: quia Patres Concilij non determinant, niſi maturè perſpectâ mente omnium Sanctorum; nec exiſtimo eſſe conſequentiam legitimam: Patres Concilij ſuſpenderunt ſeſſionem illam de inſtitutione ſacerdotum, quouſque conſtaret de mente Sancti Thomæ in hac materia: igitur Concilium Tridentinum approbavit omnem doctrinam Sancti Thomæ; nam ab una particulari, & individua volunt deducere univerſalem: & multò magis ridicula videtur illa deducta à Salmanticenſibus, dicendo Eccleſiam, & Sacra Concilia non abnuere ſe eſſe Thomiſtas verbo, & opere. Quando ergò Eccleſia, & Sacra Concilia vocantur Thomiſtæ? Tamen re & nomine Eccleſia, & Sacra Concilia ſunt, & nominantur Thomiſtæ; quia in Concilio Tridentino ſuſ-

Digitized by Google

penſa fuit quædam ſeſſio, quouſque conſtaret de mente S. Thomæ; res equidem (iterum dico) ridicula videtur. An quia Concilium Tridentinum extraxit ad litteram ex Regula Sancti Franciſci verba illa de inſtitutione, & modo concionandi Prædicatorum: *Annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate ſermonis, &c.* liceret nobis dicere Eccleſiam, & omnia Sacra Concilia fuiſſe re, & nomine Franciſcanos, & omnem doctrinam illorum eſſe approbatam? Et ſi hæc non valeat, multò minùs illa deducta à Salmanticenſibus

Suum diſcurſum proſequuntur ſic: *Profectò tam ſolemnis approbatio doctrinæ D. Thomæ à Concilio Tridentino facta, omnem homini Catholico reclamandi modum eripit, ut præclarè amplificat Cæſar Baronius in Martyrologio Romano ſub die ſeptima Martij, his verbis: Vix quiſquam enarrare ſufficeret, quot vir Sanctiſſimus, atque eruditiſſimus Theologorum præconijs celebretur, quantumq́; illius illibatæ doctrina à Sanctis Patribus in Sacroſancto Oecumenico Concilio Tridentino conſidentibus fuerit acclamatum.* Hucuſque referunt ex Baronio, & hinc ipſi ſic proſequuntur: *Quid mirum, ſi Academia acclamet Sancto Thomæ eodem modo, quo Sanctiſſimi illius Concilij Patres illi acclamarunt per os Concionatoris, qui in Feſto Sancti Thomæ ad eoſdem Concionem habuit dicens: Non potuit D. Thomas Eccleſiaſticis intereſſe Concilijs morte præventus; verùm ecce ſuperſtes atque in æternum victurus nobis adeſt: bona ſua ſpiritualis doctrinæ theſauros hæreditario jure nobis delegavit. Nulla proinde ab ejus felici tranſitu Concilia ſine Sancto Doctore celebrata ſunt: ut enim de cæteris ſileam, quod audivimus, quod vidimus, quod manibus noſtris contrectamus, quidni apertâ voce ad laudem ejus teſtemur? Veſtra comitia perpendite. Ex plurimo, eoq́; honorabili Doctorum cœtu, quotuſquiſque conſultor accedit, qui D. Thomæ auctoritate, veluti ſplendenti gemmâ, ſuam ſententiam non exornet? At in conſultiſſimo Patrum receſſu Doctor hic ſententiam rogatus frequentiſſimè cenſet, ad quem, ut ad Lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis aut controverſiæ fuerit exortum, communibus votis referendum exiſtimetis, & qui eum ſui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non ſit habiturus, quin ſecundùm eum ſententia ferenda ſit.* Hucuſque ſententia illius Concionatoris proferentis de Sancto Thoma, & doctrina ejus coram Patribus Concilij hoc elogium; ſed quis fuerit Concionator iſte cujus nomen conſultò tacuerunt Salmanticenſes, infrà videbimus: nam pro nunc ſufficit ſcire fuiſſe ex Ordine Prædicatorum, ac quidem quòd fuerit communis quidam Frater: ſed & multò majora poterat Concionator ille dicere, non tamen exindè ſequeretur, quòd Sanctiſſimi illius Concilij Patres per os illius Concionatoris acclamârint, & approbârint omnem doctrinam Sancti Thomæ, ut Salmanticenſes deducunt. Nam Concilium audiebat, & non loquebatur, nec determinabat per os illius Concionatoris.

Ex omnibus ſuprà dictis, ſic concludunt Salmanticenſes: *Indicent nobis modò, qui pro viribus, & poſſe Salmanticenſis Academiæ electionem labefactare conantur: ubinam de aliquo Doctore Eccleſiæ Sancto, vel non Sancto, tam præclara elogia legerint? Aſſignent aliquem, de quo Eccleſia affirmet, omnes ipſum Academias tamquàm Theologiæ Principem ac parentem venerari? Aut de quo alio Eccleſia prædicet, quæ de hujus Sancti doctrina, & Magiſterio teſtatur? Aut de quo alio Pontifices affirment in ejus doctrina nullum prorſùs errorem reperiri, ac ita ſecuram eſſe, ut nullus eam ſequens erraverit? Dicant denique, quem alium Sacra Concilia in ſuis Decretis, ac determinationibus tanti fecerint, aut ejus doctrinam tanti æſtimaverint, ut ne ipſi contravenerint ſeſſionem, donec de mente illius conſtaret, prorogaverint? Et cùm aliquem Doctorum Theologorum reperirent, de quo Eccleſia, & Pontifices aliquid ex ijs etiam minimum affirment, quæ de D. Thoma teſtati ſunt, tunc iſti tales optimam poſſunt occaſionem ſortiri illos cum Sancto Doctore comparandi, &c.* Jam audis expreſsè dicentes qualiter nullus Doctorum debeat cum Sancto Thoma comparari, quæ ultima eſt Salmanticenſium concluſio univerſalis, ac ſine ulla exceptione. Nullam certè occaſionem deberemus habere comparandi doctrinam aliorum Doctorum ſcholaſticorum cum doctrina Sancti Thomæ, ſi ea, quæ hîc proponuntur de Concilio Tridentino, eſſent vera; ſed cùm omnia ſint prorsùs gratis dicta, & ſine ullo fundamento excogitata, non erit protervìæ effectus illa negare, aut in aliquo labefactare gloriam Sancti Thomæ, ſed Religionis cauſam oſtendere, dum omnibus unicuique, quod ſuum eſt, juſtitiæ zelus tribuit, evellendo è tritico doctrinæ Catholicæ ac puræ introducta lolia. Duo præcipuè pro nunc inquirimus: primò, ubi extet *illa profectò tam ſolemnis approbatio doctrinæ Sancti Thomæ à Concilio Tridentino facta*? Secundò, ubi *Eccleſia affirmet omnes ipſum Academias tamquàm Theologiæ principem, ac parentem venerari*? Iſta enim ſunt præcipua: ab alijs autem facillimè nos expediemus.

Quantùm ad primum: cernentes Salmanticenſes myſterium Immaculatæ Conceptionis fuiſſe approbatum à Concilio Tridentino, & hîc vota Univerſitatum, juramenta ſcholaſticorum, ac ſtatuta Academiarum maximè fuiſſe cohoneſtata, decreverunt etiam pro doctrina Sancti Thomæ ſimili negotio laborante, aliam ejuſdem Concilij demonſtrare approbationem: & cùm hanc non inveniſſent explicitam, neque implicitam, claram vel obſcuram, appellarunt ad quemdam ſermonem Doctoris Didaci de Payva: & cùm in hoc parvam etiam invenirent medullam pro tam magna ſaginanda propoſitione, recurſum habuerunt ad alterum quemdam ſermonem concionatum coram Patribus Concilij in die Sancti Thomæ; ſed ut legentes crederent, Eccleſiaſten talis ſermonis fuiſſe aliquem inſignem illius

lius Concilij, ac benè meritum Patrem omni exceptione majorem, ſubticuerunt conſultè nomen. Nec hoc fuit caſu factum: nam Pater Ignatius Galvan, à quo Salmanticenſes tranſcripſerunt, tomo 1. fol. 509. & folio 560. ipſum nominat. Fuit ergò iſte quidam Pater Magiſter Ordinis Prædicatorum abſque alia dignitate, aut præeminentia vocatus Joannes Gallus Burgenſis Hiſpanus, qui in die Sancti Thomæ habens concionem ad Patres Concilij (ut videre eſt in libro impreſ. Lovanij anno 1567. in folio pag. 417. ſub themate: *Vos eſtis lux mundi, &c.*) inter alia hæc protulit: *Clariſſimi Doctoris Thomæ Aquinatis ſacra de more celebraturi, &c.* Et poſt plura, pag. 421. inquit: *Cumq; omnibus in pretio ſit, dignus ſanè venerabilis Eccleſia Doctor, quem hæc Sacra, & Oecumenica Synodus maximis; uſque ampliſſimis honoribus proſequatur, ſanctiſſimæ quidem vitæ diem clauſit extremum, cùm ad generale Concilium Lugduni celebratum juſſu Gregorij X. Pontificis Maximi iter arripuiſſet. In ipſo itinere conſtituto, nuntius ecce adeſt ad Concilium illud evolans, quod ſummus omnium parens ab initio ſæculi indixerat, quo tandem ab orbe redempto jam homines cum Angelis convenire cœperunt, &c. Non ergò potuit Eccleſiaſticis intereſſe Concilijs morte præventus: verùm ecce ſuperſtes, atque in æternum victurus nobis adeſt, bona ſua ſpiritualis doctrinæ theſauros hæreditario vobis jure delegavit. Temporalia ſiquidem neque habere voluit, nec veſtrâ auctoritate digna erant. Nulla proinde ab ejus felici tranſitu Concilia ſine ſacro Doctore celebrata ſunt, ut enim de cæteris ſileam, quod audivimus, quod vidimus, quod manibus noſtris contrectamus, quidni apertâ voce ad ejus laudem teſtemur? Veſtra comitia perpendite. Ex plurimo, eiq; honorabili Doctorum cœtu, quotus quiſque conſultor accedit, qui D. Thomæ auctoritate, veluti ſplendenti gemmâ, ſuam ſententiam non exornet? At in conſultiſſimo Patrum receſſu, Doctor hic ſententiam rogatus frequentiſſimè cenſet, ad quem, ut ad Lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis, vel controverſiæ fuerit exortum, communibus votis referendum exiſtimetis, & qui eum ſui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non ſit habiturus; qui ſecundùm eum ſententia ferenda ſit, &c.* Hæc ſunt verba Patris Joannis Galli Ordinis Prædicatorum, & os, per quod Sanctiſſimi Concilij Tridentini Patres acclamarunt illibatam Sancti Thomæ doctrinam, de quo nihil habeo dicendum: quia locutus eſt verè, ut debet Diſcipulus pro ſuo magiſtro, &c. Et utinam ſermo iſte eſſet Decretum aliquod diffinitivum doctrinæ Sancti Thomæ? Nam in illo etiam extant hæc verba, quæ multùm juvabunt pro quodam indiſſolubili Nodo ligando: *Animus ille angelicis ſpiritibus aſſimilis, incoinquinatum corpus, & cæleſti puritate perſpicuum exigebat; neque ad terreni contagij ſpiritui, quem decorabat ſapientia, illaberetur. Innocentiſſimus vitæ progreſſus, circumſpecta morum diſciplina.* At licet nihil dicamus contra Patrem Gallum, multa nobis occurrunt contra Do-

ctores Salmanticenſes.

Primò namque eſt interrogare illos: ubi extet in verbis iſtius Concionatoris: *illa profectò tam ſolemnis approbatio doctrinæ Sancti Thomæ à Concilio Tridentino facta?* Hanc inquirimus, ſed illam non ſignabunt in toto ſermone Patris Galli. Secundò, truncarunt auctoritatem iſtius Concionatoris, incipiendo ab illis verbis: *Non potuit Divus Thomas Eccleſiaſticis intereſſe Concilijs morte præventus, &c.* Nam ſic facit abſolutum ſenſum, & Pater Gallus loquebatur de Concilio Lugdunenſi, ut denotant ſua verba: *Non ergò potuit Eccleſiaſticis intereſſe Concilijs morte præventus, &c.* Et ad catenandam auctoritatem grammaticalitèr, addiderunt Salmanticenſes illa duo verba: *Divus Thomas.* Tertiò, ubi Pater Gallus ſemel, & iterum: *Vobis adeſt, vobis jure delegavit*, loquendo cum Patribus Concilij: Salmanticenſes etiam ſemel, & iterum: *Nobis adeſt, nobis jure delegavit*, quia cum tacuiſſent illius Concionatoris nomen volebant illo pronomine comprehenſivo, *nos*, indicare eſſe unum ex illis Sanctiſſimis Patribus, qui in iſto loquebatur ſermone: Quartò, quâ intentione prætermiſerint totam illam ſequentem clauſulam: *Temporalia ſiquidem nec habere voluit, nec veſtrâ auctoritate digna erant*, & quæ ex ipſa manifeſtantur, proſternebat vox illa, *veſtrâ*, quod moliebantur per ly, *nos*. Hoc fundamento locuti fuerunt Salmanticenſes in re tanti momenti, ut erat votum, juramentum, & ſtatutum præcipuæ Academiæ Hiſpaniarum circa electionem, ac receptionem doctrinæ unius Doctoris, ejectionem atque reprobationem perpetuam doctrinarum omnium aliorum Doctorum Eccleſiæ, erigendo hanc ſolemniſſimam approbationem Concilij ſupra caput cujuſdam Galli Concionatoris.

De verbis hucuſque relatis, & à Patre Gallo concionatoriè dictis in generali Concilio Tridentino, loquebatur Reverendus P. d'Aubermont & qualiter inter Patres nulla vox familiarior ibi audiebatur, quàm illa: *Conſultatur Sanctus Thomas certiſſima veritatis regula.* Et proſequitur ſic: *Tunc enim verò audire, tunc videre erat quo loco Orthodoxa Eccleſia Angelicum veritatis interpretem, non ſecùs ac unum ſuum corculum habebat. Quanam etenim humano in pectore cordis noſtri ſedes? Siniſtra numquid occupat? Sacroſancta mihi nunc iſta comitia ſi expenderes, cerneres è Tridentini templi medio ſtratam aſſurgere menſam, ei impoſitam ſalutis trabem, è qua pendulus hærebat Sponſus ſanguinum Chriſtus: ad ejus dexteram collocata Sacrata Biblia: ſiniſtro lateri additam præ cæteris ſolam Angelici Doctoris Summam Theologicam. Quid id enim aliud, quàm tali iſto apparatu dilucidè orbi Chriſtiano repræſentaſſe, Eccleſiaſtici corporis anima, cruci affixus eſt Deus, ejus Divinum Verbum, quâ Scripturis expreſſum, quâ cæleſti ejus ore traditum ſpiritus & vita; unus verò utriuſque interpres Angelicus, unicum corculum, & veritatis index, omniſq; viva, ac ſana doctrina lima*

&

& regula. O tenerrimum! O ſuaviſſimum! O invictiſſimum Eccleſiæ corculum, Aquinas! Hic nimirum quidquid tenellam Chriſti Sponſam implexæ ambiguitatis, aut difficultatis animitùs premit, & angit, certiſſimo illibatæ veritatis motu facillimè evolvit, deducit, diſſipat, dimovetq́, &c. Deinde refert qualiter pervenerint ad ſeſſionem illam, quid tenendum eſſet circa inſtitutionem Sacerdotum, & proſequitur: *Jamq́, re maturè diſcuſſâ, collata arbitria in eumdem ſenſum conſpirabant, immò & in procinctu erat, ut calamum adhiberent Decretumq́, formarent. Cùm exurgens Patrum aliquis; quantum, inquit, ſatis memini, alia mihi Doctoris Angelici mens videtur ſentientis, non aliud præfatis Chriſti verbis ſtatui, quàm ut digniſſimum Sacramentum pro ſingulari Paſſionis ſuæ memoriali in Eccleſia eſſet. Angelici Doctoris nomen audiviſſe ſatis erat cunctis ad ſtuporem. Attoniti omnes ſeſe mutuo intueri, conferre capita, cenſère, rem denuò totam accuratiùs excuti opportère. Tantùm Sancti Thomæ auctoritas valuit! Tandem conclamant: quin ergò conſulendus Sanctus Doctor: audiendum illud cæleſte oraculum: certiſſima illibatæ veritatis adeunda eſt regula. Suſtollitur itaque immenſa Sancti Thomæ Summa Theologica, explicatur, volvitur, legitur citatus locus, ponderatur, relegitur, iterum iterumq́, totâ mente attentiſſimè expenditur. Cumq́, de vera ſenſûs Angelici intelligentia non ſatis convenirent, re infectâ Concilium diſſolvitur, & in tertium uſque diem S. Doctoris auctoritas non ſatis explorata adhuc tenuit ſuſpenſos, cujus tum denique menti conſentaneum ſeſſ. 23. Decretum ſancîtur, &c. Hæret univerſa Eccleſia, anxiatur, ſuſpenditur, ne dubiæ adhuc etiam Angelicæ mentis auctoritas vel minimum videatur libata, & claram illam, certam, ac conſtantem temerè projicere non verebuntur, &c.* Hęc re verâ pręclara ſunt, prodigia ſunt, portenta ſunt. Utinam ut relata ſic eſſent vera! Omnia ab iſto Patre, propoſita ſunt ab ejus cerebro inventa; nam in Oecumenicis Concilij Tridentini actis non invenîtur illa fabula de Summa Sancti Thomæ poſitâ è Regione Bibliæ Sacræ. Vidimus enim quinque relationes diverſas de hiſtoria, ac diſpoſitione in illo Sacro Concilio habitâ, & in illis de Summa, aut ſaltem de Angelico Doctore ne apparens quidem fit mentio; quinimmò ipſe P. d'Aubermont refert hoc ex Didaco de Payva, tomo 255. ſermone 2. de Sancto Thoma in fine. Et cùm iſte teſtis oculatus nihil dicat niſi ſuperiùs tacta, alia rejicienda ſunt ut chimerica. Sed admittamus eſſe vera ut videamus quomodò P. d'Aubermont ſalvet illud, quòd, ſicut in corpore humano cor eſt ad latus ſiniſtrum non ad dexterum, ſic Chriſtus Dominus pendulus in cruce habebat ad ſiniſtram Summam Angelici Doctoris, & ad lævam Sacram Scripturam, quo facto & apparatu lucidè repræſentavit orbi Chriſtiano, quòd anima Eccleſiaſtici corporis, & cor Divini Verbi in Scripturis expreſſum ſpiritus & vita ſit Theologia Sancti Thomæ, ſive doctrina in ejus Summa

contenta, non autem Sacrorum Bibliorum libri, & ſic apud iſtum nec Scriptura Canonica excipitur. Sed tranſeant iſta, & veniamus ad aliud: Non conſtabat poſt relatam altercationem, ſtuporem, & exceſſionem Concilij Patribus de mente S. Thomæ circa illum articulum de Sacerdotum inſtitutione, & ſic dilatata fuit ſeſſionis reſolutio uſque ad tertium diem. Notet lector cauſalem. *Ne dubia adhuc etiam Angelicæ mentis auctoritas vel minimùm videatur libata*, quia non ſolùm in claris ac certis, ſed etiam neque in dubijs, ambiguis, incertis, & confuſis eſt Angelica doctrina libanda, ſeu lædenda. Et en habemus funiculum in manu pro inextricabili Nodo ligando, de quo infrà.

Quantùm ad verificationem ſecundi dicti Salmanticenſium, ubi, ſcilicet, *Eccleſia affirmet omnes ipſum Academias tamquàm Theologiæ principem, ac parentem venerari*, quod ſæpiſſimè repetunt in illo ſuo libello, majorem paſſi ſumus pro origine, ac radice indagandâ difficultatem. Nam numquàm exprimunt, ubi affirmet Eccleſia Sanctum Thomam debere venerari pro principe, ac parente Academiarum. Quot Academiæ erant erectæ in mundo antequàm, & quando Sanctus Thomas ſcripſit! Et ſi non loquuntur Salmanticenſes in hoc ſenſu; ubi eſt hæc Eccleſiæ affirmatio? Si hoc dixerunt propter epiſtolam Urbani V. miſſam ad Archiepiſcopum Toloſanum, jam ſuprà Nodo principali III. oſtenſum eſt illam fuiſſe fictam, & epiſtolam veram non eſſe ad Academias in plurali, nec ad Academiam in ſingulari, ſed ad Archiepiſcopum, & univerſitatem populi. Eſto etiam ſit vera epiſtola Summi Pontificis Urbani, epiſtola non ſupponit pro tota Eccleſia: nec fuit Decretum aut conſtitutio, ſed quædam ſimplex ac particularis commendatio, ut ipſimet Auctores Dominicani fatentur. Concluſio ergò ſit, ne terere videamur tempus: Decretum hoc Eccleſiæ pari pede currere cum antecedenti ſolemniſſima approbatione Concilij Tridentini: nam etiam eſt cujuſdam Patris Ordinis Prædicatorum, cujus nomen erat Hieronymus Vielmus Epiſcopus Argonenſis. Hic fuit etiam in Concilio Tridentino, teſte Joanne Michaële Pio Ordinis Prædicatorum in tertio ſuo opere de hominibus illuſtribus Ordinis Prædicatorum, impreſſ. Bononiæ anno 1620. in folio, linguâ Italicâ cum additionibus. Et lib. 1. col. 248. ſic inquit: *Il che è conforme à quanto diſſero Vincenzo Giuſtiniano Cardinale ampliſſimo, & prima di lui Hieronymo Vielmo Veſcovo de Argo, predetto che ſi tro varono ad eſſe Concilio.* Et poſt Italicè dicta, adducit latinè auctoritatem Vielmi ſic: *Certè in Tridentinâ Oecumenicâ Synodo, quam, cùm hæc ſcribimus, frequentiſſimam celebramus, nemo Patrum eſſe videtur, cui religio non ſit, cùm de Fidei dogmatibus agitur, à Thomæ ſententia vel latum unguem recedere, aut ab illa provoca-*

vocare, ut & veteribus Patribus nihil minùs Aquinas habuerit, & ſcholaſtici omnes principem hunc ſuum receperint modis omnibus ornatiſſimum. Quia Vielmus ſcripſerat hæc in Concilio Tridentino, dicens duo de Sancto Thoma, ſcilicet, quòd nihil minùs habuerit antiquis Patribus, & quòd ſcholaſtici omnes, ut principem ſuum illum receperint, dixerunt Salmanticenſes ab univerſali Eccleſia ſancitum fuiſſe, ipſum ab omnibus Academijs tamquam ipſarum principem, ac parentem debere venerari; ſi in hoc dicto Patris Vielmi poſſit fundari Eccleſia, & in hac Eccleſia omnia alia in libello illo contenta, ipſi judicent.

Aliam denique longè majorem approbationem ex eodem Concilio Tridentino adducit Pater Didacus Alvarez in libro de Auxilijs, impreſ. Lugduni, anno 1620. in fol. diſput. 5. fol. 26. & poſt ipſum Michaël Pius loco ſuprà citato dicens: *Pius V. qui Doctorem Eccleſiæ quintum S. Thomam deſignavit in quadam Bulla edita Romæ 11. Aprilis 1576. ait: Sanctum Thomam univerſalem Eccleſiam ſuâ doctrinâ illuminaſſe, innumeras hæreſes interemiſſe, & quæ poſt ejus obitum ſunt ſubortæ, doctrinâ ejuſdem Sancti Doctoris corruiſſe, cujus articuli in Sacro Concilio Tridentino non ſemel, aut iterum, ſed pluries ſunt tranſcripti, & in Canones ab omnibus fidelibus credendos reducti, & coordinati.* Similem adducit Joannes Lopez poſteà Epiſcopus Monopolitanus, in concione de Sancto Thoma, fol. 81. ubi loquens de Concilijs celebratis in Eccleſia Dei à Concilio Lugdunenſi uſque ad Tridentinum, concludit: *Nihil diffinitum eſt, quod vel ejus doctrinæ non ſit conforme, vel ab ea Sacri Canones non ſint extracti.* Cum hac auctoritate conjunge etiam illam Patris Ignatij Galvan, ter in hoc opuſculo repetitam ex tomo 2. libro 3. capite 3. folio 440. ſic dicentis: *D. Thomas ſignaculum ſimilitudinis nempe à Deo artifice ſummè perfectum, omnibus numeris abſolutum exemplar in Eccleſia, ut tamquàm vitæ, ac ſapientiæ regula, ſive Canon à fidelibus omnibus habeatur, &c.* Nota illud: *ſive Canon.* Sed præcipuè tomo 1. à pag. 507. uſque 564. per integrum lib. 3. ſub hoc titulo: *In quo ex honore, quo Divinam Doctoris Angelici ſapientiam Sacra Concilia proſequuntur, admirabilis ejus dignitas comprobatur.* Et adducit Concilium Lugdunenſe, Viennenſe, Baſilëenſe; & de hoc in annotatione inquit: *Et hoc quidem maximum confert doctrina D. Thomæ ſplendorem: eam enim Concilia omnia ritè, & in Spiritu Sancto congregata, & celebrata, veluti quoddam cæleſte oraculum amplecti, paſſimq; in ſuis Decretis de Fide tenendum populo Chriſtiano proponere ſolent, quod Baſilëenſe, utpotè ſchiſmaticum, non fecit.* Si hoc dixit propter Decretum de Immaculata Conceptione, non judico: ſcio tamen, quòd, quando Concilium illud deceſſit à ſuo capite Eugenio IV. propter illam præcipuam propoſitionem: Concilium eſt ſupra Papam, Joannes de Turrecremata extraxe-

traxerit ex Sancto Thoma, & tradiderit Concilio omnia, quæ habebat in ſuis operibus pro illa opinione. Sed pro Nodo noſtro intereſt concedere, quæ hîc dicit Galvan. Adducit etiam Concilium Florentinum, Lateranenſe, & Tridentinum, & de omnibus inquit ſequentia:

Videlicet, capite 1. folio 514. *Diffinitiones autem hæ ex D. Thomæ doctrina ſemper hactenùs poſt ejus obitum ab eadem Eccleſia, non ſolùm quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba deſumptæ ſunt. Nullum enim Oecumenicum Concilium ab eo tempore ſine Sancto Doctore celebratum eſt, &c. Is enim in Concilijs Sanctorum, in quibus Sancti Pontifices, ac Paſtores Eccleſiæ congregati de rebus altiſſimis decernunt, magnoperè glorificatur, dum totam ejus doctrinàm paulatim fidelibus credendam proponunt, &c.* Et infrà fol. 519. *Hanc verò*, id eſt, veritatem, *ex Sancti Doctoris libris Concilia omnia, quæ ab ejus obitu celebrantur, colligere conſueverunt: habet enim ejus doctrina præ cæteris veritatem ſententiarum. Quod quidem etiamſi aliundè probari non poſſet, inde ſaltem, quòd à Sacris Concilijs pro Canonibus, ac diffinitionibus proponitur, luce clariùs innoteſcit, &c.* Et fol. 552. loquendo de Concilio Florentino inquit: *Diſputatum eſt autem in illis ſæpiſſimè, ac latiſſimè inter Latinos, & Græcos: Primò, de proceſſione Spiritûs Sancti à Filio, & an ritè facta fuerit à Latinis ea additio in Symbolo: Filioq; procedit. Secundò, de igne purgatorio: Tertiò, de Papæ principatu. Quartò, de azimo, & fermentato pane. Quintò, de panis in Euchariſtia tranſmutatione; tandem citra controverſiam facta eſt earum Eccleſiarum unio, & prædictorum articulorum diffinitio, quæ quoad omnia eſt ipſamet Divi Thomæ doctrina, &c. Ex his colligitur Concilium hoc omnes omninò ſententias, quas de Fide tenendas cenſuit, ex Divo Thoma deſumpſiſſe, &c.* De Concilio tandem Tridentino adducit auctoritates ſuprà poſitas Pij V. Hieronymi Vielmi, Joannis Galli, & Didaci de Payva; omniaque iſta, ut dicuntur à Patre Galvan, & ab illo à Patribus Salmanticenſibus, concedimus ſine ulla contradictione, hâc unicâ præmiſsâ obſervatione, quòd ſi quæras in aliquo ex omnibus propoſitis Concilijs nomen Sancti Thomæ, aut aliquam mentionem de illius doctrina, ne quidem vel apparens invenies veſtigium: quare ſine fundamento omnes iſtæ erectæ ſunt turres, ſicut & illæ propoſitæ à Patre Petro Clerq' in oratione de Sancto Thoma, fol. 8. dicente: *Immò & almi totius terrarum orbis Patres, & lumina ſuper candelabrum Eccleſiæ poſita in Concilio Tridentino à Spiritu Sancto, à quo regebantur, edocti, Sacros Canones ex doctrina Divi Thomæ decerptos, ſeu collectos, ſi non omnes, pœnè tamen omnes, etiam ex terminis ibidem expreſſis unanimi conſenſu fiducialiter conſcriptis.* Hic ut probet omnes, vel pœnè omnes Canones deſumptos fuiſſe ex doctrina Sancti Thomæ, recurrit ad terminos expreſſos à Sacro Concilio in ſuis deceſſionibus, quaſi termini Theologici, ac Fidei eſſent diverſi in ſcriptis Sancti Tho-

Thomæ, & aliorum ſcholaſticorum.

Inter omnes auctoritates pro hac materia nullam celebriorem invenio, quàm illam adductam à Patre Ildephonſo Gyron ſermone 1. de Sancto Thoma, fol. 624. ubi ſic dicit: *Deindè quia multa myſteria Fidei ex ipſius doctrina accepta per diffinitionem Eccleſiæ, & Conciliorum explicata ſunt ſecundùm diſtinctionem, & præfinitionem temporum, & ſæculorum, quæ non cognoverant Angeli extra Verbum, neque in ipſo Verbo, quia erant abſcondita, necdum Eccleſiæ revelata. Dum ergò per Spiritum Sanctum illuminati Patres, & per D. Thomam eruditi plures veritates Fidei diffinierunt, ipſi quoque Angeli illuminati ſunt de myſterijs, quorum neque ſpecies naturales, neque revelationem in Verbo habebant, donec edocti ſunt, non quidem per Thomam, ſed in ipſis rebus in Divino pectore priùs latentibus, & per Eccleſiam ex doctrina Thomæ acceptis, diffinitis, & manifeſtatis, &c.* Hujus auctoritatis finis eò tendit, ut demonſtret multas veritates pertinentes ad Fidem Catholicam fuiſſe diffinitas in Concilijs, quarum notitiam naturalem aut ſupernaturalem numquam habuerant Angeli; quia illas non videbant in Verbo, nec extra Verbum in ſeipſis, aut in Scriptura Sacra: quia tantùm latebant, & reconditæ erant in Divino pectore, à quo illas accepit, & extraxit S. Thomas, docuit, & manifeſtavit Eccleſiæ, & ſic ex ſola ejus doctrina, revelatæ, ac cognitæ, diffinitæ, & acceptatæ ſunt ab Angelis, & hominibus, ut vera ac Catholica Fidei dogmata. Hæc dicta fuerunt, & impreſſa inveniuntur & permittuntur. Non curo de inquirenda veritate hujus aſſerti; ſed libentiſſimè admitto illud, quia ex eo indiſſolubilis Nodus reſultabit.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

NOtiſſimum eſt Decretum factum à Sacro Concilio Tridentino anno 1546. die decimâ ſextâ Julij, pro exemptione Virginis MARIÆ à peccato originali. Nam Seſſione 5. factâ ſub Paulo Papa III. ſic incipit Decretum illud de peccato originali: *Ut Fides noſtra Catholica (ſine quâ impoſſibile eſt placêre Deo) purgatis erroribus in ſua ſinceritate integra & illibata permaneat; & ne populus Chriſtianus omni vento doctrinæ circumferatur, cùm ſerpens ille antiquus humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali ejuſque remedio, non ſolùm nova, ſed etiam vetera diſſidia excitaverit, Sacroſancta Oecumenita,*

menica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium, & conſenſum ſecuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat. Et in hac Sacro-ſancta determinatione ac ſtatuto præcipuus articulus fuit: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo Sanctitatem & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ; anathema ſit: cùm contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverūt, &c.* Ad finem autem hujus decreti concludit ſic: *Declarat tamē hæc ipſa Sancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem* MARIAM *Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in ejus conſtitutionibus contentis, quas innovat.* Hucuſque Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, in decreto formali de contractione peccati originalis: in quo duo ſunt notanda.

Primum: quòd, ut ſuprà diximus, decretum hoc fuerit determinatum die decimâ ſeptimâ Julij anni 1546. & eodem menſe Julio anni ſequentis, ſcilicet, 1547. prodierit Romæ liber contra Immaculatam Conceptionem Virginis Joannis de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, impreſſus operâ, & ſolicitudine Reverendi Patris Fratris Alberti Duimi de Catharo in Sapientia, ſive Academia urbis Romanæ publici lectoris, & in quadam præfatione, quæ incipit: *Admiranda humanæ rationis, &c.* propter ſuprà poſitum decretum ſurrexit contra Patres Concilij Tridentini, inter alia ſic dicens: *Quietior namq; erat omnium noſtrûm mens, & animus, & hujuſmodi quæſtionem oblitis neceſſariora Fidei dogmata tueri animo inſederat, & temporum opportunitas exigebat. Sed immoderatior quorumdam audacia, dum apud doctos, & verè Theologos minoris ſe æſtimationis advertunt, vulgarem debiliumq; mentium auram jam diu ſepultis novitatibus affectantes in Tridentina Synodo de hujuſmodi humani conceptus immunitate, verbum facere verita non eſt. Quo factum eſt, ut Reverendiſſimus P. Frater Bartholomæus Spina Piſanus Ordinis Prædicatorum ſacræ Theologiæ Profeſſor, & ſacri Apoſtolici Palatij Magiſter zelo Fidei accenſus, opus hoc erroribus expurgari, typiſq; excuſum in publicum prodire magno labore curaret.* Ecce ratio, & cauſa, quare liber ille prodijt in lucem: quia Magiſter ſacri

Pa-

Digitized by Google

Palatij zelo Fidei accenſus, contra indoctos & audaces Theologos in Tridentina Synodo congregatos inſurgere volebat, dicens de illis, quæ in auctoritate continentur. Contra verba iſta ſurrexit etiam Ambroſius Catharinus ejuſdem Ordinis Prædicatorum, in ipſo Concilio exiſtens, de quo latiùs alibi. Sed ne ſiſtamus in ſolo uno, audiat orbis rem mirabilem, & fortè incredibilem & in omnes terras exportandam. Reverendus Pater ac illuſtriſſimus Dominicus à Soto Ordinis Prædicatorum, qui interfuit ipſi Concilio, & quidem doctiſſimus, in tom. 2. ſuper quartum librum ſententiarum, impreſſum Salmantica anno 1566. & 1570. & alibi, ſcripſit librum de natura, & gratia, & juſtificatione; & folio 246. adducit ſuprà poſitum decretum de peccato originali, & decretum de Juſtificatione, quod incipit: *Cùm hoc tempore, &c.* Et cùm hæc duo decreta Sacroſancti Concilij Tridentini, uno Patrum conſenſu promulgata, & recepta ab omnibus Catholicis ipſe tranſcripſiſſet ad litteram, nullâ mutatâ ſyllabâ (ut par erat, nam ex ipſis conſtituebat fundamenta, & baſes pro ſuis opuſculis) in decreto de peccato originali ſuprà poſito concludit ſic: *Sed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Et prætermiſit in integrum ultimam clauſulam: *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, &c.* ubi extat exemptio pro immunitate Virginis. Si hoc eſt credibile, illud credat qui voluerit: qui autem non crediderit, quia rem difficilem proponimus, conſulat ſuprà citata opera.

Secundum eſt: circa hujus exemptionis vim, de qua apud Auctores plura reperies ſcripta, ut videre eſt in Regeſto noſtri Armamentarij columnâ 164. colligentes ex iſta Canonica declaratione piam opinionem jam eſſe certam, & indubitatam, infallibilem, immò, & canonizatam. De quo Illuſtriſſimus D. D. Petrus Perea Epiſcopus Ariquipenſis Ordinis Sancti Auguſtini integrum ſcripſit librum, & Reverendus Pater Euſebius Nieremberg, & alij quamplures; ſed nos more noſtro ſolùm attendentes ad verba, ut ſonant litteralitèr ſumpta, aliqua innodabimus, & enodabimus. Decretum de Fide, & regula Canonica, & generale ſtatutum, Catholicum, & indefectibile, à SpirituSancto promulgatum, ita ſe habet: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*: de hac clauſula nulla eſt dubitatio, *& per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt*: de hac aliqualis eſſe poteſt difficultas, an, ſcilicet, mors intraverit ad filios per peccatum actuale primi parentis, an verò per peccatum uniuſcujuſque, de quo latè diximus in SOLE VERITATIS: & ſic perveniamus ad tertiam clauſulam: *In quo omnes peccaverunt*, quia in ea ſola conſiſtit tota difficultas præſentis decreti: dicebant enim aliqui, non omnes nos peccaſſe in Adamo, prævarica-

ricationemque ipſius non propagini nocuiſſe,ſed ſibi ſoli. Quæ hæreſis,licet ſuſcitata noſtro tempore, ortum habuit à Pelagianis, ut refert Sanctus Auguſtinus tomo 7. ſuorum operum in quam-plurimis libris. Contra hanc hæreſim determinat Sacroſancta, & Oecumenica Synodus Tridentina in illo Decreto citato, per inobedientiæ peccatum Adami non tantùm *mortem, & pœnas corporis*; ſed & *peccatum in omne genus humanum transfudiſſe*. Statuendo igitur hanc univerſalem peccati originalis contractionem facit hanc exceptionem: *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto: ubi de peccato originali agitur; Beatam, & Immaculatam Virginem* MARIAM *Dei Genitricem:* Vel reducendo omnia iſta ad breviora verba: Determinat Concilium, quòd omnes in Adam peccaverint, tamen declarat non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto univerſali Beatam Virginem MARIAM. Hoc ergò ſuppoſito textu litterali, pergamus ad inquiſitionem veritatis.

In hoc Decreto tria ſunt: primum ipſum factum, quòd Adam peccaverit in Paradiſo, & propter illius peccatum, & Judicis ſententiam aperta ſit janua, ut ingrederentur ſimul, vel unum poſt aliud, peccatum originale priùs, & mors poſt illud in omne genus humanum. Secundum, hujus delicti, ac ſententiæ notificatio, ſeu promulgatio facta fuit tempore gratiæ, & ſcripta à Sancto Paulo Apoſtolo in epiſtola ad Romanos dictata à Spiritu Sancto. Tertium eſt, declaratio, & determinatio infallibilis facta à Concilio in hoc Decreto, aſſiſtente eodem Spiritu Sancto, in quo adumbratur myſterium Trinitatis: quia cùm ſint tres veritates à Moyſe, Paulo, & Concilio, tamen in eſſentia una eſt veritas, ſcilicet, hæc: *Omnes in Adam peccaverunt*, in qua univerſali non fuit intentio Synodi in Spiritu Sancto legitimè congregatæ comprehendere Virginem MARIAM. Primum Moyſis Decretum à nullo alio homine proceſſit: Pauli natum eſt ab illo, & ab utroque proceſſit hæc determinatio à Concilio Tridentino: quia verum fuit peccaſſe Adam, ut dixit Moyſes; verum dixit Paulus: *In quo omnes peccaverunt*; & ſic vera eſt determinatio, & declaratio Concilij; & vice verſâ: ſicut non poteſt eſſe mendacium in hoc Decreto declarante, ita nec in ſententia Pauli referentis, neque in facto paradiſi propoſito à Moyſe. Tunc ſic: ſicut intellectus, & voluntas in Patre, Filio, & Spritu Sancto ſemper fuit, eſt, & erit una, ſic una fuit intentio Spiritûs Sancti in Moyſe, Paulo, & Concilio. In Decreto iſto ultimo Concilij non fuit intentio Spiritûs Sancti comprehendere in regula illa univerſali de contractione peccati originalis Sacratiſſimam Virginem: ergò hanc intentionem habuit in Paulo, & in Moyſe. Hæc conſequentia videtur mihi evidens,

ſicut

Digitized by Google

ſicut & alia, quæ ex illa ſequitur, ſcilicet: Igitur qui poſt hujuſmodi Decreti promulgationem dicunt, & ſcribunt Virginem MARIAM eſſe comprehenſam in illa univerſali Pauli: *In quo omnes peccaverunt*, quia peccavit in Adam, ſe opponit immediatè intentioni Concilij Tridentini, ac per conſequens intentioni Spiritûs Sancti prout in Concilio, in Paulo, & in Moyſe. Nodus iſte mihi indiſſolubilis videtur.

Sed premamus illum ampliùs. Si quis diceret: *Omnes in Adam peccaverunt; ſed in iſta regula generali non eſt mea intentio comprehendere* MARIAM: & alter diceret: *Omnes in Adam peccaverunt, ſed mea intentio, & ſententia eſt, quòd in hac regula generali etiam fuerit comprehenſa* MARIA; quis diceret has duas intentiones non eſſe oppoſitas, & inter ſe mutuò repugnantes, & contrarias? Una eſt extractiva, altera comprehenſiva; una exceptiva, & altera incluſiva; una affirmativa, & altera negativa, atque iſtæ in eadem materia peccati originalis, & primo animationis puncto contradictoriæ: *Non eſt noſtræ intentionis comprehendere* MARIAM: *Noſtræ intentionis eſt comprehendere* MARIAM: ergò ſi non opponuntur veritati Catholicæ, quia nondum eſt determinata de Fide, opponuntur immediatè intentioni Spiritûs Sancti, quæ fuit in Concilio, & per conſequens in Paulo, & in Moyſe. Vel dico aliter juxta propoſitum exemplum de una, & eadem indiviſibili à Spiritu Sancto manifeſtatâ veritate in tribus Decretis Moyſis, Pauli, & Concilij; & diceret Moyſes: *Omnes in Adam peccaverunt, & etiam* MARIA. Et Paulus è contra diceret: *Omnes in Adam peccaverunt, ſed non* MARIA: vel è contra; cùm iſtæ, incluſiva & exceptiva, ſint immediatè oppoſitæ, una neceſſariò eſt vera, & altera falſa, juxta primum principium Logicum ſive legem contradictoriarum: *Contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul vera nec ſimul falſæ* (impoſſibile enim eſt idem ſimul eſſe & non eſſe) *ſed neceſſariò altera earum eſt vera & altera falſa* (neceſſe enim eſt quodlibet eſſe vel non eſſe) atqui una contradictoriarum ſignificat rem non eſſe, hoc eſt MARIAM in Adam peccaſſe; & altera ſignificat non eſſe, hoc eſt, MARIAM in Adam non peccaſſe; ergò altera neceſſariò eſt vera, & altera falſa. Si enim res ſit, hoc eſt, ſi MARIA in Adam peccaverit, affirmativa propoſitio, quæ ſignificat rem eſſe, hoc eſt, MARIAM in Adam peccaſſe, erit vera; ſi non ſit, hoc eſt, ſi MARIA in Adam non peccaverit, negativa erit vera. Quid ergò remedij? Conſtituitur Concilium inter utramque propoſitionem ad judicandum qualis ex ipſis vera ſit, & dicit: Omnes in Adam peccaverunt: ſed non eſt noſtræ intentionis, id eſt Spiritûs Sancti, & Patrum, comprehendere MARIAM; hæc intentio Concilij cum quo ſtat? An cum incluſiva Moyſis, vel cum excluſiva Pauli? Vel dicant ſcriptores Or-

Ordin. Prædicatorum cum ipſo Moyſe, & Paulo: omnes in Adam peccaverunt, & etiam MARIA; & dicant Fratres Minores ſine Moyſe, & Paulo, ſed contra illos: omnes in Adam peccaverunt, ſed non MARIA: dijudicans inter utroſque Sacrum Concilium Tridentinum in Spiritu Sancto legitimè congregatum pronunciat: omnes in Adam peccaverunt, ſed declaro non eſſe meæ intentionis in hoc Decreto, & declaratione Canonica comprehendere MARIAM. Decretum hoc Concilij pro quo ſtat? An pro ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum, vel pro Minoribus? Si eſt pro Minoribus (ut in rei veritate eſt) tale, quale nos oſtendimus hoc Sacri Concilij privilegium excluſivum, oſtendant ipſi illud Moyſis, & Pauli: omnes in Adam peccaverunt, & etiam Virgo MARIA.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

QUia quidam concionator Ordinis Prædicatorum in ſermone Sancti Thomæ dixit coram Patribus Concilij Tridentini aliquas excellentias de doctrina Angelici Doctoris, præcipuè ac principaliter illam, quòd fuerit dilata quædam Seſſio uſque ad diem alteram, quouſque conſtaret de mente Sancti Doctoris, doctrina tota in communi, ac particulari manſit ita ſolemniter, ac præclarè approbata, amplificata, & recepta, ut illuſtris, & illibata &c. ita ut ablatus fuerit omnis modus, id eſt vis, & halitus reclamandi cuilibet Catholico, vel dicendi, aut excogitandi aliquid contra ipſam. Et quòd totum Sacrum Concilium Tridentinum, in Spiritu Sancto legitimè congregatum, in Seſſione de peccato originali, in Canone poſito de Fide, dixerit expreſsè: *Non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in illo Decreto univerſali de peccato originali Sacratiſſimam Dei Matrē* MARIAM, nullo modo eſt ereptus ipſis reclamandi modus; quia Patres Duimus, & Soto reclamarunt contra Decretum ſine modo. Habetne modum Nodus iſte? quia hic Pater Dominicanus Gallus prædicando coram Patribus dixit de doctrina quod ſibi placuit; ſit iſtud, vel illud, de quo non curamus, hoc fuit dictum, ac determinatum tamquàm per organum Patrum, & Spiritus Sancti. Et quod ipſi Patres in Spiritu Sancto congregati in Seſſione, & Canone de Fide, ut organum Eccleſiæ decreverunt, quia eſt pro puritate, & exceptione Dei Matris, con-

contradicitur, impugnatur, immò expungitur ab ipſomet Decreto: iſta organa non benè ſonant. Quia viſum fuit Patribus Concilij ſuſpendere quamdam Seſſionem, ubi agebatur de Sacerdotibus inſtitutis, vel inſtituendis, quouſque conſtaret de mente Sancti Thomæ, manſit tota ejus doctrina illuſtriſſimè approbata, & ejus Conceptus mentis ut purus, & illibatus qualificatus. Et quòd loquendo de peccato originali in conceptu ventris contracto ab omnibus hominibus, circa Conceptionem Virginis non ſuſpenderint Patres Seſſionem, nec ſuſpenderint judicium, ſed affirmativè, ac poſitivè dixerint, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in illo Decreto de peccato originali puriſſimam Dei Matrem; & Conceptus iſte non ſit à Concilio approbatus ut purus & illibatus, ſicut Conceptus Sancti Thomæ, quid eſt hoc? Per ſuſpenſionem cujuſdam Seſſionis fuit clauſum os omnium Catholicorum, ut non poſſint movere labia contra doctrinam Sancti Thomæ; & Decreto integro loquente in generali & particulari, formali, poſitivo, expreſſo, &c. non à fratre concionatore in ſuggeſtu; ſed à Patribus Concilij in Seſſione determinantibus, non ſunt clauſa os & labia, neque manus, & digiti aliquorum Catholicorum, ut non impugnent, contradicant, & aliquid ampliùs, puritatem Dei Matris? Clamo iterum, quid eſt hoc? Demus, quòd in iſta Seſſione de peccato originali ſurrexiſſent quatuor illi illuſtriſſimi Epiſcopi Ordinis Prędicatorum deſtinati, ut agerent pro ſua opinione Sanctificationis, de quibus loquitur Petrus Soave; & dixiſſent, ut dixerunt, eſſe contra mentem Sancti Thomæ dicere Virginem Mariam fuiſſe exemptam à communi regula peccati originalis; & quòd Patres dixerint; ſuſpendatur Seſſio, quouſque conſtet de mente Angelici Doctoris; in hoc caſu juxta ſuperiùs dicta, doctrina Sancti Thomæ manſit approbata, & ſententia pia reprobata; ſed quando poſteà, dum conſtaret de mente Angelici Doctoris, Patres Concilij fecerunt Decretum illud exemptionis, quid manſit approbatum? an doctrina, vel ſententia Conceptus ventris Mariæ? Si ſententia, & Conceptus ventris, habemus intentum; ſi doctrina, tertiò dicere poſſumus. Manu, quòd doctrina Sancti Thomæ in dictis, & factis ſemper cooperetur in bonum, & puritas Mariana ſemper in malum: & ſiſtamus hîc, ne impleamus Gomor, ne vermes naſcantur.

Nodus secundus.

Concedamus concionatorem illum Dominicanum fuiſſe organum Patrum Concilij, ac per conſequens Spiritus Sancti, omniaque ipſius dicta in illo ſermone de Sancto Thoma atque doctrina ejus eſſe Canonicam determinationem Eccleſiæ; & interrogo, an illud dictum in eodem ſermone, ſcilicet, quòd Sanctus Thomas,

mas, *habuit animam Angelicis ſpiritibus ſimilem, incoinquinatum corpus habens omni cœleſti puritate perſpicuum, à terrenis contagijs illibatum, ut non illaberetur innocentiſſimus Angelici Doctoris vitæ progreſſus,&c.* vel fuit verum, vel falſum? Si falſum, totum ædificium ruit: quia ſi in iſto ſermone fuit organum Patrum Concilij, & Spiritûs Sancti, & hoc extat in illo ſermone, & non eſt verum, ergò nihil eſt curandum de tali organo; ſi autem omnia contenta in illo ſermone ſunt verè Canonica, ut ſupponitur, & dicunt Patres Salmanticenſes: en habemus præ manibus Nodum indiſſolubilem. Sancti Thomæ anima fuit Angelicis ſpiritibus ſimilis, & anima Dei Matris non fuit in ſua Conceptione ſimilis Angelicis ſpiritibus, immò neque Adamo & Evæ, & quod plus eſt, neque animæ Sancti Thomæ Aquinatis. Anima Beati Thomæ fuit ab omni terreno contagio libera, ſed anima Beatæ Virginis ſub terreno contagio captiva. Sed quid loquimur de anima Angelici Doctoris? Nec cum corpore Beati Thomæ Aquinatis eſt comparanda anima Beatæ Virginis MARIÆ: quia Beatus Thomas habuit corpus incoinquinatum, & Beata Virgo animam coinquinatam. Beatus Thomas habuit corpus cæleſti puritate perſpicuum & decoratum, & Beata MARIA animam ſine puritate, indecoram, & expulſam (ſecundùm præſentem juſtitiam) à cæleſti regno, & damnatam. Beatus Thomas non fuit lapſus, ſemper innocentiſſimus in ſuperlativo gradu, & Beata Virgo lapſa fuit, neque innocens ſemper. Et quis in toto terrarum orbe ſolvet Nodum iſtum?

NODUS TERTIUS.

Pater Gyron in præcipua ſuæ auctoritatis parte, ſic dicit: *Deinde, quia multa myſteria Fidei ex ipſius doctrina accepta per diffinitionem Eccleſiæ, & Conciliorum explicata ſunt, ſecundùm diſtinctionem, & præfinitionem temporum, & ſæculorum, quæ non cognoverunt Angeli extra Verbum, neque in ipſo Verbo, quia erant abſcondita, necdum Eccleſiæ revelata.* In quibus verbis duo dicit de doctrina Sancti Thomæ: Primum, quòd diffinitiones ab Eccleſiæ, & Concilijs factæ circa multa myſteria Fidei nihil aliud ſint, quàm quædam declarationes, ſeu explanationes doctrinæ Sancti Thomæ. Secundum, quòd multa myſteria Fidei Catholicæ, quæ Angeli non cognoverunt extra Verbum, neque in Verbo, nec ipſamet Eccleſia, quia illi non fuerant revelata, fuerunt oſtenſa, & patefacta Angelis, & Eccleſiæ per doctrinam Sancti Thomæ. Nolo tangere cortices iſtas duriſſimas, ne videar fabricare virgas: quia mihi pro nunc ſat eſt ſcire illud: Multa myſteria Fidei Catholicæ fuerunt ignota, & abſcondita Angelis, Eccleſiæ, Concilijs, & Patribus, quæ non continebantur in Sacra Scriptura, quæ poſteà temporum, ac ſæculorum decurſu fuerunt manifeſtata, atque diffinita ex ſola doctrina Sancti Thomæ. Si hoc eſt

Digitized by Google

eſt falſum, non contendo cum falſis: ſi eſt verum, ut proponitur; quomodò tam aſſeveranter, & voce communi dicunt myſterium Immaculatæ Conceptionis non eſſe diffinibile, quia non continetur expreſsè in Sacra Scriptura, nec Sanctis Patribus? Si ex ſola doctrina Sancti Thomæ ſecundùm temporum, & ſæculorum exigentiam diffinita ſunt multa myſteria Fidei (nota vocem, *multa*; vel ut infrà dicit, *plures*) quæ erant ignota Angelis in cælo, Scripturæ Sacræ in veteri, ac novo Teſtamento, Concilijs, Patribus, & omnibus Sanctis, & non ſanctis; cur pro puritate Dei Matris non poſſet diffiniri articulus unus cognitus Angelis in Verbo, & extra Verbum, receptus & celebratus ab Eccleſia, à Sanctis Patribus veneratus, ab omnibus fidelibus laudatus, & probabiliſſimè certum quòd contineatur in Sacra Scriptura? Pro honore doctrinæ ſic conceduntur multa, ubi pro Dei Matris non condeſcenditur in uno. Scio, & certus ſum, quòd nec unus, nec multi ſolvent Nodum iſtum.

NODUS QUARTUS.

Altera clauſula propoſitæ auctoritatis ſic habetur: *Dum ergò per Spiritum Sanctum illuminati Patres, & per D. Thomam eruditi, plures veritates Fidei diffinierunt, ipſi quoque Angeli illuminati ſunt de myſterys, quorum neque ſpecies naturales, neque revelationem in Verbo habebant, donec edocti ſunt non quidem per Thomam, ſed in ipſis rebus in Divino pectore priùs latentibus, & per Eccleſiam ex doctrina Sancti Thomæ acceptis, deffinitis, & manifeſtatis.* Hìc ſunt aliæ duæ excellentiæ de Sancto Thoma, & ejus doctrina. Una, quòd Patres Eccleſiæ per Spiritum Sanctum ſint illuminati, ſed per Sanctum Thomam eruditi: Altera, quòd Angeli ignorantes plura myſteria Fidei fuerint edocti per Eccleſiam, ſed ex dogmatibus acceptis à S. Thoma, & à ſua doctrina diffinitis, & manifeſtatis: & contra iſta nihil debemus dicere, nec volo, ſed tantùm interrogare: Angelicus Doctor habuitne majorem ſcientiam, vel æqualem, aut minorem, quàm omnes Angeli ſimul ſumpti, Beati, ac videntes in Verbo quidquid Deus placuit illis manifeſtare? Hìc te expecto: Exiſtimo, quòd non audebis dicere habuiſſe majorem, nec æqualem, ſed minorem. Sed argumenti causâ conſtituamus nos in medio, & dicamus habuiſſe æqualem. Si omnibus Angelis ſimul ſumptis per tot ſæcula fuerunt occulta, & abſcondita multa, ac plura myſteria Fidei; non potuit Angelico Doctori occultari unum, cùm non fuerit Angelus, licet Angelicus; nec Beatus, licet viator; nec videns in Verbo, licet ſtudens in libris, & diſcurrens per ſpecies naturales? Dicant ipſi quidquid voluerint, nam in hac parte nihil jam mihi reſtat ſolvendum.

NODUS QUINTUS.

In Sancti Thomæ doctrina aliqua ſunt aperta & clara, alia autem obſcura & ambigua. Quomodò, inquit Pater

Digitized by Google

ter d'Aubermont, audent aliqui ſe opponere doctrinæ Angelici Doctoris in claris & expreſſis, cùm Patres Concilij Tridentini nec contra incerta & ambigua auſi ſunt determinare *Ne dubiæ adhuc etiam Angelicæ mentis auctoritas vel minimùm videatur libata*, quia adhuc in dubijs & incertis conceptus mentis Sancti Thomæ debet ut purus & illibatus cuſtodiri, acclamari, ac venerari. Et en Nodus. Quæ in doctrina ſunt dubia, debent eſſe illibata, nec in minimo lædi; quomodò igitur iſtimet in Conceptu ventris, quæ ſunt dubia de puritate MARIÆ non tantùm in minimo, ſed in maximo lædunt, dicunt, & clamant non eſſe illibata & pura, ſed libata, maculata & impura? Auctoritas Sancti Thomæ nec eſſe (quid eſt eſſe?) nec videri debet libata, quia & apparentia minima offuſcaret decôrem doctrinæ & auctoritatis; puritatem verò Dei Matris libatam videri, & eſſe, immò & temerè projicere non verentur.

NODUS SEXTUS.

Quia Pater Gallus prædicavit coram Patribus Concilij, ac dixit verba ſuprà relata in Cortice, manſit doctrina Sancti Thomæ non ſolùm ab uno, ſed ab omnibus Concilijs celebratis in Eccleſia Dei admittentibus libentiſſimè hanc excellentiam pro doctrina Angelica. In Concilio Baſilēenſi, quando erat Canonicum ac legitimum, ſingulis annis concionabatur de Immaculata Virginis Conceptione. Extat de hoc ſermo cum hac ſubſcriptione: *Sermo de Conceptione glorioſa Dei Genitricis Virg.* MARIÆ *ſubtilis, & prædicatus per egregium, illuminatiſſimum, ac doctiſſimum virum Magiſtrum Joannem Gerſon Almæ Univerſitatis ac Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarium digniſſimum, coram Sacro Concilio Baſilēenſi anno primo eiuſdem Concilij, incipit feliciter: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te originaliter, Cant. 4. tranſumptitie autem ad commendationem Celebritatis hodiernæ. Quid de Immaculata Dei Genitricis Conceptione dignum dicam? &c* quem manu-ſcriptum videmus in Monaſterio Sanctę Crucis Colonien. n. 59 in 4. De alijs concionibus habitis ſingulis annis in eodem Concilio latè loquuntur Turrecremata, & Joannes de Segovia. Et in Concilio Tridentino ſimiliter concionabantur quotannis in prædicta Feſtivitate. Ex quibus omnibus oratio illa habita à P. Jacobo Laynez Societatis JESU, quæ duravit per tres integras horas, celeberrima fuit. Stantibus ergò his veritatibus, ſi Pater Gallus fuit organum Sacri Concilij pro doctrina Sancti Thomæ; Joannes Gerſon, & P. Jacobus Laynez quid fuerunt pro Virginis puritate? Vox unius Patris Dominicani incogniti, ac nullius auctoritatis potuit approbare totam doctrinam Angelicam; & tot tantique concionatores inſignes, peritiſſimi, & ab omnibus propter ſcientiam & gravitatem notiſſimi non potuerunt approbare hanc ſimplicem propoſitionem: *Virgo* MARIA *fuit concepta ſine peccato originali*? Audiebant

Digitized by Google

bant conſcripti Patres elogia Sancti Thomæ, & illicò approbata manſit doctrina; pro Virginis autem puritate audiebant rationes, celebrabant Feſtivitatem, præſtarunt ſuffragia, conſtituerunt Canonem, & tamen nihil fecerunt. Numquid hoc eſt Notos ſuperaddere Nodis?

NODUS DECIMUS
PRINCIPALIS

Inter approbationem, ſeu approbationes doctrinæ Sancti Thomæ adſcriptas Summo Pontifici Pio V. Ordinis Prædicatorum, & ejuſdem acta pro myſterio Immaculatæ Conceptionis.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

HIc Summus atque Sanctiſſimus Eccleſię Pater anno ſecundo ſui Pontificatûs edidit. conſtitutionem (quæ in Bullario Romano eſt in ordine 36. ſub hoc titulo: *Quòd Feſtum Sancti Thomæ de Aquino, uti Feſtum de præcepto Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Regno Neapolis, alibi verò uti Feſtum quatuor Catholicæ Eccleſiæ Doctorum de cætero celebretur*: Et incipit: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*) datam Romæ apud Sanctũm Petrum anno 1567. tertio idus Aprilis, in qua ſunt clauſulæ ſequentes. Prima, ſcilicet: *Ex quo Sanctorum laudabili numero, qui Catholicam veritatem corde, opere, & ore roborarunt, Angelici Doctoris Sancti Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum in cælum aſſumptio multis antè annis orbi terrarum, & Divinis, & proprijs eſt comprobata teſtimonijs. Nam & miraculorum ſignis, quibus ſervi ſui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhauſta Dei benignitas, & certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ, quâ Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus illuſtravit, adductus felicis recor-*

recordationis Joannes XXII. prædeceſſor noſter illo in Sanctorum numero relato, ejus diem Feſtum nonis Martij, quo die nunc etiam colitur, anniverſario honore celebrare juſſit. Hucuſque prima clauſula. Et propter illa quatuor verba: *Certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ*, affirmarunt Patres Salmanticenſes in illo ſuo libello: de retinenda, ac docenda doctrina Sancti Thomæ, num. 122. folio 184. doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam à Summo Pontifice, ſicut etiam ex illis: *Infinitis confutatis hæreſibus illuſtravit*, quorum verba ſunt: *Igitur Urbanus V. qui mandavit Academiæ Toloſanæ, ut ſequeretur doctrinam Sancti Thomæ, eamq; dilataret, voluit, ut ipſa inermis, nuda bellum cum hæreticis gereret. Igitur Pius V. in Bulla citata non benè affirmavit, cum doctrina Sancti Thomæ ſemper confutatas fuiſſe antiquas hæreſes, & novas: quia ægrè confutari poſſunt hæretici cum veritate doctrinæ hujus Sancti, quæ, ut objectio prætendit, impedit, ne convinci poſſint. Certè ſcripta Sancti Thomæ nituntur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ, ut aſſeruit Pius V. quare non poteſt obſtare converſioni infidelium, ſed eam adjuvare tamquàm regula, & via tuta veritatis, quam ipſi ſequantur.* Hæc Salmanticenſes.

Pro iſtis ſive unâ, ſive duabus approbationibus hîc obſervandum eſt, Summum Pontificum Pium V. non dixiſſe, nec affirmaſſe, cum doctrina Sancti Thomæ *ſemper confutatas fuiſſe antiquas hæreſes, & novas*. Hæc enim eſt additio magna, & corruptio peſſima. Nam hic Summus Pontifex ſolùm dixit: *Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus illuſtravit*. Et in clauſula ſequenti, ut ſtatim videbimus, talia non extant verba. Item nec Summus Pontifex dixit: *Certè ſcripta Sancti Thomæ nituntur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ*. Nam licet doctrina Sancti Thomæ (& idem dico de doctrina S. Bonaventuræ, Alberti Magni, Alexandri de Ales, Scoti, Durandi, & aliorum omnium Catholicorũ ſcholaſticorum, quòd nitatur certiſſimâ Chriſtianæ doctrinæ regulâ, aliàs nec ipſi in Eccleſia eſſent recepti ut Doctores, nec eorum doctrina legeretur publicè in Academijs) ſit verè, & realitèr à primo uſque ad ultimum verbum ſcripta, & regulata certiſſima Chriſtianæ doctrinæ regula: tamen falſum eſt, & ab omni veritate alienum Summum Pontificem in præſenti Bulla hoc affirmaſſe de doctrina Sancti Thomæ. Doctores enim Salmanticenſes, (& idem dico de Patre Joanne à Sancto Thoma, & alijs) ut exaltarent doctrinam ſui Angelici Doctoris, verba Pontificia dicta de doctrina Eccleſiæ Catholicæ tranſtulerunt ad doctrinam Sancti Thomæ. Inquit enim Summus Pontifex: Aſſumptio Sancti Thomæ in cælum multis eſt comprobata teſtimonijs. Tum, inquit, Summus Pontifex, ex teſtimonio miraculorum, quibus inexhauſta Dei benignitas ipſum voluit nobilitare: Tum ex certiſſima regula Chriſtianæ doctrinæ, quæ deficere

non poteſt, ſcilicet, ex Bulla ipſius canonizationis, quâ Joannes XXII. ipſum in Sanctorum numerum retulit. His duobus teſtimonijs, miraculorum, ſcilicet, & canonizationis ipſius, quæ ſunt certiſſima Chriſtianæ doctrinæ regula, comprobatur S. Thomæ in cælum aſſumptio, & beatitudo. Non ergò dicit Summus Pontifex, quòd ſcripta S. Thomæ nitantur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ. Sed tranſeat, admittamus hoc elogium expreſsè, & formaliter pro doctrina S. Thomæ, ut videamus, ſi indè ſurgentem Nodum poſſint ſolvere.

Sufficientiſſimum judicabant Salmanticenſes pro Angelici Doctoris gloria relatum elogium: *Scripta Sancti Thomæ nituntur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ, ut aſſeruit Pius V. &c.* Et licet hoc fuerit gratis dictum, quia Summus Pontifex, ut ex ipſa conſtat, nil tale protulit; ſupportabile tamen erat. Nam, ut dixi, nullum invenimus Doctorem Catholicum, cujus ſcripta non nitantur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ. Prima & unica regula doctrinæ Chriſtianæ eſt Sacra Scriptura veteris ac novi Teſtamenti, à qua, & traditionibus Apoſtolicis regulatur doctrina Chriſtiana ab Eccleſia propoſita. Ab iſta jam regulata ſurgit ſecunda regula, id eſt, doctrina Apoſtolica Romana, ad quam regulantur omnes doctrinæ Doctorum ac Sanctorum Eccleſiæ Patrum, Auguſtini, Ambroſij, Thomæ, Bonaventuræ, &c. Horum verò ſcripta ſunt quaſi tertia regula, quâ noſtra regulare debemus. Undè doctrina Chriſtiana nititur certiſſimâ regulâ Scripturę; Sanctorum Patrum ſcripta nituntur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ; & noſtra ſcripta inniti debent dogmatibus Sanctorum Patrum. Credo quòd nullus Catholicus hæc poterit principia negare; ſed aliqui moderni ſcriptores (& non pauci) Ordinis Prædicatorum jam ſuperaddunt ad Salmanticenſium verba, quòd Pius V. non ſolùm dixerit ſcripta Sancti Thomæ niti certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ; ſed ipſamet ſcripta Sancti Thomæ eſſe regulam certiſſimam totius Chriſtianæ doctrinæ: ita ut loco Sacræ Scripturæ Canonicæ, conſtituant pro regula doctrinam ſui Angelici Doctoris. Nolo inquirere an hoc ſit impium & blaſphemum. Quia nulla doctrina alicujus Doctoris, ſive Auguſtini, ſive Ambroſij, Thomæ, & Chryſoſtomi, adhuc ſimul ſumptæ poſſunt eſſe regula doctrinæ Chriſtianæ. Et hoc quod non poſſunt habere omnes Doctores Eccleſiæ ſimul, quia eſt proprium ſolius doctrinæ à Spiritu Sancto dictatæ, volunt quòd habeat doctrina ſui Angelici Doctoris. Et cùm nullum inveniant fundamentum ad comprobandam aſſertionem tam alienam à Fide, volunt claudere Catholica ora, dicendo ſic fuiſſe pronuntiatum ex cathedra à Summo Pontifice Pio V. in prællegata Bulla, & verbis relatis.

Sed hoc diſtare à veritate, ſicut à Fide,

Digitized by Google

Fide, ſic paucis demonſtro ex ipſius Pontificis verbis, quæ talia ſunt: *Nam & miraculorum ſignis, quibus ſervi ſui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhauſta Dei benignitas, & certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ, quâ Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis erroribus illuſtravit, &c.* Ego credo quòd grammaticalis hujus orationis conſtructio ſit hæc: Inexhauſta Dei benignitas, & certiſſima regula doctrinæ Chriſtianæ nobilitare voluit opera perpetua veræ pietatis Sancti Thomæ, quâ Sanctus doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis erroribus illuſtravit. Illud: *Inexhauſta Dei benignitas*, extat in nominandi caſu concatenatum mediante illâ conjunctione, &, cum ſubſequenti particula: *Et certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ.* Si ergò prima non loquitur de doctrina Sancti Thomæ; quomodò ipſi adſcribunt ſecundam? Nam, ſi ibi dicitur quòd doctrina Sancti Thomæ ſit certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ, etiam de ea dicitur quòd ſit *inexhauſta Dei benignitas*, cùm eodem modo regantur & contineantur in oratione. *Inexhauſta Dei benignitas, & certiſſima regula Chriſtianæ doctrinæ* voluit nobilitare Opera Sancti Thomæ. Undè igitur Opera Sancti Thomæ ex iſtis verbis ſunt certiſſima regula doctrinæ Chriſtianæ? *Inexhauſta Dei benignitas, & certiſſima regula Chriſtianæ doctrinæ* ſunt fœminini generis & numeri ſingularis, & ad conſtructionem ipſorum mutatur caſus, numerus, genus, atque terminatio, ut faciant hunc ſenſum: Opera S. Thomæ ſunt certiſſima regula doctrinæ Chriſtianæ. Quo nihil abſurdius in Fide, nec ſtupidius in grammatica excogitari poterat, vel contra honorem Summi Pontificis, & Eccleſiæ Decreta; de quibus hæretici rident, ut infrà videbimus Nodo XII. principali. Undè ſequentia habent genuinum ſenſum, dicente Summo Pontifice: *Quâ* S. Doctor, id eſt, certiſſimâ illâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ confutando hæreſes Eccleſiam illuſtravit; ſed ipſi nolunt quòd S. Thomas hoc fecerit cum certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ, ſed cum alia, quam nec regulare nequeo, nec poſſum, niſi adducendo plura irregularia.

Secunda clauſula illius Decreti Pij V. ſic ſe habet: *Sed quoniam Omnipotentis Dei providentiâ factum eſt, ut Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ ex eo tempore, quo cæleſtibus civibus adſcriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ ſunt, hæreſes confuſæ, & convictæ diſſiparentur, quod & anteà ſæpè, & aliquandò nuper in Sacris Tridentini Concilii Decretis apparuit, ejuſdem memoriam (cujus meritis orbis terrarum à peſtiferis quotidiè erroribus liberatur) majore etiam quàm anteà grati, & pij animi affectu colendam ſtatuimus, &c.* Hîc Summus Pontifex declarat, qualitèr multæ exortæ hæreſes confuſæ, & convictæ doctrinâ Sancti Thomæ diſſiparentur, & quomodò ejuſdem meritis orbis terrarum à peſtiferis quotidiè erroribus liberetur. Inter

iſta

Digitized by Google

iſta quære illam propoſitionem Salmanticenſium: *Igitur Pius V. in Bulla citata non benè affirmavit cum doctrina Sancti Thomæ ſemper confutatas fuiſſe antiquas hæreſes, & novas.* Non enim judicàrunt eſſe ſufficiens elogium illud Summi Pontificis: *Cujus meritis orbis terrarum à peſtiferis quotidiè erroribus liberatur*, niſi etiam adderet illud adverbium, *ſemper*, & illud præteriti, atque futuri temporis, *antiquas*, & *novas*: Sed etiam hanc admittimus ſicut præcedentem. Et quantùm ad illam clauſulam: *Majore etiam quàm anteà, grati, & pij animi affectu colendam ſtatuimus*, id eſt, Feſtivitatem; inquiunt Salmanticenſes num. 61. pag. 102. *Pius V. in Bulla, in qua eum nominat quintum Eccleſiæ Doctorem, loquens de ejus doctrina, poſtquam dixit, quòd hæreſes cum ejus doctrina convictæ fuerint, ſubjungit hæc verba: Majore, quàm anteà, grati, & pij animi affectu colendam ſtatuimus. Si Academia Toloſana juraſſet ſe præſtituram id, quod Urbanus V. Pontifex ipſi mandaverat; quis quaſo de juſtitia talis juramenti dubitare præſumpſiſſet? Si igitur Academia Salmanticenſis hodiè jurat, quod Urbanus V. propoſuit Toloſanæ, & Pius V. univerſæ Eccleſiæ: quis non judicabit æquiſsimum eſſe illius juramentum?* Hanc auctoritatem non adduxi propter primam clauſulam: *Pius V. in Bulla in qua eum nominat quintum Eccleſiæ Doctorem*, licet ſit aliena à veritate (nam nihil tale dicit Pontifex) ſed propter ultima verba. Et licet de juramento, ac voto dicamus latè Nodo XV. principali; clauſula iſta: *Si igitur Academia Salmanticenſis hodiè jurat, quod Urbanus V. propoſuit Toloſanæ, & Pius V. univerſæ Eccleſiæ; quis non judicabit æquiſsimum eſſe illius juramentum?* quia ſpecialem requirit notationem, ideò dicunt Salmanticenſes, juramentum, ſeu votum Academiæ eſſe æquiſſimum in ſuperlativo gradu; quia æquiſſimum eſt ſequi, quod duo Summi Pontifices propoſuerunt, unus Univerſitati Toloſanæ, & alter univerſali Eccleſiæ. Stante æquitate cauſæ, effectus æquiſſimus eſſet; ſed ſi præmiſſæ ſunt falſiſſimæ tam de Univerſitate quàm de Eccleſia; quid dicemus de concluſione? Urbanum V. nihil hujuſmodi propoſuiſſe Academiæ Toloſanæ in Bulla vera jam ſuprà demonſtratum eſt Nodo III. principali ex ipſomet Summi Pontificis vero reſcripto; & quid proponat in Bulla ficta, & falſa, etiam ex ſæpè repetita clauſula conſtat. Sed demus iſta Urbani V. eſſe vera, & oſtendant nobis, ubi ſit hæc propoſitio Pij V. facta univerſæ Eccleſiæ? In antecedentibus non eſt, nec in ſubſequentibus invenietur: quo ergò fine, aut veritate ſcripſerunt iſta?

Tertia clauſula illius conſtitutionis Pij V. ſic ſe habet: *Itaque primum, ut in civitate, & Regno Neapolitano, quòd in eam Provinciam, quæ ad ſalutarem omnium gentium inſtitutionem ex nobiliſsima familia Aquinate clariſsimum hoc edidit Eccleſiæ Dei lumen, tantùm inde laudis, decoriſq; Divina bonitas redundare voluerit; de venerabilium Fratrum noſtrorum*

S.R.E.

S. R. E. Cardinalium conſilio, atque unanimi aſſenſu ipsâ die Nonarum Martij, quâ præſtantiſſimus Doctor migravit in cælum, poſthac ſemper univerſi utriuſque ſexus ab omnibus vetitis, ac ſervilibus operibus, laboribuſq́; abſtinentes Feſtum D. Thomæ ſolemnitèr ſub duplici majori officio, ſicut cæteras ejus generis ſolemnes Feſtivitates, quæ de ipſius Eccleſiæ præcepto ſervantur: in aliis autem orbis terræ partibus, quemadmodùm Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum Feſtivitates piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri præcepto celebrantur, ſic eumdem feſtum diem Sancti Thomæ in perpetuum poſthac omnes item utriuſque ſexus Chriſti fideles celebrent, & venerentur, Apoſtolicâ auctoritate ſtatuimus ac ſancimus, &c. Ultimam clauſulam iſtius Bullæ vide ſuprà Nodo VI. principali, & infrà Nodo XIV. principali. Ex verbis contentis in relata clauſula P. Joannes Paulus Nazarius in ſuo opuſculo de ſcriptis Sancti Thomæ f. 73. neſcio quam approbationem etiam invenerit pro doctrina, & ſcriptis S. Thomæ. Inquit enim num. 29. *Eſt Pius V. qui in quadam Bulla editâ anno* 1567. *incipiente: Mirabilis Deus in Sanctis ſuis: Feſtum Sancti Thomæ in Regno Neapolitano ſtrictè præcipit obſervari. Alibi verò uti Feſtum quatuor Catholicæ Eccleſiæ Doctorum ſtatuit eſſe celebrandum, &c.* Et tranſcribit majorem partem auctoritatis ſuprà poſitæ, quaſi diceret: Pius V. præcepit, ut Feſtivitas Sancti Thomæ obſervaretur de præcepto, & ut primæ claſſis in Regno Neapolitano, & in aliis Eccleſiis orbis ut duplex commune: igitur ejus doctrina eſt approbata ab Eccleſia ut vera, Catholica, & Canonica. Et hoc modo argumentantur etiam Doctores Salmanticenſes.

Verùm iſti Salmanticenſes inſuper §. 13. reſpondendo ad ſecundam objectionem, quam ſic proponunt: *Objiciunt ſecundò hoc juramento injuriam fieri Sancto Bonaventuræ, & Ordini Sancti Franciſci, dum eorum doctrina certis terminis in prælectionibus publicis includitur; certum eſt autem Sanctum Bonaventuram non eſſe inferiorem Eccleſiæ Doctorem Sancto Thomâ, nec minoribus encomiis, & laudibus à Conciliis, & Pontificibus celebratum. Præterea juramentum hoc ingratitudinis vitio laborat, &c.* Ad hanc, inquam, objectionem reſpondent à pag. 125. uſque 149. ubi à principio uſque ad finem nituntur oſtendere, nullam injuriam fieri Sancto Bonaventuræ; quia Doctoratus, & doctrina illius non habent excellentiarum prærogativas, laudum præconia, merita, ſubſiſtentiam, & veritatem, ſicut doctrina S. Thomæ; neque Academiam Salmanticenſem laborare ingratitudinis vitio Seraphicam doctrinam Sancti Bonaventuræ propulſando à ſuis ſcholis: quia ingratitudo eſt de beneficio recepto: Salmanticenſis autem Academia nullum beneficium recepit à doctrina Sancti Bonaventuræ. Sed contra hæc omnia nec verbum proferam, niſi tantùm illa, quæ neceſſaria ſunt pro Nodo XV. principali infrà ponendo.

Sanctus Bonaventura fuit in Sanctorum numerum relatus à Sixto IV. ſicut Sanctus Thomas à Joanne XXII. Sanctus Bonaventura fuit admiſſus, & receptus inter præcipuos Eccleſiæ Doctores à Sixto V. Ordinis Minorum Summo Pontifice, ſicut Sanctus Thomas à Pio V. Ordinis Prædicatorum. Et licet in hac ſubſtantia ſint æquales, tamen inter utrumque ſunt quàm plurimæ differentiæ relevantes, atque magis, & minùs exprimentes ipſorum Doctoratûs gloriam. Primò; nam Sanctus Thomas non eſt receptus ut Doctor Eccleſiæ directè,& formalitèr à Summo Pontifice Pio V. ſed ſolùm eſt Doctor Eccleſiæ ex conſequentia, & illatione: Pius enim V. ſolùm edidit Bullam, ut Feſtum Sancti Thomæ celebraretur in Regno Neapolitano ſolemnitèr ſub duplici officio majori, & illic eſſet dies feſtivus: in alijs autem orbis terræ partibus celebraretur ejus ſolemnitas ſicut aliorum quatuor Eccleſiæ Doctorum. Ex hac conceſſione (quia nulla alia eſt pro Sancto Thoma) deduxerunt ejus Diſcipuli hanc conſequentiam: Summus Pontifex præcipit, ut recitetur in Eccleſia S. Thomæ Feſtivitas *quemadmodum quatuor Eccleſiæ Doctorum Feſtivitates:* igitur Sanctus Thomas eſt quintus Eccleſiæ Doctor. Parùm curo, utrùm conſequentia ſit legitima nec ne(nam de Sancto Hilario, & alijs, Athanaſio, Nazianzeno, Baſilio, &c. recitatur in Eccleſia Officium Doctorum, & tamen non enumerantur inter quatuor præcipuos Doctores Eccleſiæ) quia nobis ſolùm intereſt ſcire propter nullam aliam rationem, præceptum,ſeu conſtitutionem Apoſtolicam expreſſam, vel tacitam numerari Sanctum Thomam inter Doctores Eccleſiæ, niſi propter iſtam (ut videre eſt in ſuprà citata Bulla, & conſtitutione 36. quæ extat in Cherubino à fol. 222.) At Sanctus Bonaventura expreſsè, formalitèr, & nominatim in individuo fuit adſcriptus inter quatuor præcipuos Doctores Eccleſiæ à Sixto V. (ut videre eſt in conſtitutione 76. hujus Summi Pontificis incipiente: *Triumphantis Hieruſalem gloriam ſempiternam*; & in Cherubino folio 625. cujus ſummarium eſt: *Adſcriptio Sancti Bonaventuræ Balneoregienſis inter egregios, Sanctoſq́, Catholicæ Eccleſiæ Doctores,cum indulgentijs pro ejus Feſtivitate die decimâ quartâ July celebranda*) Et infrà §. 14. inquit Summus Pontifex: *Ipſum Sanctum Bonaventuram jure Sanctorum Doctorum conſortio ab eodem Sixto IV adſcriptum, & connumeratum, auctoritate Apoſtolicâ tenòre præſentium inter præcipuos, & primarios, qui Theologiæ Facultatis magiſterio excelluerunt, habendum ac venerandum eſſe decernimus, ac declaramus.* De quibus omnibus ac alijs brevitatis causâ relictis, nihil extat in Bulla Doctoratûs Sancti Thomæ, niſi, ut dixi, ex præſuppoſita illa conſequentia: *Præcepit ut recitaretur officium commune Doctorum, ergò eſt quintus Eccleſiæ Doctor*; at Sanctus

Digitized by Google

ctus Bonaventura non ſic, ſed expreſsè, formalitèr, nominatim,& in individuo eſt pronuntiatus Doctor Eccleſiæ.

Secunda differentia eſt : quòd de doctrina Sancti Thomæ ſolùm dicat Pius V.quòd in Concilio Tridentino fuerit commendata,&c. vide auctoritatem ſuprà : de doctrina autem Sancti Bonaventuræ dicit Sixtus V. *Doctrinam ipſius Sancti Bonaventuræ à ſuprà dictis prædeceſſoribus noſtris Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam , in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam,graviſſimorum virorum auctoritate teſtificatam,& commendatam,& eximio Eccleſiæ Doctore dignam,nos quoque plurimùm in Domino laudamus , & commendamus, &c.* Ecce, ſi pro S. Thomæ doctrina ſunt duo Summi Pontifices Urbanus V. & Pius V. & Concilium Tridentinum : Pro doctrina Sancti Bonaventuræ ſunt quatuor Summi Pontifices,Clemens IV.Gregorius X. Sixtus IV. & Sixtus V. & duo Concilia , Lugdunenſe , & Florentinum.

Tertia differentia eſt : quòd illa Pij V. pro Sancto Thoma ſit Bulla particularis miſſa ad ſolum Regnum Neapolitanum , ut in ipſa videri poteſt : illa autem Sixti V. pro Sancto Bonaventura eſt Decretalis , ut conſtat ex univerſali inſcriptione;quæ ſic ſe habet : *Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Univerſis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs aliarum Eccleſiarum Prælatis per univerſum terrarum orbem conſtitutis ſalutem , & Apoſtolicam benedictionem.* Quorum nihil extat in Bulla expedita pro Sancto Thoma.

Quarta differentia eſt : quòd in Bulla pro Sancto Thoma nulla fiat mentio de Doctoribus Eccleſiæ , vel doctrina ipſorum , quid ſint, vel ad quid in Eccleſia conſtituti, & de omnibus alijs ad Doctoratum pertinentibus : quæ omnia ad amuſſim, & latiſſimè reperies in Bulla expedita pro Sancto Bonaventura.

Quinta : quòd Bullam pro Sancto Thoma ſubſcripſerint tantummodò triginta quinque Cardinales: alteram autem Sancti Bonaventuræ quinquaginta.

Sexta : quòd pro Feſtivitate Sancti Thomæ in Eccleſia Sancti Dominici Neapolitan. fuerint indulgentiæ ſeptem annorum,& totidem quadragenarum,& in alijs Eccleſijs orbis centum dies de injuncta ipſis pœnitentia : pro Feſtivitate autem Sancti Bonaventuræ conceduntur omnes indulgentiæ ſequentes : in Baſilica duodecim Apoſtolorum de urbe , & in civitate Balneoregienſi , & in civitate Lugdunenſi conceſſæ ſunt plenariæ indulgentiæ ; & etiam ut in ipſis eſſet dies feſtivus , & feriatus , præcipit his verbis : *Qui ejus feſtus hujuſmodi, ut cæteras de præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitas Feſtivitates devotè colentes.* Item concedit Summus Pontifex pro quolibet ingrediente Eccleſias Fratrum Mino-

Digitized by Google

rum in toto terrarum orbe conſtitutas, decem annos, & totidem quadragenas.

Septima differentia annotata ab ipſomet Summo Pontifice eſt: quòd Sanctus Bonaventura fuerit Generalis Ordinis Minorum per decem, & octo annos, Archiepiſcopus, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & mortuus exiſtens præſes Concilij Lugdunenſis: quorum nihil habuit Sanctus Thomas; quia ut Frater particularis ſemper vixit, & ſic mortuus eſt.

Octava differentia ſit: quòd in Bulla Sancti Thomæ, præter illas paucas excellentias ſuprà poſitas, nec de ejus perſona, nec doctrina aliquid ſpeciale dicatur, niſi illud miraculum, ſeu approbatio Chriſti Domini: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, ut diximus in Nodo VI. principali: Bulla autem Sancti Bonaventuræ, quæ diviſa eſt in viginti partes latiſſimas, eſt plena elogijs atque laudibus ſingularibus, non tantùm vitæ, & virtutum Sancti Bonaventuræ, ſed præcipuè ejus Magiſterij, ſapientiæ, & doctrinæ, &c.

Nona ac præcipua: quia in Oratione pro Sancto Thoma ſolùm dicitur: *Deus, qui Eccleſiam tuam Beati Thomæ confeſſoris tui mirâ eruditione clarificas, & ſanctâ operatione fæcundas; da, quæſumus, &c.* In Oratione autem Sancti Bonaventuræ ſic dicitur: *Deus, qui Eccleſiæ tuæ Beatum Bonaventuram Confeſſorem tuum, atque Pontificem Doctorem mirabilem tribuiſti, concede, &c.* Ubi, ut vides, Eccleſia non vocat Sanctum Thomam Doctorem, ſicut appellat Sanctum Bonaventuram. Et ſi, uti Pater Seraphicus Capponi à Porrecta de ſuprà poſita approbatione, & auctoritate Pij V. dicit: *Abſit enim, ut verbum tanti Summi Pontificis, tot Cardinalium præſertim vallatum teſtimonijs, ſit inane*, ſi hoc, inquam, non ſit inane, non erit etiam inane, quòd Eccleſia in Oratione appellet Sanctum Bonaventuram Doctorem mirabilem, quod non facit de Sancto Thoma, cujus Pontificis reſcriptum vallatum eſt non tantùm triginta tribus Cardinalibus, ſed quinquaginta. Et non obſtantibus his, & alijs differentijs exiſtentibus in gradu, ſeu electione Doctoratûs utriuſque, dicunt & affirmant Sanctum Thomam non ſolùm præcedere Sanctum Bonaventuram, ſed etiam omnes alios quatuor Eccleſiæ Doctores, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, & Gregorium, & doctrinam illius eſſe præſtantiorem, verioremque præ cæteris alijs, exceptâ Scripturâ Canonicâ. Adjunge hîc omnia dicta ac dicenda in hoc libro.

Pater Ignatius Galvan tomo 1. libro 2. cap. 9. diſc. 4. fol. 467. ſic inquit: *Igitur Sancti Thomæ Doctoris Angelici in cælum aſſumptio, (ſicut ait Pius V. cujus verba paucis explicabimus) & Divinis, & proprijs eſt comprobata teſtimonijs. Divinis quidem, ut ipſe ait, quia Dominus miraculorum ſignis Sancti Doctoris opera nobilitavit: proprijs verò, quia certiſſima Chri-*

Chriſtianæ regula doctrinæ idem Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus, illuſtravit. Itaque juxta Summi Pontificis oraculum doctrina Divi Thomæ peculiari atque honorifico titulo certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ appellatur. Quo ſenſu Eccleſia in Officio Divino diei Feſti Sancti Doctoris eum vocat normam, quâ utinam omnes regulentur, ne ab ea declinantes in errores labantur! Ultima hæc deprecatio utinam adimpleretur! quia ſi hęretici regularentur doctrinâ Sancti Thomæ, numquam in errorem laberentur: ſed parùm curo de elogijs: nec pro ijs contendo cum illis: admitto enim ipſa libentiſſimè, licet ſint talia, quale eſt præſens; & inquiro ſolùm veritatem in teſtimonijs allatis, ſeu legalitatem citationum præcipuè ex Bullis Summorum Pontificum. Suprà dicebant Salmanticenſes ex relata Bulla Pij V. quòd doctrina Sancti Thomæ niteretur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ; & quamvis hoc ſit extorquere verba Pontificis, eſſet ſupportabilis error; ſed jam Pater Galvan & cum ipſo alij quam-plures ex eadem clauſula ita invertunt omnia, ut non velint, quòd doctrina nitatur in certiſſima regula doctrinæ Chriſtianæ; ſed quòd doctrina ipſa Sancti Thomæ ſit certiſſima regula, & norma ipſius doctrinæ Chriſtianæ: regulatur enim, & nititur doctrina Chriſtiana, tamquam in propria norma, ipsâ doctrinâ Sancti Thomæ, & non è contra. An iſta ſint vera nec ne, judicet ille, qui poteſt Alexander VII. Idem Pater Galvan ſtatim infrà ſic inquit: *Quotquot ergò Eccleſiæ hoſtes hodie à Doctoribus profligantur, auſpicijs, & doctrinâ D. Thomæ profligantur; atque adeò eos ab ipſo ſuperatos, & convictos eſt aſſerendum, &c. Non ſolùm igitur antiquas in Eccleſia hæreſes D. Thomas ſuâ doctrinâ confutavit, ſed etiam futuras, antequam pullularent, prævidit, ſimulq; omninò diſſipavit. Tantâ enim illum Deus fortitudine induit, ut omnes etiam longo poſt eum tempore futuros Fidei hoſtes doctrinæ ſuæ gladio ſtrenuè proſtraret.* Et hæc dicta ſufficiant pro Cortice.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

IDem Summus Pontifex Pius V. quam-plurima conceſſit pro myſterio Immaculatæ Conceptionis: & pręcipuè anno primo ſui Pontificatûs expedivit indulgentiam pro die Conceptionis in oppido de Moruela Cæſar Auguſtan. *Ineffabilia*: nono Kalendas Novembris. Et anno ſecundo dedit indulgentiam Conceptionis pro hoſpitali Conceptionis de Guamanga

ga in Regno Peruano: *Salvatoris ac Domini*, ſexto idus Julij. Item anno 4. conceſſit Capellaniam in altari Conceptionis Beatæ Mariæ de Conſolatione oppidi de Cazalla Hiſpalen. *Dignum arbitramur*, 13. Kalendas Septembris. Et anno quinto altare Conceptionis Sancti Baſciani Cremonen. *Dignum arbitramur*, 4. idus Junij. Et alteram pro Monaſterio Conceptionis Corduven. *Ex commiſſo nobis*, 3. nonas Septembris. Et anno ſexto approbavit conſtructionem Monaſterij Conceptionis de Truxillo Placentin. *Exigit incumbentis*. 14. Septembris. Item pro Monialibus Conceptionis de Guadalfajara: *Injunctum nobis*, pridie idus Februarij. Iſtæ tantummodò Bullæ extant in Archivo Vaticano Sancti Petri; ſed in altero Brevium. Apud D.D. Gualteri ſunt penè quingenta Brevia pro indulgentijs, aliiſque rebus pertinentibus ad materiam Conceptionis, quæ cùm cœpiſſent extrahi, propter multitudinem, & expenſas faciendas cum Amanuenſibus, jam inceptâ Provinciâ, prætermiſimus.

Anno item 5. ſui Pontificatûs, id eſt, 1570. in Decretali incipiente: *Super ſpeculam Domini*, in qua prohibuit diſputationem in publicis actibus ſæcularibus; & quòd de Conceptione Beatæ Virginis non ſcriberetur vulgari ſermone: inter iſta, quæ æqualia ſunt pro utraque opinione, pro pia ſententia habet ſequentia: *Nos igitur, qui prædeceſſorum ſaluberrima Decreta pro viribus ſalva eſſe cupimus, potiſſimùm illa, quæ à Sacroſancta Synodo Tridentina denuò ſunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi hujus controverſiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile eſſe judicaverit. Prædictorum igitur concionatorum, aliorumque contentioni atque temeritati, populorumque ſcandalis occurrere ſtudentes motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſtatutum felicis recordationis Sixti IV. prædeceſſoris noſtri ſuper eâ re, quod à præfata Synodo innovatum eſt (illud præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum eſſet inſertum, pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto habentes) Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, &c.* Et licet in hac clauſula ſolùm approbetur ſtatutum in ſingulari Sixti IV. infrà ſic proſequitur: *Serventurque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædeceſſore noſtro ſtatuta ſunt, quorum ſingula, ut præfertur, etiam quantùm ad alias pœnas duximus innovanda, & innovamus per præſentes, &c. Volumus inſuper, & decernimus, quòd præſentes vim perpetuæ, & irrefragabilis Conſtitutionis obtineant, &c.* Si ergò Pius V. ita ſtrictè præcipiat obſervare omnia, & ſingula quæ Sixtus IV. circa materiam Conceptionis ordinaverat: igitur Conſtitutiones ejus non fuerunt ut à particulari perſona expeditæ, etſi, ut vult Rss. P. Magiſter ſacri Palatij Bartholomæus Spina, propter iſtas Conſtitutiones fuerit Sixtus IV. hæreticus materialis,

lis; quid dicent de Pio V. ſub tot ſtrictiſſimis clauſulis præcipiente illas obſervari?

Item præcepit, ut in tota Eccleſia celebraretur Feſtum Conceptionis, & recitaretur Officium ſicut in die Nativitatis mutato ſolùm nomine: in quo multùm favit myſterio, ut notavit Illuſtriſſimus D. Pater Franciſcus Soſſa in ſuo tractatu de Conceptione, fol. 21. Reverendus Pater Hippolytus Marraccius, & nos in Armamentario Seraphico colum. 74. Nam cùm idem Summus Pontifex Feſtum Præſentationis Beatæ Virginis expunxiſſet à ſuo Breviario reformato (& alia quam-plura potuiſſet tutò auferre) ſolemnitatem Conceptionis, ſed illam commutavit adæquans in Officio, & recitandi formula ejus Nativitati: quo nihil pro præſervationis myſterio excogitari poterat auguſtius; ſiquidem in eiſdem terminis reliquit Feſtivitatem Conceptionis, in quibus eſt in Eccleſia Nativitatis Feſtivitas; & ſi in Nativitate celebretur materialis, & naturalis Nativitas Virginis ſine reſpectu ad ſanctificationem mentalem, vel ad aliam quamlibet intellectûs, vel voluntatis formalitatem; ſic etiam poſt illud Officium ſtatutum fuit de Conceptione.

Præter iſta inter propoſitiones Michaëlis de Badio damnavit iſtam, quę eſt in ordine 73. *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſq; ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.* Bulla damnationis incipit: *Ex omnibus afflictionibus, &c.* data anno 1567. Kalendis Octobris. Et cùm eſſet ex Sacra Religione Prædicatorum, ſingularis videtur Dei providentiâ damnatio iſtius propoſitionis in capite Michaëlis de Badio, quando erat formale aſſertum ſuorum Fratrum.

Denique idem Summus Pontifex vivæ vocis oraculo conceſſit Fratribus Minoribus, ut recitarent Officium, *Sicut lilium*, editum, & approbatum à Sixto IV. & recitatum à tota Romana Eccleſia univerſaliter per integrum ſæculum, ut habetur in omnibus impreſſionibus Officiorum Ordinis Minorum, nullâ exceptâ; & etiam extat in Regeſto antiquo Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ pro familia Ciſmontana, unde illud nos extraximus. Et licet de hoc vivæ vocis oraculo agant Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis, capit. 88. folio 198. Tamajus de Salazar ad annum 1568. Pater Waddingus in ſua legatione, ſectione 2. Oratione 7. fol. 192. (ut latè diximus in obſervatione Regeſti Armamentarij Seraphici columnâ 218.) ac denique Vincentius Juſtinianus Ordinis Prædicatorum in tractatu de Immaculata Conceptione Hiſpanicè edito §. 3. fol. 6. ſecundùm noviſſimam impreſſionem factam Valentiæ hoc anno cum memoriali ad Regem Philippum Hiſpaniarum à nobis edito pro Sole

Ve-

VERITATIS, ſic inquit: *Y el Papa Pio V. cuia ſantidad y letras merecen grande veneracion, en el año de* 1569. *à veinticinco de Mayo vivæ vocis oraculo, concedio que en toda la Orden de San Franciſco ſe pudieſe recar el Oficio que publico Sixto IV.* Et inſuper fuit à Gregorio XIII. & Paulo V. anno 1609. die 19. Januarij etiam vivæ vocis oraculo confirmatum (de quo alia in noſtra *Militia* damus teſtimonia) Non deeſt tamen his noſtris temporibus, qui illud infringere voluerit, affirmando expreſſis verbis, eſſe falſum, ſuppoſitum, & fictum à Fratribus Minoribus. Et licet ſuprà Nodo III. principali objectionem propoſuerimus ex parte, integram iterum illam hîc recapitulare neceſſe erit.

Hic eſt Reverendiſſimus P. Thomas Turcus Generalis Ordinis Prædicatorum in ſuo tractatu contra Virginis Conceptionem edito an. 1648. dicens: *Hæc ſolida, & germana reſponſio eſt, quâ inſtar fulminis cùm Adverſarij percuſſi jaceant, in omne latus tamen ſe vertunt, ut ſpiritus revocent: & cùm nihil lucidum aut vegetum ſpirare potuerint, lepidam fabulam attexuerunt ad dementandos ſimplices. Libellum enim evulgarunt hoc modo ſcriptum: Propria Feſtorum Ordinis Fratrum Minorum ad formam Officij novi redacta, quæ Sanctiſſimus* D. N. *Pius V. Pontifex Maximus anno* 1569. *die* 15. *Maij, Pontificatûs verò ſui anno tertio vivâ voce conceſſit, ut ſic ordinata imprimerentur, & à Fratribus, & Monialibus ejuſdem Ordinis dicerentur. Hoc autem in libello Pij V. approbato cùm ſit comprehenſum Officium Conceptionis à Nogaròla editum, clariſſimè patêre plenis buccis vociferantur, dem Officium à Breviario Romano licet expunctum, Franciſcanis tamen benigniſſimè conceſſum fuiſſe, & in eorum ordinario incluſum, Apoſtolicâ Sede, & oraculo Pij V. approbatum. Sed cùm larvam detego, quæſo, animum advertant, ut inſignem impoſturam recognoſcant, & turpiſſimam audaciam ambabus manibus palpent. In archivo Religionis Dominicanæ duo exemplaria habentur hujus libelli: Proprium feſtorum Ordinis Fratrum Minorum: alterum impreſſum* 1564. *alterum verò excuſum Pariſijs* 1585. *utrumque inſignitum eodem oraculo vivæ vocis Pij V.* 1569. *In primo autem libello minimè reperitur alijs annumeratum Officium Nogaròlæ: In ſecundo ſimul cum alijs recenſetur prædictum Officium. Ex quo evidenter apparet per oraculum vivæ vocis, minimè conceſſam recitationem illius Officij, de quo tantum plaudunt; ſed tantùm illa, quæ in ordinario anni* 1585. *impreſſa continentur: per fraudulentam vero, & prophanam manum elapſis annis, quando falſitas non tam facilè convinci poterat, illud Nogaròlæ Officium alijs ſuper intruſum, & per ſummam audaciam adjectum. Hujus inſignis impoſturæ non ignobile argumentum ſumitur ex eo quod Suarez, Vazquez, & alij, cùm ſibi oppoſuiſſent Officium Nogaròlæ à Breviario Romano juſſu Pij V. expunctum, validiſſimo argumento preſſi omnem viam tentarunt, ut illud diluerent, aut eluderent, non tamen de tali Conceptionis Officio per oraculum Pij V. Franciſcanis conceſſo, & approbato mentionem fecerunt:*

Digitized by Google

cerunt : cùm tamen ex hoc labyrintho uno hoc Ariadnæ filo facilè exire potuiſſent. Adde & nomen ipſum : Propria Feſtorum, &c. non levem picturam facere de tali ſubreptione : Propria Feſtorum, ut nomen ipſum ſonat, illa tantùm exprimit, quæ Sacræ Religioni Franciſcanæ propria ſunt, non autem communia aliis : at Officium Conceptionis, ſicuti & Feſtum nedum à Religione Franciſcana, verùm etiam ab Eccleſia Romana celebratur; quomodò ergò fieri poterit, ut illud Officium à prudentiſſimo, ſimulq; piiſſimo Pontifice Franciſcanis concederetur, quod ipſius juſſu à Breviario Romano, quo ipſi utuntur, erat expunctum? Hucuſque Reverendiſſimus, atque doctiſſimus P. Turcus in illo ſuo ulrimo, & inſigni tractatu contra piam ſententiam. De quo duo audivi in Italia, Hiſpania, & Gallia, unum à ſuis, & alterum à noſtris. A ſuis, quòd illo tractatu demoliretur, & quaſi ad pulverem redigeret omnes rationes, & argumenta facta pro pia ſententia; ſed in toto opuſculo non alium invenio pulverem, niſi iſtum excuſſum à defenſoribus. Nam omnia alia ſunt paleæ, verba, & aër. A noſtris audivi, quòd, dum iſtum ſcriberet tractatum, quaſi miraculosè fuiſſet è vivis ereptus : quòd ipſi ſcribenti tractatum iſtum ſupervenerit mors, dicitur in ipſo tractatu; de altero non eſt meum judicare. In prędicto ergò opuſculo nihil aliud invêni, in quo in individuo, & particulariter oſtenderet, vel demonſtraret aliquâ ſaltem levi conjecturâ, aut inſtrumento authentico FF. Minores eſſe falſarios, & plagiatores litterarum Apoſtolicarum. Quia licet ſæpius huc tendant ipſius verba, ſemper loquitur univerſaliter (ut videmus in multis ejus auctoritatibus in hoc libello ſparſim relatis, quod & in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS ampliſſimè demonſtrabitur) niſi in hoc Pij V. vivæ vocis oraculo deſumpto argumento ex illis duobus originalibus antiquis impreſſis, & reconditis in archivo Religionis Prædicatorum : ideò oportet ab imputato hoc delicto nos purgari, & pariter à radice videre, quâ veritate aut fundamento (nam de modeſtia religioſa jam conſtat) ita durè, & aſpero verbo totam Seraphicam Religionem Pater ille, & ſupremus Judex ſuæ, abſque ulla appellatione, tamquam ream convictam objurget, & condemnet.

Fulminata ſententia contra Prælatos Seraphicæ Familiæ (nam de impreſſione Officiorum Divinorum non curant ſubditi, & Auctores) eſt iſtius tenoris: Declaramus Fratres Franciſcanos hoc fulmine percuſſos jacêre debere per omne latus, ita ut non remaneat, quò ſe vertere poſſint, & nihil lucidum, aut vegetum habere, quo ſpirare, aut reſpirare valeant : quia ad dementandos ſimplices evulgarunt libellum pluſquàm famoſum contra auctoritatem Summi Pontificis Pij V. lepidam in eo fabulam attexentes, ſcilicet, Summum Pontificem iſtum conceſſiſſe illis vivæ vocis oraculo, ut poſſent recitare Officium editum à

Digitized by Google

Leonardo de Nogarôlis de Immaculata Virginis Conceptione. Cùmque propter hanc lepidam fabulam ab ipſis intruſam plenis buccis vociferentur; ut non ampliùs ſic faciant, larvatam fictionem, & inſignem eorum impoſturam, ſuamque turpiſſimam audaciam videant, & ambabus manibus fraudulentam ſuam palpent falſitatem, & profanam manum, & in ſuperlativo gradu intruſam perverſiſſimam temeritatem, & adinventionem hujus inſignis impoſturæ recognoſcant, ideò, &c. Hucuſque lata ſententia contra Fratres Franciſcanos, de qua non curo, licet ita auſtera ſit; ſed de inquiſitione, & corpore noſtri delicti, quod tantam, ac talem meruit diffinitivam punitionis ſententiam. Inquit enim, quòd in archivo Religionis Prædicatorum extent duo originalia impreſſa, alterum anno 1564. (& nota, quòd hîc taceat locum, ubi facta fuerit editio illa) alterum Pariſijs anno 1585. & in utraque hac impreſſione eſſe illud vivæ vocis oraculum Pij V. ſed non ita in utraque eſt Officium Nogarôlis, quia in prima, ſcilicet, anni 1564. non eſt, benè tamen in ſecunda factâ Pariſijs anno 1585. undè colligitur, inquit, quòd oraculum non fuerit conceſſum pro Officio Nogarôlis, ſed poſteà anno 1585. per fraudulentam, & profanam manum elapſis annis, quando jam mortuo Pio falſitas poſt viginti unum annos non tam facilè convinci poterat, illud Officium Nogarôlis inter alios fuit intruſum, & per ſummam audaciam ab ipſis additum inter Officium Ordinis Minorum. Hucuſque Reverendiſſimus P. Generalis Turcus. Et in rei veritate, ſi de delicto conſtaret, ſententia ab eo fulminata juſtiſſima eſſet. Sed quid dicemus, quando delictum eſt impoſitum, & quædam calumnia ficta, & falſa ab adulteratrice manu fabricata contra pauperem, & innocentem Religionem Minorum? Quod ita eſſe, non ex conjecturis, ſed ex evidenti ipsâ veritate demonſtratur.

Dicit Pater Generalis: *In Archiva Religionis Dominicanæ duo exemplaria habentur hujus libelli · Proprium Feſtorum Ordinis Fratrum Minorum: alterum impreſſum* 1564. *alterum verò excuſum Pariſijs* 1585. *utrumque inſignitum eodem oraculo vivæ vocis* 1569. *&c.* De ſecundo edito Pariſijs anno 1585. veritatem dicit, & ſic de eo non loquimur, quia non facit ad rem noſtram: de altero autem, de quo non adducit locum impreſſionis, excuſo, ut ipſe dicit, anno 1564. cum vivæ vocis oraculo Pij V. eſt quædam calumnia clarè, evidentèr, atque manifeſtè intruſa, ut macularet ſacram Religionem Minorum, quæ ſic breviter quatuor indiſſolubilibus Nodis præcluditur. Anno 1565. quinto idus Decembris mortuus eſt Pius IV. menſe & anno ſequenti, ſcilicet, 1566. Septimo idus Januarij fuit creatus Pius V. & coronatus decimo ſexto Kalendas Aprilis; quomodò ergò anno 1564. die 15.

Maij

Digitized by Google

Maij poterant imprimi Officia Ordinis Minorum cum oraculo Pij V. ſi anno 1564. non erat Summus Pontifex, nec fuit electus poſt illos duos annos? Igitur hæc fuit elarvata calumnia. Item, correctio Breviarij Romani publicata fuit anno 1568. ſeptimo idus Julij, Pontificatûs Pij V. anno tertio, ut conſtat ex Decretali ad hoc expeditâ, & incipit: *Quod à nobis poſtulat*, *&c.* poſitâ in principio ejuſdem Breviarij reformati: ſi ergò reformatio Breviarij, & officij Nogarôlis fuerit facta anno 1568. quare, vel ad quid Fratres Franciſcani anno 1564. impetrarent illud vivæ vocis oraculum ad recitandum officium Nogarôlis, cùm anno illo, & per quatuor ſequentes in univerſali Eccleſia recitaretur, ut fatetur ipſemet Pater Turcus? Et ſic ex hac parte etiam eſt evidens deprehenſio falſitatis. Item Fratres Franciſcani propter illius officij à Breviario communi expunctionem factam anno 1568. petierunt à Summo Pontifice indultum: quomodò ergò indultum erat factum, & conceſſum anno 1564? Non quilibet monoculus, vel ſtrabo, ſed etiam cæcus prævideret hoc eſſe præcipitium. Item urgentiùs. In illo vivæ vocis oraculo dicitur, ut ipſemet Pater Generalis concedit; *anno* 1569. *die* 15. *Maij, Pontificatûs verò ſui anno tertio, viva vocis oraculo conceſſit indultum recitandi Officium, &c.* Si hæc extabant in illa impreſſione factâ anno 1564. Reverendiſſime Pater, componamus iſta: Pius V. fuit electus anno 1566. annus tertius ſui Pontificatûs fuit 1569. quomodò ergò annus 1564. poterat eſſe tertius illius Pontificatûs? Ut annus tertius Pontificatûs Pij V. fuiſſet ille 1564. debuerat eligi anno 1561. ſed cùm fuiſſet electus anno 1566. quomodò ejus annus tertius poterat eſſe anno 1564. niſi iſte Summus Pontifex calculaſſet annos ſuos retrocedendo? Et adhuc ſic non componetur iſta P. Generalis arithmetica. Deducimus ergò ex his tribus Nodis indiſſolubilibus: quòd illud de impreſſione factâ anno 1564. fuerit quædam falſa chimera, & impoſtura, ſine ulla attentione, aut conſideratione poſita; quia illo anno nec Pius V. erat Pontifex, nec reformatio facta fuerat Breviarij, nec poterat eſſe annus tertius ſui Pontificatûs; nec Fratres Minores indigebant tali vivæ vocis oraculo; quia tunc & per quatuor annos ſequentes tota Eccleſia univerſalis recitabat Officium Nogarôlis. Hâc larvâ detectâ, pergamus ad oſtenſionem veritatis.

Veritas ergò eſt: Anno 1566. fuit electus Pius V. ad ſupremam Petri Sedem. Anno 1568. facta fuit reformatio Breviarij Romani, & per conſequens Officium Nogarôlis expunctum, ut dicit P. Generalis. Anno ſequenti 1569. qui tertius erat ſui Pontificatûs annus, die 15. Maij vivæ vocis oraculo conceſſit F. Minoribus, ut illud Officium Nogarôlis, quod recitatum fuerat in Eccleſia univerſali

per integrum ſæculum, deinceps maneret in Religione Minorum. Et eodem anno 1569. ſimul cum alijs officijs proprijs Fratrum Minorum fuit Romæ impreſſum in 4. & in principio illorum Officiorum fuit etiam appoſita illa conceſſio, ſeu vivæ vocis oraculum: deinde fuerunt impreſſa prædicta Officia Pariſijs anno 1586. & alibi. Hoc ſuppoſito vero, & indubitato principio; Reverendiſſimus Pater Generalis Turcus contra totam Religionem Minorum malè formavit, atque diſpoſuit ſuam calumniam: quia impreſſionem illam factam anno 1569. anno tertio Pontificatûs Pij V. dixit fuiſſe editam anno 1564. mutando numerum 9. in 4. & hoc ſic judicavit, vel fecit. Judicavit: nam cùm ipſe eſſet totalitèr orbatus uno oculo, & altero non rectè videret, judicavit numerum 9. eſſe 4. propter characterum ſimilitudinem, præcipuè in impreſſionibus antiquis, & litteris communitèr vocatis de tortis. Vel fecit, quia ex numero 9. fecit 4. à quo facillimus eſt tranſitus. Sive ergò ſit hoc, ſive illud; qui hoc judicavit, vel ita fecit, ut calumniaretur innocentem Religionem Minorum, meretur ſententiam illam promulgatam à Patre Generali. Larvam detexi de delicto, de ſententia autem judicet quiſquis voluerit: & pro Nodo, qui inde reſurgit, recurrat ad Nodum ſequentem, & ad dicta ſuperiùs Nodo III. principali per totum.

Reſtat nunc diluere duas objectiones Reverendiſſimi Patris Generalis: quarum prima eſt: *Vazquez, & Suarez opponunt ſibi hoc validiſſimum argumentum de expunctione Officij Nogarôlis à Breviario Romano juſſu Pij V. & cùm omnem viam tentaſſent, ut illud ſolverent, ſeu eluderent: tamen de tali conceſſione factâ Franciſcanis mentionem non faciunt; cùm tamen ex hoc labirynthо uno hoc Ariadna filo facilè ſe expedire poſſent.* Etiam in hac objectione claudicat Pater Generalis: nam prædicti Auctores non omnem viam tentarunt ad ſolutionem hujus argumenti, ſed ſolùm incidenter illud tangunt. Vazquez in tertiam partem quæſt. 27. diſput. 117. cap. 5. num. 52. agens de celebratione Feſtivitatis Conceptionis, ſic inquit: *Neque obſtare, quod formam illius Officij*, id eſt, Nogarôlis à Sixto IV. approbati, *aliqua ex parte*, id eſt, Pij V. *& verba, quibus in eo expreſsè profitebantur fideles Immaculatam Conceptionem, abſtulerit: ob id enim, inquiunt, non abrogavit, quinimmò confirmavit celebrationem ipſius Feſti ſub nomine Conceptionis: quod quidem ſatis videtur, ut ad prædictam ſententiam populum invitaverit, præſertim cùm in reliquis omnibus conſtitutionem Sixti IV. ac proindè indulgentias ab eo conceſſas celebrantibus apertè confirmaverit. Hinc autem effectum eſt, ut Feſtum hoc ab univerſa Eccleſia ubique gentium celebraretur, cùm tamen anteà non in omnibus Eccleſijs, ſed in aliquibus celebrari tantùm conſueverit.* Hæc ſunt Patris Vazquez verba. Suarez autem eâdem quæſtione 27. Sectione 5. diſput. 3. articulo 2. §. *Ex qui-*

Digitized by Google

quibus, ita dicit: *Illa verò Officij mutatio à Pio V. facta nihil obſtat; neque enim id feciſſe credendus eſt, quia aliquid falſum in illo Officio continetur: ſed quia omnia voluit ad antiquum morem revocari: ſicut etiam Beatam Annam, & Sanctum Rochum è Kalendario expunxit, quo nihil eorum Sanctitati derogatum eſt. In eo verò, quòd Feſtum Conceptionis, & Nativitatis eodem Officio celebrari voluit, utriuſque ſolemnitas, proprietatis ratione retentâ, huic noſtræ ſententiæ non parùm favit.* Iſta ſunt verba ſobria iſtorum duorum Doctorum, non eluſoria, & nihil ampliùs habent. Ubi eſt ergò tentatio illa omnium viarum? Argumentum erat hoc, ſicut & modò eſt: Pius V. expunxit à Breviario Romano officium Nogarôlis, ergò reprobavit illud. Pro ſolutione directa hujus argumenti, non poterant recurrere ad Officium Fratrûm Minorum; quia ſive Minores illud recitarent ex indulto, ſive non, ſemper permanebat vis antecedentis; fuit ablatum ex Breviario communi, ergò reprobatum. Et ad hoc conantur ſatisfacere, ùt ſatisfaciunt. Sed admittamus reconventionem: Hęc conſequentia eſt bona: Suarez, & Vazquez non faciunt mentionem de iſto vivæ vocis oraculo conceſſo Minoribus, ergò eſt falſum. Et iſta erit vera: Suarez, & Vazquez expoſitores Sancti Thomæ mentionem non faciunt de quatuordecim approbationibus doctrinæ Sancti Thomæ, ergò ſunt falſæ? Suarez, & Vazquez non faciunt mentionem de, &c. Remaneant iſtæ conſequentiæ, quia ſunt valdè odioſæ.

Secunda objectio Patris Generalis eſt illa: *Quomodò ergò fieri poterit, ut illud officium à prudentiſſimo, ſimulq; piiſſimo Pontifice Franciſcanis concederetur, quod ipſius juſſu à Breviario Romano, quo ipſi utuntur, erat expunctum?* Quaſi dicat: Pręcipiebat prudentiſſimus atque piiſſimus Pontifex, ut illud officium Nogarôlis expungeretur à Breviario Romano; quâ ergò de causâ, vel motivo concedèret Franciſcanis, ut illud recitarent? Expungere illud à Breviario Romano, & eodem tempore ipſum concedere Franciſcanis, repugnant cum pietate, & prudentia, imò erat impoſſibile: *Quomodò ergò fieri poterit, &c.* Perpende rationem iſtam cujuſdam Patris Generalis, & conjunge illam cum alia ejuſdem ſpeciei: Summus Pontifex Paulus V. anno 1617. ſpeciali Decreto prohibuit: ne ullus in publicis, aut privatis colloquijs poſſet dicere Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali, quod poſteà anno 1622. die 24. Maij ſtrictiſſimis pœnis revalidavit Gregorius XV. ad quem accedentes Patres Prædicatores die 28. Julij ejuſdem anni obtinuerunt indultum, ut inter ſe tantùm in privatis colloquijs poſſent de Conceptionis materia diſſerere, ac tractare. Et nunc retorqueo argumentum: Quomodò ergò fieri potuit, ut illud indultum à prudentiſſimo, ſimulque pijſſimo Pontifice Dominicanis concederetur,

Digitized by Google

quando ipſius juſſu ab ore omnium Catholicorum expungebatur? Si hoc argumentum non valet, ut non valet, quia eſt ridiculum, eamdem vim habet ipſius. Et hæc de dictis atque objectionibus contentis in tractatu Patris Turci contra Immaculatam Conceptionem.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

QUia Reverendiſſimus Pater Generalis Ordinis Prædicatorum, ex quadam deceptione activa, vel paſſiva judicavit Fratres Franciſcanos finxiſſe vivæ vocis oraculum Pij V. (quod ferè ſemper fit à Summo Pontifice cum ſola benedictione) circa recitationem Officij Immaculatæ Conceptionis, vocat ipſos ore pleno attexentes fabulas, lepidos falſificatores, delineatores ſimplicium, falſarios, larvatos, inſignes impoſtores, turpiſſimos, audaces, fraudulentos, profanas habentes manus, de falſitate convictos, plagiatores Officiorum Divinorum, &c. Si ſecundùm totum iſtum rigorem juſtitiæ judicandi eſſent in iſto libello illi, qui non propter honorem, & puritatem Virginis MARIÆ, ſed contra ipſammet, propter quamdam phantaſticam exaltationem doctrinæ Sancti Thomæ, finxerunt Bullam integram Univerſitatis Pariſienſis (de qua diximus Nodo V. principali per totum) Bullam Urbani V. (de qua Nodo III. principali per totum) Sermonem Innocentij Papæ (de quo Nodo IV. principali etiam per totum) auctoritatem Clementis VI. contra Conceptionem, & alia infrà detegenda, & illa ſic ficta introduxerunt non in unum, ſed in duo Officia Eccleſiaſtica, & non ſolùm in lectiones Breviarij, ſed etiam in præfationem Miſſæ, quid dicendum eſſet de ipſis? Ponderemus amore Dei delicta noſtra; Velle, & procurare recitari ſub prætextu conceſſionis Pontificiæ Officium recitatum jam ab eadem Eccleſia Romana per integrum ſæculum, & approbatum à quatuor Summis Pontificibus, & Concilio Tridentino, improperium merebatur, ſed non magnum, licet oraculum eſſet fictum; quia oraculum illud non recitatur in Officio Divino: ſed ex Bullis, & ſermonibus fictis à quodam incognito Auctore parvæ, vel nullius fidei, poſteà Generali Religionis Prædicatorum, formare antiphonas, lectiones, & præfationem Miſſæ Sancti Thomæ pro ſola quadam inani exaltatione doctrinæ Angelici Doctoris ſub nomini-

minibus Innocentij Papæ, Urbani V. & aliorum, quorum teſtimonia nec Eccleſia vidit, nec ipſimet Summi Pontifices ſomniarunt; res quidem majoris momenti videtur. Et quòd trabes iſtas in propria domo exiſtentes non viderit Pater Generalis, & feſtucam unam, non circa verba, ſed circa numerum arithmeticum exiſtentem in domo Fratrum Minorum ita exactè, ſed non exactè, inquirere, & examinare; cui non videbitur mirum? Pro Virgine MARIA, ejus puritate, & innocentia examinantur vera vivæ vocis oracula, eaque condemnantur: & pro S. Thomæ doctrina, nec videntur Bullæ falſæ, nec ſermones ficti examinantur; ſed omnia ſine delectu introducuntur in Officium Divinum. Poteſt eſſe quòd aliquibus nec Nodus videatur; ſed mihi Nodus, iſque indiſſolubilis apparet.

NODUS SECUNDUS.

De doctrina, & ſcriptis Sancti Thomæ communiter dicitur: quòd *nitantur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ*, immò aliquid ampliùs, ſcilicet, quòd ipſa ſint regula doctrinæ Chriſtianæ, *& via tuta veritatis, quam fideles, & infideles ſequi tenentur.* Et qui hoc affirmant, pariter dicunt, propoſitionem iſtam: *Virgo Dei Mater non habuit peccatum originale*, non niti certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ, ſed potiùs eſſe dubiam, incertam, & nutare in Fide; immò aliqui dicunt multò minùs, ſcilicet, eſſe expreſsè falſam, erroneam, ſcandaloſam, impiam, & alia, de quibus latè in SOLE VERITATIS. Undè ergò probatur, vel quo fundamento dicitur, doctrinam Sancti Thomæ eſſe viam veritatis, & niti certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ? Non ex verbis Pontificis, quia hoc non dicit Pius V. ſed dato, quòd ageret de doctrina, loquitur relativè, referendo, ſcilicet, quomodò à Joanne XXII. fuerit in Sanctorum numerum relatus, ut inde deſcendat ad Feſtivitatis inſtitutionem; ſed admittamus etiam locutum fuiſſe aſſertivè; poſſumuſne ſtringere ex hac parte funiculum ampliùs? Ex altera non unus, ſed viginti Summi Pontifices dicunt: Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali; ſed jam non ſint viginti, ſed unicus, & ſolus Sixtus IV. & componamus Nodum. Quare conceptus mentis Thomæ eſt certiſſimus, & via tuta veritatis? Quia dicitur ab uno Summo Pontifice Ordinis Prædicatorum; & quare non eſt tutum, certum, ac ſecurum dicere Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine peccato originali, cùm affirmet alius Summus Pontifex Sixtus IV? Quia hic fuit ex Ordine Minorum. Igitur pro doctrina Sancti Thomæ non eſt exceptio Pontificem fuiſſe ex Ordine Prædicatorum; & pro puritate Dei Matris eſt exemptio eaque magna, Pontificem fuiſſe ex Ordine Minorum. Si iſte non eſt Nodus ſolutione dignus, videamus alium.

NODUS TERTIUS.

Ad iſta verba Summi Pontificis: *Cy-*

jus-

jus meritis orbis terrarum à peſtiferis quotidiè erroribus liberatur; addiderunt Salmanticenſes ſine fundamento, & veritate illa: *Semper confutatas fuiſſe antiquas hæreſes & novas*; ſed admittamus omnia, tamquam ſi eſſent vera, ac legitima Summi Pontificis, quorum medulla eſt hæc: *Doctrinâ Sancti Thomæ ſemper, & quotidiè liberatur Eccleſia à peſtiferis erroribus, quia ipſâ confutantur hæreſes antiquæ & novæ, &c.* & hinc interrogo: quomodò doctrina Angelici Doctoris potuit confutare antiquas hæreſes exortas, antequàm ipſa fuiſſet? Ad hoc nullam invenio ſolutionem, ſed exiſtimo, quòd non ſit alia niſi recurſus ad merita prævisa Sancti Thomæ: *cujus meritis orbis terrarum à peſtiferis quotidiè erroribus liberatur*, inquit Summus Pontifex; & ſic merita prævisa Sancti Thomæ liberant quotidiè orbem terræ à peſtiferis erroribus. Et ecce Nodus. Ante ejus exiſtentiam habuit Sanctus Thomas merita prævisa pro toto terrarum orbe, ut ipſum liberaret quotidiè, & ſemper à peſtiferis erroribus in plurali; & Christus Dominus non habuit prævisa merita, ut unicam Matrem ſuam ſemel, & pro unico inſtanti liberaret in ſingulari ab uno peſtifero contagio peccati originalis. Et quando ſolvetur Nodus iſte? Item, totus terrarum orbis liberatur à peſtiferis erroribus antiquis & novis doctrinâ, & meritis Sancti Thomæ; & illud, *liberatur*, intelligendumne eſt ante caſum, vel poſt caſum? Certum eſt, quòd hæc liberatio non ſit poſt caſum, ſed ante caſum; nam antequàm terrarum orbis inficiatur erroribus, liberatur. Hoc enim propriè, ac rigorosè ſignificat, *liberare*: ideò enim Pater Galvan inquit: *Non ſolùm igitur antiquas in Eccleſia hæreſes D. Thomas ſuâ doctrinâ confutavit, ſed etiam futuras antequàm pullularent prævidit, ſimulq; omninò diſſipavit*. Optimè. Sed quomodò, quando Sancti Patres, atque Doctores dicunt: MARIA fuit libera, vel liberata à peccato originali, intelligunt, dicunt, & affirmant: quòd liberatio iſta ſit accipienda poſt maculam, contagium, lapſum, & peccatum contractum? Pro doctrina Sancti Thomæ liberatio eſt vera liberatio: & pro Dei Matris puritate liberatio non eſt liberatio. Sanctus Thomas liberat, quia antequàm pullulet malum, diſſipat illud: & Deus nec liberavit, nec prævidit, nec diſſipavit ante, ſed poſt malum, & caſum. Quem ipſum facitis? Et ſiſto hîc, ut liberetur libellus noſter. Item doctrina Sancti Thomæ liberat ſemper, & quotidiè ab antiquis, & novis erroribus peſtiferis totum terrarum orbem. Quomodò ergò ſunt tot, tantique errores peſtiferi hodiè per totum terrarum orbem? Hoc non habet ſolutionem, quia eſt evidens. Utinam non eſſet! Sed inter tot peſtiferos errores graſſantes ſalvant, atque defendunt ſuam propoſitionem: *Sanctus Thomas liberat terrarum orbem à peſtiferis erroribus*; non obſtantibus oculis, experientiâ, &c. Et licet

licet ſint infiniti, ac innumerabiles errores, hæc propoſitio ſemper debet eſſe vera, quia eſt pro doctrina Sancti Thomæ. Optimam, & apertam invenimus viam, ingrediamur: Igitur non obſtantibus erroribus Adami & Evæ, Job & David, Joachimi & Annæ poteſt, & debet ſubſiſtere hæc ſententia: Maria *fuit libera à contagio peſtiferi erroris peccati originalis.* Sed hæc non admittitur. Quare? Quia eſt pro puritate Dei Matris. Et Nodus iſte quando ſolvetur?

Nodus quartus.

Reverendus Pater d'Aubermont in ſua oratione encomiaſtica, poſt auctoritatem ſuprà relatam in Innocentio, ſic proſequitur: *Quî enim nymphæ iſti caſtiſſimæ, id eſt, veritati poſſit eſſe acceptus, qui ſinceriſſimi ſui interpretis hoſtis fuerit lenocinatus? Suſpectum ei omninò eſſe oportet, ut falſitati addictum, qui ſuæ mentis arbitria ad rectæ regulæ normam diſponere contemnit. Et noli (quæſo te) noli rogari quaſi neſcius, quænam illa veritatis regula, quam tam patenter Apoſtolico diplomate ſancivit glorioſiſſimus noſter Pius Pontifex V. quâ Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus illuſtravit, certiſſima Chriſtianæ regula eſt doctrinæ. Quid lucidius? Quid illuſtrius? Quid excellentius? Euge Angele mi, euge &c. Divinum tuum eloquium, & cæleſtis doctrina hoc eruditioni tuæ elogium ſtatuit Clemens VIII. Certiſſima Chriſtianæ doctrinæ eſt regula, &c.* Non debemus hærere in tranſpoſitione factâ ab hoc Oratore, ut clauſulam Bullæ Pij V. reduceret ad ſuam regulam ſeu doctrinam Angelicam; ſed ſolùm ab eo inquirere: ubi Clemens VIII. dixerit clauſulam ab ipſo allegatam: *Certiſſima Chriſtianæ doctrinæ eſt regula:* quia in tribus reſcriptis ſeu epiſtolis Clementis talia non habentur verba, ut ſtatim videbimus Nodo principali ſequenti. Et pro nunc perpendendum eſt, quantis elogijs extollat Summum Pontificem Pium V. quia talem promulgavit Bullam & protulit excellentiam pro doctrina Sancti Thomæ; cùm tamen ſit falſa quoad intelligentiam, ut ſuprà ex eiſdem Pontificis verbis manet oſtenſum. Et quia Sixtus IV. Ordinis Minorum edidit non unam, ſed tres conſtitutiones veras pro puritate Virginis Mariæ, non extitit glorioſiſſimus, aut ſaltem glorioſus, ſed fuit. Quid? Vide apud Patrem Reverendiſſimum Bartholomæum de Spina Magiſtrum ſacri Palatij. Nec fuit verè Pius, nec ſaltem apparenter Pius; ſed &c. Quid? Lege apud Reverendiſſimum Patrem Vincentium Bandellum de Caſtro-novo Magiſtrum Generalem totius Ordinis. Nec fecit aliquid lucidum, illuſtre, aut excellens; ſed &c. Quid? Interroga Reverendiſſimum Patrem Thomam Turcum; & ipſe dicet tibi. Nec fuit doctus aut ſapiens; ſed &c. Quid? Scrutare Reverendum Patrem Georgium de Frikenhauſen. Sed conferamus quæſo ſine jurgio iſta duo inter Summos Pontifices: *Honorem* Dei Matris, *& honorem* Angelici Doctoris. Cujus ho-

Digitized by Google

honor præcedere debet? Ponderemus ſine contentione iſtam propoſitionem: *Conceptio Virginis* MARIÆ *fuit ſine peccato originali*; cum hac: *Doctrina* Sancti Thomæ regula eſt Chriſtianæ doctrinæ. In trutina Fidei ponderatum eſt, qualis ex his duabus videtur impia, deteſtabilis, iniqua, falſa, erronea, temeraria, & blaſphema: & qualis ſit pia, rationabilis, congruentior, Sanctior, probabilior, &c. Solvat Nodum quiſquis voluerit, ſive Catholicus, ſive hæreticus.

NO-

Digitized by Google

NODUS UNDECIMUS

PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ factam à Clemente VIII. Pontifice Maximo in quibuſdam reſcriptis directis ad Civitatem Neapolitanam ; & aliquas ejuſdem Pontificis Bullas expeditas pro Conceptione, & immunitate Sacratiſsimæ Virginis MARIÆ.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

DIcunt Summum iſtum Eccleſię Pontificem electum anno 1592. tertio Kalendas Februarij, approbaſſe doctrinamSancti Thomæ in quibuſdam Brevibus ſub annulo Piſcatoris expeditis, & directis ad Proregem Regni Neapolitani, Deputatos,& ad ipſammet civitatem, ſub die vigeſima ſecunda Novembris anno 1603. Pontificatûs ſui anno 12. In uno quod incipit : *In quo nos, &c.* ſic inquit : *Erat quidem antea multò optandum, ut civitas iſta pietati imprimis dedita novum Patronum ad reliquos, quos habet, addendum curaret Thomam Aquinatem, cujus Divino eloquio, & cæleſti doctrinâ, miraculiſq., illa quidem illuſtris meritò apud remotiſsimas nationes ſummâ Chriſti nominis cum laude, atque Eccleſiæ utilitate celebratur.* In alio verò ſic inquit : *Piè; prudenterq; cogitatis de*

 novo

novo civitatis patrono adſciſcendo, cive veſtro, Divinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ Sanctitate, & miraculis claro, Thomâ Aquinate, cujus doctrinæ tantùm fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis Divinum ſuæ etiam illud habeat teſtimonium: Benè de me Thoma ſcripſiſti. Et in tertio reſcripto ad eoſdem directo, quod incipit: *Sicut Angelici in miniſterium, &c.* ſic Summus Pontifex inquit: *Hic ſiquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis jure optimo debetur; at doctrinæ quidem teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mirâ perſpicuitate, ſine ullo prorſus errore conſcripſit, in quibus conſcribendis interdum Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum colloquentes, locoſq; illi quoſdam Dei juſſu enarrantes habuit; & quos deinde conſcriptos expreſsâ Domini voce comprobatos audivit.* Hucuſque ad litteram Reverendus Pater Joannes Paulus Nazarius in ſuo primo opuſculo de ſcriptis Sancti Thomæ Aquinatis, pag. 74. num. 30. & reperies iſta tria reſcripta, ſeu epiſtolas Pontificias in conſtitutionibus Capituli Generalis Ordinis Prædicatorum factis Romæ anno 1612. Pater Galvan etiam de ipſis mentionem facit tomo 1. folio 480. cap. 11. & extant omnes apud Abrahamum Bzovium tom. 14. à fol. 399. & præcipuè habemus originale authenticum miſſum à civitate Neapolitana.

Sed antequàm ad ulteriora progrediamur, fortè petes: an hoc elogium doctrinæ Sancti Thomæ directè, vel indirectè ortum etiam habuerit à myſterio Immaculatæ Conceptionis, ſicut de omnibus antecedentibus oſtenſum eſt? Reſpondeo affirmativè: Nam eodem tempore Clementis VIII. P. Antonius Poſſevinus in ſuo Apparatu dixerat de Joanne Duns Scoto illud inſigne elogium: *Cujus doctrinæ grande illud teſtimonium extat, quòd ejus libri abſque ullo erroris nævo uſque in hanc diem tercentos circiter in Oecumenicis Conciliis inviolati permanſerint, &c.* Idem dixit Hugo Triſer Præmonſtratenſis in encomio de Scoto: *Eò ſeriùs ac faciliùs, quòd nullo umquam Concilio Scoti doctrina, vel uno in articulo ſit reprobata.* Nolo adducere in hac materia Auctores proprios. Ut ergò reſpicerent è regione hoc Scoticæ doctrinæ encomium, curarunt de illo Clementis VIII. Unde poſt auctoritatem iſtam Poſſevini, & alteram Joan. Gerſonis, dicentis: *Placuit hujus Doctoris,* id eſt Scoti, *inter cæteros meminiſſe, quoniam ipſe non ſingularitate contentioſâ vincendi, ſed humilitate mihi viſus eſt. Etſi Doctoris iſtius mentio repellatur, ipſe viderit quàm verè, quàm & ſobriè id faciat. Ego nec ſcio, nec præſumo aliter dicere, quàm quòd reſolutio Scoti, & ſuorum ſtet cum pietate Fidei, & Eſſentiæ Divinæ unitate.* Poſt has, inquam, auctoritates Pater Michaël Hoyerus Ordinis Sancti Auguſtini in ſua oratione pro Mariano Doctore Subtili Joanne Duns Scoto, folio 18. §. *Finio tandem, &c.* concludit ſic: *Unicam tantummodò de*

Imma-

Digitized by Google

Immaculata Virginis Conceptione ſententiam à pluribus annorum intervallis in jus vocarunt. Idq; (ſuperi) quo animo, quâ contentione factum eſt, teſtantur, & loquuntur plurima Epiſcoporum tribunalia, loquuntur illuſtres Doctorum cathedræ, loquuntur ſacra Eccleſiarum pulpita: in quibus hæc cauſa adeò agitata, & impetita fuit, ut ad eam oppugnandam, & expugnandam, adverſarij uno quaſi agmine omnes ingenij nervos contuliſſe videantur. At quo tandem eventu? Actoribus altiſſimum ſilentium impoſitum, & ſævè inhibitum, ne futuris temporibus cauſam hanc in judicium, & faciem populi denuò revocare audeant. Quinimmò ipſi Summi Pontifices, ipſa multis in locis ſtudia generalia, plerique etiam Eccleſiarum Prælati ita manibus, pedibuſq; in Scoti ſententiam iverunt, ut alteram ſaltem minùs fundatam, & minùs amplectendam eſſe aſſeruerint. Hæc una res eſt, quæ Scoto graviſſimas conflavit inimicitias: hæc velut pomum Paridis pertinaciſſimarum contentionum cauſa fuit. Nihilo tamen minùs, ſicut ſagittæ in cælum emiſſæ, ab illo ſemper longè diſtant, & abſunt quàm maximè: ita horum tela in cæleſtem Scoti doctrinam multoties miſſa, nullatenùs ad illam umquàm pervenire poterunt, &c. Qui ex propoſitis, non ab Auctoribus Seraphicæ Religionis, & alijs brevitatis causâ relictis, & quia alterius erunt loci, noluerit ſibi pro certo habere hoc Sancti Thomæ elogium: *ſine ullo prorſùs errore*, connotare illud Scoti: *abſque ullo erroris nævo*; tranſeat; quia parùm intereſt pro principali noſtra materia examen originis, principij, aut intentionis, & etiam recurre ad Nodum: nam nunc neceſſe eſt laborare ſolùm in Cortice.

Didacus Alvarez Archiepiſcopus Tranenſis Ordinis Prædicatorum de Auxilijs lib. 1. cap. 5. fol. 83. ſic inquit: *Clemens VIII. in Bulla ſpeciali, quâ civitati Neapoli Sanctum Thomam in Patronum, & protectorem conceſſit: illum interpretem Divinæ voluntatis appellans, &c.* Circa hanc approbationem multa dicunt Gravina tomo 3. Præſcriptionum. fol. 274. Arriaga tom. 2. lib. 1. capite 8. §. 3. folio 427. Epiſcopus Monopolitanus in 4. parte Hiſtoriæ libro 4. cap. 47. Michaël Pius in 5. opere, libro 1. colum. 247. P. Choquetius in ſua Oratione Sancti Thomæ folio 45. inquit: *Sine ullo prorſùs errore conſcripſit libros, quorum doctrinæ primas dedit Innocentius V. poſt Scripturas Canonicas, quorum Joannes XXII. tot eſſe dixit miracula, quot articulos. An non meritò pleno ore Divinam ſapientiam accepiſſe dicendus eſt, qui de admirandis, abſtruſiſq; Fidei myſterijs tantum ſcivit, quantum in hac mundi caligine noſſe quis poteſt?* Si excellentia iſta eſt magna, Nodus ex ipſa reſultans parvus non erit. Hanc etiam excellentiam adducit P. Franciſcus Deuwerders Ordinis Prædicatorum in libello: Militia Angelica D. Thomæ, folio 38. & Reverendus Pater d'Aubermont, cujus auctoritatem dabimus in Nodo. P. Sylveſter Mazolinus Sacri Palatij Magiſter in conflatu imp. Peruſiæ 1519. in fronte cum imagine S. Thomæ hæc habet:

Digitized by Google

Hic legit, hic docet, hic præclara volumina condit

Doctorum ſummus, mens ſine labe, Thomas.

Quid aliud inquirimus nos pro Sacratiſſima Virgine Maria, niſi an verificetur de ea hæc univerſalis propoſitio? Quia ſi habuit mentem ſine labe, ergò & in Conceptione fuit pura.

Doctores Salmanticenſes, ut demonſtrent doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam à Sede Apoſtolica, non ſemel utuntur hoc teſtimonio Clementis VIII. & pag. 25. num. 16. adducunt ex ultimo reſcripto integram auctoritatem; ſed vide quomodò: *Hoc idem confirmat Clemens VIII. de quo inferiùs dicemus, dum ait: Hic ſiquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis, jure optimo debetur; ac doctrinæ quidem teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille in breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere ſingulari ordine, ac mirâ perſpicuitate, ſine ullo prorsùs errore conſcripſit, tantumq; aſſecutus fuit myſteriorum ſacrorum, quantum quiſpiam mortalium aſſequi poterat.* Hucuſque Salmanticenſes ex formali auctoritate Clementis VIII. & deinde poſt ſeptem lineas numero ſequenti, ſcilicet, 17. redeunt, ut promiſerant, ad eamdem auctoritatem dicentes: *De ſoliditate verò doctrinæ hujus Sancti clarum, atque perſpicuum teſtimonium Clemens VIII. in Bulla ad nobiles Neapolitanos perhibuit dicens: ſine ullo prorsùs errore. Obſervetur diligenter nullum ex his, qui hoc tempore contra D. Thomam ſcripſerunt, ut ejus doctrinæ detraherent, auſum fuiſſe quidquam dicere contra hanc Bullam, vel ejus aliquam mentionem feciſſe: non enim illam utpotè recentem, ac veram negare valebant. Manifeſtum verò eſt, plus auctoritatis hoc ſolùm Pontificis hujus teſtimonium, quàm omnes diſcurſus, qui in contrarium coacervantur, habere.* Infrà verò pag. 103. num. 68. iterùm inquiunt: *Clemens VIII. in Bulla ad Neapolitanos dixit expreſſè, Sanctum Doctorem ſcripſiſſe ſine ullo prorsùs errore. Dicunt Sancti Pontifices, & docent nos, tutam eſſe iſtius Sancti doctrinam; non errare, qui eam ſequuntur; ſuſpectos eſſe de veritate, qui eam impugnant. Cùm igitur Academia juravit illam ſequi, juravit ſe non exponere periculo errandi. Itaque hoc juramentum non eſt de materia indifferenti, ſed juſta, & Sancta: juſta non quomodocumque, ſed ita, ut non impediat bona majora, quin potiùs illa ſecum adferat, ut ex prædictis apertè colligitur.* Hucuſque Salmanticenſes. De approbatione iſta doctrinæ Sancti Thomæ factâ à Clemente VIII. aliqua ſunt notanda.

Primum eſt: quòd Patres illi Salmanticenſes parùm verſati fuerint in ſtylo Curiæ Romanæ: nam iſtæ non fuerunt Bullæ, ſed Brevia ſub annulo Piſcatoris exhibita: immò litteræ ſive epiſtolæ miſſivæ, ut ſtatim videbimus. Eſt enim altioris gradus Bulla, quàm Breve, tum in vi, tum in ſtylo, tum denique in modo procedendi à Summo Pontifice. Sed tranſeat hoc, quia parvi momenti eſt, & perveniamus ad ſecundum: Gloriantur Auctores

res hujus temporis, qui ſcripſerunt ut detractores doctrinæ S. Thomæ, numquàm auſos fuiſſe quidquam dicere contra hanc Bullam, utpotè recentem, & veram: quælibet enim inquiſitio veritatis apud illos eſt detractio doctrinæ Sancti Thomæ. Videamus igitur quis verè, & realiter detrahat, an qui in ea veritatem dicit, vel qui pro ea expreſſum mendacium introducit? Duæ ſunt clauſulæ præcipuæ in hac auctoritate. Prima eſt illa: *Singulari ordine, ac mirâ perſpicuitate, ſine ullo prorsùs errore conſcripſit.* Secunda eſt hæc: *Tantumq; aſſecutus fuit myſteriorum ſacrorum, quantum quiſpiam mortalium aſſequi poterat.* Si hæc ſecunda eſt falſa, & gratìs introducta, in illo reſcripto, Brevi, ſeu Bulla Clementis VIII. qui judicaverit ſic, etiam eſſe primam falſam, & gratìs introductam, non erit audax detractor. Quòd autem ſecunda ſit falſa, & ſine fundamento, & veritate introducta, conſtat ex ipſamet auctoritate ſuprà poſitâ, & adductâ à Paulo Nazario, ex quo Salmanticenſes illam tranſcripſerunt. Vel à ſuo Bzovio, aut conſtitutionibus. Conſtat etiam: quia clauſula iſta fuit extracta ex tertia parte hiſtoriæ Sancti Antonini, titulo 33. cap. 7. §. 12. & in ea Salmanticenſes tot addiderunt, & detraxerunt verba, ut abſolutè, & formalitèr ſit verum dicere: quòd tantas in ea commiſerint adulterationes, quantæ ſunt dictiones, ut ſuprà ocularitèr demonſtratum eſt Nodo VII. principali; ſed more noſtro admittimus auctoritatem Clementis VIII. ne etiam dicant nos detrahere doctrinæ Sancti Thomæ, & Decretis Summorum Pontificum.

Ut fundamentaliter, clarè, ac veraciter procedamus, neceſſarium duxi narrare hîc integram hiſtoriam de præallegatis tribus Bullis, ſeu veriùs epiſtolis expeditis à Clemente VIII. Anno igitur 1603. decreverant cives Neapolitani inter ſuos patronos adſcribere Angelicum Doctorem; ſed hoc noluerunt executioni mandari abſque conſenſu ac beneplacito Summi Pontificis, cui inter alia prædictæ civitatis deputati ſcripſerunt iſta: *Civitatem Neapolitanam jam diu Summo ſtudio concupiviſſe, atque exoptaſſe Divum Thomam de Aquino Divinæ voluntatis Angelicum interpretem, vitæ ſanctitate, miraculis, & eruditione inſignem inter urbis tutelares patronos referre: ut præter Januarium, Athanaſium, Aſpernum, Agrippinum, Severum, Euſebium, & Anellum, Sancti quoque Thomæ adjunctis precibus, præpotens & miſericors Deus mala omnia avertat, bonaque plenâ manu largiatur. Hujus autem optandi patrocinij, præter cauſas, quæ cum alijs poſſunt eſſe communes, illæ etiam acceſſerunt quòd ex hac ipſa urbe à nobiliſſima Aquinorum familia originem trahat; quòd hîc primùm diſciplinis eruditus; quòd bonæ vitæ partem in hac urbe, & ſacra æde traduxerit; quo tempore cives omnes ſingulari ſtudio amplexus eſt, eoſq; publicè Sacras litteras docuit; quòd hîc etiam Divinum illud oraculum: Benè ſcripſiſti de me Thoma audire*

dire meruerit. Quamobrem re communicatâ, &c. Huic pio deſiderio favendo reſcripſit Summus Pontifex quamdam epiſtolam ad eoſdem Deputatos, quæ incipit. *In quo nos paſtoralis officij,&c.* In qua inter alia ſic dicit. *Proindè pie, prudenterq; cogitatis de novo civitati patrono adſciſcendo, cive veſtro, Divinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ ſanctitate, & miraculis claro Thomâ Aquinate, cujus doctrinæ tantum fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ, Divinum etiam illud habeat teſtimonium: Benè de me Thoma ſcripſiſti. Tali vos tantoq; deprecatore, quia jure arbitramini Divinos theſauros faciliùs vobis poſſe patère, ſuppliciterq; ac demiſſè rogatis, ut reliquos patronos iſtius civitatis is quoque adjungatur, &c.*

Hâc habitâ permiſſione à Summo Pontifice admiſerunt Neapolitani SanctumThomam in patronum tutelarem inter alios ſuprà relatos, & petierunt ab eodem Clemente confirmationem ſuæ electionis ac determinationis: quod Summus Pontifex ratificavit & approbavit in alio Brevi, quod Pater Abrahamus Bzovius vocat epiſtolam dicens: *Alia Clementis Papæ epiſtola ad eoſdem Neapolitanos*, cujus titulus extra eſt: *Dilectis Filijs nobilibus viris civitatis Neapolitanæ deputatis.* Intus verò incipit: *Sicut Angeli in miniſterium miſſi, &c.* Et infrà in narrativa habet hanc clauſulam. *Cùm igitur in iſto nobili Regno plurimi Sanctitate, miraculis, & doctrinâ inſignes viri claruerint, qui univerſam Eccleſiam Dei ſuarum virtutum ſplendore illuſtrarunt; inter hos autem Sancti illi Aſprenus, Januarius, Agrippus, Severus, Athanaſius alijq; complures, tùm Epiſcopi, tùm Abbates præcipuè floruerint, quos merito hæc veſtra civitas certos ſibi patronos adoptavit. Cùmq; ſuperiorum temporum memoriâ Sanctus Thomas Ordinis Prædicatorum Doctor Angelicus ex antiqua & nobili Comitum de Aquino familia oriundus; ſimiliter in eodem Regno tùm Sanctitatis ac miraculorum gratiâ, tùm doctrinæ laude clarus extiterit; laudabili concilio cadens civitas illum certis patronis ſuis adjungendum ſtatuit. Hic ſiquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis jure optimo debetur. Ac doctrinæ quidem teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere ſingulari ordine ac mirâ perſpicuitate, ſine ullo prorſùs errore conſcripſit: in quibus conſcribendis interdum Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locoſq; illi quoſdam Dei juſſu enarrantes habuit; & quos deinde conſcriptos, expreſſâ Chriſti Domini voce comprobatos audivit. Cùm autem, &c.* Et poſt totam narrativam concludit Summus Pontifex. *Quâ quidem in re nos pietatem & conſilium veſtrum plurimùm in Domino commendantes, electionem à vobis factam auctoritate Apoſtolicâ tenôre præſentium approbamus, illiq; noſtræ & Apoſtolicæ confirmationis robur adjicimus: & ut impoſterum idem Sanctus Thomas, inter civitatis veſtros patronos connumeretur, utq; etiam ab univerſo clero ſæculari & regulari utriuſque ſexûs cujuſvis Ordinis ejuſdem civitatis officium de ipſo Sancto Thoma tamquàm de patrono publi-*

publicè & privatim recitari debeat, perpetuò ſtatuimus, ac præcipimus, & mandamus, &c.

Præter iſtas duas ſcripſit aliam epiſtolam ad Proregem Neapolitanum, qui tunc erat illuſtriſſimus ac excellentiſſimus D. D. Joannes Pimentel de Herrera, de qua dicit ipſemet Pater Bzovius: *Alia ejuſdem epiſtola ad Proregem Neapolitanum*, & incipit. *Quantum prodeſſe poſſint, &c.* cujus clauſula principalis eſt hæc. *Quo factum eſt, ut multorum ſopita penè pietas te procurante excitetur, atque in oculis omnium, immò in Dei conſpectu appareat altior à terra atque eximior. Et nos ſolemus, ut decet, ſemper favère ſupplicationibus; ſed huic certè ardentiori quâdam voluntate annuimus, quod & nos ipſi Angelico huic Doctori, & noſtro, & totius Chriſtianæ Eccleſiæ nomine plurimum debemus, & tua in eum extat pietas ſingularis. Hoc igitur patrono unà cum aliis utatur civitas, &c.* His igitur ſecundùm veritatem conſtitutis, ſuppoſito quòd nihil aliud ſit in illis tribus Bullis aut litteris epiſtolaribus, reflectendum eſt ad illa Salmanticenſium verba. *Obſervetur diligenter nullum ex his, qui hoc tempore contra D. Thomam ſcripſerunt, ut ejus doctrinæ detraherent, auſum fuiſſe quidquam dicere contra hanc Bullam, vel ejus aliquam mentionem feciſſe. Non enim illam utpotè recentem, ac veram negare valebant.* Cùm ergò ipſi nos moneant ut iſta obſervemus diligenter, diligentiſſimè obſervanda & perpendenda ſunt; quod facimus ſequentibus notatiunculis.

Prima ſit, quòd nullus Catholicus impugnet doctrinam Sancti Thomæ ut ipſi detrahat. Doctrinam Sancti Thomæ omnes venerantur tamquàm veram, Catholicam, ſanam, Sanctam, & utilem; & hîc annecte omnia alia epitheta quæ de quolibet Eccleſiæ Doctore dicta ſunt, vel dici poſſunt. Hoc dico, hoc clamo ubique, & millies repeto, & hîc iterum millies proteſtor quòd nullus detrahat, nec inſurgat adversùs doctrinam, quæ ab Angelico calamo fuit ſcripta; ſed omnes inſurgunt meritò indignantes, & uſque ad finem mundi non ceſſabunt impetere, non D. Thomam ejuſve doctrinam (Angelica eſt, Angelicam profiteor) ſed Divi Thomæ diſcipulos, qui tot tantaque intruſerunt, ac invexerunt in doctrinam Sanctam & Angelicam, & in ea tot tantaque finxerunt. Eſtne hæc doctrina Angelici Doctoris, quòd fuerit approbata à Stephano Epiſcopo Pariſienſi, & ibi vocatus ſit fons Doctorum? Scripſitne Sanctus Thomas ſuam doctrinam fuiſſe approbatam ab Urbano Papa, ita ut excluſerit à ſcholis omnes alias doctrinas Doctorum? Quâ quæſo parte, quâ diſputatione, quâ quæſtione, quo articulo, quo loco? Habetne Sanctus Thomas, quòd ſua doctrina, exceptâ Canonicâ, præcedat omnes alias, & quòd ſit ſuſpectus de Fide, hæreſi, aut veritate, qui ipſam non ſequitur vel tenet? Et ſic annecte omnia, quæ dicuntur in hoc parvulo Libello. Si iſta non ſint ver-

Digitized by Google

ba Sancti Thomæ, nec reperiuntur in doctrina ejus, ſed fuerunt intruſa falsò, & fictè ab aliquibus: quare, quomodò, vel undè eſt detrahere doctrinæ Sancti Thomæ iſta inquirere an ſint vera, vel detegere eſſe falſa? Quod diſcipuli addiderunt ut ſuppoſititium ad veram Magiſtri doctrinam, hoc ipſum conantur evellere zelatores doctrinæ ac veritatis; & nihil ampliùs.

Secunda: Quis detrahit doctrinæ Sancti Thomæ? An Salmanticenſes dicendo, quòd in Bulla Clementis VIII. contineantur hæc verba: *Tantumq; aſſecutus fuit myſteriorum Sacrorum, quantum quiſpiam mortalium aſſequi poterat*: an verò qui dicit & affirmat talia verba eſſe ficta & ſuppoſita; quia in nullo reſcripto Clementis VIII. reperiuntur? Quis detrahit doctrinæ Sancti Thomæ, an Pater d'Aubermont affirmando Clementem VIII. dixiſſe de ipſa, *certiſſima Chriſtianæ doctrinæ eſt regula*, an qui oſtendit ex ipſis poſitivis originalibus hæc fuiſſe abſque ulla veritate dicta? Cùm ergò iſta & alia ſuprà relata, & infrà referenda non contineantur in ſcriptis ſeu doctrina Sancti Thomæ, non eſt ei, ejuſve doctrinæ detrahere; ſed ipſum, & ipſam, ac totam ſuam Religionem honorare.

Tertia: Non ſolùm qui iſto tempore ſcripſerunt, ſed ex quo cœperunt genera iſta approbationum divulgari à diſcipulis Angelici Doctoris, exorta eſt etiam oppoſitio univerſalis. Contra Monteſoni excogitata ſurrexit Univerſitas Pariſienſis. Contra allegata à Patre Dodi, & Patre Damiano, ſcripſit Samuel de Caſſinis. Contra promulgata à Patre Frikenhauſen ſe oppoſuit Sebaſtianus Brant Juris-conſultus. Et ſic diſcurre per omnia ſæcula; omnes qui ſcripſerunt pro Immaculata Conceptione, ſe oppoſuerunt aperto marte iſtis fallacibus nugis: quorum ſcripta ferè omnia habemus, & in nullo legi quòd oppugnent vera, ſed tantùm falſis ſe opponant. Verum eſt quòd S. Thomas ſit Divinæ voluntatis interpres, ſicut ſunt omnes Doctores Sancti ac Catholici, S. Auguſtinus, Sanctus Bernardus, Sanctus Bonaventura, Albertus Magnus, Alexander de Ales, Scotus, & Durandus, &c. Sed falſum, & ab ejus diſcipulis confictum, quòd in Eccleſia Dei non ſit alius Divinæ voluntatis interpres. Verum eſt quòd Sanctus Thomas ſcripſerit ſine ullo prorsùs errore, ſed falſiſſimum, quod aſſeveratur à ſuis diſcipulis, omnes alios Eccleſiæ Doctores erraſſe. Verum eſt, quòd Chriſtus Dominus dixerit ei: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; ſed falſum, & ab omni ſpecie veritatis alienum, quòd ter vel quinquies hoc dixerit Chriſtus. Cùm ergò iſta non contineantur in doctrina Sancti Thomæ, ſed ab ipſorum diſcipulis fuerint excogitata, non eſt detrahere doctrinæ illa rejicere, quin potiùs purificare doctrinam, ac corrigere errores circa ipſam commiſſos. Quòd

Sum-

Digitized by Google

Summus Pontifex approbaverit patronatum Sancti Thomæ in civitate Neapolitana, eſt veritas irrefragabilis, quia ſic continetur in deciſione Pontificia; ſed affirmare, quòd ſicut patronatum ita approbaverit ac confirmaverit omnia alia, quæ continentur in tribus epiſtolis, ut dicunt ejus diſcipuli, exiſtimo eſſe ab omni veritate alienum.

Reſtat nunc ſolùm examinare, in quo ſenſu dixerit Summus Pontifex: Sanctum Thomam ſcripſiſſe ſuam doctrinam, *ſine ullo prorsùs errore*. Et in primis non loquitur de erroribus materialibus, nec de ipſis poteſt intelligi, quòd opera Sancti Thomæ fuerint ſcripta *ſine ullo prorsùs errore*: nam hoc omnes ſcriptores Ordinis Prædicatorum unanimitèr etiam negant, ut ſtatim videbimus, affirmantes: quòd opera Sancti Thomæ à ſui principio ſcaterent erroribus. Hoc etiam evidentèr probatur ex ipſis originalibus Sancti Thomæ: nam originalia manu-ſcripta (quorum non paucum numerum vidimus) in infinitis locis diſcrepant ab excuſis, & impreſſa antiqua à modernis, non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter. Hoc patet clarè ex eo, quia ipſimet correctores Romani affirmant, quòd expunxerint plures ſententias juxtà ſanctiones ſuas, quorum auctoritatem dedimus ſuprà Nodo VII. & ſic vel manu-ſcripta antiqua, vel impreſſa moderna non fuerunt, nec ſunt *ſine ullo prorsùs errore*. Secundò: Non poſſunt intelligi verba Summi Pontificis de erroribus: quia opera Sancti Thomæ, in quibus adducuntur auctoritates Scripturæ, Conciliorum, atque Sanctorum Patrum, ſunt plena erroribus: verbi gratia: Opuſculum illud contrà errores Græcorum, quod quidem dogmaticum eſt pertinens ad Fidei integritatem, ita deviat à veritate in auctoritatibus ibi adductis, ut in generali omnes ſint vitiatæ, & in particulari aliquæ totalitèr ſuppoſitæ, quia non reperiuntur in locis citatis: & ut plurimùm diſcrepant in eſſentialibus & præcipuis à proprijs originalibus, de quo apud Dominum Joannem de Launnoy Doctorem Pariſienſem vidi opuſculum manu-ſcriptum, in quo ſingulas auctoritates in individuo, & verbatim confert cum architypis, deducendo pro concluſione evidenti, & demonſtrativa, in prædicto opuſculo contra errores Græcorum nullam auctoritatem, immò nullum verbum eſſentiale fuiſſe fideliter tranſcriptum ab originalibus Sanctorum Patrum. Sed iſta pauca, & parva quidem ſunt reſpectu illorum, quæ inveniuntur vitiata in Catena aurea, in qua nulla eſt auctoritas Sancti vel non Sancti, quæ non unum, vel duos, ſed plures habeat errores. Hujus rei teſtis eſt Pater Joannes Nicolai Ordinis Prædicatorum in ultima ſua impreſſione Catenæ aureæ factâ Pariſijs anno 1657. Undè firmiſſimè colligo, ut alibi Deo dante dicetur, prædicta duo opuſcula, &

Digitized by Google

alia hujuſmodi non eſſe Sancti Thomæ. Indubitata verò eſt Summa contra Gentes, Summa Theologiæ, Commentaria in quatuor libros ſententiarum, &c. ubi etiam adducuntur auctoritates Sanctorum (nam in alijs, quando Sanctus Thomas loquitur ex proprijs, non poteſt aſſignari, qualis fuerit mens Sancti Thomæ) cum multis vitijs, & variationibus, & hoc poſt tot correctiones, & caſtigationes factas, ut ſtatim dicemus. Qui autem voluerit videre, in quantis differant antiquæ impreſſiones ab originalibus manu-ſcriptis, & editiones noviſſimæ à manu-ſcriptis & antiquis, conſulat RADIOS SOLIS VERITATIS illuſtrantibus ejuſmodi & ſimilia.

Sed, ne videamur loqui in hac materia ex proprijs, diſcurramus per aliquas impreſſiones operum Sancti Thomæ factas ab ipſiſmet Fratribus Ordinis Prædicatorum, (& hîc nec verbum dicam de erroribus materialibus, ac formalibus inventis, & viſis à nobis in manu-ſcriptis, quia hic eſſet labor ſine fine.) In impreſſione Baſileënſi anno 1495. in folio ſic dicitur: *Feliciter incipiunt commentaria clariſſimi Doctoris Angelici, ac Communis Sancti Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum ſuper epiſtolas Sanctiſſimi gentium Doctoris Pauli Apoſtoli, correcta, emendataq́; Summâ cum diligentiâ, ac ingenti ſolicitudine per me Fratrem Petrum de Bergamo Ordinis Prædicatorum, &c.* Hîc, ut vides, jam fuerunt correctiones, & emendationes. In impreſſione factâ apud viduam Nicolai Prævoſt anno 1532. dicitur: *A mendis non paucis expurgata ex variarum editionum codicum collatione, &c.* Pater Remigius Florentinus in ſua impreſſione earumdem epiſtolarum Sancti Pauli, inquit: *Cùm fortè D. Aquinatis in D. Pauli epiſtolas explanationem codice impreſſam perlegerem, uſque adeò mendoſam, deformem, ac vitiatam inveni, ut ejus miſeratus infelicem caſum, Bibliothecas luſtrare cœperim, &c. & licet ſummo labore multiſq́; vigilijs hoc opus perfecerim, non tamen ita ſum deterritus à labore; quin in reliqua Divi Thomæ opera, tùm naturalia, tùm Divina, calamum quàm diligentiſſimè exercuerim; immò infracto animo, & toto niſu hanc mihi aſſumpſi provinciam, ut quidquid eſt Divo Thomæ, vel ipſi adſcriptum, feliciter, integrè, ac purè demum legatur, &c.* Nota etiam hæc ultima verba; *vel ipſi adſcriptum.* Nullus enim negare poteſt, multa fuiſſe opera adſcripta Sancto Thomæ, quæ in rei veritate ipſius non ſunt. Et in impreſſione poſteà facta anno 1612. earumdem epiſtolarum dicitur: *Editio nova quam-plurimis, quibus ſcatebat, mendis correcta, cum exemplari Romano, &c.* Et in impreſſione earumdem epiſtolarum factâ Pariſijs per Franciſcum Rengnault, anno 1529. recognita per P. F. Antonium Lucinum Venetum, dicitur: *Commentaria in epiſtolas Divi Pauli accuratiſſimè recognita, & à mendis omnibus expurgata:* & ſtatim adjungit diſthicum iſtud: *Sordebant varijs hæc commen-*

mentaria mendis. Quæ nunc laudato pumice terſa vides. Et in alia impreſſione ſic dicitur: *Expliciunt præclariſſima Divi Thomæ Aquinatis in omnes Divinas Apoſtoli & Doctoris gentium epiſtolas, multis laboribus ex pluribus Græcis Latiniſq; codicibus omnibus, quantum ars & eruditio anniti potuit, erroribus imprimentium atque ſcriptorum purgatas ac emendatas. Cum ipſis itidem commentarijs frequentiſſimis mendis, quibus præclarum opus reddebatur obſcurum, excerptis quoque legentibus clarior ſententiarum veritas habeatur. Per venerand. P. F. Vincentium Giacharum Lugien. ex Ordine & officio Prædicatorio bonarum litterarum cultorem.* Per Octavianum Scotum Venetijs 1541.

In impreſſione facta anno 1514. ſic dicitur: *Tertia pars Summæ clariſſimi Doctoris Sancti Thomæ cum additionibus, &c. noviter per R. P. Fr. Petrum de Novimagio, & Fratrem Vincentum de Haerlem, &c. ſcorijs, quibus præcipuè additiones erant ſuffulſæ, avulſis*. Hîc etiam erant additiones, & ſcoriæ in tertia parte Sancti Thomæ. In impreſſione factâ Venetijs 1522. ſic dicitur: *Poſt noviſſimam excuſionem, in qua plurimis in locis lineæ plenæ, nedum ſententiæ integræ deerant, antiquis codicibus collatis, priſtinæ integritati à benè docto Theologo pleniſſimè reſtituta*. Et ad finem dicitur: *Cunctiſq; erroribus expurgata, additis innumeris, quæ in integrum deficiebant ſententijs*. Pater Auguſtinus Natalis Raguſinus ex mandato Thomæ de vio Cajetani, multa correxit, ac emendavit in Summa Theologiæ, ut ipſe dicit in epiſtola ad Marcum Gradonicum, ut videre eſt in impreſſ. facta Hagenaw per Joannem Rnobloc 1512. in folio ubi etiam ſunt additiones ad 3. partem. In impreſſione facta etiam Venetijs anno 1531. ſic dicitur: *Poſt noviſſimam impreſſionem, in qua infinitis in locis, non tantùm integræ ſententiæ, verùm etiam lineæ plenæ deficiebant: collatis multis fidelibus exemplaribus à doctiſſimo Theologo ad amuſſim recognita, cunctiſq; mendis, quibus undique ſcatebat, expurgata, reſtitutis locis, commentationibus, quæ Impreſſorum injuriâ tranſpoſitæ habebantur, additis in margine poſtillis ſubtiliſſimis, &c.* Obſerva quot errores proponat ille doctiſſimus Theologus in operibus Sancti Thomæ; & idem dicitur in impreſſione tertiæ partis factâ Romæ anno 1534. Item in impreſſione Venetiana expenſis Lucentonij Juntæ anno 1537. *Diligentiſſimè recognita, cunctiſq; erroribus expurgata, additis innumeris, quæ in integrum deficiebant ſententijs, &c. quam-plurimis in locis lineæ plenæ, ne dum ſententiæ integræ deerant*. Item in impreſſione Lugdunenſi anno 1540. ſic dicitur: *Commentationibus adornata poſt noviſſimam editionem, in qua quam-plurimis in locis lineæ plenæ, ne dum ſententiæ integræ deerant*. Et ad finem: *Multiſq; ſedulò collatis antiquis exemplaribus digniſſimè recognita, cunctiſq; errroribus expurgata, additis innumeris, quæ in integrum deficiebant, ſententijs*. In impreſſione facta Romę anno 1567. quando juſſu Summi Pontificis Pij V. fuerunt omnia

Digitized by Google

opera Sancti Thomæ correcta & emendata, multi fuerunt inventi errores, ita ut ferè totam inverterent impreſſionem propter continuas additiones & ademptiones ad libitum. In impreſſione Pariſienſi edita noviſſimè anno 1639. ſic dicitur: *Poſt Lovanienſium, atque Duacenſium Theologorum inſignem operam, novis adhuc mendis caſtigata, vitiatis Sanctorum Patrum citationibus repurgata, integrioribus ejuſdem citationibus ſuperadditis, ita ut ſuum primævum nitorem vel nunc habeat, vel ad eum proximè accedat.* Quis ergò hæc videns, & legens in ipſis Auctoribus Ordinis Prædicatorum, audebit dicere, quòd in operibus Sancti Thomæ *nullus fuit prorsùs error*? Sed progrediamur ultrà.

Pater Petrus Pellican in impreſſione opuſculorum factâ Pariſijs anno 1656. ſic inquit: *Omnia magno ſtudio, & impenſo labore ab innumeris, à quibus à ducentis annis ſcatent, mendis repurgata, à mille erroribus, & falſitatibus caſtigata, à pluribus barbaris dictionibus Græcis ac Latinis vendicata, in multis ſententijs, immò & paginis mutilata, in integrum, quoad fieri potuit, reſtituta.* Ante editionem iſtam per quinquaginta annos vixerat Clemens VIII. Tandem Reverendus Pater Joannes Nicolai in ultima impreſſione factâ Pariſijs anno 1660. in viginti tribus tomis ſæpiſſimè repetit omnia & ſingula opera eſſe plena erroribus: nam de Catena aurea inquit: *Ab innumeris mendis aliarum editionum expurgatam, &c.* Et de commentarijs ſuper ſententias: *Ab innumeris mendis expurgata, &c.* Et de reſcripto ad Hannibaldum: *Emendatum & expurgatum, &c.* In impreſſione ſuper librum Job, factâ anno 1557. Pariſijs in 8. dicitur: *Divi Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici Prædicatorij inſtituti, in Sanctum Prophetam Job longè difficillimum, hiſtoria dilucidaq; explanatio ab innumeris, quibus ſcatebat, mendis repurgata, &c.* In opuſculis Sancti Thomæ impreſſ. Lovanij 1561. in 8. duobus tomis dicitur: *Quæ ita magno ſtudio ab innumeris vitiis ſunt caſtigata, atque ita feliciter ſuæ priſtinæ integritati reſtituta, ut nunc primùm ab Auctoris ſui manu in lucem emitti videantur, &c.*

Pater Bartholomæus de Spina anno 1521. Venetijs apud Octavianum Scotum primò in lucem emiſit quatuor expoſitiones, de quibus ipſe dixit in epiſtola ad D. D. Dominicum Grymanum S. R. E. Cardinalem: *Nam cùm infinitis penè vigilijs, & non ſine numinis ope commentarios D. Thomæ in Matthæum, in Iſaiam, Hieremiæ Threnos emendaſſem, vel, ut rectiùs dixerim, laceros, & mutilos injuriâ temporum in ſua membra pro viribus redegiſſem, &c.* P. Marcus Antonius Lucianus edidit Pariſius anno 1520. apud Joannem de la Porta commentarium D. Thomæ in Joannem, de quo dicit in præfatione ad Laurentium Aurium: *Opus ſanè Divinum apud paucos eſſe conſiderarem; nondum enim Impreſſoribus tradita raris admodum ſtrabat codicibus, & illis quidem men-*

Digitized by Google

mendoſis ſatis : pretioſum theſaurum in tenebris, lucidamq́; gemmam in cœno diutiùs latêre prohibui, dediq́; operam impedimentis, ut quam-plurimis uſui, atque emolumento foret, librum namq́; illum erroribus purgavi, atque emendavi diligentiſſimè, ſuperflua reſecavi, & quæ in multis codicibus deficiebant addidi, &c. In libello contra Gentiles Sancti Thomæ, impreſſ. Agrippinæ apud Henricum Quentel anno 1500. dicitur: *Summa contra Gentiles, quàm aptiſſimè malleus hæreticorum nuncupata Diviniſſimi, ac Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis jam dudum per injuriam Calcographi in pleriſq́; paſſibus inemendata, ac perperam characterizata, nunc verò per venerandum, & eximium Sacratiſſimæ Theologiæ interpretem profundiſſimum Theodoricum de Silveſtren, inſignis Conventus Colonienſis Ordinis Prædicatorum multis jam annis Regentem, &c. non ſine multa lucubratione reſtituta, expolita pariter, & caſtigata.* Et in editione ejuſdem libri contra Gentes, facta etiam Coloniæ 1509. dicitur: *Fontali ſuæ, & germanæ veritati, non ſine multa lucubratione, expolita pariter & reſtituta, &c.* Et ad finem libri ſic dicit: *Denuò pervigili ſtudio in luculentam erecta conſonantiam adeò herclè, ut verè vero veritatis titulo gaudeat.* In Poſtilla aurea, ſeu expoſitione in Geneſim, impreſ. Antverpiæ apud viduam Joannis Stelſij anno 1573. in 8. ſic inquit Antonius Senenſis in dedicatoria: *Propter hanc cauſam, præclariſſime Princeps, lubentiſſimè totum hoc ſeptem annorum ſpatium, & ampliùs apud Lovanium manens in ipſius D. Thomæ operibus variis expurgandis inſumpſi, & illuſtrandis, &c. Incidi in hæc commentaria Divi Thomæ in Geneſeos vetuſta admodùm, & pleriſque in locis adeò incorrecta, & etiam mutila, ut nullus poſſit ſenſus haberi, &c.* In impreſſione Atrebatenſi Summæ, anni 1610. dicitur: *Opus hoc ab infinitis propemodùm mendis, quæ ſucceſſu temporis in ipſum textum irrepſerant, quibuſq́; depravatus anteà ſcatebat, & non ſine magna obſcuritate pleriſque in locis legebatur, tandem in magnum omnium uſum repurgatum eſt.* In impreſ. Antverpienſi ejuſdem Summæ Theologiæ, factâ à Fratre Antonio Senenſi, de Conceptione anteà dicto, anno 1569. in præfatione ad Lectorem, inquit: *Sed in his quoque tribus partibus plurimas ſupplevi, plurimas quoque mendoſiſſimas correxi, & repurgavi, & tertiam partem totam meo labore decoravi, in eam nullas tales citationes nactus. Quanti autem laboris, & quàm immenſi meum hoc fuerit opus, in quo hoc triennium conſumpſi, & adhuc, quod agam, supereſt, &c.* Auguſtinus Hunnæus in eiſdem partibus à ſe correctis, inquit: *Iſtud tibi, benevole Lector, quod veriſſimum eſt, perſuadeas velim, nullam à me in hoc Sancti Thomæ opere caſtigando, niſi ſuffragantibus aliquot exemplaribus manu-ſcriptis, & ſimul ipsâ lectionis veritate noſtro iudicio poſtulante, mutationem eſſe factam. Noſtram enim nudam conjecturam, aut ſuſpicionem nullâ exemplarium auctoritate fultam (quod plerique facere ſolent) nuſquam ſumus ſecuti, &c.* Et in prologo ad Lectorem in-

inquit Chriſtophorus Plantinus: *Lociſq; tam Sacræ Scripturæ, quàm aliorum Doctorum, quæ Beatus Thomas citat, fideliter indicatis illuſtratam, & quàm accuratiſſimè ex manuſcriptis, iiſq; antiquiſſimis exemplaribus quorumdam Lovanienſium Theologorum, præcipuè verò eximij Theologiæ Doctoris atque ordinarij, & Regij profeſſoris Divi Auguſtini Hunnæi operâ ab infinitis, quibus anteà ſcatebat, mendis repurgatam tibi daremus, &c.* In 1. 2. impreſſ. anno 1541. dicitur: *A. R. D. D. Thomæ à Vio tituli Sancti Sixti Presbyteri Cardinalis Cajetani commentationibus illuſtrata, multiſq; pariter magno ſtudio collatis exemplaribus ab innumeris, quibus anteà ſcatebat, mendis vendicata, &c.* Vide ſi deſunt errores.

De Catena aurea, ſive continuo, in impreſſione factâ anno 1571. ſic dicitur: *Nunc recens prodijt hæc Catena ab innumeris mendis repurgata, ſuoq; nitori priſtino maximâ ſaltem ex parte reſtituta per Antonium Senen. ex officina Chriſtophori Plantini.* Et in altera impreſſa ſub hoc titulo: *Beati Thomæ Aquinatis continua expoſitio in quatuor Evangeliſtas, quæ Catena aurea dicitur, nuper à multis mendis vendicata felici auſpicio finem ſumpſit in alma Pariſiorum Academia, &c.* Apud Joannem Petit 1528. Noviſsimè Pater Joannes Nicolai an. 1658. eamdem Catenam correxit quoad aliqua, & adhuc quoad totam ſcatet erroribus. Ut alibi latiùs diximus.

His tamen, & alijs prætermiſsis circa opera Sancti Thomæ, deducitur, quòd verba illa Summi Pontificis Clementis VIII. *Sine ullo prorsùs errore*, intelligenda ſint de errore in Fide: quod quidem libentiſsimè concedimus, & ut venerandum oraculum Pontificium recipimus: quia in operibus proprijs ſcriptis à Sancto Thoma, vel in non proprijs, ſed adſcriptis, nullus extat hujuſmodi error in Fide: probabiliter enim ſemper loquitur, ut alij Doctores Catholici. Sed ut non dicant etiam hoc eſſe detrahere doctrinæ Sancti Thomæ, aut verbis Summi Pontificis, ſubmiſſo corde & animo, atque cum omni veneratione recipimus verba Sedis Apoſtolicæ: *Sine ullo prorsùs errore*, ſecundùm ſuam univerſalem latitudinem ut ſonant, & ut prætendunt, & explicant omnes ſcriptores Ord. Prædicatorum iſtam auctoritatem, eam pro approbatione univerſali doctrinæ Angelicæ adducentes, videlicet, ut nullus prorsùs error maximus, vel minimus, formalis, aut materialis, in toto, aut in parte, in littera, aut ſenſu, in auctoritatibus, vel ſententijs, ac denique verbis, vel ſyllabis in omnibus, & ſingulis operibus Sancti Thomæ reperiatur: recipio, inquam, verba iſta in illo altiſsimo gradu, in quo proponuntur à Patre Galvan, dicente tomo 2. fol. 440. *Divus Thomas ſignaculum ſimilitudinis, nempè à Deo artifice ſummè perfectum, omnibus numeris abſolutum exemplar in Eccleſia, ut tamquam vitæ, ac ſapientiæ regula ſive Canon à fidelibus omnibus habeatur, &c.* Sit ſignaculum ſimilitudinis, à Deo artifice ſummè perfectum, exem-

Digitized by Google

exemplar unicum,& ſingulare in Eccleſia,non ſolùm ſapientiæ,ſed etiam vitæ regula, & Canon à Sacroſancta Oecumenica Synodo in Spiritu Sancto legitimè congregata ſtatutus, cui omnes fideles nullo dempto debent ſub anathematis pœna, & æternæ maledictionis condemnatione obedire. Et dicant,ſi deſiderant aliquid ampliùs,nam totum concedam. Tom. 1. l.2.c.2. fol.489. ubi ex profeſſo agit de hoc elogio num. 9. inquit: *Quòd verò ad alia ejuſdem Pontificis verba, quæ ſequuntur,nempè: Sine ullo prorsùs errore, attinet,quid jam vos,qui errorem aliquando Sanctum Doctorem aſſeruiſſe olim dicebatis? Quid vos,qui horum veſtigijs adhæretis ad verba hæc Pontificis reſpondebitis? Erravitne aliquando Divus Thomas? Ego quidem numquam erraſſe ſemper credidi, nunc autem & credo, & confiteor, atque aſſero. Sine ullo enim prorsùs errore, ſicut ait Pontifex, ſcripſit.* Interrogationes iſtæ diriguntur ad Univerſitatem Pariſienſem. Sed certè quin adhuc hodiè reſpondeat aliter,non dubito. Libro 2. cap. 5. fol.323. col.1. inquit: *Mirum! in tot Divi Thomæ libris errorem non reperiri,&c.* Et fol.527. num.22. *Ingens prodigium, numquam in tot libris Divum Thomam fuiſſe lapſum, &c.* Ingens equidem, & mirum prodigium eſt S. Thomam ne quidem fuiſſe lapſum in ipſo ſcholę pavimento,ubi ipſa Dei Mater, & Sacratiſſima Virgo MARIA cecidit. Sed admittamus iſta, & omnia ſuperiùs dicta: quia hoc modo majorem vim noſter habebit Nodus.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

Quæ fecit Summus Pontifex Clemens VIII. pro myſterio Immaculatæ Conceptionis, ad duo capita reducemus. Primum ſit: quòd cùm Robertus Bellarminus Societatis JESU, poſteà S. R. E. Cardinalis, juſſu ejuſdem Clementis VIII.diſpoſuerit catechiſmum Fidei Chriſtianæ, ſeu explanationem doctrinæ Caholicæ,ut videre eſt tomo 7. ſuorum operum à columna 1234. capite 5. in explanatione Angelicæ ſalutationis, interrogat diſcipulus: *Quid ſignificat gratia plena?* cui reſpondet Magiſter: *Gratia Dei tres potiſſimum effectus in anima operatur. Primus eſt, quòd peccata deleat, quæ uti maculæ animam commaculant. Secundus, quòd donis, virtutibuſq́, eamdem animam exornat. Tertius, quòd robur etiam ſuppeditet, & ut operibus meritorijs inſiſtat Divinæ Majeſtati imprimis placentibus. Domina noſtra gratiâ plena*

 eſt.

eſt. Nam quantùm ad primum effectum attinet, nullius peccati maculâ, nec originalis, aut actualis, nec mortalis, aut venialis infecta fuit. Quantùm verò ad ſecundum habuit illa virtutes omnes, donaq; Spiritûs Sancti in altiſſimo gradu. Quantùm denique ad tertium, exercuit illa opera adeò Deo grata, & meritoria, ut quoad animam, ac corpus digna fuerit omnes choros Angelorum tranſcendere. Infrà verò interrogat diſcipulus: *Quid ſignificat, Dominus tecum?* Cui reſpondet Magiſter: *Hæc altera ſingularis laus eſt Beatæ Virginis, quâ ſignificatur Dominum noſtrum ab initio Conceptionis ſuæ aſſiſtendo illi, gubernando illam, inſtruendo, & defendendo perpetuò cum ea fuiſſe. Undè natum eſt, quòd numquàm peccatum, nec cogitatione, nec verbo, nec opere admiſerit. Quare Deus non ſolùm ornavit Sanctiſſimam Virginem omnibus gratijs, ſed etiam cum ea tamquàm cuſtos theſauri magni degere voluit.* Hucuſque in Catechiſmo Romano. Poſtquàm fuit reviſus, & approbatus à Congregatione Reformationis, ut ibidem dicitur: *Ut ſublatâ modorum docendi varietate, faciliusq; inſtruendi idiotas, & ſimplices, de rebus Fidei exercitium reddatur,* prædictus Clemens VIII. illum approbavit ſuo decreto, & Bullâ expeditâ die 16. Julij anni 1598. Pontificatûs ſui anno 7. quæ incipit: *Paſtoralis Romani Pontificis ſolicitudo, &c.* Ubi inter alia inquit Summus Pontifex: *Nos huic malo occurrere cupientes, novum ejuſdem doctrinæ Chriſtianæ libellum per dilectum filium Robertum Bellarminum Presbyterum Societatis* JESU, *de mandato noſtro conſcriptum, ac in duas partes diviſum à dilectis filijs Reformatoribus in Congregatione Reformationis noſtræ deputatis, diligenter examinari mandavimus; cumq; libellum hujuſmodi jam omnino abſolutum, & à prædicta Congregatione comprobatum in lucem edi, & typis tradi mandaverimus, &c.* Et infrà: *Prædictum novæ doctrinæ Chriſtianæ libellum, ut præfertur, examinatum, & approbatum auctoritate noſtrâ imprimi facere, &c.* Et concludit: *Hortamur autem in Domino venerabiles Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios, eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos univerſos ubique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, ut quantum per eos fieri poterit in docendo doctrinam Chriſtianam, in eorum quiſque Eccleſijs, Diœceſibus, & Parochijs reſpectivè libellum hujuſmodi, ut præfertur, approbatum, & juſſu noſtro editum recipiant, & adhibeant, nec non recipi, & adhiberi curent, & faciant, &c.* Nota, quàm ſtrictæ ſint clauſulæ iſtæ pro illa explanatione, ſeu Catechiſmo doctrinæ Chriſtianæ, & in ipſo contentis.

Secundùm, quod fecit Clemens VIII. pro myſterio Immaculatæ Conceptionis, fuit: quòd anno primò ſui Pontificatûs expediverit Bullam pro altari Conceptionis in Eccleſia Sanctorum Antonij, & Jacobi de Sivizzano Lunen. & incipit: *Dignum, &c.* Et alteram pro Monaſterio, & Collegio Conceptionis MARIÆ Vallis-oletan. *Æquum reputamus.* Et pro altari Conceptionis Beatæ Virginis

ginis in Cœmiterio: *Vitæ ac morum*. Et pro Monaſterio Conceptionis in via de la Stella Florentin. *Supernâ diſpoſitione*. Et pro Monaſterio Conceptionis de Alenquerque Vlyſſipon. *Rationi congruit*. Et anno ſecundo conceſſit beneficium Conceptionis in altari Eccleſiæ Piſan. *Dignum*. Et anno tertio, altare Conceptionis in Eccleſia Salvatoris terræ Choris Oſtièn. *Vitæ ac morum*. Et beneficium Conceptionis in Eccleſia Sanctæ Mariæ Magdalenæ Cæſar-auguſtan: *Dignum*. Et anno quarto, pro Recollectis Provinciæ Conceptionis in Gallia: *Decet Romanum*. Et oratorium Conceptionis in Eccleſia, & Confraternitate Roſarij Caven. *De ſalute gregis*. Et beneficium Conceptionis in Eccleſia Beatæ MARIÆ Parmen. *Vitæ ac morum*. Et pro Monaſterio Conceptionis Hiſpalen. *His, quæ pro*. Et pro Parochiali Eccleſia Conceptionis in oppido de Orellana la Viexa Placentin. *Vitæ ac morum*. Et anno quinto, pro altari Conceptionis in Eccleſia Tyburtina: *Vitæ ac morum*. Et pro Capellania Conceptionis Sancti Chimaci Anconitan. *Dignum* Et pro beneficio in Eccleſia Conceptionis loci de Paredes Toletan. *Vitæ ac morum*. Et Capellaniam Conceptionis in Eccleſia tituli Domini Mediolanen. *Dignum*. Et pro Confraternitate Conceptionis in loco de Vicciomagio Valdegrebe Feſulan. *Glorioſi Principis*. Et indulgentiam in die Conceptionis pro Eccleſia de Prezza Caſtren. *Glorioſi Principis*. Et aliam indulgentiam pro Monaſterio Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ Mexican. *Salvator noſter*: Et pro Monaſterio Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ Abulen. *Piis fidelium*. Et pro Monaſterio Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis Panormitan. *His, quæ inter*. Et anno 6. indulgentiam Conceptionis in Eccleſia Sancti Gabrielis Diſcalceatorum Pacen. *Ad augendam*. Et pro Oratorio Conceptionis in domo Sancti Leonardi Caſtrimaren. *Omnipotentis, & æterni*. Et anno ſeptimo, pro Capellania Conceptionis del Caſtillo oppidi de Villacarillo Giennen. *Dudum*. Et pro Confraternitate Eccleſiæ de Galatone Neritonen. *Omnipotentis, & æterni*. Anno 8. beneficium in Parochiali Eccleſia de Monblan Tarraconen. *Dignum*. Et pro Monaſterio Sanctæ Annæ Conceptionis Mexican. *Ex debito*. Et pro altare Conceptionis de Mondejar Toletan. *Vitæ ac morum*. Et Capellaniam Conceptionis in Eccleſia Sancti Quirici Turcien. *Dignum*. Et beneficium in Eccleſia Sancti Jacobi ſuper flumen mortuum Forolivien. *Litterarum ſcientia*. Et pro Monaſterio Conceptionis Beatæ Virginis Vallis oletan. *Supernâ diſpoſitione*. Et Confraternitatem Conceptionis in Conventu Fratrum Minorum Zelenciæ Tribertin. *Sedis Apoſtolicæ*: Et anno nono, Capellaniam Conceptionis in Eccleſia Sancti Flaviani Aquilan. *Vitæ ac morum* Et beneficium in eadem Eccleſia, & incipit:

Digitized by Google

pit: *Grata devotionis*, ubi inquit Summus Pontifex: *Capella ſub Immaculata Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis invocatione, &c.* Et anno decimo beneficium Conceptionis in Sancto Joanne del Mercato Valentin. *Dignum*, ubi Summus Pontifex dicit: *Simplex beneficium Eccleſiaſticum ad altare Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis.* Et alterum in Eccleſia Beatæ MARIÆ Alexandrin. *Dignum.* Et anno undecimo, Confraternitatem Conceptionis in oppido Cribilen. Cæſar-auguſtan: *De ſalute gregis.* Beneficium in Eccleſia Sancti Lazari Lucaralen. *Dignum.* Et alterum in Obtingent Valentin. *Dignum.* Et aliud in Eccleſia loci de Zaizoſa de la Sierra Conchen. *Vitæ ac morum.* Et alterum ibidem ejuſdem datæ, & principij. Et anno duodecimo Capellaniam Conceptionis in Eccleſia Sancti Petri de Forricella Conchen. *Vitæ ac morum.* Et pro Eccleſia Sanctæ MARIÆ extra muros Meſſanen. *Litterarum ſcientia.* Et alterum in altari Conceptionis Eccleſiæ Paduan. *Dignum.* Et in Eccleſia Montis Silvani Pennen. *Dignum.* Et in Eccleſia oppidi de la Puebla de Guadalupe: *Ineffabilia meritorum.* Et altare in Eccleſia Sancti Vincentij loci de Urſarella Albinganen. *Dignum.* Et pro Monaſterio Conceptionis Sancti Joannis de la Palma Hiſpalen. *Ex injuncto.* Et anno decimo tertio pro Parochia Conceptionis in loco de Paſqualgrande Abulen. *Dignum.* Et alterum ibidem: *Vitæ ac morum.* Denique confirmavit erectionem Confraternitatis de la Puebla de Guadallupe Toletan. *Illius, qui pro.* Iſtæ ſunt Bullæ expeditæ à Clemente VIII. pro myſterio Conceptionis; nam de Brevibus non eſt numerus, de quibus hîc nihil agimus, ſicut etiam de monetis ab iſto Maximo Pontifice cuſis cum imagine Immaculatæ Conceptionis, de quibus latè agimus in *Militia.*

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

DUo dicit Summus Pontifex, unum pro Sancto Thoma, & alterum pro ejus doctrina. Pro Angelico Doctore dicit: *Illum eſſe interpretem Divinæ voluntatis*, de quo nihil occurrit dicendum; ſiquidem omnes Doctores Catholici, Magiſtri, & Concionatores orthodoxi Divinæ voluntatis ſunt interpretes, quando docent ea, quæ ad ſalutem animæ ſpectant; immò pro hîc, & nunc, juxta ſuperiùs allegata, potiori jure Robertus Bellarminus appellandus eſſet inter-

interpres Divinæ voluntatis, quatenus doctrinam Chriſtianam (in qua continetur quid credere debeamus, & quid Divina voluntas velit, & à nobis petat) in ſuo Catechiſmo ad formam, & methodum redegit, quàm benè Sanctus Thomas; quia ipſe tantum non fecit. Quis enim in rei veritate poteſt dici interpres Divinæ voluntatis? An ille, qui edidit librum, vel libros ſcholaſticos, in quibus ſolùm continentur quæſtiones, & opiniones Metaphyſicæ, & Theologicæ, ubi omnes ſunt ſubtilitates, parùm vel nihil conducentes ad noſtram beatitudinem: an qui ea docet, quæ credenda ſunt, & obſervanda præcepta Divina, & oſtendit viam rectam, veritatem Fidei ad vitam æternam conſequendam? Sed concedamus, quòd Sanctus Thomas propter alias rationes ſit vocandus antonomaſticè inter omnes alios ſcholaſticos, Angelicus interpres Divinæ voluntatis, ut Angelus Domini ad hoc miſſus à Deo, vel ut alter Gabriël, ut diceret illud: *Ave gratiâ plenâ. Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus*; & quòd in hac doctrinali legatione, ſeu interpretatione, nullus umquam fuerit error, &c. Sed cùm Virgo Maria Dei Mater dicatur etiam interpretatrix Divinæ voluntatis cum omnibus alijs, quæ habent Patres Paulus de Barry, & Martinus Sibenius in ſua Magnificentia Dei ergà Matrem ſuam; ergò nullus in ea fuit etiam prorsùs error. Sed admiſſo, quòd non fuerit interpres Divinæ voluntatis, quia non ſcripſit, & docuit explicitè, quæ Sanctus Thomas, & quòd hæc excellentia competat tantùm Angelico Doctori: non tamen poteſt negari fuiſſe interpretem Divini intellectus, quia excellentiori modo incomparabiliter, quàm Sanctus Thomas Divinam voluntatem, interpretata eſt Divinum intellectum, manifeſtando Mundo omnem fœcunditatem illius ad intrà, ſcilicet, Verbum immenſum æternaliter genitum ab intellectu Patris, propter quod, & à quo, & de quo Sanctus Thomas benè ſcripſit. Ergò ex hac parte debuit eſſe ſine ullo prorsùs errore, quia aliàs Nodus eſſet indiſſolubilis affirmando: quòd Sanctus Thomas, eò quòd fuerit interpres Divinæ voluntatis, ſcripſerit ſine ullo prorsùs errore, & Maria interpretatrix Divini intellectus non fuerit expers ab omni prorsùs errore, dum tamen Sanctus Thomas ſolùm interpretatus eſt calamo, & Beata Virgo proprio ſanguine: Sanctus Thomas Doctor electus per Breve, & Beata Virgo Doctrix per electionem totius Sanctiſſimæ Trinitatis. Et hæc de Nodo myſticè dicta ſufficiant.

Nodus secundus.

Quia Clemens VIII. Summus Pontifex in quodam reſcripto ad cives Neapolitanos (cujus proprius ſcopus non erat agere de doctrina, ſed de receptione Angelici Doctoris in Patronum, & protectorem illius civitatis)

dixit incidentèr: *Nullum prorsùs fuiſſe errorem in ipſius ſcriptis*; remanſerunt hæc approbata, & confirmata auctoritate Apoſtolicâ; & quia idem Summus Pontifex locutus eſt de eodem Conceptionis myſterio in quinquaginta duabus Bullis, & non quomodocumque, ſed termino proteſtativo, ſcilicet, Conceptionis (quia, ut dicunt ipſimet ſcriptores Ordinis Prædicatorum, quorum auctoritates dedimus in primo Nodo principali, tunc idem erat dicere Conceptio, quod Conceptio Immaculata) immò etiam vocaverit expreſſis verbis Conceptionem Immaculatam, hæc Summi Pontificis verba nihil dicunt, probant, vel augent myſterium. Quòd unico ſolo verbo Clementis, & unâ tantùm guttâ ſuæ Clementiæ manſerit doctrina Sancti Thomæ ut vera, prima, certa, Catholica, ſolida, & clara, approbata à Sede Apoſtolica, ita ut plùs auctoritatis habeat hoc ſolùm Clementis teſtimonium, quàm omnes diſcurſus, qui in contrarium poſſunt coàcervari: & poſt tot ejuſdem Summi Pontificis reſcripta, & relatum Mare Magnum Bullarum pro ſententia immunitatis Virginis Mariæ, quilibet parvus diſcurſus cujuſdam Patris Turci, ſcilicet, quòd ibi locutus ſit incidentèr, & non decidendo proviſionaliter, & narrative, non aſſertivè, voluerit diluere omnia hujus Summi Pontificis teſtimonia, non ita inter ſe componibilia ſunt. Loquendo de patronatu Sancti Thomæ ad civitatem Neapolitanam dicere unicum verbum de ejus egregia doctrina incidenter in quodam Brevi, ſeu epiſtola conſulendo, laudando, aut exhortando ad patronatum, fuit decidere, ac diffinire ex profeſſo, & pro cathedra ſedendo totam ipſam doctrinam fuiſſe juſtam, & Sanctam, Catholicam, veram, ſine ullo prorsùs errore, vel defectu; & pro Dei Matris puritate omnia iſta vertuntur in contrarium ſenſum. Quia loqui de Conceptione, non eſt agere de Conceptione: & illam appellare Immaculatam, eſt dicere eam eſſe maculatam: & proteſtari ut piam, eſt declarare illam fuiſſe impiam. Si iſte non eſt Nodus indiſſolubilis, nec ille Gordius fuit.

Nodus tertius.

Dicere Summum Pontificem doctrinam Sancti Thomæ ſcriptam extitiſſe *ſine ullo prorsùs errore*, fuit illam approbare, & confirmare auctoritate Apoſtolicâ, atque præcipere, ut ab omnibus recipiatur, & obſervetur tamquàm articulus doctrinæ Chriſtianæ. Et dicere in doctrina Chriſtiana de Beata Virgine Dei Matre: *Quod nullius peccati maculâ, nec originalis, nec actualis, nec mortalis, nec venialis infecta fuerit*: & iterum, quòd Dominus ab initio Conceptionis ſuæ aſſiſtendo illi, gubernando illam, inſtruendo, & defendendo perpetuò cum ea fuerit (cùm clauſulæ iſtæ fuerint cum alijs juſſu Summi Pontificis ſcriptæ à Sacra Congregatione examinatæ, & approba-

probatæ, & pari modo ab ipſomet Summo Pontifice impreſſæ, editæ,& divulgatæ, ut conſtat ex clauſulis ſuprà-poſitis) & denique præcipere Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, parochis, &c. ut hoc doceant,& prædicent; neutiquam eſt approbare, vel confirmare ſententiam immunitatis Virginis Mariæ. Simplex verbum ab ore Summi Pontificis prolatum, ſi eſt pro doctrina Sancti Thomæ, eſt deciſio, & Canon doctrinæ Chriſtianæ: & articulus puritatis Virginis poſitus in doctrina Chriſtiana, & approbatus à Summo Pontifice,quia eſt in favorem Dei Matris, eſt verbum ſimplex,nullam habens efficaciam. Regulemus abſque paſſione utramque propoſitionem: *Sanctus Thomas ſcripſit ſuam doctrinam ſine ullo prorsùs errore*, & alteram: *Virgo* Maria *nullâ peccati maculâ fuit infecta*. Una & eadem propoſitio eſt. Quinimmò illa Sancti Thomæ univerſaliter excedit alteram, ſicut terminus reduplicativus ſuperat ſpecificativum tantùm: quia adverbium illud, *prorsùs*, eſt non ſolùm emphaticum, ſed & negativum univerſale, quatenus divagatur per omnes, & ſingulos errores communes, & particulares, formales, & materiales, Theologicos, Phyſicos, & Morales, &c. Et cum omnibus his circumſtantijs hæc propoſitio dicta de Sancto Thoma, *in ejus ſcriptis nullus fuit prorsùs error*, conceditur, & defenditur, tanquam ſi eſſet propoſitio doctrinæ Chriſtianæ; immò volunt, ut ſit eodem modo vera, & Catholica; & hanc: *In* Maria *nulla fuit macula*, quæ ſolum verificatur de tribus maculis, mortali, veniali, & originali, licet ſit in doctrina Chriſtiana, & duæ jam ſint admiſſæ & receptæ ab Eccleſia; pro viribus negant, & impugnant tertiam, nec illi concedere volunt ullatenus veritatem.

Nodus quartus.

Quando Summus Pontifex dixit de doctrina Sancti Thomæ quòd eſſet, *ſine ullo prorsùs errore*, vel locutus eſt veritatem, vel non? Si non dixit veritatem, quomodò adducunt teſtimonium non verum pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ contra honorem Summi Pontificis, veritatis, Eccleſiæ, & ipſiuſmet doctrinæ, & volunt, ut fideles credant mendacio? Si teſtimonium eſt verum, ut eſt, quia Pontifex teſtificatus eſt, quòd Angelicus Doctor opera ſua ſcripſerit *ſine ullo prorsùs errore*: quare tot Patres Prædicatores in qualibet impreſſione de novo factâ dicunt, quòd erroribus ſcaterent opera illa? Quare Patres Romani expunxerunt ab operibus S. Thomæ juxta ſanctiones ſuas multa, atque plurima loca, ut vidimus ſuprà Nodo VII. principali. Quomodò ergò, quando dicit Summus Pontifex veritatis Pater, organum infallibilitatis, & oraculum indefectibile, nullum prorsùs eſſe errorem, vel defectum in ſcriptis, & operibus Sancti Thomæ, auſi ſunt Auctores

ctores iſti dicere, & affirmare opera illa eſſe plena erroribus? Si doctrina non eſt Conceptio, nec S. Thomas Virgo MARIA; quomodò ponunt errorem & defectum, ubi Summus Pontifex auctoritate Apoſtolicâ declarat, ac determinat nullum eſſe errorem vel defectum? Juxta hanc Clementis VIII. decantatiſſimam auctoritatem, in operibus S. Thomæ nullus prorsùs fuit umquam error, & contra eamdem auctoritatem multi, ac plurimi fuerunt errores. Hic magnus aliquis latet Nodus; niſi dicant, quòd velint tractare doctrinam Sancti Thomæ, ſicut ſententiam de Immaculata Virginis Conceptione: & conceptum mentis ſui Doctoris, ſicut Conceptum ventris ſuæ Matris: quia licet Summi Pontifices dicant de utroque, quòd in ipſis nullus fuerit prorsùs error: ipſi è contrà ſentiunt, & determinant, quòd in utroque ſit prorsùs error & defectus, & ſic in hac materia loquuntur ex conſuetudine contradictionis, non ex deliberatione veritatis. Et ſi ita Nodus hic eſt ſolutus, Nodus alius indiſſolubilis reſultat, quia nimis durum videbitur, quòd ſic velint omnia maculare, nec ſanctæ puritati, nec ſanctiſſimæ doctrinæ parcentes.

NODUS QUINTUS.

Fortè dicent, ipſos non eſſe locutos de errore, aut defectu, quando ipſa opera primò ſcripta fuerunt à Sancto Thoma, quia in illo principio, ſeu primo eſſe extabant ſine ullo prorsùs errore, pura, nitida, & Immaculata: Undè ſi correxerunt opera, fuit ab erroribus poſteà irreptis, ſeu introductis ab impreſſoribus, & ab Amanuenſibus, curantes ut opera illa ad ſuum primum nitorem reſtituerentur, vel ad eum proximè accederent. Optimè, & concludens ratio pro filijs impreſſoribus, ſed non pro Patribus Romanis; quia iſti non abſtulerunt errores materiales litterarum, ſeu verborum, ſed formales ſententiarum juxta ſanctiones ſuarum conſtitutionum. Sed admittamus ſolutionem, quia hinc ſurgit Nodus numquàm ſolvendus: nam à ſcriptoribus Dominicanis quæritur primus nitor, & primus candor, prima & nativa pulchritudo operum Sancti Thomæ; & pro hoc inſudarunt, & inſudant in omnibus ſæculis, & annis, civitatibus, & locis, ubi edenda ſunt opera ſui Doctoris; quando pro Virgine Dei Matre ſolùm quæritur ab eiſdem primæva macula, prima culpa, error, & defectus, nigredo, & deformitas per inſtantia, puncta, ac momenta, & ſic æqualiter inſudatur pro quærenda prima macula Matris, & inquirendo primo nitore Doctoris; & non ſolùm quærunt, ſed de facto inveniunt primam maculam pro Dei Matre, & primum nitorem pro Doctore Eccleſiæ; & ſolùm quærunt, & inveniunt pro ſuo S. Thoma, quod nec quærunt nec inveniunt pro Virgine MARIA; quaſi ipſorum, & omnium magis intereſſet doctrina Angelici

gelici Doctoris quàm puritas Dei Matris. Sed fortè eſt permiſſio Divina, quòd hucuſque non invenerint primum originale Sancti Thomæ ſine errore: quia uſque modò ſolùm curarunt, ut invenirent primam originalem culpam in Dei Matre. Omnes Doctores erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa; & ab hac regula generali tantùm conantur excipere; & de facto excipiunt diſcipuli ejus B. Thomam; quia licet erraverit ab utero, non tamen locutus eſt falſa: ſed in Virgine MARIA vice versâ: cùm non poſſint dicere, quòd locuta fuerit falſa; quia hoc ipſis, & omnibus prohibitum eſt ab Eccleſia, nituntur oſtendere ipſam erraſſe ab utero, ut non glorietur Virginis MARIÆ puritas de aliqua excellentia ſupra doctrinam Sancti Thomæ. Tunc Nodus iſte ſolvetur, quando non quærent errorem ab utero MARIÆ; quia tunc invenient Sanctum Thomam non fuiſſe locutum falſa.

NODUS SEXTUS.

Conferamus iſta duo inter ſe: Doctrina Sancti Thomæ fuit ſine ullo prorsùs errore ſcripta, & Beata Virgo ab initio Conceptionis ſuæ habuit Dominum ſuum aſſiſtendo illi, gubernando illam, inſtruendo, & defendendo perpetuò (nota cauſalem) *Undè natum eſt, quòd numquàm peccatum nec cogitatione, nec verbo, nec opere admiſerit*: Si enim in initio Conceptionis habuiſſet aliquod peccatum, neceſſarium eſſet, ùt opere, verbo, aut falſtem cogitatione erraſſet; & hæc doctrina adeò evidens eſt, quòd Joannes à Turrecremata Ordinis Prædicatorum acritèr inſurgat contra Joannem de Segovia: quia iſte dixerat Sanctum Joannem nullum commiſiſſe peccatum actuale; Joannes verò de Turrecremata affirmat hanc eſſe neceſſariam conſequentiam: *Erravit ab utero, ergo locutus eſt falſa.* Et vice versâ: *Locutus eſt falſa, ergò erravit ab utero: Non erravit in initio Conceptionis, ergò non erravit poſteà in vita ſua*; & è contrà: *Non erravit in tota vita ſua, ergò non erravit in principio Conceptionis*: Undè dicere Sanctum Joannem non habuiſſe peccatum opere, verbo, aut cogitatione, eſſe errorem in Fide. Hoc ſuppoſitò (quod eſt quaſi primum principium morale receptum à Sancto Auguſtino, & Ambroſio, ut diximus in SOLE VERITATIS) quæramus de doctrina Sancti Thomæ, quomodò pervenerit ad hoc privilegium, ut ſcriberet ſine ullo prorsùs errore, ſtante quòd erraverit ab utero? Propoſitiones Theologicæ, ſeu Fidei habent ſuum primum principium, illud, ſcilicet: *Deus eſt immenſus, infinitus*, &c. à quo omnes aliæ concluſiones derivantur; dato caſu, quòd Dominus non eſſet cum Sancto Thoma in hoc primo principio aſſiſtendo illi, gubernando illum, inſtruendo, & defendendo, ut non laberetur in errorem, erraret in illo primo principio, & conſequenter in omnibus concluſionibus, mente, verbo, & opere: ergò.

gò ut verificetur illud : ſcripſit ſine ullo prorsùs errore, neceſsè eſt præſupponere, quòd non erraverit in primo principio. Et quomodò cognoſcitur non erraſſe in principio? Demonſtratione à poſteriori: quia non erravit in concluſionibus. Hæc doctrina, quæ Thomiſtica eſt efficienter, objectivè, & ſubjectivè, quia eſt D. Thomæ, & obſervatur cum Sancto Thoma, & docetur à Thomiſtis, nôn admittitur, ſed potiùs impugnatur cum Virgine MARIA. Hæc enim Dei Mater ſecundùm diffinitionem Eccleſiæ, doctrinam Sancti Thomæ, & ut ipſi, atque nos fatemur, non erravit in concluſionibus, ſcilicet, in opere, verbo, aut cogitatione; & tamen, ut dicunt ipſi, erravit in principio: & ſic pro MARIA non valet hæc conſequentia: *Non erravit in concluſione, ergò nec in principio*. Et quare, quandoquidem valeat pro doctrina Sancti Thomæ? Quia MARIA in aliquo debuit errare, aut in concluſione, aut principio. At Sanctus Thomas in nullo prorsùs erravit, neque in principio, neque in concluſione: ergò deſiderant quòd hoc privilegium eſſendi ſine ullo prorsùs errore, de nullo alio verificetur, niſi de doctrina Sancti Thomæ. Nullo modo intelligo Nodum iſtum, licet experiar, quòd contra totam Theologiam, & ſua principia negent pro puritate Dei Matris id, quod concedunt pro doctrina Sancti Thomę, aſſerendo quòd in rebus creatis ſine ullo prorsùs errore ſolùm inveniatur Angelici Doctoris doctrina. Et ſi adſtringis Nodum iſtum dicendo: igitur jam eſt aliquid in rerum natura habens exceptionem & privilegium, ut in ipſo nullus ſit prorsùs error, nec defectus in principio, medio, & concluſione: pro Sancto Thoma, & doctrina ejus concedunt libentiſſimè hanc exceptionem, & privilegium; ſed pro Virgine Dei Matre, & ejus puritate negant mordicùs & tenaciter; & dicunt non eſſe privilegium ullum in hac materia, niſi exprimatur in Scriptura. Si eſt, qui ſolvat Nodum, ſolvat.

NODUS SEPTIMUS.

Propoſitio iſta: In doctrina Sancti Thomæ nullus fuit prorsùs error, eſt è regione oppoſita omnibus regulis generalibus Sacræ Scripturæ, adductis ab ipſis Thomiſtis contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Dicit enim Scriptura: *Omnes nos quaſi oves erravimus: omnes declinaverunt: omnes inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: omnis homo mendax: omnia concluſit Deus ſub peccato: omnes erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa*; Se ſic enumera omnes alias propoſitiones univerſales contentas in Sacra Scriptura, à quibus ſine ulla controverſia, vel contradictione excipiunt Sanctum Thomam; quia ſcripſit ſine ullo prorsùs errore, nec locutus eſt ullum verbum falſum. Dicant ergò nobis: ubi invenerint hoc privilegium, ſive exemptionem pro doctrina ſui Doctoris Sancti Thomæ:

nam

nam ibi inveniemus nos privilegium, & exemptionem pro puritate noſtrâ, & Dei Matris Mariæ. Dicunt: hoc ſe inveniſſe expreſsè, clarè, & diſtinctè in uno Summo Pontifice Clemente VIII. profecente: quòd Sanctus Thomas *ſcripſit ſine ullo prorſus errore*, & teſtimonium hoc plùs valere, quàm omnes diſcurſus humanos; qui in contrarium fieri poſſunt. Etenim cùm unus Summus Pontifex fecerit exemptionem, omnes fideles ſubditi tacere debent, credere firmitèr, & profiteri doctrinam illam eſſe puram, veram, & Catholicam ſine labe, vel ullo prorsùs errore. Optimè dictum; acquieſco; ſed ſolvite Nodos iſtos. Si unus Summus Pontifex poſt tres mille annos potuit declarare, ſeu dare hanc exceptionem ad regulas Scripturæ pro doctrina Sancti Thomæ in uno Brevi, & clauſulâ breviori ſcriptâ ad cives Neapolitanos: quomodò dicitur, quòd viginti Pontifices in quadringentis Bullis expeditis pró myſterio Conceptionis, & in innumerabilibus clauſulis illarum expeditis pro tota Chriſtianitate non potuerint conficere, nec poſſint declarare unicam ſolam exceptionem pro Virginis puritate circa illam regulam generalem Scripturæ: *Omnes in Adam peccaverunt*? Si deſtruuntur dicta viginti Summorum Pontificum, & avelluntur eorum quadringentæ Bullæ, & dicitur, nullius eſſe roboris ad ædificandam puritatem Virginis, & ad evellendum ab ea omnem prorsùs errorem; quomodò in eadem individua materia puritatis, & erroris ædificatur cum uno ſolo Pontifice puritas doctrinæ Sancti Thomæ, & evellitur ab ea omnis prorsùs error? Si valet inter vos hæc propoſitio, & illam pro viribus defenditis: licet erraverint Impreſſores, Amanuenſes, & Correctores in ſcriptura Sancti Thomæ, ejus conceptus mentis fuit purus, immaculatus, & ab omni errore immunis: quare non valet, ſed impugnatur iſta: licet erraverint Adam & Eva, Joachim & Anna in ſua generatione, Conceptus Mariæ fuit purus, immaculatus, & ab omni errore immunis? Solvite iſta communia interim, dum ego deſcendo ad aliud particulare quid.

Nodus Octavus.

Siſtendo in illo, *ſine ullo prorſus errore*, reducamus iterùm ad Nodum illam univerſalem propoſitionem: erraverunt ab utero, & locuti ſunt falſa; ut inquiramus alteram longè ſuperiorem exceptionem. Et interrogo: eſtne poſſibile, quòd aliquis purus homo erraverit ab utero, & non fuerit locutus falſa? Dicunt eſſe poſſibile. Et tunc ſic: Cum hac poſſibilitate fuitne defacto aliquis, qui errando ab utero non fuerit locutus falſa? Fuit, inquiunt, & hic eſt Sanctus Thomas Doctor Eccleſiæ. Fuitne alia pura creatura cum Sancto Thomâ, quæ errando ab utero non fuerit locuta falſa? Fuit, inquiunt, nam Virgo Maria etiam erravit ab utero, & non

non eſt locuta prorsùs aliquid falſum: & ſic ſine veritate imputabitur nobis, quòd plùs tribuamus Angelico noſtro Doctori, quàm Dei Matri: nam etſi ambo erraverunt ab utero, ambo non ſunt locuti aliquid prorsùs falſum. O glorioſa doctrina Sancti Thomæ! Ex te enim ortus eſt ſol ad indagandam puritatem Dei Matris, & facta es non ſolùm regula doctrinæ Chriſtianæ, ſed etiam norma ad cognoſcendam Deiparæ innocentiam, & candorem. Hoc enim, quod invenitur in Sancto Thoma libentiſſimè conceditur Virgini; & quod in iſto non invenitur, nec inveniri poteſt, abſolutè erit negandum Dei Matri. Eſtne bona regula iſta? Sed non curemus pro nunc de his irregularibus, ut inquiramus ſolùm, ubi invenerint has duas exceptiones, ſcilicet: quòd Sanctus Thomas, & Beata Virgo, licet erraverint ab utero, non fuerint locuti falſa. Petebant à nobis unam exceptionem Virginis Mariæ, & ſuper hoc à tot ſæculis fuit vociferatio, ut oſtenderemus illud privilegium: ſed jam hæc, quæ ſolùm erat cauſa noſtra, facta eſt cauſa communis, & unuſquiſque noſtrûm pro utraque debet laborare, & inquirere. Ipſi pro illa laborant quâdam contingenti conſequentiâ, ſcilicet: Sanctus Thomas erravit ab utero, non tamen locutus eſt falſa: & nos pro eadem argumentamur ex neceſſaria illatione conjuncta: Virgo Maria non eſt locuta falſa, ergò non erravit ab utero. O quàm longa pro prima reſtat via! Quia à certa, ſcilicet, quòd Sanctus Thomas erraverit ab utero, malè deducetur, quòd non fuerit locutus falſa, quando ex natura deducenda eſſet contraria. Sed quàm brevis, & compendioſa eſt via noſtra in ſecunda! Quia ab iſta certa & infallibili conceſſa, & admiſſa ab Eccleſia, Concilijs, & vobis: Maria non eſt locuta falſa, pergimus ad aliam neceſſariam: ergò non erravit ab utero. Et hanc neceſſariam illationem dicunt, contendunt, & impugnant non poſſe deduci; ex eo ſolùm, quòd ſit pro omnimoda prorsùs puritate Dei Matris: & alteram contingentem, dubiam, incertam, atque falſam, quia eſt pro Sancto Thoma, dicunt, certant, & contendunt eſſe neceſſariò concedendam ut veram & infallibilem, &c. Eſtne Nodus iſte alicui ſolubilis?

NODUS NONUS.

Admittendo auctoritatem Summi Pontificis ſecundùm omnem latitudinem, ac longitudinem prætenſam, ita *ut nullus omninò error magnus, vel parvus in littera, ſeu in ſenſu ſit in ea.* Quis Catholicus ferre, vel audire poterit, quòd in omnibus operibus Sancti Thomæ nullus prorsùs inveniatur error, & in Sacratiſſima Dei Matre Maria non ſolùm error, ſed & peccatum, & macula reperiatur? Quòd iidem, qui in operibus Sancti Thomæ conantur defendere, quaſi eſſet articulus Fidei, nullum prorsùs fuiſſe errorem

rorem magnum vel parvum, eâdem tenacitate pro viribus impugnent ſuſtinentes, in Sacratiſſima Dei Matre nullum prorsùs fuiſſe peccatum. Quid ſibi vult, ut in operibus Sancti Thomæ nec minimus ſit error, & quòd ſic credatur, & recipiatur ab alijs: quando ipſi nolunt credere, nec recipere in Virgine Maria nullam fuiſſe maculam? Intereſtne magis Deo, Filio, Eccleſiæ, fidelibus, Religioni, &c. ut in doctrina quinti Doctoris Eccleſiæ nullus prorsùs fuiſſet error: an, quòd in prima Sancta Sanctorum, Regina Angelorum, ac unica Dei Matre, magna ſit peccati deformitas? Eſtne major doctrina, quàm innocentia? Aut eſt minùs, eſſe Dei Matrem, quàm eſſe Doctorem Eccleſiæ? Vel horruit Deus plùs errorem in doctrina Sancti Thomæ, quàm peccatum in anima Matris ſuæ? In alijs Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, & eorum doctrina eſt aliquis prorsùs error, vel non? Si non, igitur nulla excellentia eſt doctrinæ Sancti Thomæ, quòd in ipſa nullus prorsùs error inveniatur; ſiquidem hoc habent omnes alij Doctores Eccleſiæ: ſi autem in alijs omnibus Eccleſiæ Doctoribus eſt aliquis ſaltem minimus error, vel errores, & ab his exiſtentibus in alijs communiter voluit Deus, quia potuit, & ſibi placuit præſervare doctrinam ſui dilectiſſimi, & Angelici Doctoris Thomæ; quare hoc ipſum innocentiæ Dei Matris erit negandum? Amor Dei ad doctrinam S. Thomæ coëgit Divinam potentiam, ut doctrinam ejus præveniret, & præſervaret ab errore, in quem omnes alij Doctores ceciderunt; & amor Dei ad Matrem ſuam non potuit efficere, ut ipſam præſervaret à caſu, in quem omnes ceciderunt? Nodus quidem indiſſolubilis videtur; ac magis ſcientes palpant, quòd in eadem ſchola ſint hæc quaſi principia per ſe nota, & veluti contradictoriæ ſimul veræ: Deus potuit, & de facto præſervavit doctrinam S. Thomæ ab omni prorsùs errore: Deus non potuit, nec de facto præſervavit animam Matris ſuæ ab omni prorsùs culpa. Undè prorsùs deſtruunt in Divo Thoma, quod prorsùs evellere nituntur in Dei Matre. Dicant quidquid voluerint: quia Nodus iſte numquam prorsùs ſolvetur. Eſt enim prorsùs præponere doctrinam animæ Dei Matris.

12. Nodus decimus.

Nodus iſte conſiſtit in hiſtoria relata à Patre Michaële Hoyero Auguſtiniano, & ex Cronodromo, cujus Auctor eſt Benedictinus, quæ ſic ſe habet: Licet doctrina Sancti Thomæ cœperit anno 1250. quando jam controverſia iſta de Conceptione ante centum quinquaginta annos exordium ſumpſerat in Sancto Anſelmo, creverat inter Sanctum Bernardum, & Canonicos Lugdunenſes, aucta fuerit inter Nicolaum Albanum, & Petrum Abbatem Sancti Remigij, & ultimum ſumpſiſſet complementum in Anglia cum Alexandro Ne-

Nekam, & in Gallia cùm illis Petro Cantore, Abeillardo, & Comeſtore, & alijs uſque ad annum 1308. in quo mortuus eſt Joannes Duns Scotus, per ſexaginta, & ampliùs annos in Sacra Religione Prædicatorum ex profeſſo nullum fuit actum verbum, nec de tali curarunt quæſtione tamquam ſi non eſſet in ſcholis, immò omnes celebrabant Feſtivitatem ſub titulo Conceptionis abſque aliqua contradictione, ut conſtat ex ipſorum Breviarijs antiquis manu-ſcriptis. Cùm verò Scoti doctrina ſurgeret, & cœpiſſent diſcipuli ejus, Aureolus, Okam, Baſolius, Mayronus, &c. ipſam propagare per totum terrarum orbem, ſentientes eſſe ex diametro oppoſitam principijs Thomiſticis, & quod creſcebat ætate, & indies magis confortabatur, decreverunt principijs obſtare, ut talis doctrinæ ſequela ſiſteret in curſu, & illam maculare in judicio aliquâ cenſurâ majori, videlicet: ut erronea in Fide, ac ut hæretica damnaretur ab Eccleſiâ aliquâ celebri, & per ſe notâ, & majori cenſurâ, undè in alijs maneret excluſa, ac ſuſpecta. In ordine ad hoc ſcrutati ſunt cuncta Subtilis Doctoris ſcripta: ſed cùm reperiſſent omnes eſſe quaſdam Metaphyſicas, ſpeculativas ſubtilitates, in quibus non inveniebant aliquid dogmaticum, ſolidum, practicum, & oppoſitum doctrinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum ſaltem apparentèr, niſi in iſta quæſtione de præſervatione Virginis à peccato originali, apprehenderunt illam, ut per ipſam, & in ipſa etiam macularent doctrinam Scoti, hinc ſtatim cœperunt prodire tractatus dicentes: eſſe expreſsè contra Fidem, Scripturam, Sanctorum Patrum determinationes, & Conciliorum Canones, affirmare Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali. Ac paritèr ire, & redire denuntiationes, querelæ, & delationes ad Eccleſiaſtica tribunalia (ut expreſsè dicit Cronodromus, & inſinuat P. Hoyerus) quod numquàm anteà fecerant, immò propter hanc propoſitionem puniebant Inquiſitores Dominicani pauperes Fratres Minores, ut fatetur ipſemet Pater Eymericus Inquiſitor Aragoniæ in ſuo tractatu de Conceptione, in prologo ad Papam: *Ecce, Pater Beatiſſime, Scribitæ, Phariſæi, Hæretici inſurrexerunt in medium, palàm, & publicè proſilierunt, impudenter, & imprudenter, & perversè ſeminarunt, buccis crepantibus, ore ſuo pleno, ſed polluto, auſu nefario ventilantes, docentes, & dogmatizantes contra præeminentiam Domini Jeſu Chriſti, & glorioſæ Virginis Matris, eamdem præeminentiam, quam eſt caluminiantes, denigrantes, quintuplo offuſcantes, contra quos nonnullos proceſſi, & punivi, &c.* Et hoc duravit uſque ad Concilium Baſileënſe, quando Joannes de Montenigro, nomine totius ſuæ Religionis petierat inſtantiſſimè, ut decideretur de Fide, quia ſic conveniebat Eccleſiæ, & fidelibus de quo Joannes de Segovia in fine ſuarum Allegationum fol. 387. c. 1. dicit: *Allega-*

Digitized by Google

legatum fuerit quòd, credere Virginem in originali conceptam fuiſſe, ſit de neceſſitate Fidei ab omnibus credendum, & contrà ſentire hæreticum, ſive erroneum. Et ſi hæc in præſentia Concilij aſſerta fuerunt: quid creditur fieri coram auribus ſimplicium &c? Hæc Segovia,& alia quam-plura. Sed cùm totus iſte conatus; proverbio hiſpanico loquendo: *Se bolvieſe el ſueño del perro,* cœperunt ex tunc dicere, articulum iſtum non pertinere ad Fidem, nec eſſe diffinibilem. Et ecce Nodus. Quando judicabant doctrinam Scoti eſſe ream, erant Scriptura, Fides, Eccleſia, Sancti Patres, Doctores contra illam, & pro ſua opinione,&c. Sed jam inceditur aliâ viâ oppoſitâ: tamen ego exiſtimo, quòd non ſit niſi una via veritatis, Eccleſiæ, & Fidei. Sed Nodum iſtum jam ſolùm ſolvet unus ALEXANDER.

NODUS UNDECIMUS.

Pater F. Joannes Antonius d'Aubermont Ordinis Prædicatorum in illâ ſua inſigni oratione encomiaſtica pro Sancto Thoma, impreſsâ Lovanij 1650. in 4. ad iſta verba Clementis VIII. *Sine ullo prorſus errore, &c.* ſic inquit: *Nihil fæcis, nihil ſordis, nihil amaritudinis in Angelico fonte inquietus ſcrutator explorabit. Sine ullo vel minimo prorſus errore limpidus, pellucidus, & cryſtallinus; ſine ullo prorſus vitio, ſuavis, ac amabilis; ſine ullo prorſus erroris nævo, incorruptus, purus, ſecurus, largiſſimum, & Divinum planè potum eruditionis dulciſſimæ haurientibus indulget, utpotè quam non abſque ſpeciali Dei infuſione perfectam agnovit Joannes XXII. &c.* Adduxi iſtum modernum, quia in ipſo inveni conjuncta, quæ in alijs antiquioribus paſſim reperiuntur diſperſa. Sed ſi ad iſtum fontem Angelicum acceſſerit aliquis ſcrutator, licet inquietus, nihil inveniet niſi relata in auctoritate. Et qui ſic loquuntur de ſuo Angelico fonte exiſtente in medio ſacræ Religionis Prædicatorum, cùm vident illum fontem Salvatoris Marianum exiſtentem in medio Eccleſiæ, de cujus puritate tot, tantaque dicunt Sancti, ut videre eſt in illo libello dicto: *Magnificentia Dei, &c.* verbo, *Fons,* inveniunt, & dicunt ſine aliquâ inquieta exploratione ſcrutatoris; quòd in fonte Angelico nihil fuerit fæcis, ſordis, fellis, & amaritudinis; in Mariano fuerit aliquid fæcis, ſordis, fellis, & amaritudinis. Angelicum inveniunt ſine ullo prorſus errore, ſine ullo prorſus vitio, ſine ullo prorſus nævo, purum, limpidum, &c. & Marianum vident cum aliquo non tantùm minimo, ſed magno prorſus errore, cum aliquo prorſus vitio, & cum aliquo prorſus nævo, impurum, & immundum, &c. Cùm iſta diſtinctione loquuntur de puritate iſtorum fontium. Sed non ſiſtit hîc P. d'Aubermont; nam ad ultimùm dicit ſic: *Perbella numquid iſta imaginationis eſt ratio? Ha! nova ingenia, nova ingenia! Quid? An illa explanare ſe poſſe præſumant, quando tantum Doctorem contingeret ignorare? Tantum Doctorem? Eum velint docere Magiſtrum, qui Sanctorum om-*

omnium Doctorum intellectum eſt fortitus? Emendanda novitati ejus cedet auctoritas, cujus doctrina certiſſima omnibus eſt regula? Num putreſcentia fraudibus, & mendacijs ſæcula canos Angelicæ Majeſtatis eradent? In hac auctoritatis parte notare libet illas duas propoſitiones pro Sancto Thoma, ac doctrinâ ejus, ita aſſeveranter, & univerſaliter prolatas, quarum nullam concedunt de Virgine MARIA, & ejus puritate; nam licet Sanctus Thomas habuerit omnium Sanctorum Doctorum intellectum, ſed non Virgo Dei Genitrix omnes gratias Sanctorum; quia excludunt ab ea juſtitiam originalem, ſive gratiam pro primo inſtanti, quam habuerunt Sancti Adam & Eva. Sancti Thomæ doctrina fuit omnibus certiſſima regula, undè nullâ indiguit emendatione, at puritas Dei Matris non poteſt eſſe regula, quia in ſuo exordio indiguit emendatione. Si iſti Nodi ſint indiſſolubiles, judicet qui eos legerit.

NODUS DUODECIMUS.

Ex dictis duorum Patrum Lovanienſium in hac materia Conceptionis non parvus exurgit Nodus. Nam unus Carmelita, vocatus F. Romanus à Sancto Philippo in ſuis Theſibus Theologicis habitis Lovanij die 5. Maij anno 1659. Theſi 18. hanc ſuſtinuit concluſionem: *Ordinis Decreto ab anno 1306. Carmelitæ defendimus*, id eſt, Conceptionis myſterium: *Defendit Divus Thomas, licet opera ejus ubique corrupta ſupponantur.* Alter verò eſt Pater Petrus Muytinox Ordinis Prædicatorum, & in Univerſitate Lovanienſi Sacræ Theologiæ Licentiatus, & ſtudij generalis Regens, qui in Theſibus Theologicis de virtutibus & vitijs, habitis Lovanij, die 23. Julij anno 1655. Theſi 24. ſub hoc titulo: *Exemptio ab originali*, hanc propoſuit concluſionem: *Si quis miraculosè ex carne humana formaretur, non contraxiſſet peccatum originale; nec qui prope Dixmudam natus dicitur ex femore viri circa annum 1330. illud contraxit. De Beata Virgine nondum Eccleſiæ revelatum eſt, quæ Feſtum Conceptionis inſtituit celebrandum, ſed non ſub titulo Immaculatæ Conceptionis. De ſententia Sancti Thomæ conſtat. Nec illam damnant Summi Pontifices, immò verò nullum prorſus ei præjudicium inferre ſe velle proteſtantur. Dicere autem quòd mutaret ſententiam ſi modo viveret, frivolum eſt, & ſine fundamento conjecturare.* Ex his duabus aſſertionibus prima affirmat opera Sancti Thomæ ubique eſſe corrupta, & hoc non dixit aliquis Franciſcanus, ſed Carmelita; nec in angulo ſui Conventûs, ſed in publicis concluſionibus, & hoc antequàm SOL VERITATIS, vel Nodus exirent in lucem, quomodò ergò credendum eſt Sanctum Thomam ſcripſiſſe ſine ullo prorſus errore? Et hinc primus Nodus. Quia cùm S. Thomas ſcriberet *ſine ullo prorſus errore*, inter Diſcipulos *opera ejus* extant *ubique corrupta.* Fecerunt igitur cum Conceptu ventris Virginis MARIÆ, quod cùm conceptu

ceptu mentis ſui Angelici Doctoris. Nam cùm ille eſſet etiam in ſuo principio ſine ullo prorsùs errore illum ubique macularunt corruptionibus, & ſtante hâc paritate facti diſcrepant in verbis. Nam de conceptu mentis dicunt eum eſſe purum, Sanctum, Immaculatum, &c. quæ tamen omnia negant de Conceptu ventris.

Nodus decimus-tertius.

Si omnia opera Sancti Thomæ ſunt *ubique corrupta* (ut in rei veritate ſunt quoad iſtam materiam de Conceptione, ut conſtat oculariter ex Salutationis Angelicæ expoſitione in exemplo ſuprà poſito, & alijs, de quibus in Radiis Solis Veritatis) quomodò *de ſententia Sancti Thomæ conſtat, nec illam damnant Summi Pontifices, immò verò nullum prorsùs ei præjudicium inferre ſe velle proteſtantur?* Contra Virginem Dei Matrem conſtat in operibus Sancti Thomæ ſententia, quæ non conſtat, nec poteſt conſtare; quia omnia opera ejus ubique extant corrupta: & illa, quæ conſtat, ſcilicet, quòd Eccleſia celebret Conceptionis Feſtum, ſub titulo Conceptionis Immaculatæ (ut iterum nuper declaravit inſiſtendo Decretis ſuorum prædeceſſorum Sanctiſſ. Alexander VII.) non conſtat, immò abſolutè negatur, ſolùm quia eſt pro Virginis puritate. Item ex operibus S. Thomæ corruptis vel non corruptis, conſtat ſententia iſta: *Quòd ſi quis miraculosè ex carne humana formaretur, non contraxiſſet peccatum originale,* & ſic ille infans natus prope civitatem Dixmudæ non contraxit peccatum originale; quia formatus fuit ex femore viri, non ex copula carnali. Et hoc conſtat ex ſententia Angelici Doctoris, ac diſcipulorum illius Patrum Lot, & Muytinox; & cùm conſtet ſecundùm eoſdem puerum illum Dixmudenſem fuiſſe filium Adæ, habuiſſe animam rationalem creatam à Deo, & unitam carni corruptæ per peccatum, & conſequenter omnia illa, quæ ſunt in quolibet alio parvulo; ſolùm quia fuit miraculosè, ſive præter naturam formatus ex carne humana, iſte ſecundùm Thomiſticam doctrinam non fuit comprehenſus in illis Scripturæ locis: *Omnes in Adam peccaverunt: omnia concluſit Deus ſub peccato: omnes declinaverunt: omnes fuerunt redempti. Nullus æquatur Chriſto in puritate originali, &c.* Et qui aperuerunt oſtium tam latum, ut ingrederetur cum Chriſto ſuus compatriota parvulus Belga, per quadringentos annos nec unam parvulam rimulam voluerunt aperire, ut ingrediatur illud primum punctum ſeu inſtans Conceptionis Virgineæ. Vidi & inveni Nodos iſtos, ſed ſolutionem nec video, nec invenire poſſum. Quia omnia ipſorum dicta ſunt *ſine ullo prorsùs errore,* licet dicantur eſſe *ubique corrupta.*

Nodus decimus-quartus.

In curia Apoſtolica illa, quæ dimanant à ſuprema Sede, habent diverſos gradus; nam non omnia ſunt de Fide, ut diximus in primo Nodo principali,

& reſcripta ipſa habent diſtinctas claſſes. Etenim Breve ſeu epiſtola Pontificia multùm diſtat à conſtitutione, & Decreto: & illa, quæ procedunt ex motu proprio, & ex certa ſcientia, ſunt alterius generis, quàm illa deſtinata ad petitionem partis, vel proviſionaliter expedita. Immò & in eadem numero epiſtola, Bulla, ſeu conſtitutione quędam referuntur, quę ſunt motiva ad determinationem, quæ communiter dicuntur narrativæ, & iſtæ nec ſunt approbatæ, nec reprobatæ à Sede Apoſtolica; quia ibi poſita, niſi aliàs conſtet ex alio capite aut Bulla fuiſſe approbata, ſunt quaſi allegationes partis, & congruentię pro gratia poſtulata obtinenda, quòd ferè ſemper fit tranſcribendo ad litteram memoriale, ſeu ſupplicam à poſtulante factam, ut inde cognoſcatur an obtenta fuerint legitima, obreptitia, vel ſubreptitia. Hoc ſuppoſito, omnia elogia relata ſuperiùs in Urbano V. hic in Clemente VIII. & infrà in Paulo V. continentur in narrativa quarumdam epiſtolarum, in quibus determinatio agit de tranſlatione corporis, de patronatu Neapolitano, & iſtius confirmatione; & tamen dicunt propter illam narrativam Pontificis doctrinam eſſe approbatam. Tranſeat, admittimus hoc, quia eſt pro gloria Angelici Doctoris; ſed quare ipſi, quę Summi Pontifices pręcipiunt non particulari Reipublicæ, ſed univerſali Eccleſiæ, non in epiſtola, ſed in Decretali conſtitutione, nec in narrativa, ſed in determinatione affirmant, ac defendunt fuiſſe dicta relativè & proviſionaliter, quia ſunt pro Immaculata Virginis puritate? Et pro ſua doctrina & opinione in Apoſtolicis reſcriptis ex capite faciunt pedes, & ex pedibus capita. Et innodant omnia manentes ubique æquè ligati incidentes de Nodis in Nodos.

NO-

NODUS DUODECIMUS
PRINCIPALIS

Inter quamdam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, divulgatam ſub nomine Pauli V. Pontificis Maximi, atque ejuſdem Decreta, & Bullas conceſſas pro myſterio Immaculatæ Conceptionis.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

CUm civitas Neapolitana anno 1605. tempore felicis recordationis Clementis VIII. inter ſuos ſeptem titulares protectores, & patronos recepiſſet etiam Angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem, eò quòd ex illa urbe, & à nobiliſſima Aquinorum familia originem duxiſſet, ut votum, ac juramentum Apoſtolicâ roboraretur auctoritate, ac firma permanerent, ſucceſſor Clementis Paulus V. anno 1607. Pontificatûs ſui anno tertio (Paulus Nazarius dicit hoc factum fuiſſe anno 1617. Pontificatûs Pauli 13. ſed malè). die 17. Decembris in quibuſdam litteris ſub annulo Piſcatoris incipientibus: *Splendidiſſimi, &c.* quę habentur in actis Capituli Generalis Ordinis Prædicatorum Romæ celebrati in Conventu Sanctæ MARIÆ ſuper Minervam anno Domini 1612. & apud Bzovium tomo 14. columna 402. confirmavit, & approbavit acta circa tutelam, & patronatum Sanctiſſimi Doctoris, & in narrativa prædicti Brevis, ſic inquit Sum-

 mus

mus Pontifex: *Splendidiſſimi Catholicæ Fidei Athletæ Beati Thomæ Aquinatis, cujus ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter elidit, honores, & venerationem indies, magis magiſq; augeri plurimùm in Domino gaudemus, & ea, quæ ad illius honorem devotè ſancita ſunt, ut firma, & illibata permaneant, libentèr Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Aliàs ſiquidem poſtquam dilecti filij Deputati, & electi civitatis Neapolitanæ præter Sanctos Januarium, Athanaſium, Aſprenum, Agrippinum, Severum, Euſebium, & Anellum dictæ civitatis certos Patronos, & Sanctum Thomam Ordinis Prædicatorum Doctorem Angelicum, ex nobili Comitum de Aquino familia ortundum, cujus natalibus prædicta civitas originem dedit, quiq; in nobili Regno Neapolitano cùm Sanctitatis & miraculorum gratia, tum doctrinæ laude clarus extitit dictis Sanctis Patronis laudabili conſilio adjungendum duxiſſent; fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, &c.* Hucuſque Summus Pontifex. Pater Paulus Nazarius in ſuo opuſculo de ſcriptis Sancti Thomæ folio 17. affirmat hanc eſſe approbationem doctrinæ Angelici Doctoris, dicens: *Paulus V. in Brevi dato, &c. ubi Sancti Thomæ doctrinam approbans, & extollens ait, &c.* In Breviario reformato, quo modò utuntur Patres Prædicatores, ad ultimum in lectione ſexta diei octavæ adducitur inter alias approbationes, licet non integra. P. Ignatius Galvan, (& conſequentèr omnes, qui poſt illum ſcripſerunt) eamdem refert tomo 1. lib. 2. cap. 12. & expendit latè à pagina 490. uſque 506. & hæc de Summi Pontificis verbis.

Ubi autem ſit hæc approbatio doctrinæ Sancti Thomæ, declarat Pater Galvan diſcur. 1. ſub hoc titulo: *In detractores contentioſos, ac veritatis hoſtes, & depravatores, qui etiam in Eccleſiæ clypeum, nempè D. Thomæ ſcripta, inſurgere audent.* Et incipit diſcurſum illum ſic: *Dicitur Divus Thomas à Summo Pontifice Paulo V. ſplendidiſſimus Catholicæ Fidei Athleta, &c.* Et num. 4. inquit: *Hinc ergo detractores doctrinæ D. Thomæ dicant, quæ ſit eorum nequitia, cùm non ſolùm ei detrahendo veritati contradicant (quòd Eccleſiaſtici Auctor nequaquam fieri debere admonet dicens: non contradicas verbo veritatis ullo modo) verùm etiam Sancti Doctoris famam denigrare, atque obſcurare conentur, & quantùm poſſunt, fœtere faciant nomen ejus coram Eccleſia. quod tamen ſuaviſſimum in eadem Eccleſia odorem, etiam renuente invidiâ ſemper exhalat. De quo proptereà iure optimo dicendum eſt: oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te tanto charitatis fervore, ut in odorem unguentorum tuorum currant. Sed jam alibi eos, qui ab aliis injuſtè opprimuntur, præſertim verò Divum Thomam, inde clariores effici, haud ſemel oſtendimus. Videnda etiam ſunt quæ in hanc rem breviter ſuprà diximus.* Et verum eſt, quod dicit: nam ſuprà capite 26. diſcur. 6. numero 5. agit de hoc ex profeſſo; & inter alia dicit: *Quò enim diligentiùs illius fragrantiam invidi nituntur vitiare, quò fortiùs adverſaria illorum vis in eumdem Sanctum Doctorem*

ctorem inſanit, eò ille Eccleſiam ſuaviùs reficit, ac delectat, &c. Et loquendo iterum de propoſitis verbis Pauli V. inquit: *At ſplendidiſſimus Catholicæ Fidei Athleta è contrà, non verba objicit, non maledictis, ſed ſcriptorum ſuorum clypeo ſe, & Eccleſiam tutatur: non convicia retundit, ſed veritatis gladio conviciantes percutit, doctrinæ Chriſti, & Summi Pontificis auctoritate approbatæ. Jaculum torquet, &c.* Ecce quomodò Galvan judicet hanc Pauli V. auctoritatem eſſe approbationem doctrinę Angelici Doctoris. Proſequitur num. 15. *Hinc ergò colligitur illorum ignominia, qui D. Thomæ doctrinam, ſeu potiùs veritatem impugnant, quam tamen, ſi veritatis amici eſſent, diligere potiùs tenerentur. At, quod valdè plorandum eſt, cùm eam opprimere nequeant, ſaltem depravare nituntur, &c. In hos tamquàm pernitioſos doctrinæ Thomiſticæ adverſarios impium depravantium, ſive adulterantium rem aliquam pretioſam ſcelus clamat, &c.* Sceleris autem clamorem, & magnitudinem ſic proponit infrà numero 18. *Quo figmento illud procul dubio ſignificari mihi perſuadeo, extremo ſupplicio dignum eſſe, qui veram, ſynceramq; doctrinam non ſolùm falſis dogmatibus, interpretationibus; atque expoſitionibus involvit, ſed venenoſis ſæpè aſſertis inficit. Quales illi profectò ſunt, qui non ſolùm veram, ſynceramq; Divi Thomæ doctrinam in ſuos, ejuſq; ſenſus detorquent, ſed periculoſa ei, atque etiam temeraria dogmata miſcent, ut qui veræ ſapientiæ deſiderio aguntur, dum eam avidè quærunt, falſitatem potiùs inveniant; & hunc veritatis puteum, ſeu abyſſum, undè ſapientiæ aqua in totam Dei Eccleſiam derivatur, veneno inficiunt; ut qui eam avidiſſimè haurire volunt, mortem pariter ignorantes ebibant, &c.* Nodos ex ſuprà poſitis clauſulis exortos fideliter compaginatos vide infrà.

Accedit Galvan ad alteram auctoritatis Pauli V. partem, & poſtquam de Etymologia clypei; ſic inquit: *Cùm ergò Divi Thomæ ſcripta clypeum Eccleſiæ appellat Paulus V. quid aliud ſignificat, niſi totam Eccleſiam iiſdem celari, iiſdem tegi, iiſdem ſe ab hæreticorum vulneribus vendicare? Ob quam cauſam meritò de Eccleſia dici poteſt: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, ſivè ut Vatablus habet: Ex qua pendent mille clypei, & omnia ſcuta heroum. Quodlibet enim ex Divi Thomæ ſcriptis unus eſt Eccleſiæ clypeus, immò in quolibet plures clypei reperiuntur. Quot articulos Sanctus Doctor edidit, tot Eccleſiam clypeis munivit. Omnis ſermo Dei (ex hoc enim Divi Thomæ libri conſtantur) ignitus clypeus eſt, ſicut loquitur Sapiens. Ubi Vatablus loco vocis, ignitus, ponit, purgatus, id eſt, mendacio carens, &c.* Nota hæc ultima verba; nam pro doctrina Sancti Thomæ idem eſt purgari, ac carere aliquo; deinde pro eadem doctrina adducit lectionem illam: *Ego clypeus tuus, ſeu protector, &c.* dicens: *Hæc igitur Dei titulo Sanctus quoque Thomas ſuo modo inſignitur, qui per ſcripta, ac libros ſuos clypeus, ſeu protector eſt Eccleſiæ, immò mille clypei, &c.* Deindè circa hoc diſcurrit latè.

Reſtat nunc oſtendere, qualitèr hęc approbatio fabricata etiam fuerit, ſicut omnes antecedentes ad æmulationem myſterij Immaculatæ Conceptionis, & ſic Pater Galvan hoc palàm demonſtravit diſcur. 2. ſub hoc titulo: *Adversùs ea, quę dicta ſunt, objicitur. Obj. Elionis ſolutio. Nonnulla de ſacri Roſarij oratione.* Et objectio eſt, adducere Decreta Pauli V. & Gregorij XV. pro myſterio Conceptionis expedita: diſcurrendoque per ſingulas clauſulas nititur probare nihil in ipſis fuiſſe ſtatutum contra doctrinam Sancti Thomæ de Conceptione, & concludit ſic: *Tertiò, eſt advertendum pro complemento eorum, quæ ſuprà dicebamus, videlicet, Fratres Ordinis Prædicatorum non ſolùm olim magnos in Eccleſia fructus protuliſſe, ſed hoc etiam tempore proferre, Summum Pontificem Gregorium XV. in motu proprio, in quo eiſdem Fratribus ut inter ſe in privatis eorum colloquijs, & conferentijs de hac materia diſſerere, & tractare, ubiſque ullo pœnarum in ſuprà dictis Decretis contentorum, liberè, & licitè poſſint, & valeant Apoſtolicâ auctoritate conceſſit, egregiè de præfato Ordine ſentire, ejuſq; laudes commendare. Sic enim ejus litteræ incipiunt: Eximij atque ſingulares fructus, quos dilecti filij Fratres Ordinis Prædicatorum in militante Eccleſiâ, cujus regimini, Divinâ diſponente clementiâ præſidemus, attulerunt, & indies afferunt, promerentur, ut eoſdem Fratres ſpecialibus favoribus, & gratijs, quantùm in Domino poſſumus, libentèr proſequamur, &c. Et infrà. Nos, eoſdem Fratres Ordinis Prædicatorum, quos in viſceribus gerimus charitatis, ſpecialibus favoribus, & gratijs proſequi volentes, &c. Quartò advertendum nihil aliud eoſdem Fratres Prædicatores ardentiùs deſiderare, quàm Beatiſſimæ Virginis Dei Genetricis exaltationem, à qua tot, tantaq; , ac tam ingentia beneficia illis collata ſunt, &c.* Hæc Reverendus Pater Galvan, & inde incipit tractare late de Roſario; ſed de Conceptione nec pro, nec contrà habet verbum, cum toto illo ſuo ardenti deſiderio de exaltatione Dei Genitricis. Diſcu[illegible] verò tertio, & ultimo ſub hoc tit[illegible]: *Nihil mordacia invidorum verba San[illegible] Doctori nocent. Quædam à Summis Pon[illegible]ficibus pro celebratione dicti Feſti ill[illegible]dulgentiæ conceſſæ.* Agit de mordacib[illegible], ſeu invidis contra doctrinam Sa[illegible] Thomæ. Et præcipuæ illius prop[illegible]tiones ſunt ſequentes: *Invidi p[illegible] merum ventum parientes.* Item: [illegible] *ventoſa hæc verba non nocent.* Ite[illegible]: *Abeunt illa omnia in ventum*, à qui[illegible] deſcendit ad iſtas: *Divi Thomæ impe[illegible]natores cum eo collati ſunt homunciones, immò velùt pulices, cùm ſint nani, ſedans eorum conatus ſemper Divus Thomas [illegible]tes reddit, &c.* Si hoc dixerit Gal[illegible]an propter Scotum, & ſententiam Conceptionis, de qua egerat in antecedenti diſcurſu, ipſe videat: nol[illegible] enim de intentione judicare. Numero 10. refert Indulgentias conceſſ[illegible] Summis Pontificibus pro celebrat[illegible]ne Feſtivitatis Sancti Thomæ, q[illegible] diceret pro ultimo argumento c[illegible]cludente: Nihil mordacia invido[illegible]

verba

verba poſſunt nocere doctrinæ illius Doctoris, cui à Summis Pontificibus in ejus Feſtivitate ſunt conceſſæ tot Indulgentiæ. Pater Petrus Clerq in oratione Sancti Thomæ folio 11. de hac auctoritate Pauli V. agit latè.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

PAulus V. Pontifex Maximus conceſſit pro myſterio Conceptionis anno 1. ſequentia: pro altari Conceptionis in Eccleſia Sancti Stephani Firinan. *Dignum.* In Eccleſia Sanctæ Crucis Lucan. duo beneficia, & incipiunt: *Apoſtolicæ Sedis.* Et in altari Parochialis Sancti Thomæ Valentiu. *Apoſtolicæ Sedis.* Et pro altari in Sancto Antonio ejuſdem civitatis, & incipit eodem modo. Anno 2. indulgentiam pro die Conceptionis in Eccleſia Granaten. *De ſalute.* Et pro Prioratu Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis de Camelio Colyntricen. *Vitæ ac morum.* Anno 3. beneficium Conceptionis in loco de Reus Tarraconen. *Dignum* Et hîc vocat, *Conceptionem Immaculatam.* Et in eadem Eccleſia alterum: *Vitæ ac morum.* Et hîc etiam vocat, *Conceptionem Immaculatam.* Capellaniam in Eccleſia nen. S. Felicis de Fregaroli Terdonen. *Dignum.* Et in Eccleſia Sanctæ MARIÆ Plebis Bononien. *Vitæ ac morum.* Et in majori Eccleſia Lucan. *Apoſtolicæ Sedis.* Pro archiconfraternitate Conceptionis Sancti Laurentij in Damaſo: *Cùm ceitas.* Et ibi Decretum Alexandri S.R.E. Cardinalis pro confraternitate Conceptionis terræ Valentiæ Papien. *Dilectis nobis*, & vocat *Conceptionem Immaculatam.* Anno 4. beneficium Conceptionis de Cameràño: *Apoſtolicæ Sedis.* Et in Eccleſia Sancti Viti territorij Corunaldi Senogalien. *Litterarum ſcientia.* Et in hoſpitali Burgen. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia de Camerano Caſtrorum Anconitan. *Apoſtolicæ Sedis.* Approbavit erectionem Monaſterij Diſcalceatarum Conceptionis Virginis MARIÆ civitatis Regum: *Debitum Paſtoralis.* Anno 5. Capellaniam in Eccleſia Piſtinen. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia Sancti Pauli Verulan. *Vitæ ac morum.* Anno 6. beneficium in Eccleſia Caſalin. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia Pleve nuncupata Sancti Andreæ Montis Caroli Florentin. *Ex iniuncto.* Conceſſit confraternitatem & indulgentiam in Conventu Sancti Bernardini Veronen. *Super gregem.* Et in Eccleſia Sancti Martini de Malda Tarraconen. *Dignum.* Atque in Monaſterio Sancti Petri Majoris Florentin. *Dignum.* Et in Eccleſia terræ Sezzæ Terracinen. *Dignum.* Et in

in Eccleſia Sancti Andreæ Valentin. *Dignum.* Anno 7. de Confraternitate Conceptionis in Sancta MARIA Montis Pietatis Bitteten. *De ſalute.* Et de altera in Eccleſia Sancti Defendenti Januen. *Conſiderantes noſtræ.* Et in Conventu Sancti Franciſci de Eſte Paduan. *De ſalute gregis.* Et in Sancta MARIA Annuntiatæ Alexandrin. *Pro ſalute gregis.* Oratorium in loco Aquati Plebis Conchæ Mediolanen. *Dignum.* Beneficium in loco de la Zepeda Abulen. *Vitæ ac morum.* Et in Eccleſia villæ de Alpuente Segovien. *Dignum.* Anno 8. Capellaniam in Eccleſia de Dola Biſuntin. *De ſalute* Et in oppido de Aleches Malacitan. cum indulgentia: *De ſalute.* Confraternitatem de Naval Carnero Toletan. *De ſalute gregis.* Altare in Eccleſia Sancti Georgij & Joannis Baptiſtæ loci Caſtricervi: *Apoſtolicæ Sedis.* Indulgentiam in Eccleſia Sanctæ MARIÆ Novellæ Ferrarien. *De ſalute gregis.* Et confraternitatem in Eccleſia terræ Mediolani Caſertan. *De ſalute.* Anno 9. conceſſit gratias pro Feſto Conceptionis, & confraternitate in Eccleſia S. Nicolai Sulmonen. *Cum ſicut accepimus.* Et eodem modo pro oppido de Luazez: *De ſalute gregis* Et pro Conventu loci Sorrendi Spoletan. *Conſiderantes* Et in Eremitorio Agricolao Mirānden. *De ſalute.* Et in hoſpitali de Inieſta ſub titulo Conceptionis confraternitatem: *De ſalute.* Capellaniam in terra Lugniani Americn. *Dignum.* Et indulgentiam in Eccleſia Sancti Nazarij Mediolanen. *De ſalute.* Et in Monaſterio oppidi Segura de Leon: *De ſalute.* Et in Eccleſia Raydoms Tarraconen. *Vitæ ac morum.* Et de Capella Conceptionis in Eccleſia Corduben. *Vitæ ac morum.* Et hîc vocat *Conceptionem Immaculatam.* Pro Eccleſia Conceptionis de Caprilea Feſculan. & ejuſdem confraternitate: *De ſalute.* Et hic vocat etiam *Conceptionem Immaculatam.* Anno 10. indulgentiam pro Eremitorio oppidi de la Pu[illegible]a de Alcazar Toletan. *De ſalute* Beneficium in Eccleſia loci de P[illegible]tel Deturſen. *Vitæ ac morum.* Confraternitatem in Eccleſia de Para[illegible] Oliveti: *De ſalute.* Et in Eccleſia Sancti Nicolai Valentin. [illegible]. Et in loco de Sebeda Abulen. *Vitæ ac morum.* Indulgentias in Eccleſia Sancti Blaſij loci Baldeverzia Burgen. *De ſalute.* Et in Eccleſia de Carva[illegible] de Peñas Cæſar-auguſtan: *De ſalute.* Et in Eccleſia terræ Spebræ L[illegible]. *Dum præ-excelſa.* Anno 11. Capellaniam Conceptionis in oppido de Rivadeo: *Dignum.* Et indulgentiam in oppido de Niguella N[illegible]. *De ſalute.* Et in Eccleſia de Riqu[illegible] Bellogen. *De ſalute.* Et in hoſpitali Granaten. *De ſalute.* Et in Eccleſia S. Martini loci de Viminiell[illegible] Florentin. *De ſalute.* Et in Eccleſia Angel[illegible] Ferracœlis: *Conſiderantes.* Et confraternitates in loco del C[illegible] T[illegible]. *Illuſtrantes.* Et in hoſpitali Sanctæ Catharinæ de Foguiano F[illegible]. *De ſa-*

lu-

lute. Et pro capellano Conceptionis de Corteſel: *Laudabilia.* Anno 12. beneficium in Eccleſia Sancti Laurentij Valentin. *Dignum.* Et vocat *Conceptionem Immaculatam.* De confraternitate in Eccleſia Sancti Viti & Modeſti Vicentin. *De ſalute.* Altare civitatis Florentin. *Vitæ ac morum.* Et anno 13. confraternitates in Eccleſia S. Leonis oppidi Terracinæ Caſſanen. *De ſalute.* Et hic vocat *Sanctiſſimam Conceptionem.* Et in Sancto Martino de Palatiolo Pariſien. *Illius vices.* Et in Eccleſia Sancti Pauli de Campomartio Veronen. *De ſalute.* Et in Eccleſia Caſtricampi Tulumen. *Sedis Apoſtolicæ.* Beneficium in Eccleſia Almenaræ Deturſen. *Dignum.* Confraternitatem pro hoſpitali Conceptionis Pampilonen. *De ſalute.* Anno 14. pro Eccleſia Conceptionis in loco Carraſcoſa del Pinar Conchen. *Vitæ ac morum.* Et ibidem beneficium. Et in Eccleſia Pratorum Regis Vicen. *Dignum.* Et in Eccleſia Prioratus Urgelien. *Dignum.* Confraternitatem & indulgentiam in Eccleſia S S. Trinitatis Veronen. *De ſalute.* Et in Eccleſia Sancti Petri oppidi de Daymiel. *Illius vices.* Indulgentiam in Eccleſia Saorovicen. *De ſalute.* Pro Monialibus Conceptionis terræ de Genſano: *Ex injuncto.* Anno 15. altare in oppido Caſar Cæſar-auguſtan: *Dignum.* Confraternit. Militum Hiſpanatem in terra Manaci Nicien. *Conſiderantes.* Beneficium in oppido de Sarcedas Agitanen. *Vitæ ac morum.* Indulgentiã in Oratorio loci Cornaſiæ Lunen. *Dum præ-excelſa.* Approbavit erectionem Monaſterij de Algaına: *Ex debito.* Et vocat *Conceptionem Sanctiſſimam, & Immaculatam.* Et circa Provinciam Conceptionis Aquitaniæ: *Fabritius, &c.* Anno 16. beneficium in Eccleſia Sancti Joannis de Mercado Valentin. *Dignum.* Et alterum ibidem: *Vitæ ac morum* Et in Eccleſia Sancti Flaviani terræ Juliæ novæ Aputrin. *Dignum.* Et hæc de Bullis in communi pro Myſterio Conceptionis expeditis à Summo Pontifice Paulo V.

Præter iſta edidit alia ſpecialia pro eodem, ſcilicet, anno 1616. Pontificatûs ſui anno 12. approbavit, & confirmavit conſtitutiones Sixti IV. & Pij V. ſua Bulla incipiente: *Regis pacifici, &c.* ubi inter alia dicit: *Ejuſdemq́ Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, &c.* Et in Decreto edito die 31. Auguſti anno 1617. incipiente: *Sanctiſſimus Dominus noſter,* indixit perpetuum ſilentium in actibus publicis opinioni contrariæ, ſic dicens: *Ac præſentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, & inſtituti Regularibus, & alijs quibuſcumque tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua eorum neceſſariò eſſet facienda mentio, ut impoſterum, donec articulus hujuſmodi à Sancta Sede Apoſtolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumque actibus publi-*

tis aſſerere, quòd eadem Beatiſſima Virgo MARIA *fuerit concepta cùm peccato originali. Contra facientes, &c.* Hoc Decretum fuit poſteà confirmatum per Gregorium XV. Conceſſit etiam, quòd F F. Minores poſſint recitare Officium Immaculatæ Conceptionis editum à Leonardo de Nogarôlis, quod incipit: *Sicut lilium,* in omnibus Sabbatis non impeditis, anno 5. ſui Pontificatûs die 19. Januarij, ut videre eſt apud Rodericum fol. 544. & in Armamentario, columnâ 174. Sed & aliam conceſſionem fecit anno 8. ſui Pontificatûs die 16. Julij: quod quidem Decretum fuit impreſſum in Camera Apoſtolica. Denique anno 1615. die 10. Julij conceſſit dicentibus illam Antiphonam: *Hæc eſt Virga, in qua nec Nodus originalis, nec Cortex actualis culpæ fuit*, & verſiculum: *In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti, &c.* Et Orationem: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.* centum dierum indulgentiam, his verbis: *Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, è cæleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti, omnibus utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus, qui antiponam, & orationem Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis approbatam devotè recitaverint, quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, ſive aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in formâ Eccleſiæ conſuetâ relaxamus, præſentibus perpetuis temporibus valituris, &c.* Nota vocem illam: *approbatam.* Item in libello impreſſo Duaci typis viduæ Marci Wyon anno Domini 1632. ſic dicitur: *Officium puriſſimæ, & Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis, quod ſibi gratiſſimum eſſe, ipſa ſuo pio clienti Alphonſo Rodriguez Societatis Jeſu ſignificavit: approbatum anno* 1615 *à S. P. N. Paulo V. qui ad perpetuam rei memoriam conceſſit omnibus Chriſti fidelibus idem Officium cum oratione de Immaculata Conceptione piè recitantibus centum dierum indulgentiam, &c.* Nolo hìc referre, quæ iſte Summus Pontifex poſuit in ſua Capella in Sancta MARIA Majori, quia fortè dicent hæc facta fuiſſe ut à perſona particulari.

Ut nos expediamus ab auctoritatibus, de quibus infrà facienda erit relatio, ſupponendum eſt, propoſitionem iſtam: MARIA *fuit concepta in peccato originali*, eſſe unum ex præcipuis telis, quibus hæretici utuntur, & jactant contra arcem militantis Eccleſiæ. Et hoc conſtat, & probatur ex ipſis Auctoribus Ordinis Prædicatorum: Nam Pater Thomas Leonardi in ſuo libro: De ſententia Divi Thomę Aquinatis adverſùs Joannem Georgium Dorſchæum Lutheranum Confeſſionis cap. 15. arguens contra hanc Dorſchæi theſim: *Beata Virgo in originali peccato concepta eſt*, fol. 128. ſic inquit: *Undè refellitur impudentiſſimum mendacium Joannis Pomeriani unius ex primis Lutheri Diſcipulis, qui in commentario cap. 1. & 44. Hieremiæ ſcribere auſus eſt, pro articulo Fidei apud Catholicos haberi, Beatam Virginem ſine ullo peccato, immò etiam de Spiritu Sancto fuiſſe conceptam.*

ceptam. Et ſtatim infrà: *Hinc refutata manet Martini Kemnitij calumnia in examine Seſsionis quintæ Concilij Tridentini, aſſerentis: non poſſe pro Immaculata Virginis Conceptione adferri Scripturas, aut Traditionem, aut Patres, ſed ſolas revelationes, & miracula. Ac deinde addit: Pontificios cùm novos articulos Fidei condere volunt, non curare verbum Dei ſcriptum, vel traditum. Impudens reverâ calumnia, &c. Refellitur etiam error Mathiæ Ilirici centuriâ nonâ capite* 10. *& Tilmani Heſhuſij in libro de ſexcentis erroribus Pontificum, titulo de peccato, numero ultimo, nec non Martini Kemnitij loco ſuprà citato, docentium, erroneam eſſe ſententiam illam, quæ facit Beatam Virginem peccati originalis expertem, eamq́; perperàm defendi contrà verbum Dei*. Et concludit folio 133. ſic: *Sed hæc fuſiùs proſecuti fuimus, ut tu, Dorſchæe, tuiq́; ſimiles deſiſtatis impoſterum calumniari Catholicam Eccleſiam, quòd ipſa teneat tamquàm articulum Fidei Conceptionem Immaculatam: & quòd idcircò Conceptio Virginis ſolemnizetur in Eccleſia. Item ut elidamus enormiorem adhuc calumniam veſtram, quâ garritis, quòd Eccleſia Conceptionem Immaculatam diffiniverit ex ſolis privatis revelationibus, & miraculis, quodq́; hic ſit mos Pontificum, &c.*

Reverendus P. Dominicus Gravina tomo 1. ſuarum præſcriptionum fol. 452. & tomo 4. ubi de Magiſtro, & judice infallibili Romano Pontifice in punctis Fidei, morum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæſtione 6. articulo tertio, à pag. 374. per totum defendit Eccleſiam militantem, & Summum Pontificem à jaculo iſto hæreticorum. Reverendus Pater Andreas Comppeſtein etiam Ordinis Prædicatorum, in ſua clave Roſarij de hoc agit latiſſimè. Claudius Dauſchius in libro de Beata Virgine MARIA de Apriſcolis ſcuto 78. fol. 146. jaculum iſtud retundit. Poſſem adducere ex Auctoribus innumerabiles; ſed ſatiùs erit ipſoſmet hæreticos proponere originaliter. Joannes Calvinus in anthidoto contra Concilium Tridentinum, & in epiſtola 44. ad Montiſpelgardenſes, Agricola Turacius in ſuis ſatyricis petitionibus folio 83. Jacobus Sankius in Evangelio de Chriſti Conceptione, Guilielmus Roſingus in oratione contra ſcholas Jeſuitarum, Joannes Wigandus in Relectione de peccato originali, impreſſ. Jenæ, an. 1572. in 4. R. Montacutius in libro Apparatûs ad origines Eccleſiaſticas, apparatu 8. numero 37. & 303. Hæreticus, atque Apoſtata Marcus Antonius de Dominis Archiepiſc. Spalatenſis in libro de Republica Eccleſiaſtica, lib. 5. cap. 8. num. 19. f. 346. Lambertus de Rijck in Theſ. 5. de peccato originali in 4. David Parcus Heildelburgenſis folio 56. David Caillet Gallus, Michaël Bayus in propoſitione 69. Franciſcus Gomara Leidenſis. Innocentius Gentillet in Telonio contra Concilium Tridentinum, impreſſ. Gallicè 1586. in 8. Hieronymus Welter. Sarcerius in poſtilla Annunciationis, libro 1. capi-

Digitized by Google

capite 12. folio 121. Witak, de quo Gravina. Andreas Riveti in apologia Beatæ Virginis lib. 1. cap. 4. fol. 20. uſque 71. Mornæus in myſterio iniquitatis oppoſit. 56. fol. 628. Abbatus Oxonienſis de Antechriſto capite 11. pag. 317. Joannes Henricus Ottingerus in hiſtoria orientali folio 92. & 94. & in libro Odegona, id eſt, Nomenclatura, parte 2. pag. 160. & deinceps. Hermanus Springilius in lib. de hodiernis hæreſibus, lib. 3. colum. 1089. & lib. 2. de hæreſi Pelagiana. Hæretici Leidenſes Joannes Polyandrus, Andreas Rivetus, Antonius Waleus. Antonius Thyſius in libro Synopſis purioris Theologicæ, diſputationibus quinquaginta duabus comprehenſo diſp. 5. de peccato originali, n. 19. f. 166. impreſſ. Lugduni Batavorum an. 1625. Antonius Corvinus Hæreticus in Poſtilla, impreſſ. anno 1540. fol. 327. inſinuat Virginem Dei Matrem fuiſſe cum originali peccato Conceptam. Centuriatores expreſsè, Cent. 13. cap. 4. f. 135. ad finem. Bugenhagius in comment. Hieremiæ cap. 44. Beuſt. in Homilia Dominicę Adventus, qui erat dies Conceptionis, pag. 666. Rodulphus Hoſpinianus Tigurinus, in lib. de Feſtis Chriſtianorum ad diem 8. Decembris. Hericius Rhonel in libro Ideæ reformandi Antechriſtum, tomo 1. in præfatione, & parte 2. cap. 2. folio 103. Nicolaus Videli in libro: Opuſcula nova Theologica diſp. 34. folio 65. de peccato originis, num. 3. & Joannes Gerardi Jenenſis in libro locorum Theologorum, &c. impreſſ. Jenevæ in fol. & alibi in 4. latiſſimè agit contra Immaculatam Virginis Conceptionem tom. 1. de peccato originali à fol. 273. & inter alia dicit: *Enormes Prædicatorum impoſturas in miraculis ad ſententiæ ſuæ confirmationem excogitatis, & convictis, vide centuriâ 16. Wolffi anno 1507. pag. 10. ex Stumphi Chronicorum Helvetico.* Hoc dixit propter acta Bernenſium. De qua miraculorum fictione, licet habeam apud me relationes quatuor authenticas, nec verbum volui introducere; quia omnia tempus ſuum debent expectare. Omnes iſti Hæretici telum, & tela conficiunt contra Eccleſiam militantem, ex hac propoſitione: *Virgo* MARIA *concepta fuit in peccato originali.*

Ex quibus omnibus enumeratis hæreticis ad conficiendum Nodum duos funiculos peſſimos adminiſtrarunt Auguſtus Varenius, & Jacobus Lindemannus hoc anno 1662. in ſuis Decadibus poſitionum de Fide Catholica, dicentes num. 4. contra myſterium Immaculatæ Conceptionis: *Paulus V. ac Gregorius XV. Pontifices Philippis Hiſpanis in quæſtione de* MARIÆ *privilegio deciſionem poſtulantibus reſpondentes, Pontificem nihil poſſe amplius in hac controverſia præſtare, donec Spiritus ex alto infuderit. Spiritum nondum tanti myſterij penetralia Eccleſiæ ſuæ pate feciſſe oſtenderunt inſigne deliquij infallibilitatis exemplum; & reſponderent falſum, teſtibus*

Digitized by Google

bus Alberto Magno, Bonaventurâ, Barletâ, Cajetano, & integris Ordinibus Pontificijs, qui alteri parti, certè dogmati Pontificiorum plurimùm dudum hæreſeos infame nomen adſcripſerunt. Hoc telum ridiculum, frivolum, & fallacijs plenum jecerunt iſti duo Hæretici in duo illa capita univerſalis Eccleſiæ, Paulum IV. & Gregorium XV. & ſtatim numerò 8. vibrarunt aliud contra Sanctum Thomam, & ejus doctrinam ſic: *In Sorbona inquiſitum olim an Thomas fuerit hæreticus? Et deciſum; à doctrinâ Thomæ hæreticâ alicubi ad Thomam hæreticum non valere conſequentiam; quia, ſcilicet, Thomas non fuerit pertinax. Sufficit nobis confeſſio Sorbonæ.* Tam iniquum eſt hoc telum contra Sanctum Thomam, quàm primum contra Conceptionem. Jaculantur ut cœci tela ſua, quia nec in determinatione circa myſterium Conceptionis infallibile caput Eccleſiæ ullum ſuſtinuit deliquium, nec Sanctus Thomas in Sorbona umquam fuit inquiſitus ut hæreticus, ut patet ex ſupra-dictis. Sed non eſt hujus loci omnia iſta Hæreticorum arundinea tela conquaſſare, frangere, ac igni tradere. Sufficit enim indicaſſe qualia ſint iſta hæretica tela contra myſterium Conceptionis, & doctrinam Angelicam emiſſa. Pergimus ad Nodos.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

QUia Paulus V. Summus Pontifex protulit hoc elogium de Sancto Thoma: *Cujus ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum telà feliciter elidit*; dicunt, affirmant, & defendunt ſui Diſcipuli, doctrinam Sancti Thomæ eſſe auctoritate Apoſtolicâ approbatam, & ſuperexaltatam. Hoc non negamus; ſed libentiſſimè admittimus, & tantùm inquirimus, quomodò idem Pontifex vocando ſepties expreſſis verbis Conceptionem ipſam Immaculatam non approbaverit, neque extulerit hanc ſententiam præſervationis Virginis à peccato originali, ſed pòtiùs illam reprobaverit, & dejecerit? Hîc eſt Nodus & difficultas: ſuppoſitâ approbatione doctrinæ S. Thomæ verificare reprobationem ſententiæ immunitatis MARIÆ. Si una clauſula brevis, & ex iſta ſeptem hæc verba: *Scripta Sancti Thomæ ſunt clypei militantis Eccleſiæ*, approbarunt totam doctrinam Sancti Thomæ; quomodò tot Paulinæ, & clauſulæ in ipſis contentæ non potuerunt approbare unicam ſententiam de Concep-

 tio-

tione Virginis MARIÆ? Totum controverſiæ telum eſt ſitum in hoc, an Conceptio Virginis fuerit Immaculata, vel maculata: Dicunt hæretici, & aliqui, qui non ſunt hæretici, eſſe maculatam; & hinc telum. E contrà ferè tota Eccleſia militans, & viginti Summi Pontifices, & inter ipſos Paulus V. dicit Conceptionem eſſe Immaculatam, & hoc repetit non ſemel, ſed ſepties. Ubi eſt clypeus militantis Eccleſiæ? Aut quomodò eſt maculata? Quia dicunt omnia iſta teſtimonia ſe feliciter, & faciliter elidere, dicendo ibi locutum fuiſſe Summum Pontificem relativè, non aſſertivè: tamen prolata pro doctrina Sancti Thomæ ſunt veræ, & reales approbationes, & confirmationes non relativæ, ſed aſſertivæ. Et hîc alter exurget Nodus ſi inſtamus. Fortè à Summo Pontifice fuit approbata illa doctrina, ſeu ſcripta, quæ in Sancto Thoma militant immediatè contra hæreticos, ut eſt illud contra Gentes, contra Guilielmum de Sancto Amore, &c. Non, inquiunt, ſed omnis doctrina Sancti Thomæ eſt approbata, & omnia ſcripta ejuſdem auctoritate Apoſtolicâ confirmata, ſive contra Hæreticos, ſive contra Catholicos, ſive dogmatica, ſive ſcholaſtica ſint, quia Summus Pontifex loquitur indiffinitè, univerſaliter, & in plurali: *Cujus ſcriptorum clypeo, &c.* atque pro doctrina Sancti Thomæ favores Apoſtolici ſunt ampliandi: undè omnia ſcripta ejus ſunt clypei militantis Eccleſiæ. Non curemus de conſequentia iſta: Scripta Sancti Thomæ ſunt pro clypeo Eccleſiæ militantis; ergò omnia ejus ſcripta ſunt confirmata, & approbata auctoritate Apoſtolicâ: quia neſcio, undè talis illatio ſit legitima, aut rationalis. Sed demus, & concedamus eſſe legitimam; & argumentemur eodem modo: Summus Pontifex Paulus V. appellat Conceptionem Immaculatam: ergò eſt Immaculata Conceptio. Dicunt, quòd hæc non valeat, quamvis identica, & idem per idem: quia non eſt pro doctrina Sancti Thomæ, ſed pro immunitate, gloria, & honore Virginis MARIÆ, & pro ea favores ſunt reſtringendi, & dicere expreſſis, & aſſertivis verbis eſt nihil dicere. Nimis ſtrictus eſt Nodus iſte: qui poteſt ſolvere, ſolvat.

NODUS SECUNDUS.

Propoſitio iſta: *Virgo* MARIA *fuit concepta in peccato originali*, eſt telum hæreticorum contra Eccleſiam militantem. Non dico propoſitionem eſſe hæreticam; abſit: ſed tantùm affirmo eſſe telum hæreticorum, quo volunt impugnare, & expugnare Eccleſiam Catholicam, & infallibilem illius veritatem, atque illius caput Summum Pontificem infringere: & neceſſarius eſt clypeus, & magnus pro tam ingenti capite. Hoc ſuppoſito interrogo: an inter ſcripta Sancti Thomæ ſit aliquis clypeus contra telum iſtud tam repetitum, & impetitum ab hæreticis? Si reſpondent quòd non, ut di-

dicunt, licèt ex hac parte doleam propter multas cauſas, & præcipuam, quia ſupremum caput militantis Eccleſiæ caret clypeo doctrinæ Sancti Thomæ contra telum iſtud hæreticorum: gaudeo tamen ex altera parte, quòd in hac regula univerſaliſſima approbata, & exaltata à Summo Pontifice ſupremo Eccleſiæ militantis capite: *Scripta Sancti Thomæ ſunt clypeus capitis militantis Eccleſiæ*, non habeat ipſe clypeum iſtum contra telum illud hæreticorum: Maria *fuit concepta in peccato originali.* Igitur ſi in univerſaliſſima doctrina Sancti Thomæ confirmata, & approbata auctoritate Apoſtolicâ eſt una exceptio in myſterio Conceptionis Dei Genitricis; etiam iſta univerſalis approbata, & confirmata ab Eccleſia: *Omnes in Adam peccaverunt*, habebitne ſuam exceptionem? Sed adhuc hoc negant, affirmantes quòd nulla poſſit eſſe in hac ultima Virginis Mariæ exceptio, quia non exprimitur à Scriptura. Et hinc ingens oritur Nodus. Univerſalis eſt iſta: *Doctrina Sancti Thomæ eſt clypeus contra tela hæreticorum*, approbata, & confirmata à Sede Apoſtolicâ, & hæc habet exceptionem, licet non exprimatur à Summo Pontifice, quia non eſt illi clypeus contra telum hæreticorum dicentium: èrravit Summus Pontifex, & errat Eccleſia affirmando Mariam fuiſſe conceptam ſine peccato originali; quia ipſa fuit concepta cum culpa, ſicut cæteri: undè ſummum deliquium, & infame hæreſeos nomen ſuſtinuit ſupremum caput. Eccleſiæ in hujus quæſtionis deciſione; ubi ergò in doctrina Angelicâ eſt clypeus pro telo iſto? aut quomodò componemus iſta? Pro gloria, honore, immunitate, & præſervatione V. Mariæ eſt neceſſaria expreſſa exceptio regulæ generalis; & pro contumelia, opprobrio, macula, & culpa non eſt neceſſaria exceptio? Scriptura Sacra non patitur exceptionem, ſi eſt pro tutela Virginis Mariæ; & ſcriptura Thomiſtica patitur exceptionem, ſi eſt pro denigratione Virginis. Nullus in toto mundo ſolvet Nodum iſtum, niſi fuerit Alexander nomine, & re, & caput ipſum Eccleſiæ.

Nodus tertius.

Aliqui ex ipſis dicunt, in ſcriptis Sancti Thomæ eſſe etiam clypeum contra telum illud hæreticorum: Maria *concepta eſt in peccato originali*, ſcilicet, in primo ſententiarum diſt. 44. ubi reſpondens ad auctoritatem Sancti Anſelmi dicit: *Ad tertium dicendum: quòd puritas intenditur per receſſum à contrario: & ideò poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit; fuit autem ſub Deo, in quantùm erat in ea potentia ad peccandum.* Ad hanc expreſſam auctoritatem, & alias hujuſmodi (ſunt enim quinque) reſpondent communitèr: quòd iſta ſcripſerit Sanctus Thomas, quando erat juvenis;

nis;

nis; ſed ſenex factus in tertio ſententiarum,& in tertia parte mutavit ſententiam dicendo expreſsè, & clarè Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali; & hoc eſt dicere etiam expreſsè, & clarè, quòd, quando juvenis, laboraverit Sanctus Thomas clypeum pro capite Summi Pontificis, & pro Virginis MARIÆ immunitate: & quando ſenex, fecerit tela contra Pontificem, & MARIAM. Hinc eſt, quòd aliqui inter Diſcipulos ejus arripiant telum, alij autem clypeum: & ecce regnum in ſeipſum diviſum ſi deſolabitur, necne opinio, ſolus ALEXANDER poteſt determinare. Sed jam ad rem noſtram: Vel ſententia relata Sancti Thomæ pro immunitate Virginis fuit approbata à Paulo V. cum alijs, vel non? Si fuit approbata, habemus intentum; ſcilicet, quòd in doctrina Sancti Thomæ ſit clypeus probatus, & approbatus contra telum illud: MARIA *fuit concepta in peccato originali*, ſive emittatur à manu hæretica, vel Catholica, ſive ut opinio,ſive ut blaſphemia. Si inter omnia alia ſcripta hæc ſola auctoritas non fuit approbata; quid dicemus de puritate Dei Matris? An quòd in ſcriptis Sancti Thomæ ſemper inciderit in reprobam partem? Quid de Angelico Doctore? Quòd ex dictis ejus illa, quæ ſunt pro gloria Virginis MARIÆ, projecta fuerint ad ſiniſtram? Quid de Angelica doctrina? Quòd in omnibus ſit approbata,pura, & illibata, ſalvâ illâ præcisè parte, in qua egit de pura, & illibata Conceptione Virginis MARIÆ? Quid de Diſcipulis illius? An quòd ex clypeo dolaverint telum contra ſuam,& omnium Matrem? Quid denique de Summo Pontifice Paulo, qui omnia ſcripta in communi approbavit, reprobans ſolùm ſententiam puritatis Advocatę,& Matris omnis militantis Eccleſiæ? Quid denique dicent hæretici? Niſi quòd ex vomeribus Catholicis faciant ipſi ſibi enſes. Sed ſiſtendum, ne Nodus intricatiſſimus intricetur magis.

NODUS QUARTUS.

Summus Pontifex Paulus V. conceſſit indulgentiam centum dierum recitantibus Orationem approbatam, ſicut & Antiphonam Conceptionis. Quæ eſt Oratio approbata, & Antiphona? Illa: *Hac eſt Virga, in qua nec Nodus originalis, &c.* Et Oratio illa: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem,&c.* Ergò ex Apoſtolico expreſſo teſtimonio habemus approbatas iſtas propoſitiones: *Virgo* MARIA *fuit Virga ſine Nodo originalis culpæ*, & *Conceptio ejus eſt Immaculata*; quomodò igitur contra hoc expreſſum teſtimonium Apoſtolicum dicitur, affirmatur, & defenditur,ſententiam immunitatis Virginis à peccato originali non eſſe approbatam ut veram, & Catholicã? Paulus V.conceſſit ne indulgentias pro re falſa,& non Catholica? Dicitne eſſe approbatum,quod approbatum non eſt? Qui ita diſcurrunt, in rei veritate inconſideratè deſtruunt,

ſtruunt, quod ſolicitè ædificare deſiderabant; & avellunt violentèr, quod aſtutè plantare intendebant. Nam ſi Summum Pontificem indulgentias concedere, & dicere expreſsè Mariam fuiſſe ſine Nodo originali, & Conceptionem fuiſſe Immaculatam, foret ac ſi nihil diceret, quomodò credetur eſſe approbata doctrina Sancti Thomæ in quadam clauſula, ubi Summus Pontifex loquitur de clypeis, & telis? Si Summus Pontifex diceret: *Sententia Conceptionis eſt clypeus militantis Eccleſiæ*, & de doctrina Sancti Thomæ è contrà: *Hæc eſt virga, in qua nec Nodus, nec cortex culpæ fuit*, & ſuperadderet de iſta: *hoc eſt approbatum*: quæ maneret ex duabus approbata? Tunc dicerent: quòd doctrina Sancti Thomæ: quia hîc non prædicatum, ſed ſubjectum variat rem. Ubi eſt doctrina Sancti Thomæ, ibi eſt approbatio: ubi eſt immunitas Virginis Mariæ, ibi eſt reprobatio: Doctrina Sancti Thomæ, & Religio Dominicana ex una parte, & ex alia immunitas Virginis, & Eccleſia cum Religionibus, Univerſitatibus, fidelibus, &c. approbatio ſemper ſequitur doctrinam, quia illi competit ab intrinſeco, & ex natura rei: pro ſententia autem immunitatis poteſt adeſſe, & abeſſe, ſed numquàm fit abſque ſubjecti corruptione.

Nodus quintus.

Iſta ſunt correlativa inter ſe oppoſita: ſententia pia, & opinio minùs pia; ſcripta Angelici Doctoris Thomæ, & ſcripta ſubtilis Doctoris Scoti, & aliorum oppugnantium doctrinam Sancti Thomæ. Præcepit Paulus V. ut pia ſententia denunciaretur liberè, prædicaretur continuò, & ſemper, & ubique publicaretur in quibuſcumque actibus generalibus, aut particularibus. Et è contrà: quòd opinio minùs pia totaliter taceat, & obmuteſcat. Quæ ergò ex his duabus manſit approbata, recepta, & confirmata à Paulo V. & Eccleſia univerſali? Si pia ſententia, habemus intentum; & inſuper habemus hoc, quòd ipſi in hac parte non ſecundum veritatem locuti fuerint, dicendo piam ſententiam de immunitate Virginis non fuiſſe approbatam ab Eccleſia, & ſuam opinionem fuiſſe de probabilitate canonizatam. Si opinio minùs pia eſt approbata, quia Paulus V. impoſuit illi perpetuum ſilentium, ut volunt ejus defenſores, præterquàm (quod apparet ridiculum certè) quòd eorum opinio inter ipſos maneat probatiſſima, quia ſemper tacet, & obmuteſcit, non ſolùm ex Pauli V. ſed etiam ex Gregorij XV. præcepto, & etiam ex tertio, & ampliori Decreto Alexandri VII. Pontificis Maximi. Tunc ſic: De ſcriptis Angelici Doctoris Sancti Thomæ dicit Paulus V. quòd ſint clypeus militantis Eccleſiæ: ex eo, quòd hoc affirmaverit de doctrina Sancti Thomæ, negavitne illud de ſcriptis ſubtilis Doctoris Joannis Scoti, aut aliorum? Præcepitne expreſsè, ut non legerentur, vel do-

Digitized by Google

docerentur in actibus publicis? Certum eſt, quòd non: ergò menſuratâ diſtantiâ inter utramque ſententiam, & doctrinam ſententia pia manſit approbata, & opinio contraria reprobata; & doctrina nec approbata, nec reprobata.

Nodus sextus.

Multi ſcriptores Ordinis Prædicatorum fecerunt clypeos pro defenſione doctrinæ Sancti Thomæ, quorum aliquos dedimus in ſuperioribus; inter ipſos fuit Pater Thomas de Suetonia in libro: *Elucidationum difficultatum Doctoris Sancti*, exiſtente manuſcripto apud Prędicatores Trajectenſes. Præcipuum tamen clypeum pro ſua doctrina fecit idemmet Angelicus Doctor in ſuo libro Retractationum, de quo loquuntur Joannes Vitalis, & alij. Pater Joannes Bunderus Ordinis Prædicatorum in Bibliotheca manu-ſcriptorum Belgij folio 614. numero 68. quæ apud nos extat, affirmat ſe vidiſſe, & legiſſe prædictum librum *Retractationum editum à Thoma de Aquino, &c.* in Conventu Gandenſi; & hoc nihilominùs aperto, claro, & expreſſo teſtimonio à ſuo non obſtante, ſcriptores moderni negant S. Thomam edidiſſe talem Retractationum clypeum, & illum ſepelierunt ſolùm, ut evitarent hanc conſequentiam: Angelicus Doctor fecit librum Retractationum; ergò ejus primus conceptus mentis non fuit purus, & ſine ullo prorsùs errore, aut defectu. Hoc funiculo poſito ex parte Corticis, alium neceſſe eſt conſtituere ex parte Virgæ; ſcilicet, nullum fuiſſe ſcriptorem in Eccleſia Dei, qui ediderit librum, ſeu tractatum integrum contra Immaculatam Conceptionem, niſi ex Ordine Prædicatorum, ut latè demonſtrabitur in ſecunda impreſſione Solis Veritatis. Et ecce Nodus. Quidquid poteſt excogitari ad ſtabiliendum has contrarias propoſitiones: *Conceptus mentis Divi Thomæ fuit ſine ullo errore: Conceptus ventris Dei Matris fuit cum errore*, factum fuit, & ſtat ſimul, & ſemel in eadem ſchola, & Religione. Et iſte non eſt Nodus? De alijs, qui ex Cortice & Virga poſſent exurgere Nodi, ſilemus conſultò ad tempus.

NO.

Digitized by Google

NODUS DECIMUS-TERTIUS
PRINCIPALIS

Inter duas revelationes S. P. N. Franciſci, approbantes doctrinam Sancti Thomæ, fictas: & alias duas ejuſdem Seraphici Patris veras pro ſententia Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ.

PRO CORTICE
§. PRIMUS.

FUit quidam Pater Hiſpanus Ordinis Prædicatorum, vocatus Alphonſus Fernandez, patriâ Placentinus, qui ſcripſit hiſpanicè Hiſtoriam, & Annales devotionis, & miraculorum Roſarij à ſuo principio, & origine, quorum prima impreſſio facta fuit Matriti anno 1613. ſecunda Vallis-oleti an. 1614. & item tertiò anno 1617. quartò tandem Matriti an. 1627. Et in hac ultima impreſſione, libro nono, cap. 28. de Officio Roſarij folio 328. in quadam appendice ad capitulum decimum primi libri pro pagina 2. folio 35. proponit hanc additionem: *Fray Johan de Jeſus Maria General delos Carmelitas Diſcalços en Italia. Arte de vivir eſpiritualmente traducido de Toſcano por el Dotor Miguel Coſme Febrer Presbitero, libro 5. cap. 8. fol. 277. refiere lo ſiguiente.* Et ſub hoc titulo proponit ſequentia: *Un Religioſo de la Orden del Padre San Franciſco llamado Fray Lauterio eſtando eſtudiando una noche y allando en cierta queſtion de Theologia muy gran dificultad, de la qual no allaba decla-*

racion, deſdeñoſe de conſultar y mirar ſobre ello las partes dela Summa de Theologia de Santo Thomas. Puſoſe en oracion ſuplicando al Señor y à ſu Padre San Franciſco le dieſe clara noticia, y intelligençia de ſu dificultad. Apareçiole en ſueños el glorioſo Padre San Franciſco acompañado del Angelico Dotor Santo Thomas, ambos hermoſiſſimos como dos ſoles: y el Angelico Dotor llevaba la capa toda ſembrada de reſplandeçientes eſtrellas; ſobre las cabeças de los quales eſtaba la Reyna de los Angeles Señora nueſtra, que tendidas las manos ſobre ellas las coronaba de unas hermoſiſſimas y precioſiſſimas coronas. Y eſtando aſſi dixo el Padre S. Franciſco al Religioſo eſtas palabras; ſeñalando à Santo Thomas: Crede huic, quia ejus doctrina non deficiet in æternum: cree à eſte, porque ſu dotrina no faltara eternalmente. Deſpertando el Religioſo y abriendo la parte de Santo Thomas lo primero que topo fue la duda y dificultad que tenia; y con tanta claridad, diſtincion. y dotrina allo alli la reſolucion de ſu dificultad, que dio gracias al Señor y le alabo para ſiempre en ſu Santo: de hay adelante tubo muy gran devocion à el, y à ſus libros Divinos, y predico el milagro algunas veces publicamente. Hucuſque Auctor iſte ex Ordine Prædicatorum, à quo poſteà omnes tranſcripſerunt.

Patres Salmanticenſes in ſuo libello: De tuenda ac docenda Sanctorum Auguſtini, & Thomæ doctrina, folio 126. num. 88. tranſcribentes auctoritatem à prædicto P. Alphonſo Placentino, ſic illam latinitati donarunt: *Ad hoc facit, quòd Frater Ioannes de Ieſu-Maria Carmelita Excalceatus in libro de Arte vitæ Spiritualis, quem compoſuit in lingua Italica, Michaël vero Coſmus in linguam Hiſpanicam tranſlulit, edito Valentiæ anno 1620. lib. 5. cap. 8. ſic ſe habet: Cùm quâdam nocte Frater Lauterius Religioſus Ordinis Sancti Franciſci ſtuderet, incidit in quæſtionis cujuſdam Theologicæ gravem difficultatem, cujus nodum diſſolvere non poterat: nec propterea Summam Sancti Thomæ inſpicere, aut conſulere enodandæ difficultatis gratiâ dignatus. Confugit ad orationem, oravitque Deum, & Sanctum Franciſcum, ut illi claram notitiam difficultatis concederet. Apparuit illi in ſomnis Sanctus Franciſcus, quem comitabatur Doctor Angelicus, uterque millies ſole pulchriores: Doctoris verò Angelici veſtis ſuperior, varijs ſplendidiſſimiſq; ſtellis coruſcabat; Beatiſſima Virgo ſuper eorum capita ſtabat, quæ extenſis manibus ſuper illa coronas pretioſiſſimas imponebat. Tunc Sanctus Franciſcus demonſtrans Sanctum Thomam Religioſo his verbis locutus eſt: Crede huic, quia ejus doctrina non deficiet in æternum. Experrectus Religioſus ſtatim aperuit Summam Sancti Thomæ: primumq; quod illi occurrit, fuit difficultas illa, quam cum ſumma claritate, & diſtinctione declaratam invênit; Deoq; gratias egit, miris præconijs Doctorem Angelicum extulit, deinceps ſingularem devotionem erga illum, illiuſq; libros Divinos habuit: & ſæpè miraculum hoc palàm narravit.* Iſta ſunt verba Patrum Salmanticenſium pro tuenda doctrina ſui Angelici Doctoris.

Sed videamus, quomodò hanc eam-

Digitized by Google

eamdem revelationem adducant Auctores Ordinis Prædicatorum ſcribentes poſt iſtos. Pater Balthaſar Arias Valentinus in ſuo Sanctorali ſermone de Sancto Thoma, hæc habet: *Los Santos del cielo aprueban la dotrina de Santo Thomas, y entre otros el glorioſo y Seraphico Padre S. Franciſco: del qual ſecuenta, que un Religioſo deſu Orden llamado Eleutheria teniendo ciertas dificultades en Theologia eſtudio mucho en Scoto, y nunca las pudo entender: rogo muchiſſimo à N. Padre San Franciſco le revelaſe loque habia de haçer para entenderlas: apareciole el Santo traiendo en ſu compañia à Santo Thomas: y buelto al Religioſo ſeñalole con el dedo à Santo Thoma, y dixole: hunc lege, hic enim dicet tibi quid te oporteat facere* Hucuſque Auctor iſte. In quibus verbis quatuor principalia addidit. Primum: quòd non eſſet una, ſed multæ difficultates. Secundum: quòd pro ipſis enodandis multùm ſtuduiſſet in Scoto, & tamen eas intelligere non potuiſſet; expreſſit in hoc intentionem præcedentium: nam huc tendunt omnes, ut, ſcilicet demonſtrent, Scotum nullam in Theologia poſſe ſolvere difficultatem, niſi recurratur ad Sancti Thomæ doctrinam. Tertium: quòd Frater Eleutherius non dormiret tempore hujus revelationis, ſed vigilaret. Quartum, & principale: quòd non dixiſſet ei: *Crede huic, quia ejus doctrina non deficiet in æternum*, ſed illud: *Hunc lege: hic enim dicet tibi, quid te oporteat facere*. Perpendenda eſt diverſitas verborum, & magis nucleus ſeu finis dicentis *Hunc lege*, ſufficit enim legere, ut unuſquiſque ſciat quid ſe oporteat facere. Proſequitur idemmet Pater Balthaſar Arias, ſic dicens: *La Virgen Sanctiſſima tambien aprobo eſta dotrina, pues teniendo un Religioſo de San Franciſco dificultad en un punto de Theologia, ſuplico a la Virgen le dieſe intelligencia de aquella verdad: apareciole la Virgen con S. Franciſco a la mano derecha, y Santo Thomas a la ſiniestra, y ſeñalando con el dedo à Santo Thomas dixo al Religioſo: Huic hære, ejus enim doctrina ſemper permanebit. Llgate à Thomas, que ſu dotrina permanecera para ſiempre. Deſapareçio y fueſe el fraile a la libreria, donde abriendo un libro de Santo Thomas topo alli la reſolucion deſu duda, &c.* Ecce, quomodò ſcriptor iſte ex una revelatione fecerit duas diſtinctas, unam ſub capite Sancti Franciſci, & alteram Virginis MARIÆ, tacendo in hac ſecunda nomen Religioſi, ut exiſtimarent fuiſſe aliquem diſtinctum Fratrem à præcedenti, & ſuperaddendo illud de apparitione Beatæ Virginis non poſſumus omnia eviſcerare.

Noviſſimè Pater Joannes de Mata Ordinis Dominici in ſuo Sanctorali Ordinis Minorum, & Prædicatorum in ſermone de Sancto Thoma diſcurſu 4. fol. 149. colum. 2. aliter diſponit hanc revelationem, dicens: *Que me canſo? Si Chriſto aprueba tres veces ſus eſcritos, ſi la Virgen Madre de Dios tambien, ſi los Principes de la Igleſia S. Pedro, y Pablo, ſi en las chronicas Seraphicas ſe refiere que aperecio N. P. San Franciſco à un*

un Religioſo ſuyo eſtudiando un punto de Theologia acompañado de Santo Thomas en quien le mando eſtudiar : Crede huic, quia ejus doctrina non deficiet in æternum. Hic jam addidit, quòd iſta revelatio extet in Chronicis Ordinis Minorum; ſed quàm alienum ſit à veritate, quia in noſtris Chronicis nec verbum extat de ipſa, benè, licet brevitèr, probat Reverendiſſimus Pater Frater Ildephonſus Vazquez, hodie à confeſſionibus Reginæ Chriſtianiſſimæ, lector Jubilatus, & Qualificator ſupremæ Inquiſitionis, in quodam reſcripto miſſo ad Romanam Curiam propter hæc, & alia hujuſmodi corrigenda, ubi inter alia dicit : *Locutus eſt ſine teſte, ſine Auctore aliquo ab eo allato, ex quo falſitatem hauriret, & quidem mentita eſt iniquitas ſibi tot à veritate devia immiſcendo.* Et paſſim dicit iſta fuiſſe quædam mendacia conficta. Hoc ipſum probat doctiſſimus ille Pater Larvatus, ſub nomine Petri à Valde clauſa, in libro: De immunitate Auctorum Cyriacorum à cenſura, Diatriba 6. fol. 138. cujus auctoritatem conſultò prætermittimus.

Denique ſi ſcire deſideras quantum creverit hæc fabella poſt ſolos viginti quinque annos: audi Patrem Antonium d'Aubermont in ſua oratione encomiaſtica circa finem, ſic dicentem: *Si niſi miſſo cælitùs teſtimonio rurſum non creditis, ecce de ſuperis vobis Seraphicum Franciſcum prodigiosè conſpicuum Lauterio cuidam è Sacra ſua Familia, & pio, & docto. Cujus cùm arctiſſimo difficillimæ quæſtionis Nodo inexplicabiliter premeretur, & neque iſtum, neque ſeſe, multiplici quamtumvis variorum ſcriptorum ſtudioſiſſimè implorato ſubſidio, laxare ullatenus ſciret; miſertus Seraphicus Pater, adſtantem ſibi proximè Angelum alterum, Eccleſiæ, Doctorumq́; Cherubinum Thomam Aquinatem, pretioſiſſimo inæſtimabilis coronæ diademate, ab auguſtiſſimæ Virginis Deiparæ manu mirabiliter redimîtum, protenſo digito demonſtrat : Et hunc, inquit, mi Frater viden? Hinc omnis controverſia petenda enodatio : nihil hæſita. Crede huic: quia ejus doctrina non deficiet in æternum. Audin? Huic. Præ cæteris habet veritatem ſententiarum. Huic. Sine ullo prorsùs errore conſcripſit. Huic. Certiſſima Chriſtianæ doctrinæ eſt regula. Huic crede, huic inſiſte, huic toto incumbe ſpiritu; illibata eſt & incorruptibilis: non deficiet in æternum. Credit Lauterus: & ſe mox omnis ambiguitatis tormento exemptum gaudet, &c.* Revelatio facta à S. P. N. Franciſco ſecundùm primum inventorem ſolùm continebat iſtam propoſitionem, ſeu approbationem. Scilicet : *Crede huic, quia ejus doctrina non deficiet in æternum.* Ex hac unica jam factæ & multiplicatę ſunt ſequentes. Prima. *Hinc omnis controverſiæ petenda enodatio*, ut ſtabiliret nullius controverſiæ poſſe eſſe deciſionem, niſi à doctrina Angelici Doctoris reſolutio ſumatur. Secunda eſt illa : *Præ cæteris habet veritatem ſententiarum* : ut ſic etiam à Seraphico cælo veniret, quod alij tribuebant Innocentiæ Papæ. Tertia: *Sine ullo prorsùs errore conſcripſit,* quam

Digitized by Google

quam adſcribunt Clementi VIII. Quarta: quòd doctrina Angelica *certiſſima Chriſtianæ doctrinæ ſit regula*, cujus primum auctorem dicunt eſſe Pium V. Quinta: quòd *illibata ſit, & incorruptibilis, & quæ non deficiet in æternum*. Hæc omnia dixit, & approbavit Seraphicus Pater Franciſcus, Patriarcha Minorum; & ſi quæramus ab ipſo, ubi invenerit iſtam egregiam approbationem; citat Auctores ad marginem ſic: *Tho. Villar. Com. in 1. Pater Ioannes à Ieſu Maria de arte vivendi ſpirit. verſ. Hiſp. Alphon. Fernan Diſp. Roſ. 4. edit. Ioan. Gavaſton Com. ad trac. S. Vincent. DD. Salman. in Apolog. Ioan. Mata ſer. de S. Tho. Hiſp. Domin. Gravin. in Cathol. præſcrip. & alij*. Ex hîc citatis duos non vidi, de alijs certus ſum, quòd nihil dicant de ſex illis ſignatis clauſulis. Sed quomodocumque ſit, ipſæ ſunt prorsùs fictæ & additæ, ſive à Patre d'Aubermont, ſive ab alio. Et iſta figmenta detegere, credo non eſſe doctrinam Sancti Thomæ denigrare, aut lædere. Suntne iſta verba S. Thomæ, aut protulit Angelicus Doctor incongruentias iſtas de ſua doctrina? oſtendant nobis iſta in operibus S. Thomæ, & recipiemus illa; ſed cùm non ſint iſtius, ſed cujuſdam inconſiderati ſcriptoris Lovanienſis qui phalerato ſermone dixit quod ſibi placuit; quare iſta detegere eſt ponere os maledictum in cælum doctrinæ Angelicæ, ſathanizare contra Sanctos Dei, & alia quæ dicta ſunt in eodem Conventu Lovanienſi in Orationibus factis hoc anno 1663. in die Sancti Thomæ, & Sancti Patris noſtri Dominici, quibus omnibus fuit reſponſum affigendo per totam civitatem chartulam continentem ſolummodò iſta verba: *Nodus indiſſolubilis pro Immaculata Virginis Deiparæ Conceptione, qui non ſolvitur inanibus verbis, ſed calamo & veritate: contra quem in Feſto Sancti Patris noſtri Dominici: & Sancti Thomæ Aquinatis reſpectivè habitæ fuerunt Orationes Lovanij in templo PP. Prædicatorum. Extat apud Georgium Francois ſub Hallis*. De alijs divulgatis in duobus folijs manu-ſcriptis dicemus aliqua infrà.

Hæc omnia fortè pervenerunt ad manus Annaliſtæ Ordinis Minorum Reverendi Admodum Patris Fratris Lucæ Waddingi, dum typis mandabat ſeptimum Tomum Annalium: quando in quadam appendice, inter alias additiones folio 468. appoſuit iſtam: *Anno 1308. nu. 52. poſt illa verba: poſt Aquinatem ſint aſſecuti, adde. Et nihilominùs novi quidam, recenteſq; Auctores indignas fabulas ſecuti, quaſdam ſparſerunt revelationes, vel viſiones excogitarunt, per quas ita Sancti Thomæ doctrinam magnificant, ut illam tamquàm totius veritatis depoſitum unicum in æternum duraturam effingant, & quaſi ab alijs exulantem veritatem hîc ſolùm liceat reperire. Unius ipſorum eſt illud commentum: Minoritæ cuidam indefeſſè Scoti opera evolventi, fruſtraq; dubiorum ſolutionem perquirenti, & inſtitutorem ſuum deprecanti, ut quid faceret, revelaret, apparuiſſe Sanctum Franciſcum, lateriq; hærentem Aquinatem,*

Digitized by Google

natem, & filio Partem digito indicando Thomam, dixiſſe: Hunc lege; hic enim dicet tibi, quid te oporteat facere. Alterius iſtud: Franſciſcano alteri de quadam re Theologica dubitanti, viſam Virginem M A R I A M *mediam inter Divos Franciſcum, & Aquinatem dixiſſe: Huic (Thomæ) hære: ejus enim doctrina ſemper permanebit. Atque ita prævaluerunt hæ fabellæ, ut tranſcriptores, & traductores invenerint, & tamquàm præclara Aquinatis elogia publicis locis, Academiarum frontibus explicentur. At vel illud contendunt hi præclari encomiaſtæ, ut fruſtrà apud Scotum perquiratur veritas, utpotè quæ apud Thomam dumtaxat poſſit reperiri, Scotiq; doctrina ſit peritura, & Thomæ in æternum duratura: quo quid injurioſius, aut ineptius dici potuit? Thomas bis interpretatus eſt Magiſtrum ſententiarum, Scotus ſemel Oxonij, ſed diffuſiùs, ſecundò Pariſijs, ſed breviùs: Eidem argumento inhæret uterque, iiſdem circa præcipua Fidei myſteria nititur principijs, cum Thoma in ſolidis, firmiſq; Theologiæ regulis Scotus concordat: an non, & hæ veritates apud Scotum invenientur? Vel omnem fortè auctoritatem perdent, niſi apud Thomam legantur? Itáne Divinis his monitis, vel ſpectris exulabit è cœtu Chriſtianorum Scotus? Ejuſq; peribit doctrina, ut ſola credenda, & ſequenda ſit Aquinatis? Sed quales hæ revelationes? Quando exortæ? Ubi locorum? Quinam Sancti illi Franciſcani, qui tales meruerunt excipere? Vetuſtæne ſunt, an recentes? Si ante multos annos factæ: ſeipſa quotidiè robuſtior, latiuſq; ſemper diffuſa Scoti Doctrina non revelationes has, ſed adinventiones eſſe demonſtrat. Si his temporibus prodierunt; quod futurum eſt, tria præterita ſæcula, quibus Scotus maximè invaluit, apertè prodierunt. Quòd ſi verò velint omnium dubiorum ſolutionem in Scoto non haberi, & pro multis enodandis Thomam eſſe conſulendum, id libentèr admittimus: diffuſiùs enim, clariùs, copioſiùs, frequentiori quæſtionum partitione Divinam, moralemq; tradidit ille doctrinam. Quòd autem peritura ſit Scoti, neſcio, undè tantæ jacturæ periculum; neque enim totam proſcribet Eccleſia, quæ nullam hactenùs damnavit propoſitionem; neque putem adeò deſides, & inertes fore Scoti ſodales, ut perditam iri permittant præſcripti ſibi Magiſtri doctrinam, aliàs de re ſcholaſtica benè meritam, & à doctis, piiſq; viris Summoperè commendatam.* Sic diſcurrebat doctiſſimus P. Waddingus pro doctrina Scoti, de qua non curamus, ſed de defenſione puritatis Matris Dei.

Prædictas, vel unam, vel duas revelationes eſſe falſas, & ſuppoſitas, ex quinque probatur capitibus. Primò, ex illa generaliſſima, cujus regulam tradidit Pater Dominicus à Sancta Thereſia etiam ex ordine Carmelitarum loquendo de hac Conceptionis materia: *A junioribus ſine delectu citantur, aut verba afferunt, quorum ſi fidem quæras, nullam invenies, ſeq; hoc nutat ex ipſa relatione, dum vel non aſſignatur certus liber, aut tractatus, vel caput omittitur, vel non ea tradidit, quæ in fontibus vidit, ſed quæ indè tranſcripta ſæpe quidem aucta, ſæpe diminuta, non ſemel verò omninò quoad ſenſum contrarium permutata*

apud

Digitized by Google

apud alios offendit, *&c.* Omnes iſti defectus reperiuntur in propoſita revelatione,ut ex teſtimonijs ipſorum Auctorum conſtat.

Secundò, ex ipſomet libro: nam Reverendus Pater Joannes à Jeſu-Maria Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, à quo dicunt ſe extraxiſſe prædictam revelationem. Hic enim doctus,& piusPater plura edidit opuſcula, quæ conjunctim prodierunt quatuor tomis Coloniæ Agrippinæ anno 1621. in folio ſumptibus Bernardi Gualterij: & tom. 3. fol. 198. extat citatum opuſculum de Arte vivendi ſpiritualiter, cujus prologus incipit: *Scopus,& inventio Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in ſua cum hominibus converſatione, &c.* Et folio 236. extat caput octavum partis quintæ, cujus titulus eſt: De Magiſtris, & ſcholaſticis; & incipit: *Magiſtri, & Scholaſtici, qui ſpiritualiter vivere, & procedere voluerint, ſequentia obſervare poterunt,&c.* Ibique agit de lectoribus, & ſcholaſticis, & de opinionibus, Extravagantibus, & novis non docendis, ſed communioribus; & quomodò ſequi oporteat Doctores graviores,maximè in ſcientijs Theologicis. Et num. 9. inquit: *Nullum dent diſtractioni,aut multiloquentiæ locum, quod etiam Divus Thomas conſulit, qui raro quodam cum ſilentio docuiſſe traditur*, & nihil ampliùs, quia de tali revelatione nec minimum habet verbum. Unde conſtat fuiſſe fictam, & ſuppoſitam, ſicut & illud de Doctore Michaële Coſma Febrer Presbytero, &c.

Tertiò,quia illud etiam eſt falſum de Doctore Michaële Coſma Febrer Presbytero Valentino,& de editione Italica, à qua dicunt fuiſſe tranſcriptam illam revelationem; nam prææallegatus liber de arte vivendi ſpiritualiter Reverendiſſimi Joannis à Jeſu fuit primò impreſſus Romæ linguâ Italicâ typis Jacobi Maſcardi, anno 1610. in 24. & caput octavum allegatum, extat fol. 214. quod eſt de Lectoribus & Scholaribus, ſicut in Latino incipit: *I Lettori è Scolari*, & pars 5. incipit: *Prima d' commentiare à trattare*, & in ipſis nec unicum verbum extat, ex ſua intruſa revelatione; & ſic omnia poſita in hac probatione ſeu Nodo fuerunt gratis intruſa, ut alia relata in antecedentibus Nodis.

Quartò, quòd cùm verba allegata non reperiantur in prima editione Italica, neque in ſecunda Latina, in illa Hiſpanica ſub nomine cujuſdam incogniti Doctoris Michaëlis Coſmæ Febrer Presbyteri; de quo nullam factâ diligentiâ potui invenire notitiam, fuerunt addita ab illis, qui eodem tempore in eodem Regno Valentiæ,& tota Hiſpania acriter dimicabant contra FF. Minores propter myſterium Immaculatæ Conceptionis: ſciunt enim omnes quàm magna illo an. 1620. fuerit contentio exorta in toto Regno Hiſpaniæ, præcipuè in Regno Valentiæ circa myſterium Immaculatæ Conceptionis: & cùm in frequentiſſimis concio-

cionibus tunc habitis ferè omnes adducerent pro pia ſententia Sanctum Patrum noſtrum Dominicum, fundatorem, & Patriarcham Ordinis Prædicatorum cum illa trita, ac communi ſententia: *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & immaculata formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri, &c.* ut æmularentur hanc ſui Patriarchæ auctoritatem, cùm non potuiſſent aliam ſimilem pro Sancto Thoma introducere, appellarunt ad revelationem, approbantem doctrinam Sancti Thomæ factam à Minorum Patriarcha Franciſco.

Quintò, quia hæc non invenitur in aliqua Chronica Ordinis Minorum, neque Ordinis Prædicatorum, immò uſque ad annum 1620. numquam audita fuerat in mundo, ſicut nec nomen illius Eleutherij Minoritani. Sed non contendamus circa hoc, ut non dicant quòd ſit ponere os in cælum, hoc enim clypeo ſe muniunt contra tela veritatis, quaſi fabricare omnia ſuprà relata non ſit os in cælum ponere. Sed concedamus etiam hanc revelationem. Et hæc de Cortice.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

PRo myſterio autem Conceptionis ſciendum eſt: quòd hoc eodem anno 1620. tranſierit ex hac vita ad meliorem in civitate Toletana, quædam venerabilis fæmina tertij Ordinis Sancti Patris noſtri Franciſci in vita admirabilis, in Divinis revelationibus inſignis, appellata Mari-anna de Jeſu, de qua honorificè loquitur Doctor Velluga in ſuo libro: Vita duorum, revelatione 8. folio 178. & Armamentarium Seraphicum in Regeſto columna 595. cujus duo libri, ejus, ſcilicet, vitæ, atque revelationum, pro reviſione ex parte Religionis fuerunt mihi commiſſi à Reverendiſſimo Patre Fratre Joanne de Robles. Dum autem eos perlegerem, inveni quòd in lib. 2. vitæ ejus cap. 37. fol. 270. & in quarto libro revelationum cap. 3 fol. 423. eſſent duæ clauſulæ obſoletæ, caſſatæ, & taliter expunctæ, ut nec verbum ex illis percipere potuiſſem. Undè recognovi hoc factum eſſe ex induſtria. Curioſitatis gratiâ quæſivi à D. D. Joanne Calderon Conſiliario Regio in Concilio Granatenſi, qui de hujuſmodi libris devotionis causâ curabat, ut mihi indicaret, quæ continebantur in illis lineis ſic ex deſtinato animo atramento coopertis: de quo reſpondit ſe nihil ſcire, ſed hoc interrogandum eſſe à D. Antonio de Vargas, & Veraſtegui

Digitized by Google

gui Doctore Complutenſi, & Capellano Regio in Sancta Eccleſia Toletana: nam ipſe ſolus de hoc exactam poſſet reddere rationem. Cùm autem propter alia negotia me Toletum contuliſſem, & locutus fuiſſem cum prædicto Domino Capellano Regio, interrogavi de illis lineis ſeu clauſulis obſoletis. Et hoc mihi reddidit reſponſum: Scias, Pater, quòd cùm libri iſti eſſent adeò in vita, doctrina, & revelationibus ſublimes: propter vitæ auſteritatem, & alia mirabilia arcana, &c. decretum fuerit inter nos, ut ad Academiam Salmanticenſem mitterentur, ut ab inſignioribus illius Univerſitatis Doctoribus perluſtrati approbarentur. Inter quos inciderunt in manus cujuſdam Doctoris Ordinis Prædicatorum N. qui quidem nihil aliud invênit delendum, ut vides, niſi iſtas duas clauſulas: in quarum prima continetur quædam revelatio de Immaculata Virginis Conceptione in communi, & in ſecunda altera ejuſdem myſterij revelatio facta à Seraphico Patre veſtro Franciſco. Petij ab illo, ut verba contentâ in illis duabus revelationibus mihi (ſi fieri poterat) communicaret. Quod quidem libentiſſimè fecit ex alio primo originali, & erant tenoris ſequentis: in libro vitæ ſic dicebatur: *Y eſtando una noche padeciendo grandes dolores, y ofreçiendoſe los con paçiencia ala Sacratiſſima Virgen* MARIA *paraque los preſentaſe a ſu Sanctiſſimo hijo: junto con eſto le decia muchos regalos con palabras jaculatorias llamandola Reyno del çielo, eſcogida entre todas las criaturas; llamandola tambien Virgen y Madre, alegrandome de ſu puriſſima Concepcion; reconoçia el haber ſido concevida en la eternal mente de Dios; gloriabame de que no tubiera peçado original, ni actual. Y eſtando diciendo eſtas, y otras raçiones en alabança dela Reyna oy una voz ronca deſentonada cerca demi, que me dixo: Calla calla deſalnada no digas eſſo. Yo me aſuſte de oir tan mala voz, y conoçiendo haverſido el Demonio el que me habia hablado, dixe con grande animo, calla tu, vete de ay ex remento de legatos: fue tanta la rabia que ledio eſto, que al punto ſaco una manu muy negra à echura de gato y agarrando con ſus uñas mi mano apretando fuertemente y clavandomelas ſenti tan gran dolor, y fuego, como ſimela eſtubieran abraſando: Loqual ofrecio à nueſtro Señor; y como vio el Demonio el fruto que yo ſaiaba del tormento, que me daba, ſoltome, &c.* Hæc fuit prima clauſula expuncta totaliter ab illo Doctore Salmanticenſi Dominicano. Secunda verò, & præcipua, quæ extabat in libro ſecundo revelationum, loquendo de S. P. N. Franciſco, erat iſta: *De eſtos fueron grandes los fabores que hiçe à Franciſco, fueron mercedes tan collmadas que fueron conformes ami ineſtimable magnificencia, y profunda ſebiduria. De eſtas raçones que me dixo mi Señor me reſuo un nuevo amor y affecto ami glorioſo Padre; y entregada toda en ſus braços, porque la ſuerça del amor me puſo en ellos, tome mi alma: y la puſo en los de mi Señora la Sereniſſima Vir-*

Digitized by Google

Virgen; y dixo mi Padre glorioſo: Hija eſte es el mexor libro que tiene Chriſto nueſtro Señor entre todos los Santos de deſu Igleſia, que es ſu puriſſima Madre; imitala en quanto pudieres. Digote hija que excede incomparablemente a todos los demas Santos, loſquales fueron concevidos en peccado original; eſtubieron algun tiempo caidos el coraçon enla tierra, eſtubieron deſnudos dela veſtidura del ſol de juſtitia, y de ſu gracia, y aſſi commençando per la via purgativa purificados poco a poco: pero mi ſeñora la Virgen M A R I A, *digote mi amada hija, que deſde el inſtante deſu puriſſima Concepcion fue hiſa de luz ſin mancha de pecado original, nunca tubo mezela de tineblas, fue çielo claro, &c.* Vide, quid eſſet in iſtis verbis, ut Pater ille, & Doctor Dominicanus ita à radice penitùs delere voluerit revelationes iſtas ab hominum memoria. Ex iſtis ſimpliciter, & juxta omnem veritatem relatis, ſit

---

P R O N O D O

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

EX omnibus antecedentèr dictis eſt: quòd revelationes fictæ, falſæ, & intruſæ, ſine ullo fundamento, aut veritate ſub nomine Sancti Patris noſtri Franciſci, ſi ſunt pro doctrina Sancti Thomæ, reputentur ut veræ, legales, & authenticæ, & ut tales publicentur, ac tranſcribantur in libris, licet ſit cum impoſtura Joannis à Jeſu-Maria; quia Pater iſte numquàm tale ſcripſit, ut ex ejus libris manet demonſtratum. Et revelationes, quæ ſunt pro Inmaculata Virginis puritate, licet ſint veræ, quia in noto Auctore, & libro repertæ, totaliter delentur tamquàm falſæ, & ſuppoſitæ. Eſt enim præſtanda fides incognito, & numquàm audito Fratri Eleutherio dormienti, & ficto re, & nomine, ſi loquatur pro doctrina Sancti Thomæ, & non religioſæ fœminæ (de cujus Beatificatione nunc agitur) vigilanti, loquenti pro immunitate, & puritate Dei Matris à peccato. Pro doctrina Sancti Thomæ ex una revelatione facillimo negotio, currente calamo, fecerunt duas; & ex duabus pro Immaculata Dei Matris puritate faciliori, delente calamo, nec unam reliquerunt. Eſt enim veritas ipſa irrefragabilis quòd Sanctus Franciſcus apparuerit pro approbatione doctrinæ Angelici Doctoris cum Virgine MARIA, & alijs circumſtantijs relatis in revelatione; & qualificatur ut mendacium dignum expunctione, quòd Sanctus Franciſcus declaraverit innocentiam, & candorem Virginis MARIÆ in ſua puriſſima Conceptione,

ne, quam cum Eccleſia omnes fideles fatentur. Vel dico ſic: Noluit fortè, qui iſta delevit, ut Seraphicus Pater Franciſcus diceret de Sacratiſſima Deipara Maria: *Hija eſte es el mexor libro, que tiene Chriſto nueſtro Señor entre todos los Santos deſu Igleſa, que es ſu puriſſima Madre:* Quia hoc encomium deſiderabat videre, & audire de alio libro cujuſdam Doctoris Eccleſiæ, de quo ſine dubio talia verba non expungeret. Et hîc ſiſtat Nodus, cujus finis eſt: quòd eodem tempore, quo ſtabilitur mendax revelatio pro doctrina Sancti Thomæ, expungatur vera, & ſubſiſtens pro Immaculata puritate Mariæ, & falſa ſtatim ab uno in alios libros tranſcribatur, ut citiùs publicetur; & quòd vera caſſetur, ut non divulgetur.

Nodus secundus.

Totus conatus Religionis Dominicanæ eſt poſitus in exaltatione doctrinæ Angelicæ S. Thomæ Aquinatis, ſicut zelus Religionis Franciſcanæ verſatur circa puritatem Sacratiſſimę Dei Matris. Iſtius Pater & Patriarcha deſcendit de cælo cum Virgine Maria, & demonſtrando digito Sanctum Thomam Aquinatem, tot tantaque teſtimonia perhibuit de doctrina Angelica, ut ipſe ſolus plùs illam exaltaverit, quàm omnes alij ſimul ſumpti. Dicitur enim primò: *Hinc omnis controverſiæ petenda eſt emendatio.* Secundò: *Nihil hæſita: Crede huic quia ejus doctrina non deficiet in æternum.* Tertiò: *Hic præ ceteris habet veritatem ſententiarum.* Quartò: *Hic ſine ullo prorſus errore conſcripſit.* Quintò: *Doctrina iſtius certiſſima Chriſtianæ doctrinæ eſt regula.* Sextò: *Huic crede: huic inſiſte: huic toto incumbe ſpiritu: illibata eſt & incorruptibilis.* Has ſex approbationes dicit unus ſcriptor Ordinis Prædicatorum factas fuiſſe à SanctoFranciſco pro gloria & honore doctrinæ Angelicæ: & apprehendatur ex hac parte funiculus iſte fortiter. Fratres Franciſcani cum alijs centum Auctoribus extra ſuam Religionem, & non paucis ex Dominicanis, quorum nomina videri poſſunt in *Militia* col.346 affirmant S. Patrem noſtrum Dominicum adhuc degentem in terris dixiſſe in quodam ſuo libello pro noſtra ſententia de Immaculata puritate Dei Matris hanc unicam ſententiam, *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine Immaculata formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri.* Ecce habemus pro doctrina & puritate noſtros Patriarchas. Licet ſine comparatione alio excellentiori modo locutus fuerit Sanctus Franciſcus pro doctrina Dominicana, quàm Sanctus Dominicus pro Franciſcana puritate, & ſimiliter ſumus innodati: quia in officio Eccleſiaſtico dicebatur Sanctum Dominicum protuliſſe relata verba, ſurrexit contra illum quidam Pater Generalis Ordinis Prædicatorum vocatus Vincentius Bandellus in ſuo tractatu de Conceptione ratione 11. ſic dicens inter alia. *Ad illud quod in eadem lectione imponitur Beato Dominico*, ubi ſic dicitur, *Sicut pri-*

primus Adam fuit ex terra Virgine Immaculata formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri. Reſpondeo primò, quòd mentitur in caput ſuum, quòd talis auctoritas reperiatur in aliquo libro compoſito à Beato Dominico, &c. Mendaces enim faciunt, ut nec vera dicentibus credatur, &c. Et hinc diſcurrit ad alia improperia. Et ſic vindicatur Sanctus Dominicus ab illa impoſtura, ſeu fictione ipſi adſcripta. Optimè. Sed quid dicemus de illo, qui adſcribit Sancto Franciſco non in terra degenti, ſed à cælis venienti, non unam auctoritatem communem, piam, devotam, & à multis prolatam, recitatam ab Eccleſia, ſed quinque ſignatas, quarum quælibet ſingulariter poſtulat examen alicujus ſuperioris tribunalis, quia conjunctim ac ſeorſim ſunt alijs Doctoribus pernitioſæ. Quid ſi conſtaret inſuper evidenter de ipſarum falſitate, poſſemusne eadem proclamare *mentitur in caput ſuum. Mendaces enim faciunt, &c?* Abſit: quia Sanctus Franciſcus adducitur ab ipſis pro doctrina Angelica S. Thomæ: & Sanctus Dominicus pro puritate Dei Matris; & ſic in illo miraculo ſeu revelatione non poteſt eſſe mendacium. Secùs autem in re naturali, quamvis habeat centum teſtes, ſi ſit contra ſuam opinionem: quia contra totam doctrinam Scoti poteſt & tenetur Sanctus Franciſcus dare quinque teſtimonia, ſed Sanctus Dominicus nec unum leve pro Virginis puritate. Et ubi inveniemus caput, vel pedes iſtius Nodi?

NO-

Digitized by Google

NODUS DECIMUS-QUARTUS PRINCIPALIS

Inter quatuor Officia Eccleſiaſtica Sancti Thomę Aquinatis, & alia quatuor edita, & approbata à Summis Pontificibus pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

CUm aliqua elogia ex ſuperiùs relatis eſſent delata ad Sanctum, & ſupremum Tribunal Inquiſitionis Hiſpaniarum, pręcipuè illud Innocentij, de quo latè diximus Nodo IV. principali, propter verba in ipſo contenta conati ſunt defenſores opinionis contrarię ipſum defendere à cenſura promulgata, & ibidem poſita, dicentes Elogium illud jam eſſe approbatum à Sede ſuprema Petri: ſiquidem extabat inſertum in ſuis Breviarijs (quaſi omnia, quæ ibi extant, eſſent approbata, & confirmata auctoritate Apoſtolicâ) ideò decrevimus hîc expendere omnia, quæ ad hanc materiam pertinere poſſunt. Sciendum ergò eſt: quòd ante Sixtum IV. recitarent Fratres Prędicatores Officium Divinum de Sancto Thomâ, ſicut de alijs confeſſoribus: in Eccleſia autem Romana erat Feſtum ſimplex, cujus tantummodò recitabat unam lectionem, quæ ſic incipiebat: *Aquini natus loco illuſtri ex Comitum familia, patriâ vaſtatâ à Conrado Imperatore, relictus eſt à profugis Parentibus*

Digitized by Google

bus in Cœnobio Caſſinenſi Monachis commendatus, &c. Et concludebat ſic: *Summam Theologiam quatuor libris, adhibitâ etiam quâdam limâ ſenex complexus eſt.* Ut videre eſt in Breviario Romano impreſſ. Lugduni 1543. fol. 216. & alijs. Sed de his clauſulis nullam jam faciunt mentionem; quia ex illis conſtabat Sanctum Thomam in ſenectute ſolùm limaſſe ſuam Summam Theologiæ. Quando autem Sixtus IV. approbavit Officium illud ſpeciale, de quo infrà, editum à Leonardo de Nogarôlis pro Immaculata Virginis Conceptione, eodem tempore curarunt Patres Prædicatores, ſive ipſorum Reverendiſſimus Pater Generalis Vincentius Bandellus de Caſtro-novo, acerrimus oppugnator Myſterij Immaculatæ Conceptionis, edere duo Officia etiam ſpecialia: alterum ſub titulo Sanctificationis ex diametro oppoſitum Officio Leonardi de Nogarôlis; in quo potiùs videtur attexere panegyrica elogia peccati originalis, quàm Virginis Mariæ laudes; lectiones etiam compaginavit ad normam alterius Officij de Conceptione ex auctoritatibus Sanctorũ, &c. quod quidem fuit excuſum anno 1527. & poſteà Venetijs anno 1546. Et de hoc nihil hîc agimus; quia de ipſo, & verbis in eo contentis latè diximus in noſtro Armamentario Seraphico à colum. 220. uſque 276. Alterum Officium editum eſt de Sancto Thoma Aquinate, & fuit quaſi ſecundum. Et de hoc aliqua pertinentia ad noſtrum propoſitum referemus.

Hoc ſecundùm Officium, editum fuit ſub hoc titulo: *Incipit officium, quod fit in Feſto Beati Thomæ. In primis veſperis ſuper pſalmos Antiphona: Felix Thomas Doctor Eccleſiæ, lumen mundi, ſplendor Italiæ, candens Virgo flore munditiæ, bina gaudet corona gloriæ.* Capitulum ſic: *Elegit eum ex omni carne, & dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, &c.* Sertum, ſeu hymnus incipit ſic: *Errorum pulſo nubilo, per novi ſolis radium, Thomas in mundi veſpere, fudit Theſauros gratiæ. Donis plenus ex æthere, &c.* Ad Magnificat Anthipona: *Scandit Doctor, civis cæleſtium, orbis decor, dux, lux fidelium, norma, limes, lex morum omnium, vas virtutum ad vitæ bravium.* Oratio: *Deus, qui Eccleſiam tuam, &c.* Hymnus: *Thomas inſignis genere, claram ducens originem: ſubit ætatis teneræ Prædicatorum Ordinem: Typum geſſit luciferi ſplendens in cœtu nubium, pluſquàm Doctores cæteri, purgans dogma gentilium, &c.* Nota iſta ultima verba: *Pluſquàm Doctores cæteri, purgans dogma gentilium.* In prima lectione, inter alias extat hæc clauſula: *Hujus Sancti ortus, & vitæ progreſſus antequàm ex utero naſceretur, fuit Divinitus præmonſtratus. Erat enim quidam vir Sanctus in Campaniæ partibus, vir re bonus, & nomine, qui cum pluribus alijs Eremitis anachoreticam vitam ducens, opinione celebris habebatur. Hic Spiritu Dei afflatus nunciavit Matri ejus cum gaudio, quod filium conceperat; cùm illa ſe fore gravidam penitùs ignoraret, dicens ei: Gaude Domina Theodora, quia paries filium, &*

Tho-

Digitized by Google

Thomas vocabitur nomen ejus. Hic erit magnus in ſcientia, & in vita, eritq́; Frater Ordinis Prædicatorum,&c. Et lectione quintâ ſic dicitur: *Hic Doctor cùm quadam nocte Orationi inſiſteret, Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus ipſum de textu dubio Scripturæ propheticæ inſtruxerunt. Aliâ vice Beatiſſima Mater Dei Virgo* MARIA *ei apparuit, & ipſum de ſua vita, & ſcientiæ integritate certificavit; addiditq́; : quod, quidquid deliberatè per ipſam à Deo petiviſſet, impetraverat: & maximè, quòd non mutaret ſtatum ſui Ordinis. Creditur autem, quod Beata Virgo eidem ſingularem illam ſapientiam à Filio ſuo impetravit. Alterâ quoque vice cùm apud Neapolim in Eccleſia devotiùs oraret, viſus eſt Sanctus Pater à terra quaſi duobus cubitis elevari. Super quo Frater, qui hîc erat, admirans audivit ab imagine Crucifixi, ad quam converſus Sanctus Doctor orabat, prolatam clariùs iſtam vocem: Benè ſcripſiſti de me Thoma: quam ergò recipies pro tuo labore mercedem? Reſpondit Sanctus Doctor: Domine, non aliam, niſi te ipſum, mercedem accipiam.* Ante lectionem ſeptimam habet hanc Antiphonam: *Sydus de nube trahitur, de fœno flos elicitur, adeps de carne tollitur, dum Thomas cælo redditur.* Et in lectione eadem ſeptimâ ſic dicitur: *Fuit autem felix tranſitus ejus anno Domini* 1274. *vitæ verò ſuæ anno quinquageſimo inchoante. Tunc ſuper eum Frater Reginaldus prædicans, tale teſtimonium perhibuit veritati: Egò frequentèr, & nunc confeſſionem ejus generalem audivi, & ipſum ſic purum ſemper inveni, ſicut puerum quinque annorum, quia numquam ſuæ carnis ſenſit contagium, nec alicujus mortalis criminis in voluntate conſenſum. Non defuerunt autem ſigna miranda, quæ Sancti Doctoris indicarent exitum, & æternæ felicitatis præſignarent ingreſſum. Nam quidam Frater devotus vidit in ſomnijs in hora tranſitûs ſui Sanctum Doctorem in ſchola legentem, & Beatum Paulum Apoſtolum ad ipſum intrantem: à quo dum Sanctus Thomas quæreret, an in epiſtolis ſuis verum habuiſſet intellectum; reſpondit quòd ſic quantum quis vivens in corpore poteſt habere. Et adjecit: Volo, ut venias mecum, & ducam te ad locum, in quo clariorem habebis de omnibus intellectum,&c.* Deinde adducuntur octava, & nona lectio cum hymnis, & antiphonis ad tertiam, ſextam, & nonam.

Cum iſto Officio fuit etiam diſpoſita Miſſa particularis, & propria Sancti Thomæ, quæ incipit: *In medio Eccleſiæ aperuit os ejus, &c.* Epiſtola deſumitur ex libro Sapientiæ capite 7. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, &c.* Tractus: *Quaſi ſtella matutina, &c.* Sequentia incipit: *Ad exemplar triumphantis;* & in ea inter alia dicitur, loquendo de ſapientia ejus: *Vis ſcire, quanta, qualis? Numquam minor, ſed æqualis cum ſacris Doctoribus, &c. Doctor inclytus, decus orbis, fons hortorum, ſimul jubar, floſque florum, flori Chriſto inſitus, &c.* Evangelium eſt: *Vos eſtis ſal terræ.* Et in Præfatione extant hæc verba: *Æquum, & ſalutare. Nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & cum tua invocatione virtutis*

Digitized by Google

tutis Beati Thomæ Doctoris, atque Confeſſoris tui ſolemnia devotione præcipuâ celebrare; de cujus vita atque doctrinæ integritate fructus in Eccleſia tua effloruit, qui cæleſtis ſapientiæ munere nos replevit. Hic nempè à genere nobiliſſimus, Prophetarum, atque Apoſtolorum, & Phyſicorum doctrinis refertus, Divinâ atque humanâ ſapientiâ Sancti Spiritûs illuſtratione eruditus, carnem cum ſuis blanditijs, mundum cum vitijs, dæmonem cum inſidijs omnibus mirabili ſapientiâ ſuperavit. O felix, & inclytus Doctor, qui ſuâ univerſos doctrinâ errores deſtruxit, & Orthodoxam Fidem firmiſſimis præſidijs protegit, ac defendit! Hujus doctrina tantâ præfulget veritate ſermonis, ut qui eam tenuit, à veritatis, ac rectæ Fidei tramite deviaſſe numquam fuerit inventus, & qui eam impugnavit, ſemper habitus ſit de veritate ſuſpectus. O certam, præclariſſimam, atque excellentiſſimam doctrinam, cui veritatis præcones glorioſiſſimi Petrus, & Paulus Apoſtoli tui, & inclyta ſemper Virgo MARIA*, cum Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, pro mundi ſalute Crucifixo; & univerſalis, atque Apoſtolica Eccleſia teſtimonium perhibent veritatis! O ſapientiæ lucidiſſimum ſpeculum, univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, candelabrum inſigne ac lucens, ignorantium tenebras perluſtrans, & hæreſum latebras ſcientia claritate demonſtrans! O ſtellam ſplendidiſſimam, & matutinam mundi hujus tenebras illuſtrantem! Lætetur igitur Eccleſia tua, Deus, novi hujus ſolis irradiata ſplendore. Prædicatorum ſacra Religio tanti luminis illuſtrata fulgoribus jucundetur, & plaudat. Religioſorum devotio concrepet. Doctorum turba complaudat. Animentur ad ſtudia juvenes: provecti non torpeant: ſenes delectentur in illis. Omnes in humilitate proficiant. Singuli contemplationem non deſerant; ſed mandata Dei ſedulò exequantur, & compleant. Pro hujus igitur glorioſiſſimi Doctoris Thomæ Aquinatis honore, & gloria hodie Majeſtati tuæ Feſta perſolvimus, & gratiarum ac laudum hoſtiam immolamus. Et ideò cum Angelis, & Archangelis, &c.* Tranſcripſimus totam præfationem ad litteram, ſeu potiùs Angelicam Sabbati Sancti, ut ex ipſa conſtet fuiſſe conflatam ex diverſis auctoritatibus, & elogijs Sancti Thomæ hinc inde collectis. Et etiam quoad auctoritatem Innocentij Papæ addidit Auctor iſtius præfationis clauſulam illam: *Et qui eam tenuit, à veritatis, & rectæ Fidei tramite deviaſſe numquam fuerit inventus.* Falſitatem, & fictionem jam oſtendimus Nodo IV. principali: vide ibi.

Cum hoc officio pro die editum eſt alterum pro tranſlatione corporis Beati Thomæ de Aquino, cujus prima Antiphona incipit: *O quàm felix Mater Italia, &c* Capitulum: *Egredere de terra tua.* Hymnus: *Superna Mater inclyta.* Oratio: *Deus qui Beati Thomæ.* Ad matutinum hymnus: *Jubar cælorum prodiens.* Prima lectio: *Exultemus in Domino dilectiſſimi;* Et in reſponſorio hujus lectionis dicitur: *Ecce novus fons hortorum, diu terræ conditus fuit, augmentum fluviorum rigans orbem calitus; hic eſt Thomas lux Doctorum, inſtructus Divinitùs, &c.* Nota hoc: quòd Sanctus

Digitized by Google

ctus Thomas ſit lux Doctorum, ſicut etiam illud, quod extat in reſponſorio lectionis tertiæ: *Corpus datur in Feſto Corporis Chriſti, cujus grande myſterium reſeravit, occultum cæteris, & dictavit ſcribens Officium dono, Doctor Divini muneris.* Neſcio quid velit dicere per hoc: quod myſterium Corporis Chriſti eſſet occultum cæteris, quouſque Sanctus Thomas ediderit Officium: quia ſic omnibus antiquis Patribus myſterium hoc fuit occultum, uſque dum Sanctus Thomas illud reſeravit omnibus. Videat ALEXANDER noſter, quomodò pro ſua Eccleſia ſolvendus ſit Nodus iſte. Lectione quintâ inquit: *Igitur collocatum eſt ſacrum corpus in Conventu Fundenſi Ordinis Prædicatorum anno Domini* 1377. *idibus Februarij Pontificatûs Urbani V. anno ſeptimo.* Et infrà lectione 9. inquit: *Tota civitas Toloſana fuit commota lætitijs, Deum in Sancto Doctore magnificans, anno Domini* 1379. *Pontificatûs ejuſdem Urbani Papæ V. anno ſeptimo.* Concilientur hæc duo inter ſe. Quomodò, quæſo, potuit annus 1377. numerari, vel dici annus ſeptimus Urbani, & annus 1379. dici etiam ſeptimus? Vel quomodò anno ſeptimo Urbani idibus Februarij potuit collocari corpus in civitate Fundenſi, & die 28. Januarij ejuſdem anni ſeptimi eſſe jam tranſlatum ad civitatem Toloſanam ex ipſa Fundenſi? Anno ſeptimo Pontificatûs Urbani die 28. Januarij fuit tranſlatum corpus à Fundenſi civitate Regni Neapolitani, & collocatum in civitate Toloſana Galliæ, & die 13. ſequentis menſis Februarij collocabatur in Conventu Fundenſi. De his habent Officia illa non pauca. In reſponſorio ſextæ lectionis dicitur: *Puritatis vas decorum, nihil ſordis patitur: Præſul clarus famâ morum, Sanctum ferens labitur, merſus luto, indecorum nihil inde linquitur, &c.* Quid in hoc reſponſorio contineatur, vide infrà in Nodo. Denique in hymno ſic dicitur: *Ad hujus lucis radium luſtranda mittit dubia, ad Sancti Thomæ ſtudium hortans Mater Eccleſia. Veram proteſtans, ſolidam doctrinam ejus inclytam, ſecuram, firmam, lucidam Divinis verbis inſitam.* Fit alluſio, ſeu expreſſio in hoc ad epiſtolam Urbani miſſam Toloſano ſtudio, ubi Summus Pontifex appellat doctrinam Sancti Thomę veridicam, & Catholicam; & ſuper hoc addidit omnia alia. Sed hæc omnia ædificata ſunt ſuper fundamentum falſum, & ſuppoſitum, ut latè demonſtravimus ſuprà Nodo III. principali.

Tertium officium extat in quodam Breviario antiquo apud nos exiſtente; ſed caret principio ac fine: unde non poteſt cognoſci, quando fuerit typis mandatum, & coincidit ferè in omnibus. cum antecedenti in Hymnis, Antiphonis ac reſponſorijs, ſed non in lectionibus, quia in iſto Officio ſunt breviſſimæ. Et Hymnus ad veſperas incipit ſic:

Exultet mentis jubilo
Laudans turba fidelium,
Errorum pulſo nubilo

Digitized by Google

Per novi ſolis radium.
Thomas in mundi veſpere
Fudit theſauros gratiæ
Deus plenus ex æthere
Morum, & ſapientiæ.

Ex quo & alijs in tali officio variatis cognoſcitur vel iſtum fuiſſe reformatum, vel antecedenter poſitum auctum. Habet etiam officium pro tranſlatione; & eſt idem cum poſito in antecedenti §. ſed lectiones ſunt aliquantulum variatæ quoad ordinem, errores tamen annorum ſuprà notati etiam manent in iſto lectione 8. & 9. ſed hæc parvi momenti ſunt. Et in hoc extat officium Sanctificationis, de quo in Virga.

Quartum Officium eſt illud reformatum, quo modò utuntur Patres Prædicatores, ut videre eſt in omnibus Breviarijs noviſſimis, ubi Antiphonæ, Capitulum, Oratio, & hymni, atque aliqua reſponſoria extant ſicut in præcedenti; tamen lectiones primi nocturni ſunt ex libro Eccleſiaſtici: *Sapientiam omnium antiquorum, &c.* Lectiones ſecundi nocturni ſunt de legenda, ſeu vita Sancti Thomæ; incipiunt: *Illuſtriſſimum Chriſtiani orbis decus, & Eccleſiæ lumen, &c.* Lectiones tertij nocturni ſunt ex homilia Sancti Hieronymi: *Sal appellantur Apoſtoli, &c.* In diebus octavæ aliquas habet lectiones de miraculis, atque doctrina ejus. Et in die octava lectiones ſecundi nocturni incipiunt ſic: *Nullus enarrare ſufficeret, quot Sanctiſſimus Thomas Theologorum præconijs celebretur, quantumq; ejus illibata doctrina à Summis Pontificibus fuerit acclamatum. Innocentius VI. &c.* Et adducit auctoritatem Innocentij, ut ſuprà in Nodo IV. Et in lectione quinta Urbani V. ad Toloſanam Academiam, de qua diximus in Nodo III. Et in lectione ſexta adducit auctoritatem Clementis VIII. ad Neapolitanos, de qua diximus Nodo XI. & in eadem lectione alteram Pauli V. de qua dictum eſt Nodo XII. In his omnibus compaginator hujus Officij Sancti Thomæ æmulatus eſt Officium Immaculatæ Conceptionis, editum à Leonardo de Nogarôlis, & approbatum à Sixto IV. Nam cùm in iſto lectiones pro die octava eſſent diſpoſitæ ex diverſis dictis Sanctorum, ad ejus normam voluit etiam Religio Prædicatorum, quòd in Officio Sancti Thomæ lectiones diei octavæ eſſent ex dictis diverſorum Summorum Pontificum. Officium verò tranſlationis Sancti Thomæ etiam eſt reformatum ſicut præcedens; & ſolùm adducit tres lectiones ſecundi nocturni pro tranſlatione, quæ incipiunt: *Doctore Angelico Sancto Thomâ Aquinate, &c.* nam alia ſiunt ſicut in præcipuo diei Feſto.

Præter iſta Officia particularia, quæ recitantur ſolùm inter Patres Prædicatores, & à nulla alia Congregatione, habet Officium Eccleſiæ Romanæ de communi Doctorum, in quo ſolùm extant tres lectiones particulares ſecundi nocturni; & incipiunt: *Thomas Landulpho Comite, &c.* in quibus

nec

Digitized by Google

nec verbum reperitur de omnibus prænotatis in antecedentibus Officijs. Hoc cum alijs Romanæ Eccleſiæ Officijs eſt approbatum; alia verò Officia nullo modo, nec ab aliquo Summo Pontifice in particulari, quod eſt per ſe notum: immò nec etiam in communi: quia Generalis PP. Prædicatorum habet privilegium condendi Officia pro ſua Religione; & cum hac licentia, ſeu permiſſione ediderunt Officia ſuprà poſita de Sancto Thoma, & eâdē facultate reduxerunt illa ad normam novi Breviarij Romani, ſervando tamen municipalem modum recitandi Officium. Pro quo ſciendum eſt, quòd antè annum 1567. Eccleſia univerſalis Romana recitaret Officium de Sancto Thoma Aquinate ſolùm ut de Sancto ſimplici, nec celebraret ejus Feſtivitatem; anno verò prędicto Summus Pontifex Pius V. Ordinis Prædicatorum in ſua conſtitutione, quæ incipit: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, &c.* de qua latè egimus ſuprà Nodo X. principali præcepit, & ordinavit, ut Feſtum Sancti Thomæ in Regno Neapolitano eſſet feriatum, in illoque die ab omnibus ſervilibus operibus vacarent, ac Officium ſub ritu duplicis majoris celebraretur; in alijs autem orbis terræ partibus ſub duplici communi, quemadmodùm Feſtivitates aliorum Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum. Conceſſit etiam indulgentias ſic: *Ut verò etiam memoria Sancti Doctoris majori ſtudio, ac pietate cultûs, & debita veneratio adhibeatur de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in ipſo Sancti Thomæ Feſtivitatis die ſacellum, vel altare in Eccleſia Sancti Dominici Neapolitan. ſitum, in quo ſcriptoris Angelici doctrina, Salvatoris Crucifixi ore (ſicuti pia teſtatur hiſtoria) mirabiliter probata fuit; à primis ejus diei veſperis, uſque ad occaſum ſolis devotè viſitaverint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, &c.* Pro cæteris autem terræ partibus concedit centum dies de indulgentia. Nota iſtas duas diverſas indulgentiarum conceſſiones, univerſalem unam, & particularem alteram, pro memoria, pietate, cultu, ac veneratione illius altaris, in quo eſt imago Crucifixi, ubi doctrina Sancti Thomæ Salvatoris ore mirabiliter approbata fuit, ut pia teſtatur hiſtoria; nunc autem volunt, quòd iſta pia hiſtoria ſit quædam hiſtoria Canonica de Fide, pia enim ſolùm ſunt pro puritate Virginis, pro doctrina verò Doctoris omnia ſunt Canonica.

Pater Ignatius Galvan libro 3. capite 1. diſc. 1. fol. 505. ex indulgentijs conceſſis à Joanne XXII. Clemente VI. Sixto IV. Leone X. Pio V. & Clemente VIII. infert commendationem ſapientiæ, ac doctrinæ Sancti Thomæ. Item ex recitatione Officij particularis inter Patres Prædicatores, infert doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam: nam lib. 4. à pag. 564. uſque 712. ſub hoc titulo:

lo: *In quo his, quibus Eccleſia in Officio Divino diei ſolemnis Divi Thomæ ſapientiam ejus commendat*. Et diſcurrit per totum Officium ſic: Cap. 1. *Quibus laudibus Eccleſia Sanctum Doctorem in Antiphona ſuper Pſalmos ad veſperarum preces exornet*. Cap. 2. *Proponitur, explicaturq; veſperarum pars illa, quæ capitulum dicitur*. Cap. 3. *Nonnulla ex hymno, quo in veſperarum precibus ſolemnis Sancti Thomæ dies prævenitur*. Cap. 4. *Explicantur ea, quæ ad Beatæ Virginis canticum in laudem Sancti Doctoris canit Eccleſiâ*. Cap. 5. *De Oratione, quâ Eccleſia in ſolemnitate Divi Thomæ ad canonicas horas utitur*. Cap. 6. *Circa hymnum, quo in horis matutinis Eccleſia utitur, nonnulla expenduntur*. In tribus capitibus ſequentibus 7. & 8. & 9. explicat tres lectiones primi nocturni: Et cap. 10. inquit: *Explicantur quædam alia, quæ in laudem Sancti Doctoris in eodem Officio Divino continentur*. In omnibus iſtis capitibus plura congerit elogia pro doctrina Sancti Thomæ, quorum aliqua hîc brevitèr proponemus: Præcipuum pro noſtro fine eſt illud poſitum numero 8. folio 566. *Officium autem Divinum hoc modo ex his materiæ partibus compoſitum ſummam habere ſolet auctoritatem. Undè ex eo graviſſimi, ac ſapientiſſimi viri, atque Doctores ſua dogmata comprobare non erubeſcunt; immò id Angelicus Doctor haud ſemel præſtitit. Quapropter nos quoque Officii Divini in Feſto ejuſdem ab Eccleſia ſolemniter decantati auctoritate utemur, cùm in eo plures & vitæ, & ſapientiæ ipſius laudes contineantur*. Ecce qualiter affirmat, quòd ex Officio ſumatur efficax argumentum pro approbatione doctrinæ Sancti Thomæ.

Quantùm ad Feſtivitatem folio 582. inquit: *Hoc loco Eccleſia fideles omnes ad exultationem, lætitiam, ac laudes excitat, quia per novi ſolis, id eſt, Divi Thomæ radium, errorum nebulæ pulſæ ſunt, &c.* Cap. 3. diſcurſu 2. latiſſimè proponit Sanctum Thomam fuiſſe datum mundo, ut pullulantium hæreſum pericula removeat, & deſtruat. Capite 5. explicans illud Orationis: *Mirâ eruditione clarificas* fol. 607. inquit: *Eſt autem pro eorum, quæ dicenda ſunt, majori cognitione annotandum, Eccleſiam neque in dirigenda oratione ad verum Deum per verum Mediatorem, qui eſt Chriſtus, neque in modo poſtulandi Sanctorum interceſſiones, neque in rebus, quas poſtulat, errare poſſe. Ipſa ergò (quod maximè attendendum eſt) miram eſſe Divi Thomæ eruditionem fatetur. Quapropter reprehendendi profectò ſunt, qui eamdem eruditionem cum Eccleſia miram eſſe non cognoſcunt; neque enim cum ea in hac re ſentire videntur. Deindè mirâ Divi Thomæ eruditionâ ſe clarificari ingenuè eadem Eccleſia profitetur, quaſi velit ſe illius doctrinâ eo modo, quo ſolis radiis luna, illuſtrari, atque ex eo pulcherrimum concipere ſplendorem, &c.* Et hîc deducit legis Dei, & doctrinæ Sancti Thomæ pariter intelligentiam eſſe poſtulandam. (De hac mira eruditione loquitur etiam Pater Antonius d'Aubermont in ſua Oratione encomiaſtica) Et fol. 624. inquit: *Hujus Sancti Doctoris gladio profligata*

Digitized by Google

gāta eſt Arij impietas, deſtructa Sabeli hæreſis, confuſus Pelagij error, cecidit impia Lutheri ſecta, evanuit inſanum Calvini delirium, & ,ut uno verbo dicam, Divus Thomas hæreticos omnes, non antiquiores tantùm, ſed etiam recentiores, quos ultimâ mundi ætate futuros odorabatur, audaceſq́, eorum conatus ſuâ ſapientiâ compreſſit, &c. Denique explicat illud de S. Thoma: *Lætatus ſum, quoniam antecedebat me iſta Sapientia*. Reverendus Pater Joannes à Sancto Thoma in illo ſuo tractatu de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ exiſtente tomo primo impreſſo Compluti anno 1637. folio 190. ſub hoc titulo: *Quod genus approbationis doctrinæ Sancti Thomæ ab Eccleſia tributum ſit.* Ubi latè agit de approbationibus, & auctoritate, ac certitudine doctrinæ Angelici Doctoris; in principio poſt plura alia ſic inquit: *Hoc ſuppoſito non mediocre teſtimonium pro doctrina Sancti Thomæ accipimus ex Oratione, quâ univerſalis Eccleſia utitur in ejus Feſtivitate.* Atque ex illis verbis: *Mirâ eruditione fœcundas*, nititur demonſtrare doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam, ut certam, veram, Catholicam & ſanam. Infrà verò aliud aſſumit medium ad hoc idem probandum, ſcilicet ex quodam Rituali antiquo, de quo ſic dicit: *Ex perſcripto Ritualis, ſeu Pontificalis Romani, quaſdam proferre orationes, in ejus Sancti, aut ſolemnitatis memoriam, & laudem; poſtmodum in novioribus Pontificalibus reſecatæ ſunt, & omiſſæ, ne longioribus ceremonijs populus attædiaretur. Illæ autem ex perſcripto, & approbatione Eccleſiæ fundi ſolebant, extat ſub antiquo Pontificali Romani ſub Paulo III. impreſſo Venetijs* 1543. In hoc ergò antiquo Rituali Epiſcoporum pro die Sancti Thomæ extabant hæc verba: *Benedicat, & cuſtodiat Omnipotens Deus, qui per Beatum Thomam Aquinatem Virginem, Doctorem; & Confeſſorem ſuum, Divinâ ſapientiâ illuſtratum Eccleſiam ſuam Sanctam hæreſibus purgare, & criminibus, ac luce veritatis, & doctrina integritate illuminare eſt dignatus.* Reſpon. *Amen Et qui eius doctrinam in veritate, & charitate fundatam, nullis permiſit adverſantium telis peſſumdari; ipſe vos in recta Fide, & perſeverantia in ſua voluntate dignetur confirmare.* Reſpon. *Amen.* Hucuſque P. Joannes à Sancto Thoma de Oratione, ac benedictione Epiſcopali pro die Sancti Doctoris.

Patres Salmanticenſes, ut probent S. Thomam eſſe inter omnes Doctores Theologię ſcholaſticę Principem folio. 16. ſic inquiunt: *In cujus fidem, præclarùm Romana Eccleſia in Officio hujus Sancti Doctoris lectione 6. teſtimonium habemus, dicentis: Tam multa piè, ſubtiliter, & copiosè ſcripſit, ut Chriſtianam doctrinam maximè illuſtrarit; quem in primis ſecuti ſunt, qui poſteà Theologicam diſciplinam viâ, & ratione tradiderunt.* Et ex hac auctoritate iſtam deducunt conſequentiam: *Injuſtè igitur electio Academiæ reprobatur, quòd in Magiſtrum in Theologia ſcholaſtica iſtum elegerit, quem Eccleſia Romana Principem Theologiæ appellat.* In hac parva auctoritate quatuor ſunt notanda.

Pri-

Digitized by Google

Primò: quòd auctoritas iſta non reperiatur in Officio Sancti Thomæ recitato ab Eccleſia Romana, ſed in Officio proprio Ordinis Prædicatorum pro ſua tantùm Religione. Undè hæc conſequentia apud Doctores Salmanticenſes eſt legitima: Iſta verba continentur in Officio PP. Prædicatorum; igitur eſt auctoritas formalis, & univerſalis conſenſus Eccleſiæ Romanæ. Sed apud ipſos (ut ſæpè in ſuperioribus vidimus) non valet iſta conſequentia: Officium Immaculatæ Conceptionis, in qua paſſim dicitur Virginem MARIAM fuiſſe conceptam immunem à peccato originali, recitatum fuit per integrum ſœculum in tota Eccleſia Romana, & adhuc hodiè recitatur in tota Religione Minorum, & à multis alijs ex privilegio, vel per participationem; igitur hujus immunitatis præclaram Fidem facit Eccleſia Romana. Hæc, inquam, conſequentia non valet.

Secundò notandum, quòd etiam hæc ſit optima conſequentia pro Sancti Thomæ doctrina: Sanctus Thomas ſcripſit piè, ſubtilitèr, & copiosè ſecundùm Romanam Eccleſiam; ergò à Romana Eccleſia eſt declaratus pro Principe Theologiæ ſcholaſticæ. Hanc exiſtimo non eſſe rectam conſequentiam, nec in Salmanticenſi Academia, nec in qualibet alia. Nam Albertus Magnus, Alexander de Ales, & Joannes Scotus, Toſtatus, Lyra, Hugo, & alij innumerabiles ſcripſerunt piè, ſubtilitèr, & copiosè, & non deducitur pro illis hæc conſequentia.

Tertiò, fortè dicent prædictam conſequentiam non deduci ex illa prima auctoritatis parte, ſed ex ſequenti, videlicet ſic: Sanctus Thomas ſuis ſcriptis maximè illuſtravit doctrinam Chriſtianam ſecundùm Eccleſiam Romanam; igitur eum elegit, & appellavit Eccleſia Romana Principem Theologiæ ſcholaſticæ: ſed ſi antecedentis fuit conſequentia incongruens, iſtam exiſtimo eſſe incongruentiſſimam.

Quartò, tandem poſſunt arguere ſic: Qui viâ, & ratione didicerunt, vel docuerunt Theologicam diſciplinam ſecuti ſunt Sancti Thomę doctrinam, juxta Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, quia via & ratio non ſunt in alia doctrina ſeu ſchola; ergò Eccleſia Romana ipſum appellavit, & elegit Principem Theologiæ. Hoc modo argumentantur Patres illi Salmanticenſes; ſed quamvis conſequentiæ ſint ineptæ, concedimus illas, ut noſter Nodus fortiùs ſtringatur.

PRO

Digitized by Google

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

DE Officijs editis ab Eccleſia Romana pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis aliqua ſuprà diximus, prout ſpectabant ad approbationes Summorum Pontificum: nunc autem agemus de ipſis formalitèr, id eſt, de illis, quæ in ipſis continentur, licet neceſſariò aliqua ſint repetenda. De tempore certo, ac determinato, quando cœperit Eccleſia Romana celebrationem hujus Myſterij non conſtat; fuit tamen ante annum 1330. ut in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS latè videbitur. Primum Officium fuit nomine *Nativitatis* mutato in nomen *Conceptionis.* Secundum incepit ab an. 1476. Tunc enim juſſu Pontificis Sixti IV. Leonardus à Nogarôlis Protonotarius Apoſtolicus ordinavit Officium ab ipſomet Summo Pontifice emanatum, ut conſtat ex illa clauſula in conſtitutione incipiente: *Cùm præ-excelſa, &c.* ubi ſic dicitur: *Qui Miſſam, & Officium Conceptionis ejuſdem Virginis glorioſæ, juxta piam, & devotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarij noſtri, & quæ deſuper à nobis emanavit, &c.* Officium hoc incipit: *Sicut lilium inter ſpinas, &c.* & eſt cum ſua octava. Miſſa verò incipit: *Gaudeamus omnes, &c.* & de primo uſque ad ultimum verbum nihil aliud agit, niſi de Immaculata Virginis Conceptione. Nam ſecunda Antiphona inquit: *Tota pulchra es* MARIA, *& originalis macula non eſt in te.* Verſic: *Immaculata Conceptio eſt hodie.* Oratio: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.* Invitatorium: *Immaculatam Conceptionem Virginis* MARIÆ *celebremus.* Et omnia alia, ut reſponſoria, & lectiones, &c. hoc ipſum ferè ſemper explicitè, & expreſsè, aliquando verò implicitè, & æquivalentèr eamdem immunitatem, atque præſervationem proteſtantur. Officium iſtud cum Miſſa in individuo fuerunt præſentata Summo Pontifici, & Sacro Cardinalium Conſiſtorio, ut patet ex ipſa præfatione incipiente: *Beatiſſime, ac verè Domine Sixte, &c.* Et ab iſto recepta, viſa, examinata, & approbata in forma ſpeciali, ex motu proprio, ac certâ ſcientiâ per relatam conſtitutionem: *Cùm præ-excelſa.* Et in eadem conceſſit recitantibus, & aſſiſtentibus Officio, & Miſſæ eaſdem indulgentias, quas Urbanus IV. approbatas à Martino V. & ab alijs Summis Pontificibus, conceſſerat in Feſto Corporis Chriſti. Approbationem hujus Officij, & indulgentiarum conceſſionem ratificavit idem Sixtus in duabus Extravagantibus in-

Digitized by Google

cipientibus: *Grave nimis*, *&c.* Deindè Bullam iſtam (ac per conſequens Officium, Miſſam, & indulgentias in ea contentas) adducendo eam de verbo ad verbum approbavit, & confirmavit Leo X. in Bulla incipiente: *Super gregem Dominicum*, *&c.* Deindè Alexander VI. approbavit ſecundam Decretalem Sixti IV. *Grave nimis*, *&c.* ubi extat illa clauſula: *Non ignari, quòd Sancta Romana Eccleſia de intemerata, ſemperq; Virginis glorioſa* MARIÆ *Conceptione Feſtum celebrat, & ſpeciale, ac proprium Officium ordinavit, &c.* in Bulla quæ incipit: *Illius, qui ſe pro Dominici gregis*, *&c.* & etiam de verbo ad verbum Paulus V. incipiente: *Regis pacifici, &c.* in communi autem dicendo: *Serventur conſtitutiones Sixti IV.* quas innovarunt, & de novo confirmarunt Concilium Tridentinum in Decreto de peccato originali, Pius V. in Bulla incipiente: *Super ſpeculam, &c.* Paulus V. & Gregorius XV. Cum iſtis denique enumerari poteſt Paulus III. qui die 3. Julij anno 1536. in Bulla, quæ incipit: *Breviarium Divini Officij*, *&c.* licentiam impertivit imprimendi Breviarium Cardinalis Franciſci Quignionis, in quo continetur Officium Conceptionis: *Sicut lilium.* Hæc omnia relata ſunt ad comprobationem hujus concluſionis; ſcilicet, quòd Officium Immaculatę Conceptionis, & indulgentiæ pro ipſo conceſſæ, extent approbata, & confirmata per ſex Summos Pontifices, & Concilium Tridentinum. Noviſſimè verò per Sanctiſſimum ALEXANDRUM VII. ut videbimus in ultima approbatione.

Tertium Officium ſpeciale, ac proprium Immaculatæ Conceptionis fuit editum à Bernardino de Buſtis Ordinis Minorum, cujus Oratio erat: *Deus, qui Immaculatam Virginem* MARIAM, *ut digna Filij tui Mater exiſteret, ab omni labe peccati in Conceptione ſua praeſervaſti, &c.* Et ad probandam hanc veritatem tendit totum illud Officium cum ſua octava, quod latiſſimum eſt. Fuitque approbatum ab eodem Sixto IV. in Brevi incipiente: *Libentèr ad ea concedenda inducimur, &c.* Et huic etiam Officio ex vivæ vocis oraculo, & atteſtatione R. Pater Matthæi de Novara conceſſit eaſdem indulgentias indultas Officio Leonardi à Nogarôlis, ut videre eſt in noſtri Armamentarij Regeſ. col. 548. De hoc ſuo Officio hæc dicit Buſtis in principio: *Beatiſſimus in Chriſto Pater Sixtus Papa IV. cùm ſibi præſentatum fuiſſet ſequens Officium Conceptionis B. Virginis, atque rogatus eſſet, ut per aliquem, vel aliquos ſapientes Theologos illud examinari faceret, dixit, quòd ipſemet volebat examinare. Poſtquàm verò diligenter ipſum Officium examinavit, primo illud oretenùs approbavit, atque, ut imprimeretur, ordinavit: deinde per hoc infrà ſcriptum Breve Apoſtolicum corroboravit, & confirmavit, &c.* Fuit igitur viſum à Pontifice, approbatum, & confirmatum.

Quartum Officium proprium Immaculatæ Conceptionis eſt illud editum

tum pro Monialibus, impreſſum Toleti, Pinciæ, & Vallis-oleti: cujus titulus pag. 2. eſt Breviarium Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ, approbatum, & confirmatum à quatuor Summis Pontificibus Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Julio II. Eſt etiam cum octava, & totum tendit ad demonſtrandum Virginem MARIAM fuiſſe præſervatam à peccato originali, & Conceptionem ejus fuiſſe Immaculatam, & ſine ulla prorsùs labe.

Stabilitâ hâc primâ conformitate inter Officia edita pro Angelico Doctore Sancto Thoma, & iſtâ Immaculatæ Conceptionis; eſt etiam alia. Nam, quia Reverendus P. Joannes à Sancto Thoma ex benedictione Epiſcopali antiquâ deducit argumentum pro approbatione doctrinæ Angelici Doctoris, ſciendum eſt nos pro approbatione ſententiæ Immaculatæ Conceptionis habere etiam, non tantùm unam, ſed tres benedictiones Epiſcopales. Et prima extat in eodem Rituali ab ipſo citato Pauli III. impreſſo Lugduni anno 1542. folio 248. ubi ſic dicitur: *Benedictio in Feſto Conceptionis: Omnipotens Dei Filius, qui ſuæ Matris hodiè Sanctificavit initia, errorum noſtrorum expurgare dignetur vitia. Amen. Et qui ſanctiſſimæ Genitricis nos facit gaudere ſolemnijs, &c.* Secunda extat in Epiſcopali quodam manu-ſcripto exiſtente in Monaſterio Sanctæ Genovefę Pariſijs in charta pellicea: Fuit ſcriptum, ut ibidem dicitur, pro Reverendo D. D. Jacobo Armeri Epiſcopo Chalcedonenſi, & coincidit cum antecedenti. Tertia extat in eadem Bibliotheca Sanctæ Genovefæ ſub hoc titulo: *Benedictionarium pro aliquibus Feſtivitatibus anni* manu-ſcrip. in charta pellicea antiquiſſimis characteribus & fol. 54. habet hanc Rubricam: *In Conceptione Beatæ* MARIÆ *Benedictio.* Et extat ſic: *Benedicat vos Deus Pater, qui cuncta prævidit ſuâ benedictâ prædeſtinatione; quiq; Matrem ſui Unigeniti ab initio, & antè ſæcula glorioſiùs præordinavit pro ipſius Filij Incarnatione. Amen. Et ſicut in Conceptione ipſius* MARIÆ *Filij Dei præparabatur humanitas in materiali diſpoſitione, propter quod fuiſſe creditur ſine peccati contagione, ipſe ob Matris ſuæ interventum vos mundet à peccatis ſuâ gratuitâ largitione. Amen. Quatenùs qui hoc Feſtum, & diem Conceptionis Beatiſſimæ Matris Dei celebratis cum devotione, ipſe Filius ejus vos defendat à ſpiritibus immundis, qui numquàm ipſam ſuam Matrem ſub poteſtate dæmonis permiſit. Amen.* Vidimus benedictiones Epiſcopales. Ex quibus verbis collatis cum illis de benedictione Sancti Thomæ non parvus reſurgit Nodus infrà componendus.

Item eſt notandum pro adæquato parallelo, quòd, ſicut in Officio Sancti Thomæ narrant Patres Dominicani ſupra-poſitam præfationem in Cortice, ſic etiam in Miſſali Romano impreſſo anno 1555. ut notavit Reverendus Pater Carolus Guyetus Societatis JESU, extabant tres Miſſę pro-

Digitized by Google

priæ de Conceptione. Primæ introitus erat: *Egredimini Filiæ Sion, &c.* ut in proprio Officio Minorum. Secundæ: *Gaudeamus omnes, &c.* & dicitur eſſe ex Concilio Baſileenſi. Tertiæ introitus eſt etiam: *Egredimini.* Et in hac proponebantur hæc verba inſerenda. In Gloria in excelſis Deo: *Tu ſolus Sanctus*, MARIAM *fabricaſti; Tu ſolus Dominus*, MARIAM *ab originali peccato mundaſti; Tu ſolus altiſſimus*, MARIAM *ſuper omnes choros Angelorum ſublimaſti, Jeſu Chriſte, &c.* Et pro inferenda in Præfatione habebantur iſta: *Æterne Deus, qui dilectam Sponſam tuam glorioſam Virginem* MARIAM *omnibus virtutibus ornatam condidiſti, & in puriſſima ejus Conceptione ab originalis peccati macula illæſam cuſtodiſti, ut totius eſſet innocentiæ ſpeculum, & exemplar Sanctitatis, dignumq; exiſteret habitaculum Unigeniti Filij tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem, &c.* In iſta Miſſa notandæ ſunt illæ duæ clauſulæ, una ex Gloria: MARIAM *ab originali peccato mundaſti.* Et alteram Præfationis: *Et in puriſſima ejus Conceptione ab originalis peccati macula illæſam cuſtodiſti.* Quæ inter ſe pugnare videntur, eſſe contrariæ, & totaliter oppoſitæ; quia ſi ab originali peccato mundare, ſit idem quod ab originali peccato jam contracto liberare, & purgare, ut paſſim, ſemper, & ubique interpretantur defenſores opinionis contrariæ; quomodò Eccleſia in ejuſdem Miſſæ Præfatione dicebat: *In puriſſima ejus Conceptione ab originalis peccati macula illæſam cuſtodiſti?* Dicere Eccleſiam in uno eodemque Sacrificio Virginem fuiſſe mundatam à peccato originali contracto, à quo fuerat maculata, & ſtatim à peccati originalis macula fuiſſe illæſam, & cuſtoditam, Nodus eſt indiſſolubilis contra Eccleſiam, & ejus conſentaneam doctrinam, & veritatem conſtantem, niſi ſolvatur dicendo idem eſſe ab originali peccato mundare, & ab originali peccato præſervare. Et ſi hoc modo ſolvatur (nam non eſt alius excogitabilis) tota noſtra controverſia de Conceptu Mariano ſoluta eſt; quia totaliter corruit unicum, ac præcipuum adverſariorum fundamentum: immò ferè omnes Sanctos & antiquos Doctores, ab illis adductos pro ſua opinione, ad noſtram poſſumus revocare ſententiam ex iſta Eccleſiæ auctoritate.

Reſtat nunc inquirere de alijs parallelis, & correſpondentijs. Prima eſt, quòd Officium Sancti Thomæ particulare canatur ſolùm in ſola Religione Prædicatorum: nam in Eccleſia Romana recitatur Officium commune de Doctoribus. Et ſic ſimiliter Officium particulare, & proprium Conceptionis tantùm recitatur à Seraphica Familia, & gaudentibus illius privilegijs: nam Eccleſia Romana habet Officium commune ſicut in die Nativitatis. Secunda eſt, quòd Officium primitivum Sancti Thomæ fuerit reformatum; quia habebat quam-plura correctione digna, & ſic emendatum recitatur nunc apud

Pa-

Patres Prædicatores: & primitivum Officium Conceptionis in aliquibus erat redundans,& in alijs non conforme ſtylo præſenti, ut erant lectiones tertij nocturni,quare aliqua in eo fuerunt mutata. Tertia, quòd unum ſit cum octava, & alterum ſimiliter. Quarta, quòd unum ſit in Quadrageſima,& alterum in Adventu. Sed cum iſtis ac alijs ſimilitudinibus habent plures diſparitates: nam Officium ſpeciale recitatum à Patribus Prædicatoribus, à nullo Summo Pontifice fuit, nec eſt approbatum in forma ſpeciali, aut communi, Deo ſic permittente, quouſque corrigantur illa ſuperiùs ſignata de approbationibus doctrinæ Sancti Thomæ, quæ à veritate ſunt prorsùs aliena, & alia, de quibus loqui pro nunc ad meum non pertinet inſtitutum: tamen Officium de communi Doctorum,recitatum ab Eccleſia Romana, approbatum eſt à Pio V. Summo Pontifice Ordinis Prædicatorum. Sed quia rota magna iſtius parvi libelli circumvolvitur in puncto approbationis,oblatâ hâc occaſione Officiorum, aliquid breviſſimè dicemus.

Cùm Divinorum Officiorum forma fuiſſet in Eccleſia inſtituta à Gelaſio I. & Gregorio I. & à Gregorio VII. reformata; & cùm diuturnitate temporis multis modis fuiſſet immutata;quia ferè omnes Eccleſiæ cathedrales in ſua Diœceſi privata habebant Breviaria, ex quo quam-plura ſequebantur inconvenientia; cœperunt hanc orandi varietatẽ ægrè ferre Summi Pontifices; ideò Paulus Papa IV. & Pius IV. hoc emendare curarunt;ſed mediante Concilio Tridentino tempore Pij V. feliciter completum eſt:nam confecit Breviarium pro omnibus Chriſtianitatis Eccleſijs, & illud approbavit editâ conſtitutione, quæ extat in principio Breviarij,& in Bullario Romano conſt. 64.cujus titulus eſt: *Breviarij Romani ad pſallendum horas Canonicas, ex Decreto ſacri, & Oecumenici Concilij Tridentini reſtituti approbatio, cum prohibitione uſûs aliorum Breviariorum, præterquam à primæva inſtitutione Ordinis, à Sede Apoſtolicâ, vel à conſuetudine ſupra annos* 200. *approbatorum*. In hoc ſummariò continetur ſubſtantia illius Decreti expediti anno 1568. ſeptimò idus Julij,incipientis: *Quod à nobis poſtulat ratio,&c.* Anno autem ſequenti 1570. pridiè idus Julij concluſa fuit reformatio Miſſalis, edito diplomate, cujus initium eſt: *Quo primum tempore ad Apoſtolatûs apicem, &c.* quæ in Bullario Romano conſtitut. 106. poſita extat ſub hac Rubrica: *Miſſalis Romani ad ritè Miſſas celebrandas, ex Concilij Tridentini Decreto reformati, approbatio, & aliorum abolitio.* Item iſte Summus Pontifex anno 1571. reformavit Officium Virginis MARIÆ, ut videre eſt conſtit. 122. incipiente: *Superni Omnipotentis Dei providentia,&c.* Cujus ſummarium ſic extat in Bullario: *Officij Beatæ* MARIÆ *nuper reformati approbatio,cum indulgentiarum elargitione pro illud recitantibus*,

Digitized by Google

tibus, & aliorum ejus Officiorum abolitione. Reformavit etiam, & emendavit Catechiſmum doctrinæ Chriſtianæ; ſed licet Breviarium, Miſſale, Officium Beatæ MARIÆ, atque Catechiſmus fuerint reformata tot Summorum Pontificum curâ, & diligentiâ ſummâ; & tot in hoc invigilaverint magni viri; ac fuerint, ut vides, Summi Pontificis Decretalibus graviſſimis approbata, non ideò remanſerunt ita pura, nitida, illibata, Immaculata, ac ſine ullo prorsùs errore exarata, ut Clemens VIII. de altera non curaverit emendatione, atque nova correctione. Noſtris denique temporibus jam vidimus, quanta Urbanus VIII. præcipuè in hymnis transmutaverit. Quare autem hæc adducta fuerint, videbis in Nodis. Verùm

Revertamur ad primum principium, ac primum Officium editum à Leonardo de Nogarôlis, atque à Summo Pontifice Sixto V. approbatum anno 1476. Contra Officium, & approbationem anno 1481. ſurrexit Pater Vincentius Bandellus de Caſtro-novo, in ſuo libro de Conceptione, pagina 161. ſub hoc titulo: *Eccleſia facit Feſtum de Conceptione, & Dominus Papa dat indulgentiam*; *ergò talis Conceptio fuit Sancta, &c.* Impugnans Officium, & conſtitutionem latiſſimè, & in undecima ratione redit ad idem ſub hoc principio: *Dominus Papa dat indulgentiam his, qui dicunt Officium Conceptionis Virginis juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem Magiſtri Leonardi de Nogarôlis, ut in Bulla legitur; igitur cùm in illo Officio quaſi per totum contineatur, quòd fuerit Sancta, & Immaculata, videtur ex hoc haberi, quòd Beata Virgo fuerit ſine peccato concepta.* Et ad hoc argumentum deſumptum ex Officio approbato, & Bulla confirmativa Summi Pontificis reſpondet ſic: *Ad hoc fuit reſponſum: quòd poſito, quòd Dominus Papa viderit illud Officium, quod multi negant, propter multa verba nugatoria, quæ in illo continentur, &c.* Et infrà: *Quia cùm ſit vir doctiſſimus, & ſapientiâ plenus optimè novit, quòd non ſint dandæ indulgentiæ his, qui dicunt mendacium, &c.* Et poſtquàm impugnaſſet ferè totum Officium diſcurrendo per ſingulas clauſulas, & auctoritates Sanctorum in illo Officio contentas, inquit: *Ad illud, quod in eadem lectione imponitur Beato Dominico, ubi ſic dicitur: Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine Immaculata formatus, ita & decuit in ſecundo Adam fieri: Reſpondeo primò, quod mentitur in caput ſuum, quòd talis auctoritas reperiatur in aliquo libro compoſito à Beato Dominico. Ex hoc enim apertè concludere poſſumus, quòd illud Officium multis conſperſum eſt mendaciis, cùm alleget librum, quem natura neſcit, nec ab illis, nec ab aliis poteſt oſtendi. Mendaces enim faciunt, ut nec vera dicentibus credatur:* Et poſt alia concludit ſic: *Et ideò propter hujuſmodi quidam dicunt, quòd Sanctiſſimus Dominus Papa illud Officium non vidit; quia cùm ſit vir doctiſſimus, & Doctores Sanctos nunc, & ſemper in ſumma veneratione habuerit, non eſt faciliter credendum, quòd intendat*

præ-

præſtare favorem his, qui ſententijs Doctorum Sanctorum contradicunt, &c. Ante quinque annos, vivente adhuc ipſo Summo Pontifice, jam cœperat impugnari Officium approbatum ab ipſa Sede Apoſtolica; quia in eo invenerat Bandellus verba nugatoria, & aperta mendacia;& quia in eo approbavit Pontifex quod non vidit; & præſtabat favorem his, qui ſententijs Doctorum contradicunt. Quanta autem dixerit contra Auctorem Officij Leonardum de Nogarôlis, non eſt hujus loci: quia aut omnia referenda eſſent,aut nihil;ſed in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS cuncta Deo dante latiſſimè manifeſtabimus. Ex his,& alijs correxitne aliquid ejus Continuator? Nihil. Super iſta addit Pater Spina aliqua.

P.Georgius Frickenhauſen in tractatu de Conceptione,hîc propoſita à Vincentio Bandello iterum reproducit,ut conſtat ex defenſione D. Sebaſtiani Brant, qui poſt latam mentionem de Bandello num. 124. ſic reſpondet PatriGeorgio. *Ad unum advertat D. Doctor, quod ſi Papa Urbanus V. potuit approbare doctrinam Beati Thomæ, de quo nulli dubium; quare Papa Sixtus IV. eâdem poteſtate non potuit approbare Officium novum de Immaculata Conceptione, cùm idem Sixtus tantam quantam Urbanus V, habuerit auctoritatem? Undè cùm ipſe Papa Sixtus eidem Officio, licet per alium compilato, ſuam auctoritatem impartîtus fuerit, uti liquet ex ejus Bullis, de quibus ſuprà, & ex indulgentiarum largitione, ea de re idem Officium dicitur eſſe ipſius Papæ Sixti, & per eum approbatum; cùm iſta dicantur eſſe ipſius Papæ, quibus ipſe auctoritatem impartitur, ut eſt text. in cap. Si Apoſtolicæ, de prebendis in 6. Ad quod L. 1. circa medium C. De Ver. juris Enucl.* Ecce qualiter noſtri à principio laborabant non oppugnando approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, ſed demonſtrando, quòd ſi unus Summus Pontifex approbaverat ſeptendecim tomos doctrinæ Angelici Doctoris, potuiſſet alter approbare parvum Officium Immaculatæ Conceptionis.Sed qui libentiſſimè defendebant primum pro ſuo Doctore, libentiùs oppugnabant ſecundum,quia erat pro Dei Matris puritate. Item quia Pius V. præcepit (ut ipſi dicunt ſine teſte aut comprobatione) ſeu ordinavit, ût aliqui Patres corrigerent opera Sancti Thomæ,tota ejus doctrina manſit approbata:& Officium editum à Leonardo de Nogarôlis juſſu Summi Pontificis numquàm potuit approbari. Sed relinquamus antiqua, prima, & media, & perveniamus ad ultima, & his quidem noſtris temporibus ſcripta.

Reverendiſſimus Pater Thomas Turcus, præter illa ſuperiùs relata in II. & III. & VIII. Nodo,in ſuo opuſculo contra Immaculatam Conceptionem folio 22. reſpondens ad argumentum illud de Feſtivitate, Officio, & indulgentijs, inquit: *Cæterùm non unâ ſpongiâ deleri poteſt hîc nævus. Primus modus reſpondendi eſſe poteſt: Conceptionem*

non

Digitized by Google

non celebrari per modum cultûs, & adorationis, quod Sancta ſit; ſed in gratiarum actionem, quòd maximum Dei beneficium, & magnorum beneficiorum arrha, & pignus extiterit, &c. Et circa hoc diſcurrit latiſſimè: *Secundus modus reſpondendi eſt: Conceptionem duobus modis poſſe dici, vel diſpoſitivè, ut loquitur ſchola: vel formaliter. Non fuiſſe quidem Sanctam Virginem in Conceptione formaliter, ſed fuiſſe tantùm diſpoſitivè; quia in ipſa, & per ipſam proximè ad ipſam diſpoſita fuerit, cùm ſtatim poſt primum inſtans Conceptionis omnibus gratiæ donis cumulata fuerit, &c.* Nota, quomodò in primo inſtanti Conceptionis fuerit Virgo Maria diſpoſita ad Sanctitatem, & gratiam futuram in ſecundo inſtanti; ſicque peccatum originale introductum in primo inſtanti fuit diſpoſitio ad gratiam introducendam in ſecundo; quia ſi in primo inſtanti fuit Conceptio ſolùm diſpoſitivè Sancta; per quid habuit illam diſpoſitionem, cùm in primo inſtanti haberet peccatum originale? Neceſsè ergò erit dicere originale in primo inſtanti fuiſſe diſpoſitionem ad Sanctitatem ſecundi, ſicut calor eſt diſpoſitivè ignis. Magna, & nova Theologia! *Tertius modus reſpondendi eſſe poteſt, aſſignari objectum cultûs in Conceptionis Feſto aliud principale, aliud minùs principale*, & in hoc ita obſcurè loquitur, quòd nullus integram ſententiam ex verbis ſuis colligere poſſit. Et concludit ſic: *Colligere ergò facilè licet, ex Conceptionis Feſto nullum argumentum validum inferri poſſe ad vincendam ſententiam Sanctitatis Conceptionis, niſi piæ credulitatis, &c. Hujus farinæ, ne dicam furfuris, eſt quod tanta vanitate inculcant de Nogarolæ Officio: quod, ajunt, nedum auctoritate Apoſtolicâ eſſe firmiſſimè approbatum, verum etiam indulgentijs munificentiſſimis à Summis Pontificibus nitatum: in quo nobiliſſima epitheta Immaculatæ Conceptionis extant, & præclariſſima ejus encomia. Facilè tamen tota hæc aërea moles, quæ ſuâ fucatâ majeſtate oculos ſtolorum rapit, in fumum evaneſcit.* Et hinc proſequitur per tres paginas ſpargendo fumum, furfurem, & cœnum taliter, ut concludat ſic: *Hinc apertiſſimè colligitur omnes indulgentias, quas Officium illud recitantibus conceſſas jactitant, eodem in cœno hærere; cùm enim in ejuſmodi oraculo nitantur, illo ſubverſo miserè corruunt.* Loquitur de oraculo Pij V. ſed cùm illud projeceſſit in cœnum cum oraculo Summi Pontificis Sixti IV. confirmato, & approbato à ſex Summis Pontificibus, & Concilio Tridentino, etiam indulgentias in illo fundatas miserè in idem cœnum projecit. Et quid mirum? Quia, ſi Virgo Maria in ſua Conceptione corruit in cœnum, quid mirum, inquam, Feſtivitatem, Officium, oracula, & indulgentias pro ipſa Conceptione conceſſas ſimiliter corruiſſe, vel præcipitatas fuiſſe in idem cœnum?

Non ſiſtit hîc Reverendiſſimus Pater Generalis. Nam proſequitur ſic: *In ſcænam producunt indulgentias Conceptioni Immaculatæ conceſſas, Confratribus ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, Mona-*

naſte-

Digitized by Google

naſteria erecta, Eccleſias conſecratas; quis igitur (clamant) tam deplorata erit impudentiæ, ut contra Summorum Pontificum placita, populorum pietatem, Eccleſiarum ritum refugiat, & abnuat collaudare? Et reſpondens ad iſta ſic inquit: *Sed incumbit ipſis probandi veritatem conſimilium indulgentiarum, quod non tam facilè ipſi præſtabunt, ut difficultèr pro noſtra modeſtia adducimur ad ipſas convincendas mendacij, & falſitatis. Certum tamen eſt illas à pluribus referri, à nullo, quod viderim, probari. Sed indulgeamus veras eſſe indulgentias omnes, quas ventitari videmus, non tamen ſolidum quid pro ſua ſententia habere ſe colligent, ſi obſervaverint, quod priùs notabamus, duplex ſcilicet, objectum principale talium indulgentiarum; principale aliud, aliud verò ſecundarium. Objectum principale indulgentiarum hoc eſt, motivum populorum ad præbendas, ſcilicet, & poſtulandas, ſcilicet, indulgentias. Non inficiabimur conceſſas fuiſſe indulgentias Immaculatæ Conceptioni: in vano tamen eodem hærebunt, ſi indè colligere ſe exiſtimaverint ab Eccleſia Catholica approbatam fuiſſe, ut de Fide certam, illorum opinionem; licèt ut piè creditam permiſſam, & conceſſam nos non diffiteamur: Licet enim objectum motivum populorum ad illas poſtulandas, & Summorum Pontificum ad illas concedendas fuerit pia credulitas: objectum tamen terminativum veritatis, & validitatis indulgentiarum fuit Conceptionis Sanctitas, Sanctâ, & indubitabili Fide pro certo aſſerta, non temporis circumſtantiâ piè, at probabilitèr exiſtimata, &c.* Concludit tandem ſic: *Verùm ſecurim ad radicem admovebimus, ſi ponderaverimus in elargiendis indulgentiis ſemper quidem exigi legitimam cauſam, ac proinde rationabilem, imquè tamen expoſtulari, ut illa ſemper vera ſit, cùm ſufficere poſſit præſumpta, ne Pontifex Eccleſiæ theſauri divitias temerè profundere credatur, ſi præſumptâ, ac rationabili cauſâ id deberet, nec fideles nimiâ facilitate, ac puerili levitate eſſe validas credunt, cùm de jure Pontificio ſemper, niſi manifeſtus eluceat error, ſit præſumendum. Præſumitur autem rationabilis cauſa eſſe, ſi illa veriſimilis ſit, ſi probabilis, ſi pia; cùm ſani judicij ſit (juxta Ariſtotelem 5. Metaphyſ.) in humanis rebus eſſe ad amuſſim rationes demonſtrativas quærendas. Vndè rectè quidem hinc colliges, & piè, & rationabilitèr à Summis Pontificibus in favorem Conceptionis Beatæ Virginis ad pietatem fovendam populorum, & ad Majeſtatem augendam Virginis tantâ liberalitate, ac munificentiâ diſpenſatas fuiſſe indulgentias: frigidâ tamen, puerili, argutiolâ ludent, ſi ex indulgentiis pro Conceptione Immaculata latis, illam pro certa, pro evidenti nobis obtrudere, ac ut à Sede Apoſtolica diffinitam mundo ventitare ſibi Adverſarij perſuadent. Nugæ iſtæ ſunt, & vana puerorum terriculamenta. Sufficit ad diſpenſandas indulgentias cauſa rationabilis, præſumpta, aut vera.* Hæc pauca tranſcribere decrevi ab illo opuſculo contra Conceptionem Reverendiſſimi Patris Generalis Turci; quia audivi aliquando ſuos dicentes, pro ſua opinione numquam ſic locutum fuiſſe hominem: & verum dicebant, quia nullus ex ſuis ſic locutus fuit. Multa quidem proponit de Fe-

Digitized by Google

ſtivitate Conceptionis, de Officio, de indulgentijs,&c. Et omnia à ſe dicta circa indulgentias probat unicâ auctoritate Ariſtotelis, & iſtâ communiſſimâ, & hîc extra rem, ne tantus Eccleſiæ Doctor deeſſet ab hac indulgentia. Noto tamen ſequentia, nam de alijs in Nodo dicemus.

Primò: Dicit, quòd nulla indulgentia ſit conceſſa pro Myſterio Immaculatæ Conceptionis; & quòd propter modeſtiam non velit probare; vel coactè adducatur ad probandum de facto eſſe mendaces,& falſas. Dicit inſuper indulgentias à pluribus referri: *Sed à nullo*, inquit, *quod viderim, probari*. Omnes ſciunt quòd Auctor iſte parùm viderit; & ſic non vidit præter alios multos, quòd in Regeſto noſtri Armamentarij Seraphici à colum. 599. uſque 614. ſub hoc titulo: *Indulgentiæ, & alij favores à Summis Pontificibus in honorem, & cultum Immaculatæ Conceptionis Beatæ* Mariæ *Virginis conceſſi*: diſcurrendo per omnes Summos Pontifices à Sixto IV. uſque ad Urbanum VIII. ſignando Bullas, & annos, retulerimus omnia, quæ pro tunc reperire potuimus. Et ſi iſta non facerent illi fidem, quia prolata à Fratribus Minoribus, cùm ipſe ſcriberet Romæ, poterat videre Stationaria urbis, vel ire ad Eccleſiam Sancti Laurentij in Damaſo, parùm diſtantem à ſua Minervę, ubi eſt ſita Archiconfraternitas Immaculatæ Conceptionis, & in Sacriſtia in patenti tabula inveniret ipſas: vel pergeret ad Archivum Vaticanum apud Sanctum Petrum, ubi reperiret omnes à nobis ſuprà relatas. Quomodò ergò, vel unde probaret iſte Pater indulgentias eſſe falſas? Nos hâc facilitate, & teſtibus probamus noſtra, non cum Paulo de Aquila, & Lothario dormientibus. Videant *Militiam*, ubi invenient ultra centum octoginta teſtimonia.

Secundò: Dicit, in conceſſione indulgentiarum duplex eſſe objectum, principale, & minùs principale, motivum, & terminativum. Motivum principale dicit eſſe populorum credulitatem, terminativum verò, & minùs principale Sanctitatem Conceptionis. Repeto iterum verba: *Licet enim objectum motivum populorum ad illas poſtulandas, & Summorum Pontificum ad illas concedendas fuerit pia credulitas; objectum tamen terminativum veritatis, & validitatis indulgentiarum fuit Conceptionis Sanctitas, Sanctâ & indubitabili Fide pro certo aſſerta, non temporis circumſtantiâ piè, ac probabilitèr exiſtimata.* Hîc aliquid eſt pro Nodo, de quo infrà, & aliquid pro Virga, ſcilicet hoc: Si objectum terminativum validitatis indulgentiarum eſt Sanctitas Conceptionis, abſtrahendo à temporis circumſtantia, primo vel ſecundò inſtanti; ergò in Conceptione fuit Sanctitas. Hanc conſequentiam non poterit negare; ſed illam diſtinguet dicens: In Conceptione naturali, ſeu materiali factâ in primo inſtanti, nego; In Conceptione ſpirituali factâ in ſecun-

ſecundo, tertio, vel quarto inſtanti, concedo. Et ecce Nodus: quia eſt implicatio in adjecto, quòd ſit Conceptio ſecundo, tertio, vel quarto inſtanti: nam aliàs etiam poſſet dici, quòd in Conceptione Joannis Baptiſtæ fuerit Sanctitas, *Sanctâ, & indubitabili Fide aſſerta*; quia fuit illi data gratia in ſexto inſtanti, vel in ſexto menſe: nam quantum ad vim argumenti idem ſunt. Item nimis eſſet ridiculum dicere: Virgo MARIA fuit Concepta in ſecundo vel tertio inſtanti; quomodò ergò dicetur, quòd Conceptio fuerit Sancta? Conceptio non potuit eſſe niſi in primo inſtanti, hoc eſt per ſe notum: Sanctitas non potuit eſſe niſi in ſecundo, vel tertio inſtanti, ut ipſi affirmant, & defendunt; & tamen iſte Reverendiſſimus Pater conjungit hìc extrema iſta dicens: Conceptio fuit Sancta: vel, In Conceptione fuit Sanctitas. Tota noſtra controverſia, & lis cum antiquis ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum erat circa hoc ſolùm, ut conjungerent Conceptionem cum Sanctitate, quod ipſi penitùs renuerunt inflexibiliter; quia ſemper conjungebant Conceptionem cum peccato, maculâ, & culpâ. Sed propè debet eſſe jam finis, ſi non mundi, hujus controverſiæ; cùm unus Pater Generalis Turcus, & ut vides in ſuis verbis infenſiſſimus, poſuerit, ut ipſe dicit: *ſecurim ad radicem*, vocando Sanctam Conceptionem. Solùm deeſt, quòd ALEXANDER ſcindat Nodum iſtum.

Reverendus Pater Thomas Leonardi in ſuo libro: De hominis inſtitutione, corruptione, & reparatione, cæteriſque Fidei Chriſtianæ myſterijs è ſententia Divi Thomę Aquinatis, &c. impreſſo hoc anno 1661. capite 15. ut reſpondeat ad argumentum deſumptum ex Feſtivitate, & Officio Conceptionis, præter illa ſuperiùs relata Nodo III. principali, tranſcribendo de verbo ad verbum tractatum Patris Generalis Thomæ Turci contra Immaculatam Virginis Conceptionem, inter alia fol. 130. ſic inquit: *Pro ſolutione ſciendum eſt, quòd tempore S. Thomæ Eccleſia Romana nondum celebrabat Conceptionem B. Virginis: at ſolemnitèr cœpit eam celebrare circa tempora Sixti IV. uti liquet ex Extra-vagantibus ab eo ſuper hac re editis.* In hac clauſula deviat à veritate Pater Leonardi: nam Feſtivitas Conceptionis cœpit ſolemnitèr celebrari, ut ex infinitis teſtimonijs conſtat (de quibus in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS) per integrum ſœculum ante Sixtum IV. & fuit Feſtum Palatij Apoſtolici à duobus ſœculis ante eumdem Sixtum IV. & ante tria ſœcula celebrabatur in alijs Eccleſijs. Proſequitur ſic Leonardi: *Cùm autem nomen Conceptionis videretur ſupponere ſolùm pro Immaculata, etiam juxta noſtrum ſenſum, ne videremur convenire cum illis, noluimus uti tali nomine, ſed retinuimus nomen Sanctificationis. Undè tunc ex ritu Romanæ Eccleſię celebrantis Feſtum ſub nomine Conceptionis, non inbellè ſumebatur argumen-*

Digitized by Google

tum contra aſſerentes maculatam Conceptionem. Verùm poſt Decretum Gregorij XV. patuit evidentèr, quòd nomen Conceptio non ſupponeret pro Immaculata, ſed abſolutè. Ecce quomodò ſcriptor iſte cum ſuo Generali expreſsè fateatur vocem *Conceptionis* ante Gregorium XV. eſſe proteſtativam *Immaculatæ Conceptionis*, quod nobis ſufficit: nam aliud de mutatione poſt Gregorium XV. ex ſe patet evidentèr eſſe gratis dictum. Eſt autem veriſſimum illud, quòd etiam juxta ſuum ſenſum idem eſſet dicere *Conceptio* nudè, ac ſi diceretur expreſsè *Conceptio Immaculata*. Undè ut non viderentur convenire nobiſcum, noluerunt uti nomine *Conceptionis*, ſed aſſumpſerunt ſibi, vel retinuerunt nomen *Sanctificationis*; ergò verum eſt, quòd antiquitùs uterentur ſolùm nomine *Conceptionis*, à quo receſſerunt, ut non viderentur convenire nobiſcum: circa quod multa poſſent dici; ſed ſufficit pro nunc nobis ipſorum hujus veritatis ſpontanea confeſſio.

Infrà ſic inquit: *Sciendum inſuper, Conceptionem Beatiſſimæ Virginis duobus modis poſſe dici Sanctam: Primo ratione Sanctitatis, quæ eſt per infuſionem gratiæ. Secundo modo ratione Officij, ad quod ex tunc aſſumebatur. Et quamvis Sanctus Thomas cum pluribus alijs negaverit Divæ Virgini priorem Sanctitatem pro primo ſuæ Conceptionis inſtanti, nec ipſe tamen, nec ullus Conceptioni Virginis negavit Sanctitatem ratione Officij Maternitatis Dei, ad quod à primo inſtanti deſignata fuit. Et hanc Sanctitatem præcipuè attendi ab Eccleſia in celebratione Feſti Conceptionis, teſtantur omnes, qui dicunt Feſtum hoc eſſe gratiarum actionis.* Duo hîc dicit Pater Leonardi. Primum: Beatiſſimam Virginem à primo inſtanti ſuæ Conceptionis fuiſſe deſignatam, & aſſumptam ad officium Maternitatis Dei, quod tamen antiqui ſcriptores Turrecremata, Bandellus, & alij mordicùs negabant. Immò ipſemet Pater Leonardi in Theologiâ habitâ Lovanij die 12. Martij, anno 1635. Theſi 6. hæc defendit: *Porrò, cum nondum ſit ab Apoſtolica Sede deciſum, quòd B. Virgo fuerit abſque peccato originali Concepta, dicendum reſtat, quòd per hoc, quòd Feſtum Conceptionis* celebretur, *non datur intelligi, quòd in ſua Conceptione fuerit Sancta: ſed quia, quo tempore Sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur Feſtum Sanctificationis ejus potiùs quàm Conceptionis in die Conceptionis ipſius*, extat impreſſ. ibidem in 4. Anno 1635. abſolutè negabat Conceptionis Sanctitatem; ſed an. 1661. jam concedit illam pro Officio, *ad quod à primo inſtanti deſignata fuit*. Nota hæc verba, & qualiter veritas vincit. Secundum & præcipuum quod dicit Leonardi eſt: Pro illo primo Conceptionis inſtanti fuiſſe Sanctum Officium Maternitatis, ſed non Sanctam Matrem. Vide, num poſſit eſſe aliquid abſurdius. Sanctitas non poteſt eſſe niſi per infuſionem gratiæ, quod ſæpiſſimè repetit Sanctus Thomas tam ſuper Sententias, quàm in tertia Parte, loquendo in individuo

de

de Conceptione MARIÆ: ſi igitur infuſa fuit Sanctitas, quæ eſt per infuſionem gratiæ in illo primo inſtanti, tam Conceptio, quàm Officium, anima, & perſona fuerunt Sancta: ſi autem ibi non fuit infuſio gratiæ, ſed potiùs culpa, peccatum, & macula; undè ortum habuit hæc Sanctitas Officij? Item, quomodò poteſt eſſe Sanctitas Maternitatis, quin Mater ſit Sancta? Eſtne hoc prædicatum intentionale, quod conſiſtit in abſtractione? Deindè, ſi poteſt eſſe Sanctitas ſine infuſione gratiæ, & hoc modo fuit Sanctum Officium; quomodò dicit Sanctus Thomas, quòd caro Virginis non potuerit Sanctificari, niſi per infuſionem gratiæ,& infuſionem gratiæ eſſe impoſſibilem abſque anima? Et Virgo habuitne Officium,& Sanctitatem Officij abſque anima? Quid fuit priùs in Virgine, anima, Officium, vel gratia? Neque Officium, neque gratia poterant eſſe ſine anima. Priùs fuit ergò anima: & in illo primo inſtanti, quo habuit animam, habuit Officium, & Sanctitatem, & tamen anima non fuit Sancta: Intelligis hoc? Item in illo primo inſtanti Conceptionis erat anima, & tamen non erat infuſio gratiæ, ſed potiùs illius privatio, peccatum, & macula ſecundùm Sanctum Thomam; quomodò ergò ipſe, aut ullus non negavit Conceptioni Virginis Sanctitatem ratione Officij? Denique Auctor iſte diſtinguit duplicem Sanctitatem, unam datam Conceptioni Virginis ratione Officij, alteram negatam Conceptioni Virginis per infuſionem gratiæ. Tam prima gratia, quàm negatio illius fuerunt in primo inſtanti Conceptionis; & ſic ligat Nodum, quem nullus in rerum natura ſolvere poterit.

His ſuppoſitis, accedit ad ſolutionem argumenti deſumpti ex celebratione Feſtivitatis, & reſpondet tripliciter. Primò: quòd celebretur dies illa Conceptionis, quia in tota illa fuit Sancta, *ſi illius diei minimam temporis morulam demas, in qua juxta ipſum*, id eſt, Sanctum Thomam, *peccato ſubjecta fuit. Toto igitur die, qui Conceptionis fuit, Virginem Sanctam adorare poſſumus.* Sed hæc reſponſio ſatis incongrua videtur. Nam Eccleſia celebrat punctum Conceptionis, non diem; animationem, non vitam; primum inſtans, non tempus ſubſequens. Sed palliatis ſuis verbis vult dicere: Eccleſia celebrat Sanctificationē, non Conceptionem.

Secundò reſpondet: quòd Conceptio Beatæ Virginis certiſſimè fuerit Sancta, pro primo autem inſtanti, *eâ nimirùm Sanctitate, quæ ei competebat ratione Officij, ad quod ex tunc deſignabatur*. Gaudeo. Patres iſti paulatim accedunt ad cognitionem veritatis, & habemus aliquid. Antiquitùs nullo modo Conceptio erat celebranda, quia fœda, immunda, & peccato maculata; ſed jam eadem Conceptio ratione Officij eſt Sancta; & ſolùm deeſt, ut fateantur, quòd ratione Officij, & beneficij Sancta fuerit.

Tertiò reſpondet, & ut ipſe affirmat, coincidit cum præcedenti: *Quòd Conceptio non celebratur per modum cultûs, & adorationis, quòd Sancta ſit per gratiæ infuſionem, ſed gratiarum actionis, &c.* Et infrà inquit: *Deindè falſum eſt Virginem non fore dignam honore propter ſuam Conceptionem niſi illa Sancta fuiſſet; cùm omni honore digna æſtimari debeat ratione dignitatis perſonæ, quæ Dei, & Redemptoris Mater futura erat, &c.* En quomodò Conceptio Virginis MARIÆ à primo inſtanti ſuæ animationis fuerit digna honore ſecundùm Auctorem iſtum, & tamen non fuerit digna gratiâ: ſic enim dignitas perſonæ habuit vim, & efficaciam infundendi honorem apud creaturas, & non habuit efficaciam, neque vim, ut infunderet amorem reſpectu Creatoris. Dignitas perſonæ erat eſſe Matrem Dei futuram: & hæc dignitas reſpectu Filij non potuit conciliare charitatem; & reſpectu ſervorum conciliavit honorem. Ut Mater naturalis Dei manſit exoſa Deo, & ut Mater myſtica hominum debuit manere honorata, & glorificata. Neſcio, quomodò ſolvetur Nodus iſtius honoris.

Reſpondet deinde in forma ad argumentum de Feſtivitate, & Officio dicendo: *Celebrari in illo Officio Nogarôlis Immaculatam Conceptionem, non ut Fide Divinâ, ſed ut piè creditam, &c.* Circa quod diſcurrit latiſſimè, & concludit: *Vides laudari, & de pietate commendari ordinationem illam, ſeu contexturam Officij Conceptionis Nogaròli, à quo eſt compoſitum? Quæ ex re nihil aliud habetur, quàm per Sedem Apoſtolicam ſententiam illam ut piam, & devotam commendatam fuiſſe.* Dicit inſuper: *Hæc Officij inſtitutio ex Apoſtolica Sede proceſſit. Aliud eſt modus, & ordinatio ejuſdem Officij; & hoc non à Sede Apoſtolica, ſed à laudabili pietate particularis perſonæ Apoſtolicæ Sedis Notarij Leonardi Nogarolis emanavit.* Inſtitutionem Officij adſcribit Apoſtolicæ Sedi; ordinationem verò, ſeu diſpoſitionem particulari perſonæ. Circa hoc vide, quæ dicemus in Nodo.

Concludo cum Auctore iſto demonſtrando ex ſequenti clauſula, ipſum totam ſuam quæſtionem hauſiſſe ex tractatu illò contra Immaculatam Virginis Conceptionem Reverendi Patris Generalis Turci: *Addo*, inquit, *Officium illud Nogarôli à Breviario Romano fuiſſe juſſu Pij V. expunctum, & ex albo Divinorum Officiorum deletum: quod non leve argumentum eſt Officium ipſum, & quæ ibi de Immaculatâ Conceptionis per Auxeſim celebrantur, ab Eccleſia univerſali minimè eſſe approbata, quinimmò rejecta, at proinde inde ſumi non poſſe ſolidum argumentum. Nec eſt, quòd quis dicat, idem Officium vivæ vocis oraculo poſteà fuiſſe conceſſum à Pio V. Fratribus Minoribus. Non enim eſt conceſſum, niſi correctum, &c. Urgebis, Sixtum IV. in capitulo*, Grave nimis, *aſſerere quòd Sancta Romana Eccleſia ſpeciale, ac proprium Officium de Conceptione ordinaverit. Sed reſpondeo, illud non eſſe intelligendum de ordinatione Officij, quatenùs in eo dicitur Conceptio Immaculata, ſed quatenùs habetur mira, & Eccleſiæ*

tleſiæ utiliſſima, ut proptereà gratiæ, & laudes referantur Deo, ut dicit in Conſtitutione: Cùm præ-excelſa. *Quæ autem dicuntur ibi de Immaculata, tamquàm devotioni populi accomodata, & in pia credulitate fundata, laudat, & commendat. Indulgentiæ etiam, quarum ſuprà fit mentio, non opinioni, ſed devotæ illius Feſti celebrationi conceſſa ſunt, &c.* Et proſequitur adducendo ferè eadem verba circa indulgentias, quæ ſuprà dedimus ex Reverendo P. Thóma Turco. Conſtat ergò ex illis verbis: Officium Nogarólis *expunctum* ab albo Divinorum Officiorum, *deletum*, non *leve argumentum eſt*, tàm Officium quàm quæ ibi continentur de Immaculata Conceptione, & ibi *dicebantur* ab Eccleſia univerſali *minimè eſſe approbata* quinimmò *rejecta*, *&c.* His verbis ſcriptis, & impreſſis hoc anno 1661. confirmantur omnia ſuperiùs dicta, & in toto hoc libello poſita, ſcilicet, quòd in hac materia Conceptionis à tempore exórtæ controverſiæ ultimi, medij, ac primi eodem modo ſenſerint, ac ſentiant.

Pro ultimo complemento reſtat ſolùm ſcire, quomodò Patres Dominicani à ſuo principio uſque ad præſentem diem recitaverint de Feſtivitate Conceptionis. Quod etiam dividemus in tres partes, principium, medium, & finem. Principium eſt à fundatione ſuæ Religionis uſque ad annum 1390. in quo unanimiter recitabant omnes ſub titulo & voce *Conceptionis*, ut conſtat ex ſex Breviarijs manu-ſcriptis in charta pellicea, quorum duo extant in Bibliotheca Regia Scoriali; duo alia apud Patres Prædicatores Pariſijs in via S. Honorati: quintum originale invêni in Belgio in Monaſterio Vinconienſi prope Duacum; & alterum vidi in alio Monaſterio, cujus nominis non recordor. Non tamen hucuſque invêni inſtrumentum aliquod, ſignum, vel nomen *Sanctificationis* in aliquo libro antiquo: quinimmò omnia ſermonaria manu-ſcripta Ordinis Prædicatorum ſunt conciones ſub titulo *Conceptionis*, ut latè demonſtrabitur in toto SOLE VERITATIS ſecundæ impreſſionis ex ipſiſmet originalibus: nam de impreſſis non eſt curandum: quia tempore editionis fuerunt vitiata. Cœperunt autem ſic recitare ab anno 1254. ut latè dicit Joannes Ludovicus, tomo 3. de Conceptione in principio. Et Religio Minórum cœpit anno 1262. Fuerunt ergò antiquiores quoad celebrationem myſterij ſub titulo *Conceptionis* per octo annos. Et in illius Officij recitatione remanſerunt conſtantes ad centum quadraginta annos.

Secundum tempus eſt ab an. 1390. uſque ad tempora Sixti IV. Nam cùm tempore Monteſoni exorta fuiſſet illa acris controverſia cum Univerſitate Pariſienſi factâ conſtitutione in Capitulo Generali Tolóſano determinatum fuit, ut in ſua Religione recitaretur Officium ſub titulo *Sanctificationis*, & non die 8. Decembris, ſed

25. Fe-

25. Februarij in craſtinum S. Mathiæ Apoſtoli. Et hinc cœpit variatio Officij apud ipſos; ſed cùm per induſtriam humanam nondum eſſet inventa Typographia, utebantur Breviarijs manu-ſcriptis, & loco vocis *Conceptio* quando recitabant horas Canicas, utebantur voce *Sanctificationis*; tamen nullum invênimus Breviarium ſeu Miſſale, in quo contineatur iſta mutatio, aut diei, vel tituli. Turrecremata ſcribens ad annum 1436. in ſuo libro de Conceptione, ſemel dicit ſuam Religionem Prædicatorum recitaſſe ſub titulo *Sanctificationis*; ſed hoc credo additum fuiſſe à Bartholomæo de Spina tempore impreſſionis: & ſic relinquendo iſta, quæ ſunt dubia & incerta, de quibus nihil poſſum demonſtrare oculariter, pergo ad illa, quæ conſtant poſt inventam Typographiam.

Tertium tempus incepit à tempore inventæ Typographiæ, id eſt, à prima impreſſione ſui Breviarij, quæ facta fuit Nurembergæ anno 1485. apud Anton. Koberger. Tunc enim ediderunt primum Officium Sanctificationis ſub tali titulo: *In Sanctificatione Virginis* MARIÆ *ad Veſperas Antiphona:* & incipit: *Chriſtus ante mundi conſtitutionem in ſinu ſui Patris prævidit ſalutiferam ſuæ Matris Sanctificationem.* Ad Magnificat Antiphona talis erat: *Virgo Mater Regia Deum magnificavit, dum verbo concepit Filium, qui cuncta creavit: confortat omnes fragiles: cibat eſurientes: & exaltat ſecum humiles Sanctificationem ejus colentes.* Oratio erat iſta: *Supplicationem ſervorum tuorum Deus miſerator exaudi, ut qui in Sanctificatione Beata* MARIÆ, *&c.* Invitatorium dicebant ſic: *Venite natum Virginis omnes jubilemus.* Ad Matutinum habet Antiphonas proprias, ac Reſponſoria, & totum Officium eſt prudenter diſpoſitum, & ſenſatè compaginatum; quia ſunt excellentiæ & elogia Virginis Dei Matris, & non panegyricæ laudes peccati originalis, ut in altero parùm poſt edito à Reverendiſſimo Patre Generali Vincentio Bandello, de quo ſtatim loquemur. Et hîc notare oportet, quòd Catena aurea Sancti Thomæ fuerit impreſſa antè relatum annum 1485. & in indice Evangeliorum pro Feſtivitatibus ſecundùm morem Patrum Prædicatorum, & adducit titulum *Conceptionis*, & non *Sanctificationis*, ergò tunc ſic recitabant.

In illo primo Officio edito ſub titulo *Sanctificationis* pro myſterij declaratione extant ſequentia. In reſponſorio ſecundæ lectionis ſic dicitur: *Clara per miracula hoc Feſtum celebrandum legitur per ſæcula & ſolemnizandum. Unio nam corporis cum anima creata hujus Sacræ Virginis mox eſt Sanctificata. Hæc eſt laudanda devotiùs & celebranda. Unio, &c.* Quinta lectio Matutinalis ſic ſe habet: *Cujus Conceptionem celebrandam nondum confirmavit Eccleſia Romana, quia an tunc Sanctificata fuerit remanet dubia, eo quòd non Eſſe tunc habuit in rerum natura* (tranſcribo legali-

legaliter ut extant verba) *Sed poſtquàm anima ejus conjuncta fuit corpori, etiam ſanctificata tunc eſſe, non eſt licitum dubitari. Quam Sanctificationem prædicandam, & magnis laudibus credimus eſſe colendam.* In verſiculo 8. Reſponſorij dicitur: *Tu ſinè ſpinâ roſa Mater Domini ſpecioſa, &c.* Et in Antiphona 2. ad laudes: *Servite cum lætitia Virgini* MARIÆ, *quæ fuit Dei gratiâ ſanctificata iſtâ die.* Hæc ſunt omnia quæ inveniuntur in illo Officio primo introducto ſub hoc titulo pro opinione Sanctificationis.

In quo debemus notare ſequentia. Et primum eſt illud: *Unio cum anima creata mox eſt ſanctificata.* Nam ſi unio fuit ſanctificata cum anima creata, cùm tempore unionis contrahatur macula, videtur ex hac parte eſſe pro pia ſententia. Secundum an. 1487. fuit editum hoc Officium, & jam Sixtus IV. ediderat ſuam Extra-vagantem: *Cùm præ-excelſa, &c.* approbando & confirmando Officium, & Feſtivitatem Conceptionis; & adhuc dicebant, quòd Eccleſia Romana nondum *confirmaverat celebritatem Conceptionis*, cùm jam ab anno 1476. recitaretur à tota Eccleſia. Tertium exiſtimo, quòd in illis verbis, malè compoſitis impreſſorum injuriâ, velint dicere Virginem MARIAM non fuiſſe ſanctificatam die 8. Decembris, *eo quod tunc non haberet Eſſe in rerum natura.* Et quoad hoc certum eſt, quia Deipara non fuit animata die 8. Decembris, ſed poſt ſexaginta vel octoginta dies. At debent iſta componere cum illa Antiphona ad laudes, *Quæ fuit Dei gratiâ ſanctificata iſtâ die.* Si fuit ſanctificata die 8. Decembris, ergò antequàm haberet eſſe in rerum natura fuit ſanctificata. Quartum denique, ſi in die Conceptionis fuit *Roſa ſine ſpina*, ergò ſine peccato. Et hæc dicta ſufficiant de illo primo Officio Sanctificationis.

Tranſactis viginti annis, id eſt, anno 1505. Reverendiſſimus P. Vincentius Bandellus, cùm eſſet Generalis ſui Ordinis, aliud edidit Officium pro Sanctificatione, æmulando in omnibus, & per omnia Officium editum à Leonardo de Nogarôlis, & receptum à tota Eccleſia, id eſt, cum eodem artificio, diſpoſitione, ac ordine: quod fuit typis mandatum in 4. anno 1527. in quo omnes auctoritates Sanctorum Patrum extant vitiatæ. Et ſtatim anno 1529. fuit impreſſum Miſſale Ordinis Prædicatorum Pariſijs in officina Tilmanni Kerver. Et in Kalendario ad diem 8. Decembris dicit ſic: *Conceptio Beatæ Virginis totum duplex*: & in corpore Miſſalis nullam adducit Miſſam pro Feſtivitate Conceptionis, nec Sanctificationis; quaſi talis Feſtivitas non eſſet in mundo. Aliquid ſimile contigit cum Miſſali impreſſo an. 1616. Nam cùm ponerent Feſtivitatem in Kalendario, in corpore Miſſalis pro Conceptione collocarunt Miſſam de Purificatione. Item poſt Decretum Gregorij XV. de abolenda voce *San-*

Digitized by Google

ctificationis anno 1627. fuit impreſſum Pariſijs Breviarium, ſub hoc titulo: *Breviarium juxta ritum Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum* S.P.N. *Dominici auctoritate Apoſtolicâ reformatum & approbatum, juſſu vero editum* R.P.F. *Seraphini Sicci Papienſis, totius præfati Ordinis Generalis, Magiſtri Pariſijs apud Societatem Typographicam, &c.* Et ad diem 8. Decembris, inquit: *Sanctificatio Sanctæ* MARIÆ *Virginis totum duplex.* Et fol. 616. habet hanc Rubricam: *In Conceptione Beatæ Virginis totum duplex. Omnia præter lectiones infrà ſcriptas, de Officio Nativitatis ipſius aſſumantur, mutato Nativitatis vocabulo in Sanctificationis.* Et in Indice Epiſtolarum & Evangeliorum de Sanctis dicitur: *In Sanctificatione Beatæ* MARIÆ *Virginis.*

Denique an. 1648. Reverendiſſimus P. Generalis Turcus juſſit ut excuderetur Pariſijs Breviarium, & Officium diei 8. Decembris ſub titulo *Sanctificationis*, ut ſuprà diximus. Et ſtantibus omnibus relatis incongruentijs in Officijs Eccleſiaſticis Sancti Thomæ Aquinatis, & Conceptionis (nam de alijs non curamus, quia de ipſis latè loquimur in *Militia*, & RADIIS SOLIS VERITATIS) in eiſdemmet expreſsè affirmant ſua Breviaria, & quæ ibi continentur fuiſſe, confirmata & approbata à Sede Apoſtolica, & Conceptionis Feſtivitatem ne quidem receptam ab Eccleſia. Si iſta ſint ſupportanda, judicent qui poſſunt; tenentur enim ex Officio talia diſcernere, ac determinare.

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS PRIMUS.

QUòd ſi loquamur ſolummodò de contentis in præpoſitis Officijs Eccleſiaſticis: in illis relatis in Cortice pro Feſtivitate Sancti Thomæ inveniuntur multæ propoſitiones univerſales, quarum præcipuæ ſunt illæ: *Elegit eum ex omni carne, &c. Pluſquàm Doctores cæteri, &c. Carnem cum ſuis blanditijs, mundum cum vitijs, dæmonem cum inſidijs omnibus mirabili ſapientiâ ſuperavit, &c. O felix, & inclytus Doctor, qui ſuâ univerſos doctrinâ errores deſtruxit! &c. Lux Doctorum, & occultum cæteris, &c.* Iſtę, & alię propoſitiones pronuntiatæ in laudem, gloriam, & honorem Sancti Thomæ, & doctrinæ ejus, ſuntne ſicut ſonant in tota ſua latitudine univerſaliter accipiendę ſine ulla coarctatione, aut reſtrictione, vel non? Si nullam habent, nec admittunt modificationem, ex hac parte magnus exurgit Nodus. Nam quomodò affirmant, defendunt, & dicunt,

illas

illas univerſales propoſitiones contentas in Officijs Conceptionis, & anteà prolatas à Sanctis Patribus: Maria *nullum habuit peccatum: Mater Dei fuit ſine macula · Virgo fuit pura, Sancta, Immaculata, &c.* habere exceptionem, & eſſe reſtringendas ad certum, atque determinatum tempus? Pro Angelici Doctoris doctrina gloriæ diſperguntur ſine ulla menſura per omnem carnem, per omnem mundum, per omnes dæmones, per cuncta vitia, &c. & pro Dei Matris puritate coarctantur gratiæ, ita ut non omne ſuperaverit vitium, non omnes evaſerit dæmonis inſidias, & fuerit non ſolùm in carne, ſed etiam in anima, ſicut cæteri peccatores! &c. O felix, & inclytus Doctor, & doctrina! & ô infelix puritatis ſententia, &c. Debentne habere majorem latitudinem, & extenſionem, quæ dicebantur à ſola Religione Prædicatorum in ſuo Officio (licet modò non dicantur) quàm illa, quæ pro Dei Matris puritate dicebant Sancti Patres, Summi Pontifices, & integra fidelium Eccleſia, & hodiè dicunt, & recitant Fratres Minores, & alij? Et ſi ex hac parte non poteſt ſolvi Nodus, tentemus ex alia. Si illæ locutiones relatæ pro Sancto Thoma, & doctrina ejus non ſunt accipiendæ ita univerſalitèr, ut non habeant aliquam, & aliquas exceptiones; en alter Nodus, & major ex hac parte. Centum propoſitiones univerſales pro doctrina Sancti Thomæ habent exceptionem, & una Sancti Pauli: *Omnes in Adam peccaverunt*, vel quinque aut decem, quas adducunt contra puritatem Dei Matris, non habent exemptionem. Pater, Nodus iſte habet facillimam ſolutionem: quia illa regula univerſalis Sancti Pauli eſt ex Scriptura Sacra, & à nobis prolatæ pro doctrina noſtri Doctoris non ſunt ex Sacra Scriptura; & cum hac diſtinctione eſt ſolutus Nodus. Interrogo: Illæ propoſitiones univerſales dictæ à S. Thoma contra puritatem Virginis ſuntne ex veſtris, vel ex Scriptura Sacra? Quomodò ergò non inveniunt exceptionem? Et illæ: *Omnes declinaverunt, omnis homo mendax, &c.* ſuntne ex Scriptura Sacra, vel ex veſtris? Quomodò ergò pro Sancto Thoma habent exceptionem, & non pro Virgine? Undique eſt Nodus.

Nodus secundus.

Quia Summus Pontifex Pius V. Ordinis Prædicatorum correxit, ſive reformavit, vel ut ipſi dicunt, expunxit ab albo Divinorum Officiorum illud editum à Leonardo de Nogarôlis, recitatum à tota Romana Eccleſia per integrum ſœculum *ſententia de immunitate Virginis à peccato originali manſit auctoritate Apoſtolicâ excluſa ab Eccleſia, reprobata à Pontifice, & ut apocrypha, falſa, ac ventoſa rejecta.* Hoc conantur probare, & ſtatuere ut principium Patres Turcus, Leonardi, & Gravina. Quo ſuppoſito dico; Officia illa antiqua Sancti Thomæ, & tranſlationis corporis ejus nonne fuerunt

Tttt 2 etiam

etiam reformata, & expuncta ab albo Divinorum Officiorum? Fuerunt: nam hodiè non leguntur. Ex hac reformatione, ſeu expunctione elogia, laudes, & approbationes doctrinæ Sancti Thomæ ſupra-relatæ, Stephani, Urbani, Innocentij, Chriſti Domini, Virginis, &c. quæ recitabantur non in lectionibus Chori, ſed in præfatione Miſſæ, & poſt illas dicebatur: cum Angelis, & Archangelis, Cherubim, atque Seraphim unâ voce canimus ſine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus remanſerunt auctoritate Apoſtolicâ excluſæ ab Eccleſia, reprobatæ à Pontifice, & ut apocryphæ, falſæ, ac ventoſæ rejectæ, vel non? Si dicunt quòd non: ergò in magiſterio, doctrina, & ſchola iſtorum Auctorum, nec ſunt principia certa, nec ſervatur æquitas, nec juſtitia; quia contra puritatem Dei Matris utuntur uno principio, ac lege, & aliâ ex diametro oppoſitâ pro doctrina ſui Doctoris; cùm elogia illa ficta, & falſa, ut demonſtratum eſt, poſt reformationem maneant in viridi obſervantia; quia ſunt pro Sancti Thomæ doctrina & recipiuntur ut vera, ac certa; & quæ loquuntur pro Dei Matris puritate poſt reformationem ſunt rejecta, & reprobata. Si autem per illam reformationem, ſeu expunctionem omnia elogia, quæ in illis Officijs continebantur de doctrina Angelici Doctoris, fuerunt etiam reprobata, rejecta, & condemnata, ut falſa; quid remanet dicendum de Sancto Thoma, cùm ibi contineantur omnia, pro quibus nunc certamus? Ego, dicendo, ex reformatione Officij non fuit reprobata ſententia puritatis, defendo etiam doctrinam Beati Thomæ; Turcus, affirmando quòd ex reformatione Officij fuerit reprobata ſententia, condemnat etiam doctrinam. Quis reſpectu doctrinæ eſt Turcus? Hoc ſolùm habet unam ſolutionem, ſcilicet, hanc: quòd, licet primitivum Officium Sancti Thomæ fuerit reformatum, tamen aliquæ approbationes doctrinæ illius fuerint iterum introductæ, licet cum alia diſpoſitione, & modo in Officium novum Ordinis Prædicatorum; & ſic manſit doctrina approbata, ut vera, Catholica, & pura, &c. Bona quidem ſolutio, niſi optimus exurgeret Nodus: Ergò ſententia immunitatis Virginis etiam eſt approbata ut vera, Catholica, & pura; quia illud Officium reformatum à Pio V. recitatur in Religione Minorum. Et hoc neſcio, quomodò ſolvendum ſit: quia paritas eſt ipſiſſima: niſi dicant Auctores iſti, quòd Officium inſtitutum, & recitatum in Ordine Prædicatorum pro ſuo Angelico Doctore ſit alterius generis, & altioris qualitatis, & excellentiæ, quàm Officium recitatum ab Ordine Minorum pro puritate Dei Matris. Quia ſi hoc dicerent, concluſum eſt, & ego nihil habeo contrà dicendum.

Nodus tertius.

Ut viſum eſt in integra auctoritate

P.Gal-

Digitized by Google

P.Galvan, nititur ille probare, quòd ex Officijs Eccleſiaſticis efficax deſumatur argumentum, & ſic per plures paginas ex Officio antiquo expuncto, & ex noviſſimo reformato Ordinis Prædicatorum, pro exaltatione doctrinæ ſui Angelici Doctoris format quamplura argumenta, quæ ibi videri poſſunt. Pater Joannes à Sancto Thoma etiam ſumit argumentum pro ejuſdem doctrinæ comprobatione ex quadam benedictione Epiſcopali, quæ olim fuerat in uſu, aut numquam fuit in uſu. Et hæc pro Cortice doctrinæ. Pro Virgæ puritate dicit Pater Turcus, quòd nullum poſſit deſumi argumentum pro Immaculata Conceptione ex Officio reformato à Pio V. licet recitetur à Religione Fratrum Minorum; quodque ibi contenta, & quæ ex ipſa deducuntur, ſint vana, ventoſa, ampulloſa, & penitùs rejecta ab Eccleſia, ut vidimus in ejus auctoritate: & idem affirmat P. Thomas Leonardi. Quis ergò componet iſtos quatuor ſcriptores modernos (relictis cæteris antiquioribus) Ordinis Prædicatorum? Eorum propoſitiones ſunt hæ: Prima; Pro Sancti Thomæ doctrina ex Eccleſiaſticis Officijs ſumitur argumentum efficax; pro Dei Matris puritate ex Eccleſiaſticis Officijs non ſumitur argumentum efficax. Secunda: Ex Officijs, licet reformatis, doctrina Angelici Doctoris eſt approbata & admiſſa: ex Officijs reformatis puritas Dei Matris eſt reprobata, & rejecta? Qui intellexerit iſta, ſolvat Nodum.

Nodus quartus.

De Sancto Thoma dicuntur verba illa: *Thomas inſignis genere claram ducens originem, &c. Hujus Sancti ortus, & vitæ progreſſus, antequàm ex utero naſceretur, fuit Divinitùs præmonſtratus, &c. Nuntiavit Matri ejus cum gaudio, quòd Filium conceperat, cùm illa ſe fore gravidam penitùs ignoraret, &c.* Ecce gloriæ Sancti Thomæ inceperunt ab utero, origine, & ortu, immò ante Conceptionem ejus, & quando Mater penitùs ignorabat, an eſſet gravida. Et Mariæ gratia quando incepit? Ab utero, ſed non ab origine: à vitæ progreſſu, ſed non ab ortu: à nativitate, & non à Conceptione: fuit gaudium Annæ Matri ejus, non quando erat paritura, nec ante, nec poſt tres menſes à ſua generatione, ſed poſt animationem. Item de morte Sancti Thomæ dicitur in eodem Officio: *De fœno flos elicitur, adeps de carne tollitur, dum Thomas cælo redditur, &c.* Et interrogo: An iſta, quæ dicuntur de Beato Thoma, & ejus à mundo egreſſu, poſſint dici de Beatæ Mariæ ingreſſu, ſcilicet: *De fœno flos elicitur, adeps de carne tollitur, dum* Maria *mundo redditur?* Si verè iſta potuerunt dici de Virgine in ſua Conceptione, ergò fuit ſine peccato originali; quia ſi inter fœnum corruptæ naturæ humanæ fuit ut flos, & inter carnis contagia fuit ut adeps, hoc non poterat eſſe, niſi pro illo inſtanti ſui ingreſsûs haberet

gratiam, aut juſtitiam originalem. Item ad hoc facit illa confeſſarij Reginaldi teſtificatio: *Ego confeſſionem ejus generalem audivi, & ipſum ſic purum ſemper invêni, ſicut puerum quinque annorum, quia numquam ſuæ carnis ſenſit contagium.* Reginaldus *ſemper invênit Sanctum Thomam* (nota iſtam univerſalem) *purum*: quia *numquam* (nota alteram univerſalem) *ſuæ carnis ſenſit contagium*; & interrogemus: An iſta ſic univerſaliter prolata poſſint etiam dici verè, ac realiter de Virgine nec ne? Si de ipſa poſſint dici: Semper inventa eſt pura, numquam ſuæ carnis ſenſit contagium; ergò numquam fuit impura, nec aliquando ſenſit ſuæ carnis contagium. Dicunt hoc eſſe verum, ſed poſt primam ſuam Sanctificationem; igitur nihil aliud conceditis puritati Dei Matris, quàm Angelico Doctori, cùm etiam Sanctus Thomas hoc habuerit à prima ſua Sanctificatione? Quòd autem hæc fuerit in uno ſtatim poſt egreſſum ex utero, & in altera ante egreſſum ex utero, eſt accidentalis differentia. Nam hæc eſt ſubſtantialis: Sanctus Thomas ſemper fuit purus, & ſolùm ſenſit carnis contagium in ſua conceptione; hoc, & nihil ampliùs dicitur de Beata Virgine: Mater Dei ſemper fuit pura, & ſolùm ſenſit carnis contagium in ſua Conceptione; & ſic quoad ſubſtantiam nihil aliud datur puritati Reginæ Angelorum, niſi illud, quod conceditur puritati Angelici Doctoris. Et iſte non eſt Nodus?

NODUS QUINTUS.

De Sancto Thoma dicitur: *Puritatis vas decorum, nihil ſordis patitur. Præſul clarus famâ morum, Sanctum ferens labitur, merſus luto, indecorum nihil indè linquitur.* Duo in hoc Rhythmo dicuntur ad noſtrum propoſitum. Unum eſt, quòd vas Sanctus Thomas fuerit decorum, nihil patiens ſordis: inter magnos Theologos neceſſe eſt ſtare formaliſſimis verbis: *Puritatis vas, indecorum nihil ſordis patitur.* In iſta oratione complexa nullum eſt verbum: quia non dicitur, quando fuerit Sanctus Thomas puritatis vas decorum, nec quando, aut quomodò extiterit expers à ſorde. Habuitne iſtam puritatis excellentiam, vel excellentias in principio, medio, aut fine vitæ ſuæ? Dicunt quòd à principio. Et ſi iterum dividamus principium illud in alias tres partes, primam, ſecundam, & tertiam, & interrogemus iterum: in qua parte ex iſtis fuerit puritatis vas, nihil ſordis patiens? Dicunt quòd in prima parte, & ſic de reliquis. Ac tandem, ſi inquiras de illa prima parte; an fuerit puritas illa in primo, ſecundo, aut tertio inſtanti? Reſpondent, quòd in primo, quia talitèr fuit Angelicus Doctor vas decorum, ut ſemper fuerit purum, numquàm ſentiens contagium, aut aliquam habens ſordem. Hoc dicunt de ſuo vaſe decoro, & pulchro fabricato, & dolato ex Cortice. Videamus ergò, quid ſentiant de altero vaſe puriſſimo fabricato ex Virga. Adam à Sancto Victore

ctore in Proſa de Aſſumptione vocat Mariam, *Vas honoris*, Vas *cæleſtis gratiæ*, &c. Vas *ab æterno prævisum*, &c. Vas *excisum manu ſapientiæ*. Ludovicus Bloſius in prece: Vas *puriſſimum omni amaritudine carens*. Butheon in hymno Græco: Vas *pulchrum inexhauſti unguenti*. Pelbartus in Stellario: Vas *admirabile, Opus excelſi*. Sanctus Epiphanius: Vas *pretioſum, & excellentiſſimum*. Sanctus Gregorius Neocæſarienſis: Vas, *& receptaculum ſupercæleſtis lætitiæ*. Sanctus Ildephonſus: Vas *Sanctificationis*. Sanctus Ephrem: Vas *præclarum, & electum*. Sanctus Bonaventura: Vas *purum, purius, & puriſſimum*. Et in Litanijs quotidianis dicimus: Vas *admirabile*, Vas *inſigne devotionis*. Et hujuſmodi ſunt in Sanctis, & Patribus innumerabilia. Et ſi interrogemus à defenſoribus opinionis contrariæ, an ex iſtis locutionibus, quæ nullum habent tempus determinatum, ſicut illæ prolatæ ſemel, & in uno Officio Dominicano pro Sancto Thoma, poſſit dici, & affirmari Mariam fuiſſe ſemper vas purum, numquàm habens ſordem? Dicunt quòd non: quia in principio, & illius principij primâ temporis parte non fuit vas purum, ſed ſordidum habens maculam, culpam, & ſpurcitiam. Videte amore Dei quid dicatis, facite reflexionem, conſiderate, quid de veſtro Angelico Doctore dicatur, & cantetur, prædicetur, ac recitetur, fuiſſe puritatis vas decorum, nihil ſordis patiens, ſemper purum, & numquàm habens ſordem in principio, medio, aut fine: quomodò ergò hoc ipſum negabitur de illo ſacratiſſimo vaſe Verbi Divini totius Sanctiſſimæ Trinitatis reclinatorio? Siſte in ponderationibus, quia vidimus, & conſideravimus rem per quadringentos annos. Si dicamus de noſtro Angelico Doctore, quòd fuerit vas ſemper purum, numquàm ſordem habens, eſt, quia ſic fuit, & poteſt dici, & ſufficit, quòd nos dicamus. Et ſi pariter dicamus de Dei Matre, quòd non ſemper fuerit vas purum, quia aliquando habuit ſordem, eſt, quia ſic fuit, quod dicimus: & quia ſic dicimus, ſic fuit, & damus unicuique quod ſuum eſt; & ne quæras aliam rationem, aut cauſam. Non quæro, nam nullus Catholicus ad præſentiam ignis exardentis in corde ſuo expectabit Nodi ſolutionem.

Nodus sextus.

Alius Nodus, & non minor continetur in illis verbis: *Præſul clarus famæ merum, Sanctum ferens labitur, merſus luto, indecorum nihil inde linquitur*. Hiſtoria eſt cujuſdem miraculi facti à Sancto Thoma. Nam dum quidam Præſul corpus ferret Angelici Doctoris, cecidit, & in ipſo merſus fuit luto, tamen exivit à luto nitidus ac mundus, ut nullam luti maculam, vel ſaltem aliquid indecorum contraheret ex illo caſu in corpore, aut in veſtibus. Et ecce ſtamus in Nodo. Et interrogo: Poteſtne aliquis cadere in lutum, & exire abſque ulla macula

luti?

luti? Cogitate priùs, & perpendite benè, quid reſpondere debeatis. Poteſtne aliquis eſſe immerſus luto, & nihil inde contrahere maculæ,aut recipere aliquid indecorum? Dicimus quòd potuerit, & de facto ſic contigit cum portante corpus Angelici Doctoris. Benè. Potuitne igitur Virgo MARIA etiam cadere in lutum naturæ humanæ, ſeu primi parentis cœnum, & tamen nullum contrahere peccati lutum, vel indecoram culpæ originalis maculam? Dicunt quòd hoc non potuerit eſſe; quia neceſſariò debuit B. Virgo contrahere culpam,& infici luto peccati. Et miraculum illud Præſulis liberati à luti maculâ factum meritis corporis Sancti Thomæ non potuit fieri meritis corporis Chriſti pro munditia Matris ſuæ? Dicunt quòd hoc non potuerit fieri; & licet potuerit, non tamen factum fuerit. Et quare ſi contigit de facto corporàliter cum Pręſule propter meritum corporis Sancti Thomę, non potuit etiam contingere de facto ſpiritualiter cum Beatâ Virgine propter merita Chriſti, cujus corpus ipſa per novem menſes in utero, & per plures annos in brachijs portatura erat? Hujus difficultatis ſolutionem non vidi apud aliquem ſcriptorem,ſed dum illam expectamus, pergimus ad alia.

NODUS SEPTIMUS.

Præſul cecidit in lutum, & nihil indè recepit indecorum, & hoc fuit miraculum; quia cadere, & in lutum neceſſariò ſemper ſecum portat aliquid indecorum: nam vel eſt fragilitas,inadvertentia, aut puſillanimitas; meliùs erat non cadere, quàm cum omni modeſtia, & decôre cadere; ſed cùm portaret corpus Præſul ille, inter Patres neceſſariò debebat cadere: quia in illa ſchola non eſt gratia, & liberatio, niſi poſt peccatum; nec ſciunt, quid ſit manutentio, &c. Sed adhuc de poſſibili, interrogo: Poterantne facere merita Sancti Thomæ, ut Præſul non caderet? Non poterant in ſententia illorum, quia dicunt quòd præſervatio ſit impoſſibilis, & quædam chymerica fictio inventa his noviſſimis temporibus, ut dicebant Bandellus, Pater Frickenhauſen, & alter, contra quæ ſcripſit Auctor clypei Conceptionis, in quadam quæſtione à nobis nunc in lucem datâ in Monumentis antiquis. Benè. Sed iterum inſto: Cadente uno ex quatuor; qui portabant feretrum, alij tres fueruntne præſervati à caſu? Fuerint, vel non fuerint, ſit vel non ſit,hoc eſt ex omni parte nimis premere Nodum: ſed hîc caſus habet locum,& non pręſervatio: undè cecidit Præſul neceſſariò, & infallibiliter propter locum, in quo erat. Optimè. Si Præſul non fuerit præſervatus à caſu,fuitne ſaltem pręventus & præſervatus à macula luti? Fuit. Ergò licet in veſtra doctrina non ſit præſervatio à caſu,habetis in veſtro Doctore præſervationem à macula luti. Relinquitur igitur doctrinam,

Digitized by Google

ctrinam,& dicite cum Doctore,quòd Virgo MARIA ceciderit in lutum, ſed fuerit præſervata à macula luti. Conveniamus in caſu, ut dicamus contigiſſe Dei Matri, quod contigit Præſuli. At nec hoc voluntconcedere; ſed quòd ceciderit in lutum, & exiverit maculata à luto, & ſic indecora apparuerit coram oculis Dei, & Angelorum. Et iſte non eſt Nodus? Videtur Nodus, ſed non eſt, inquiunt,quia quando cecidit Præſul, portabat corpus Sancti Thomę,& quando cecidit Virgo, non portabat Corpus Chriſti. Hæc non eſt ſolutio,ſed nova innodatio; quia plus tribuitur corpori S. Thomæ præterito, quàm Chriſti futuro. Nam corpus illud ante ſeptuaginta quinque annos erat corpus Sancti Thomæ, ſed jam non; quia in veſtra ſchola reſolutio fit uſque ad materiam primam; & ſic jam illud portatum à Præſule non erat corpus Sancti Thomæ, ſed tantùm denominativè,quod fuerat S.Thomę; at ex illo corpore MARIÆ animatum quando cecidit, poſt undecim, vel quindecim tantùm annos futurum erat Corpus Chriſti. Cadaver ergò illud exanime, mortuum, reſolutum,& oſſa arida, quia fuerant Sancti Thomæ tantùm denominativè ante ſeptuaginta quinque annos operata ſunt cum Præſule, quod non fecit Chriſti Corpus futurum poſt quatuordecim tantùm annos: & magis potuerunt pro Præſule caro, & oſſa humana præterita, quia Sancti Thomæ, quàm pro Matre Dei caro,& oſſa futura Divina. Sed relinquamus perſonas, & deveniamus ad doctrinam & ſententiam.

NODUS OCTAVUS.

Mirabiles profectò contradictiones videmus in aliquibus ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum ſcribentibus pro doctrina ſui Doctoris, & contra Virginis Conceptionem. Pater Galvan conſumit plures paginas probando ex paucis illis indulgentijs conceſſis pro Feſtivitate Sancti Thomæ, & Sacello, ubi à Chriſto Domino fuit approbata doctrina ejus, manſiſſe ipſam doctrinam comprobatam à Sede Apoſtolica, & receptam ab Eccleſia, ut Sanctam, puram,&c. Et vice verſâ Pater Turcus conſumit non pauca folia probando, quòd ex omnibus indulgentijs conceſſis pro die, Officio, ac Myſterio Conceptionis nullo modo colligatur ſententiam de immunitate à peccato fuiſſe approbatam à Sede Apoſtolica, vel receptam ab Eccleſia. Et hîc non eſt contradictionis Nodus? Item ex illa clauſula contenta in oratione: *Deus, qui Eccleſiam tuam Beati Thomę Confeſſoris tui mirâ eruditione clarificas,&c.* conatur probare P.Galvan doctrinam eſſe approbatam ab Eccleſia; aliàs non diceret illud: *Mirâ eruditione clarificas*, (quaſi hoc ipſum non diceretur de alijs quàmpluribus Doctoribus) & quia Summus Pontifex Sixtus IV. in Bulla, *Cum præ-excelſa*, vocavit Conceptionem miram, dicens: *De ipſius Imma-*

Digitized by Google

maculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias, & laudes referant, &c. Pater Gravina & Leonardi inſurgunt contra myſterium Conceptionis affirmando ſolùm eſſe mirabile, non autem Sanctum, aut Immaculatum, nec purum; de quo mirabilia videbimus in ſecunda impreſſione SOLIS VERITATIS. Et hic non eſt etiam contradictionis Nodus? Tandem propter Indulgentias, Officium, & Feſtivitatem Sancti Thomæ dicit Pater Galvan: *Quapropter reprehendendi profectò ſunt, qui eamdem eruditionem cum Eccleſia miram eſſe non cognoſcunt; neque enim cum ea in hac re ſentire videntur, &c.* Quia Eccleſia vocat ſemel in Oratione doctrinam, ſeu eruditionem S. Thomæ miram; qui iſtam miram, & eruditam doctrinam non recognoſcunt, & ſequuntur cum Eccleſia, vel diſſentire videntur ab ea, ſunt profectò reprehenſione digni. Et cùm Eccleſia non ſemel, ſed centies in Oratione, Verſiculis, Reſponſorijs, & Antiphonis appellet Conceptionem Virginis miram, Immaculatam, puram, Sanctam, & illibatam, ipſi cum Eccleſia nolunt ſentire, ſed poſitivè diſſentire; nec recognoſcunt, neque ſequuntur, ſed potiùs contradicunt, & impugnant; & non manent reprehenſione digni: Quia eruditio dicitur mira, tota doctrina eſt approbata, & recepta ab Eccleſiâ, ut Sancta, pura, & Immaculata ſecundùm Patrem Galvan: & cùm in toto Officio Conceptionis vocetur Conceptio pura, Sancta, & Immaculata, quia in Bulla confirmationis ejuſdem Officij vocavit Summus Pontifex Conceptionem miram, quæ dicebantur de Conceptione, remanſerunt reprobata, & rejecta. Nec Officium intelligendum eſt, *quatenùs in eo dicitur Conceptio Immaculata, ſed quatenùs habetur mira*, ut dicunt Patres Turcus, Gravina, & Leonardi: & ſic ly, *mira*, dictum de eruditione fabricat in doctrina approbationem, Sanctitatem, immunitatem, &c. & eadem vox *mira* poſita à longè, ſcilicet, in Bulla, deſtruit, & diſſipat, quidquid puritatis, immunitatis, ſanctitatis, & præſervationis extat in Officio pro puritate Dei Matris. Et quis intelliget iſta? Mirabilia, quæ dicuntur de perſona Sancti Thomæ, & ejus Sanctitate, mirificè extollunt etiam doctrinam ejus: & mirabilia dicta, & acta pro puritate Virginis in ſua Conceptione nec extollunt ipſam, neque exaltant, quin potiùs deprimunt ipſam Virginis perſonam, ut latè dicitur in SOLE VERITATIS, Verbo, *Joannes Brizius.* Et iſti non ſunt Nodi?

NODUS NONUS.

In medio temporum, & in medio Eccleſiæ aperuit Deus os Angelici Doctoris Thomæ, ut ſuâ ſolidâ doctrinâ, inclytâ, ſecurâ, firmâ, atque lucidâ Divinis verbis inſitâ, inquit, Pater Galvan, profligaret, & comprimeret omnes hæreſes, quod ſic executioni mandatum eſt. Proſequitur idem Auctor: *Hujus doctrinâ profligata eſt Ary*

impu-

impietas, deſtructa Sabellij hæreſis, confuſus Pelagij error, cecidit impia Lutheri ſecta, evanuit inſanum Calvini delirium, & ut uno verbo dicam, Divus Thomas hæreticos omnes non antiquiores tantùm, ſed etiam recentiores uſque ad ultimam mundi ætatem futuros ſuâ ſapientiâ compreſſit. Hæc clara ſunt pro Cortice. Pro Virga verò, ut dicunt omnes Sancti, Verbum Divinum inſitum naturæ humanæ operatum eſt noſtram ſalutem in medio terræ,id eſt, in utero Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, ut in carne illa puriſſima à Virgine receptâ, ſolidâ, inclytâ, ſecurâ, firmâ, lucidâ atque Divino Verbo inſitâ profligaret, & comprimeret omnia peccata præterita, præſentia, & futura, mortalia, venialia, & originalia, &c. Ecce paritas in utraque doctrina Sancta, & carne purâ;ſapientiâ Thomæ,& Verbo incarnato. Et relictis alijs inquiro de peccato originali: an illud profligaverit, & compreſſerit Verbum? Profligavit, ſed non compreſſit; quia in nullo individuo naturæ humanæ illud compreſſit: nam comprimere eſt reprimere, ne reſultet illud, quod imminet, timetur, vel poteſt reſultare, ut Sanctus Thomas comprimit hæreſes, ne eæ reſultent in mundo; unde Verbum Divinum non compreſſit in ſe peccatum originale, quia in Deo non poterat ſcaturire. Si ergò non compreſſit peccatum originale nec in Matre ſua, in quo illud compreſſit? Eorum ſolutio communis eſt dicere, quòd non potuerit comprimi peccatum originale in Maria; quia quando ipſa fuit concepta, nondum Verbum Sanguinem ſuum fuderat pro mundi ſalute. Et hæc eſtne ſolutio, vel innodatio? Potuit, & de facto compreſſit Sanctus Thomas errores, & hæreſes Sabelly, Arij, & Pelagij, qui ipſum præceſſerunt per octingentos annos: & non potuit Verbum Divinum de facto comprimere peccatum originale ſuæ Matris ante quatuordecim annos? Crediturne in rei veritate,quòd Sancti Thomæ doctrina compreſſerit errores, & hæreſes Arij, Sabellij,& Pelagij? Credimus; quia doctrina Sancti Thomæ fuit verbis Dei inſita, & verbum Dei manet in æternum,& ſic profligavit,& compreſſit errores antecedentes. Et fuit magis inſita doctrina Sancti Thomæ cum verbis Dei, quàm fuit Divinum Verbum inſitum humanitati, & humanitas Verbi cum illa carne numero genita in utero Annæ? Et quando Nodus iſte habebit ſolutionem? Quando ſolvetur alius inſitus in illo.

Nodus decimus.

Ut conſtat ex antecedentibus dictis in Rituali Epiſcoporum, doctrina Sancti Thomæ hoc unum per excellentiam, & Antonomaſticè facit *Eccleſiam Sanctam hæreſibus purgare.* Et ut in Officio Eccleſiaſtico iterum dicebatur: *Purgans dogma gentilium,&c.* Similiter, ut videre eſt in Sole Veritatis, multi Sancti, & antiqui Patres dixerunt Virginem Dei Matrem purgatam fuiſſe à peccatis. Undè

commune, & frequens argumentum, immò præcipuum Adverſariorum eſt hoc: quòd ſi fuerit purgata à peccato; ergò & à præexiſtente macula; nam nullus purgatur niſi ab inhærente, ac verè, & realiter exiſtente contagio, & infirmitate; & hinc Turrecremata, Anonymus, Bandellus, & Frickenhauſen, & alij latiſſimos conficiunt diſcurſus. Sed jam Deus contra omnes attulit ad manus noſtras defenſivum. De Sancti Thomæ doctrina dicitur in Officijs Eccleſiaſticis, & admittiur ab Auctoribus Dominicanis, quòd purget Eccleſiam Dei ab erroribus Gentilium, & hæreſibus hæreticorum. Et en Nodus indiſſolubilis. Quia verbum hoc *purgare* dictum de doctrina Sancti Thomæ, eſt idem, quod impedire, obviare, & relegare, ne errores gentilium, & hæreticorum hæreſes in Eccleſiam Dei introducantur: quia ſi idem eſt, doctrina Sancti Thomæ præſervat Eccleſiam Dei ab erroribus, & hæreſibus. Et ecce habemus in unico inſtanti ad manus in doctrina Sancti Thomæ, quod per quadringentos annos contradixerunt, negarunt, & negant de Sanguine, morte, paſſione, ac redemptione Chriſti Domini. Si nulla eſt redemptio præſervativa in Eccleſia Dei impediens, ne malum exoriatur, & pullulet; quomodò tàm facilè invenitur in doctrina S. Thomæ? Præſervatio in morte, & Sanguine Chriſti contra peccatum originale pro ſuæ Matris puritate erat, & eſt chymerica; & in doctrina Sancti Thomæ contra hæreſes, & errores non eſt chymerica. Sanctus Thomas ſuâ doctrinâ purgat Eccleſiam ab erroribus, & hæreſibus non ſemel, ſed quotidiè impediendo ne pullulent, aut reſurgant ad maculandam Eccleſiam; & hujus generis purgationis remedium toties repertum in Dominicana apotheca, pro imminente periculo infirmitatis Matris Dei nec ſemel reperiunt in myropolio ſeu pharmacopolio Dominico. Cùm doctrina Sancti Thomæ eſt in Eccleſia Dei parata continua, & extat perennis medicina præſervativa, ne quicumque error, aut aliqua minima hæreſis inficiat, aut maculet Sponſam Eccleſiam: & in redemptione, Sanguine, morte, gratia, & miſericordia Filij Dei non fuit talis præſervativa medicina; cùm pro Matre ſua neceſſe fuerit, ut priùs infirmaretur, totaliter caderet, abſolutè macularetur, & completè eſſet in faucibus mortis, ut poſt malum ingrederetur remedium. Doctrina Sancti Thomæ præcedit Eccleſiam ut lampas, ne labatur, aut cadat in errorem: & merita Chriſti Domini non potuerunt præcedere Matrem ſuam, ut non caderet, & laberetur, ſed tantùm ſubſequi, ut poſt caſum illam levaret. Ex hac parte neſcio, quomodò ſolvendus ſit Nodus iſte.

NODUS UNDECIMUS.

Multò magis videtur indiſſolubilis ex altera: nam ſi, ut evadant præpoſitam diffi-

difficultatem, nunc velint dicere, purgare non eſſe idem ac præſervare, obviare, ac impedire, ne hæreſes ingrediantur, aut pullulent in Eccleſia; ſed eſſe idem ac lavare maculam jam præexiſtentem, ac hæreſes, & errores ſemel contractos, & graſſantes in Eccleſia, & Fide Catholica, abſtergere, mundare, extrahere, purificare, & curare, &c. En alius Nodus, & major. Quia ut maculent Dei Matrem, maculant etiam doctrinam ſui Angelici Doctoris, & ut in illa ponant tenebram, occultant nunc ſplendorem iſtius. Nam, ut in ſuperioribus viſum eſt, nihil aliud clamant ſcriptores Ordinis Prædicatorum, niſi quòd doctrina Sancti Thomæ præſervet Eccleſiam, & Fidem ab erroribus; antequàm pullularent, prævidet, diſſipat, præſtantiſſimis præſidijs protegit, atque defendit. Undè pariter dixerunt, quòd ſit clypeus Eccleſiæ: clypeus autem non eſt emplaſtrum, ut curet vulnera inflicta, ſed defenſivum, ne percutiamur, aut vulneremur. Sed admittamus ſolutionem dicentem, doctrinam S. Thomæ ſolùm deſervire ad expellendas hæreſes jam exortas, & errores introductos in Dei Eccleſiam, & non ad arcendum, ac repellendum ingreſſum illarum: quodque ſuâ veritate, & integritate non illuminet ante occaſum, ſed poſt ſparſas tenebras: ac denique, quòd purget Eccleſiam, ſicut gratia purgavit Mariam poſt contractam culpam, & maculam. Et interrogo: Ante actualem exiſtentiam doctrinæ Sancti Thomæ, quâ veritate dicebatur à Sanctis Patribus, & verè erat Eccleſia Sancta, pura, Immaculata, nullam habens maculam, aut rugam, defectum, vel errorem, &c? Hîc nullam invenio ſolutionem: quia non dicent Sanctos tunc mendaciter fuiſſe locutos, nec docebunt Eccleſiam fuiſſe maculatam, & impuram uſque ad adventum Sancti Thomæ, nec dicent, & affirmabunt prævisis meritis fuiſſe purgatam; quia qui negant prævisa merita in Chriſto reſpectu ſuæ Matris, non audent illa concedere in Sancto Thoma. Non ergò invenio ſolutionem, niſi dicant, quòd Sanctus Thomas curaverit alio modo de Eccleſia, quàm curaverit Chriſtus de Matre ſua: quia Sanctus Thomas curavit magnâ curâ, & Chriſtus Dominus curavit ſine cura: & quocumque applicato remedio Nodus ſemper incurabilis remanebit.

NODUS DUODECIMUS.

Relinquo diſcurſum, & lubet ſiſtere paululum in verbis. Quia in benedictione Epiſcopali dicebatur Sanctum Thomam fuiſſe Divinâ ſapientiâ illuſtratum, quâ Eccleſiam Sanctam ab hæreſibus purgavit, non affirmatur S. Thomam habuiſſe Divinam ſapientiam: hoc enim eſſet blaſphemum & hæreticum; ergò nec dicere Summum Pontificem Pium V. in exhauſtam Dei benignitatem nobilitaſſe opera Sancti Thomæ Chriſtianæ doctrinæ certiſſimâ regulâ, quâ Sanctus Doctor confutatis infinitis hæ-

reſibus Apoſtolicam Eccleſiam illuſtravit, eſt dicere ipſa opera eſſe certiſſimam regulam doctrinæ Chriſtianæ, ut ipſi volunt adſtruere, & habent ſparſum per omnes ſuos libros. Clariùs, cùm in Pontificali dicatur; Doctrinam Sancti Thomæ eſſe in veritate & charitate fundatam non indè poteſt deduci, quòd ipſa ſit veritas & charitas, quâ regulatur veritas & charitas Chriſtiana; quia hoc eſſet blaſphemare, & errare in Fide; pari modo eſt abſurdum ſolùm excogitare ſcripta S. Thomæ eſſe certiſſimam Chriſtianæ doctrinæ regulam. Hoc incidenter notavi pro ſuprà dictis in Nodo XI. principali; ſed nunc ad rem noſtram: Una benedictio Epiſcopalis, in qua dicebatur S. Doctorem fuiſſe *Divinâ ſapientiâ illuſtratum, & ſuam doctrinam fuiſſe in veritate & charitate fundatam*, ita manſit approbata, ut nulli liceat adhuc in opinabilibus, ſpeculabilibus, & incertis ab illa diſſentire. Et cùm non in una, ſed in tribus benedictionibus diverſis dicerentur omnia iſta; primum, quòd *Omnipotens ſanctificaverit initia Conceptionis*. Secundum, quòd *in ſua Conceptione fuiſſe credatur ſine peccati contagione*. Tertium, quòd *numquam Deus permiſerit ſuam Matrem ſub poteſtate dæmonis permanere*: ipſi omnia iſta oppugnant & contradicunt, ac pro viribus contendunt eſſe falſa. Quid eſt hoc? Nos concedimus libentiſſimè integram propoſitionem ab Epiſcopo in ſua benedictione prolatam, ſcilicet, Sanctum Doctorem fuiſſe Divinâ ſapientiâ illuſtratum, & ſuam doctrinam extare in veritate & charitate fundatam, quia eſt pro gloria cujuſdam Sancti Doctoris Eccleſię. At ipſi nolunt pro gloria & honore Matris Dei ex tribus clauſulis benedictionum concedere unam, ſed oppugnare ęqualiter omnes, dicendo initia Conceptionis non fuiſſe ſanctificata, nec fuiſſe ſine peccati contagione, quia fuit ſub poteſtate dæmonis.

Nodus Decimus-tertius.

Quando Angelicus Doctor fuit canonizatus (ut refert Humbertus ad finem ſuę hiſtoriæ pro Officio Eccleſiaſtico) ſolùm adſcripſerunt ipſi ſequentem verſiculum & orationem. Verſ. *Orietur in tenebris lux tua*. Reſp. *Et tenebræ tuæ erunt ſicut meridies*. Oratio. *Deus, qui B. Thomam Confeſſorem tuum luminis tui ſingulari feciſti ſplendore clareſcere, concede propitius, &c.* Quando Feſtivitas Conceptionis fuit introducta in Eccleſiam Romanam, ſpeciale Officium factum fuit per Leonardum de Nogarôlis, incipiens: *Sicut lilium inter ſpinas, &c.* cujus erat verſ. *In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti*. Reſponſ. *Ora pro nobis patrem cujus Filium peperiſti*. Oratio: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, concede quæſumus, ut ſicut ex morte ejuſdem Filij tui prævisâ eam ab omni labe præſervaſti, &c.* & alia quæ videri poſſunt in primo Officio poſito in noſtra *Militia*, à columnâ 923. & hoc recitatum fuit in uni-

univerſali Eccleſia ab anno 1477. uſque ad annum 1569. nam in ultima impreſſione Breviarij Romani factâ anno 1566. in ædibus Viduæ Joannis Stelſij, fol. 509. extat hoc Officium: *Sicut lilium.* Ex quo etiam evidenter colligitur eſſe falſum illud dictum Reverendiſſimi Patris Turci, quòd aſſerat anno 1564. obtentum fuiſſe à nobis oraculum Pij V. cùm ex hoc & alijs teſtimonijs conſtet an. 1566. adhuc recitari iſtud Officium in tota Eccleſia. Sed nunc pergendo ulteriùs. Verſiculus ille cum Reſponſorio pro Angelico Doctore ſtatim fuit reformatus taliter, ut in nullo Breviario fuerit poſitus: & pariter fuerunt reformata alia quatuor Officia ſuprà relata in Cortice: ergò omnia quæ dicit Reverendiſſimus Pater Turcus contra Officium Leonardi de Nogarôlis, ſunt inania, ac ventoſa, &c. Vel etiam in ſuis verbis compaginavit Nodum indiſſolubilem contra doctrinam ſui Angelici Doctoris.

Nodus decimus-quartus.

Prima ac præcipua ratio, quâ Patres illi Salmanticenſes (ut in ſuperioribus ſæpè repetitum relinquimus) volebant probare Academiam Salmanticenſem tenêri ad ſequelam, non quomodocumque, ſed ſub jurejurando, & ſtatuto perpetuo inviolabili doctrinæ Sancti Thomæ, erat titulo gratitudinis, quia aliàs eſſet ingrata ſecùs faciendo. Et ſuum gratitudinis titulum conſtituebat in hoc: Sanctus Thomas dedit Univerſitati Salmanticenſi doctrinam puram, Sanctam, illibatam, ſine ullo prorsùs errore, aut defectu, quod nullus alius Doctor fecit; ergò tenetur ſub jurejurando, voto, & ſtatuto amplecti, ac defendere ſolam doctrinam Sancti Thomæ, aliàs ut ingrata, & immemor ſui benefactoris, & beneficij eſſet cenſuranda, ingrato autem homine terra nil pejus creat. Hoc principio ſtabilito pro Cortice, ſtatuamus aliud pro Virga, illud ſcilicet, quod communiter dicitur ab eiſdem Doctoribus Dominicanis: *Creditur autem, quòd Beata Virgo eidem ſingularem illam ſapientiam à Filio ſuo impetraverit.* Inſuper quando habebat Angelicus Doctor aliquam difficultatem recurrebat ad Virginem Matrem, & illa dicebat Chriſto Domino: *Fili declaretis illi hanc difficultatem, &c.* Ergò ſi Sanctus Thomas dixit, Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, ac diſcipuli ejus hoc affirmantes ſunt ingrati ſuo benefactori: quia cùm Univerſitas Salmanticenſis eſſet, & diceretur ingrata, ſi recipiendo illam doctrinam Sanctam, puram, & illibatam à manu Sancti Thomæ illam non reciperent ſub jurejurando, atque ſtrictiſſimo voto, & hanc eamdem doctrinam puram, illibatam, & Immaculatam receperunt Thomiſtæ in capite, & in membris, meritis, & interceſſione Virginis Mariæ, quando cum eodemmet beneficio recepto maculant ſuum benefactorem, hoc non eſt laborare eodem vitio ingratitudinis? Iſte eſt Nodus ſol-

ſolvendus. Ideò recepit SanctusThomas conceptum mentis purum, & illibatum, Sanctum, & incontaminatum; quia Virgo Mater ſic impetravit à Filio: & ideò conceptus ventris tanti benefactoris eſt maculatus, & immundus apud Diſcipulos; quia in conceptu mentis Sancti Thomæ ſic dicitur, & continetur; eſtne æquum petere ab alijs pro doctrina Doctoris, quod ipſi non obſervant, nec obſervare volunt pro puritate Dei Matris, immò potiùs impugnant, & contradicunt? Et quando ſolvetur Nodus iſte?



NO-

Digitized by Google

NODUS DECIMUS-QUINTUS
PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ prætenſam ex quodam juramento, ſeu voto emiſſo ab Academia Salmanticenſi, & ſtatim annullato; atque votum ejuſdem Univerſitatis ſubſiſtens pro immunitate Virginis Mariæ à peccato originali.

PRO CORTICE
§. PRIMUS.

IN libello edito ſub nomine Doctorũ Salmanticenſium ſic dicitur: anno Domini 1627. die 9. menſis Junij in Congregatione decem & octo Doctorum Salmanticenſium, actum eſt de defenſione, & ſequela doctrinæ Sancti Auguſtini, & Beati Thomæ; ac cum ſexaginta ſuffragijs, uno tantùm, aut altero repugnante, determinatum fuit publicè, ut tale fieret ſtatutum. Cùm verò ad vota ſecreta pro majori libertate ventum eſſet (res ſatis nova, & numquàm anteà in Academia viſa) nulla prorsùs extitit contradictio; & ſic ab omnibus in clauſtro exiſtentibus juramentum ſequentis tenoris emiſſum eſt: *Juro in quotidianis lectionibus, quas in Academia, vel cathedræ moderator, vel voluntarius profeſſor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia ſcholaſtica doctrinam Auguſtini, & concluſiones Divi Thomæ, quas in Summa Theologiæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit; ubi verò anceps, & dubia, nihil*

Digitized by Google

hil doctrum, neque lecturum, quod eorum doctrinæ adverſari ſenſerim, ſed quod vel juxta meum ſenſum, vel eorum, qui diſcipuli Sanctorum Auguſtini & Thomæ communitèr cenſentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme judicaverim. Excipio opinionem de Immaculata Virginis Conceptione, & ea, quæ jure Eccleſiaſtico immutata ſunt, vel poſteà immutabuntur; & quæ, cùm olim controverſa eſſent, jam conſtitutionibus Apoſtolicis diffinita ſunt. Et ſi aliquando cathedram Scoti, vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantùm tempore probabiles eorum Doctorum opiniones ſequi abſque perjurij crimine. Iſta erat juramenti formula. Pro cujus ſtabilitate, & validitatis corroboratione prodijt linguâ Hiſpanicâ quoddam memoriale, quod poſteà latinitate donatum eſt, ſub nomine R. Patris Magiſtri Baſilij Pontij Legionenſis Auguſtiniani apud Salmanticenſes primariæ Cathedræ Moderatoris primarij lucem iterum vidit, ſub hoc titulo: *Tractatus ſuper confirmatione ſtatuti editi, ac juramenti ab Academia Salmanticenſi, & Sacris Familijs Beatorum Dominici, & Auguſtini præſtiti de tenenda, ac docenda Sanctorum Auguſtini, & Thomæ doctrina, quem ex Hiſpanico ſermone in Latinum tranſtulit Petrus Porzovius Polonus anno* 1632. *in* 8. Bracciani apud Andream Phæum typographum Ducalem, dicatum Illuſtriſſimæ ac Florentiſſimæ Academiæ Cracovienſi. Deindè fuit excuſus Duaci apud viduam Marci Wyon, anno 1634. curâ & ſolicitudine Patris Ludovici Loth, Ordinis Prædicatorum, ſub hoc titulo: *Celeberrima Academia Salmanticenſis, de tenenda, & docenda doctrina SS. Auguſtini, & Thomæ Aquinatis judicium; ſtatuto juramentoque ſolemni firmatum, & contra impugnantes propugnatum, per ſapientiſſimum Magiſtrum Fratrum Baſilium Pontium Legionenſem Ordinis Sancti Auguſtini Cathedraticum Salmanticenſem. Editio tertia, poſt unam Hiſpanam, & alteram Romanam.* Nota novam tituli diſpoſitionem in hac editione Duacenſi, ubi ſubverterunt aliqua. Primò, ſubverterunt ipſum ordinem, ut de ſe patet. Secundò, abſtulerunt illud, de converſione in Latinum per Petrum Porzovium. Tertiò, dicunt fuiſſe factam Romæ ſecundam editionem: & licet hoc ſit verum, tamen ex editione ſolùm conſtat fuiſſe factam Bracciani. Et in dedicatoria vocat doctrinam Sancti Thomæ puriſſimam, ac ſolidiſſimam. Ad finem dicitur fuiſſe ſubſcriptum pro Academia Salmanticenſi à Doctoribus, Emmanuele Sarmiento de Mendoza, Magiſtro F. Baſilio Pontio Legionenſi Cathedratico Theologiæ Primario, D. Balboa de Mogrobejo Cathedratico Canonum Primario. Pro Familia Sancti Dominici à Patre Didaco de Fonte Magiſtro Priore Provinciali. Fratre Dominico Pimentello Magiſtro, F. Bernardino de Aiala Magiſtro, Priore Sancti Stephani Salmanticenſis. Pro Familia Sancti Patris Auguſtini, à Fratre Bernardino Rodriguez, Magi-

Digitized by Google

Magiſtro Priore Provinciali, Fratre Martino Cornejo, Priore Sancti Philippi Matriti, Fratre Franciſco Giral Magiſtro. Ex quibus conſtat, quòd decem & octo Doctores, & ſexaginta ſuffragia reducta ſint ad duo; unum Theologum, & alterum Canoniſtam: nam omnes alij fuerunt partes formales ex Ordinibus Sancti Dominici, & Eremitarum.

Libellus iſte diviſus eſt in duos Articulos: in primo defenditur juramentum: in ſecundò reſpondetur ad argumenta facta. De doctrina, rationibus, ac propoſitionibus contentis in illo tractatu aliqua relata ſunt in antecedentibus, & multa alia colligi poſſunt ex titulis contentis in latino; qui ſic ſe habent: *Proponitur factum, ac tenor juramenti.* Secundò: *Quantùm interſit ſanæ doctrinæ unicum Magiſtrum eligere, & ſequi.* Tertiò: *Academia eligendo Sanctos Auguſtinum, & Thomam pro Magiſtris determinatis in Theologia ſcholaſtica, ipſos uti præſtantiores, & principes in illa elegit.* Quartò: *Circumſtantia hujus temporis urget Academiam ad præfatum juramentum emittendum*, & hîc habent plura notatu digniſſima, præcipuè ad finem nu. 23. inquiunt: *Quapropter hanc impudentem temeritatem* (ſic vocant negare Angelici Doctoris ſingularem dignitatem, & præeminentiam inter omnes Eccleſiæ Doctores, & illum comparare, vel numerare cum alijs) *Academia advertens, zelo Sancto ducta, ſumpſit arma: vexillum in honorem dictorum Sanctorum erexit: omnibus adverſariorum conatibus obviare decrevit; nullius alterius præmij intuitu, quàm illius, quod reddet juſtus Judex his, qui tuentur honorem, & ſequuntur doctrinam iſtorum Eccleſiæ luminum.* Quintò: *Juramentum hoc ad ſequendas antiquas Eccleſiæ doctrinas, & novitates evitandas neceſſarium eſſe.* Sextò: *Hoc juramentum neceſſarium eſſe ad conſervandam doctrinæ unitatem, quæ magni eſt momenti in Eccleſia Dei*, & hîc affirmant à multitudine opinionum immunem reddi Academiam doctrinâ S. Thomæ, eamque obſtare ne pullulent mala, & alia inconvenientia oriantur. Septimò: *Unitatem doctrinæ, quæ hoc juramento procuratur, paci regni, ejuſq; bono regimini expedire.* Octavò: *Hoc juramentum utile eſſe ad profectum auditorum, & ad optimum docendi modum.* Nonò: *Ex præmiſſis colligitur juramentum Academiæ licitum eſſe, ejuſq; materiam juramento, & voto convenire.* Et hic num. 66. dicunt fol. 99. *Nullus verò audebit dicere materiam hujus juramenti malam eſſe; hoc enim eſſet damnare doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ. Neque etiam dici poteſt indifferens; quia hoc ſimiliter eſſet contra ſententiam plurimorum Sanctorum, Summorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum ſuprà allegatorum; igitur ex hac parte juramenti juſtitia eſt certiſſima.* Decimò: *Habendam eſſe rationem boni nominis Academiæ Sacrarum Religionum, quæ juramentum hoc emiſerunt.* Et ultimò: *Convenienter factum eſſe dictum ſtatutum, & juramentum.* Ex his capitibus poterit unuſquiſque colligere,

ligere, quæ continentur in membris, à quibus omnibus ſuperſedeo.

Illa autem, quæ exprimuntur in præpoſito juramento formali, aliquam merentur conſiderationem. Nam primò, clauſula illa, *vel voluntarius profeſſor legero*, excludit omnem voluntarium actum ſcholaſticum; ita ut nullus ſive eſſet moderator cathedræ ex officio, ſive non, dum tamen legeret in Academia poſſet docere, vel dicere aliquid ſcholaſticè, quod eſſet contra doctrinam Sancti Thomæ. Secundò, nota illud: *Me docturum, atque lecturum in Theologia ſcholaſtica Doctrinam Auguſtini, & concluſiones Divi Thomæ*, aliud eſt docere, & aliud legere; & utrumque excludebant à ſchola, ita ut nullus poſſet docere, aut legere contra doctrinam Sancti Thomæ (& tranſeat illud quòd Sanctiſſimum Auguſtinum nominent abſque aliquo epitheto, non ſic Angelicum Doctorem, cui adſcribunt titulum Divi) Attende ad aliud: *doctrinam* Auguſtini,. & *concluſiones* Thomæ. Doctrina Sancti Auguſtini eſt ſequenda, ſed concludendum cum Sancto Thoma. Auguſtinus nullam habet ſcholaſticam reſolutionem, quia dogmaticè ſcribit, & ſic ſub pallio doctrinæ Auguſtini volebant introducere omnes concluſiones Thomæ. Nihil (interrogo) aliud continetur in latiſſima doctrina Auguſtini, niſi illud quod invenitur in breviſſimis concluſionibus Thomæ? Tertiò, ubi Sanctorum mens aperta fuerit, ſequenda eſt mens Sanctorum, *ubi verò anceps, & dubia nihil docturum, neque lecturum quod eorum doctrinæ adverſari ſenſerim*. Quando Sacra Scriptura canonica (& idem dico de Oecumenicis Concilijs) anceps eſt, aut non ita clarè, & exprſsè loquitur, licitum eſt cuilibet Catholico Doctori pro ſuo libito, dum non contra illam, circa illam diſcurrere, arbitrari, diſcernere, ac proferre ſuam ſententiam; ſed oſtium hoc apertum adhuc in textu Sacro, in ſcholaſticis concluſionibus, & controverſijs problematicis, Philoſophicis, Metaphyſicis, Theologicis, politicis, moralibus, &c. penitùs volebant claudere. Quartò, inquiunt: *Excipio opinionem de Immaculatæ Virginis Conceptione*. Quaſi opinio de ejus Sanctificatione poſt contractam maculam, eſſet clara, & expreſſa in doctrina Sancti Thomæ, & non anceps, & nimis dubia, ut ſuo loco latiſſimè videbimus. Quintò, *Et ſi quando cathedram Scoti, & Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo pro eo tantùm tempore probabiles eorum Doctorum opiniones ſequi*. Neſcio an quid abſurdius excogitare potuiſſent! Scotus, & Durandus ferè ſemper opponunt ſe concluſionibus ſcholaſticis Angelici Doctoris, ex quibus nullam Thomiſtæ judicant probabilem eſſe, ſic nomine-tenus ad contemptum, & irriſionem manebant illæ duæ cathedræ in Academia. Et ſi aliqua videretur probabilis (ſupponendo quòd in rei veritate nulla poſſet eſſe, ſiquidem oppoſita doctrinæ

veræ,

Digitized by Google

veræ, Catholicæ, & approbatæ Sancti Thomæ) pro illo tantùm tempore, quo ipſam legebat, licebat moderanti illam docere, ac deinceps ipſam ut improbabilem cum alijs rejicere tenebatur ſub pœna perjurij. Quintò, etiam eſt ſingularis circumſtantia: *Quamvis ad id tenêri nolo*. Ad quid volebant non tenêri? Ad moderationem cathedræ Scoti, & Durandi, quia erant Doctores jam damnati, & in reprobum ſenſum dati, ſolùm quia oppoſiti doctrinæ, & concluſionibus Sancti Thomæ. Hâc maturitate, & prudentiâ, nec non candidâ, & ſyncerâ mentis puritate præpoſitum juramentum fuit diſpoſitum; ſed ſtatim, ut dixi, deprehenſa fuit ejus ſecunda intentio, & ut frivolum, ac inane rejectum. Denique notandum eſt, quòd Doctores illi Salmanticenſes, ubicumque aliqua volebant dicere de doctrina Sancti Thomæ, quæ primâ facie videbantur dura, & minimè concedenda pro doctrina Sancti Thomæ præcisè, ſemper adjungerent Beati Auguſtini doctrinam, ut cum hac, quam omnes Doctores Catholici, immò & hæretici concedunt, & venerantur, altera tranſiret ut dicitur hiſpanicè: *Dorada la pildora: Eſcogio buen padrino: Cubierta con buena capa, &c.* Ut nullus auſus eſſet interrogare. Tu quis es? Quo vadis? Aut quomodò pergis *hombro, à hombro*, non poſt, ſed æquo pede cum doctrina Sancti Auguſtini? Sed adhuc incidit in manus Juſtitiæ. Nam Reverendus Pater Joannes de Meppis, Ordinis Sancti Auguſtini Germanus, cognominatus Schyphover, Prior Conventus Tanglimmenſis, in illo inſigni tractatu de Conceptione, edito anno 1492. apud nos exiſtente, videns quòd excellentiæ dictę à S. Proſpero, & Remigio inciperent uſurpari pro Sancto Thoma fol. 66. ſic inquit: *Hæc dixerim, quia ſunt nonnulli beſtiales, & fatui, qui dicunt quòd Sanctus Thomas fuit ſimilis Auguſtino; eorum fatuitatem audiens ſæpiùs riſi. Tales phantaſtici volunt ſe erigere, & Doctorem ſcholaſticum ſuper omnes exaltare, quamvis in multis ſibi ipſi contradixerit, quod ab Ægidio Romano numquã repertum eſt. Sed puto quòd multis riſum exhibebunt, velut alter Thales Mileſius, qui cùm ante ſe præcipitij foveam haberet, & ſtellarum diſpoſitiones conſiderare vellet, ad longiora proſpiciens in proximis cecidit, qui & à vetula hoc ſpectante riſus eſt, &c.* Et proſequitur accommodando iſta ad propoſitum ita ſenſibiliter, ut ego pro nunc noluerim tranſcribere verba. Scriptor iſte nec ſimilitudinem volebat admittere; ſed quid diceret, ſi non ſolùm æqualitatem, ſed & antecellentias in hoc libello demonſtratas audiret? Non ſum judex; ſed relator tantùm veritatis. Item infrà folio 9. inquiunt Salmanticenſes: *Supponamus ſimiliter, quod tamen à veritate alienum eſt, eſſe indifferens conformare ſe doctrinæ Sanctorum Auguſtini & Thomæ, ſed Academiam hoc promiſiſſe ad evitandum periculum errandi in tanta opinionum libertate, & varie-*

tate, quæ ſingulis diebus exoriuntur, pro majori Fidei ſecuritate, & Reipublicæ utilitate,pace,& bono regimine,&c. Solicitabant defenſionem doctrinæ Sancti Thomæ ad evitandum periculum errandi, & ſic nec indifferentiam volebant admittere in actu ſequelæ illius doctrinæ. Infrà num.103. *Adde, quòd ille, qui adhæret Sancto Auguſtino in his, quæ non retractavit, non eſt timendum ne fortè aliquid novi inveniatur, quod majorem auctoritatem mereatur. Et ſicut primo articulo dictum eſt, Sanctus Thomas numquam à Sancto Auguſtino recedit, ſed in omnibus eum ſequitur, nec diverſa eſt doctrina unius ab altero: ſicq;, qui eam defendit;vacat omni periculo, ne ab aliquo majoris auctoritatis aut exiſtimationis ſuperetur. Multis experientijs compertum eſt, ſæpè allegari plераſque Sanctorum propoſitiones tamquam contrarias doctrinæ Sancti Thomæ, quas cum Sanctus Thomas adducit, & explicat, animadvertimus nullam habere cum eo oppoſitionem, &c.* Multa ſunt hîc notanda. Primò, quòd Sanctus Thomas numquam à S. Auguſtino recedat,ſed in omnibus eum ſequatur. Secundò,quòd non ſit diverſa doctrina unius ab altero: at ſi non eſt diverſa ſed eadem, ſufficiebat jurare doctrinam Sancti Auguſtini.Hoc non,quia eſt eadem in principio, ſed non in fine; eſt eadem in doctrina, ſed non in concluſionibus. Tertiò, quòd nihil docuerint SS.Auguſtinus, Ambroſius,Gregorius,Hieronymus, Chryſoſtomus,& ſic de ſingulis,quod non inveniatur in Summa S.Thomæ, ita ut pag. 177. concludant Salmanticenſes ſic: *Doctrinam hujus Summæ, quam Eccleſia recepit ſub nomine Sancti Thomæ, & univerſalis omnium ſenſus, Academia amplexata eſt, & juramento ſe ei obligavit. Hæc eſt, quam Concilia tanti fecerunt,Academiæ ut ducem, & regulam, nec non,& Theologi ſecuti ſunt, &c.* Sed oſtendere debebant ubi, aut quando, quibuſve verbis Eccleſia receperit Summam S. Thomæ ſub ejus nomine,& idem dico de univerſali aſſenſu Conciliorum, & Academiarum receptione; quia omnia iſta gratis dicta ſunt,ſine fundamento,& veritate.

In prædicto libello Salmanticenſium ſuper omnia ſuperiùs dicta hoc unum præcipuè, ac ſingulariter eſt notandum, ſcilicet: prætextum aſſumptum ad introducendam ſequelam doctrinæ Sancti Thomæ ſub ſtatuto, ac jurejurando fuit, ut relegarentur novæ opiniones à ſcholis. Et iſtam fuiſſe cauſam potiſſimam in toto proponitur libro;& notatur in Memoriali pro Religione Minorum articulo 1. num. 1. *El motivo principal que dice la Vniverſidad que ha tenido para hacer eſte juramento, &c. Es verſe notado de que defendia nuevas opiniones.* Et verum eſt, nam in principio ſic dicitur: *Verumtamen, ægerrimè tulit*, id eſt, Univerſitas Salmanticenſis; *ſe in dictis litteris de ſententiarum novitate reprehenſam fuiſſe, & notatam, ac ſi ipſa doctrinas novas doceret, &c.* Et hîc per totum libellum carpunt novitatem doctrinarum, cui ex diametro opponunt doctri-

ctrinam Sancti Thomæ, in qua nihil eſt novi: ſiquidem Angelicus Doctor ſolùm docuit illa, quæ extraxit vera, ac ſolida ex antiquis Sanctis Patribus, & à Doctoribus admiſſa, & recepta; & circa hoc dicunt mirabilia tam Salmanticenſes, quàm omnes alij loquentes de doctrina Thomiſtica. Accipite unum moderniorem omnibus Antonium de Waitte in ſuo opuſculo de principatu Theologico Divi Thomæ folio 92. ſic dicentem: *Non nova dixit, docuitq́, meus Doctor. Hircus aliàs ſit, inq́, Gentium Doctorem Paulum arietet, qui prophanas vocum novitates deviare vult, ſive jubet novitates dixit non vetuſtates, &c.* & hinc proſequitur contra novitates. Sed certè neſcio quomodò hodiè ita generaliter, & conſtanter iſta dicantur, ſcilicet, Sanctum Thomam penitùs relegaſſe à ſuis ſcriptis novitates, ſeu novas opiniones, quandoquidem Sanctus Antoninus affirmet expreſsè contrarium; nam 3. parte Hiſt. titul. 23. cap. 7. §. 5. folio 547. ſic dicit: *Tantam ſibi Deus gratiam in labijs ejus effudit in doctrina, ut ſcholares in ſtuporem adduceret, & ad ſtudium animaret. Erat enim in legendo novos articulos adinveniens, novumq́, modum determinandi inveniens, & novas producens in determinationibus rationes, ut nemo ipſum audiens dubitaret, quin ipſum Deus novi luminis radijs illuſtraſſet; ibi itaque claruit ſplendor diutiùs in ejus animo occultatus, & mirati ſunt univerſi, de ijs quæ glorioſè, & limpidè proferebat, &c.* Obſerva quantas novitates invenerit Sanctus Thomas pro ſua doctrina: novos confecit articulos, novum excogitavit modum determinandi, novas in determinationibus invenit rationes; ita ut Deus ad nova detegenda, novi luminis radijs ipſum illuſtraverit, & ipſe limpidè tot novitates proferret: & hoc, quod Sanctus Antoninus laudat in doctrina S. Doctoris, condemnant moderni Thomiſtæ in alijs Doctoribus. Novitates in Sancto Thoma laudantur, & extolluntur, quando in alijs Doctoribus vituperantur, & deteſtantur. Ac inſuper pro viribus conantur ſtabilire in ſua doctrina nec minimam fuiſſe novitatem: quomodò autem iſta ſint componenda, ipſi videant. Item idem Sanctus Antoninus §. 10. ſic dicit: *Cujus ingenij ſubtilitatem, ac intelligentiæ acumen, rectitudinem judicij evidenter oſtendunt multitudo librorum, quos edidit, & ſententiarum novitas, quas invênit, ſenſusq́, Scripturarum abſconditi, quos produxit in lucem.* Igitur uſque ad tempora Sancti Thomæ multi ſenſus Sacrarum Scripturarum erant abſconditi, ita ut antiquiores Eccleſiæ Doctores SS. Auguſtinus, Gregorius, Ambroſius, vel Hieronymus ipſos non invenerint, nec produxerint in lucem, quia hoc reſervatum erat Angelico Doctori, ut ſuâ ſententiarum novitate patefaceret in Eccleſia novos articulos, novas ſententias, & novas veritates Sacræ Scripturæ. Et his occultatis omnibus antiquis Doctoribus, & patefactis ſolo Angelico Docto-

Doctori quærimus: an omnes nullâ demptâ invenerit, & produxerit in lucem, vel ſaltem reliquerit unam, ut poſteà produceretur in lucem à Subtili ingenio Scoti, vel alterius Doctoris circa puritatem Virginis?

Contra iſtud Memoriale Salmanticenſium ſcripſerunt aliud ſex Patres ex Ordine Minorum, ſub hoc titulo hiſpanico: *Memorial por la Religion de S. Franciſco en defenſa de las dotrinas del Seraphico Dotor S. Buenaventura, del ſutiliſſimo Dotor Scoto, y otros Dotores claſicos de la meſma Religion: ſobre el juramento que hizo la Vniverſidad de Salamanca de leer, y enſeñar tan ſolamente la dotrina de S. Auguſtin, y S. Thomas excluiendo las de mas que fueſen contrarias, &c. En Madrid año de 1628. en fol.* Et ſubſcribunt Pater Stephanus Perez Miniſter Provincialis. Joſephus Vaſquez lector Jubilatus, & Pater Provinciæ Sancti Jacobi. Pater Franciſcus de Ocaña lector, & Pater Provinciæ. Pater Petrus de Urbina lector, & hodie Archiepiſcopus Hiſpalenſis. Pater Michaël de Avellan. lector Jubilatus, qui poſteà fuit Epiſcopus. Et Pater Franciſcus de Soſſa Procurator Generalis; & ita ſtrenuè ſcripſerunt, ut ſtatim fuerit abrogatum à Concilio ſupremo Regio prædictum Univerſitatis ſtatutum. Sed inter me, & iſtos triplex eſt differentia: Prima, quòd ipſi eſſent ſex doctiſſimi, & in propria patria: ego autem unicus pauper, & peregrinus in aliena. Secunda, quòd ipſi opugnarent votum, & juramentum pro doctrina noſtra Sancti Bonaventuræ, & Scoti: ego verò non contendo pro doctrina aliqua, ſed pro puritate, gloria, & honore Sacratiſſimæ Dei Matris, & omnium puriſſimâ Virgine MARIA Angelorum, & hominum Reginâ, nec contradico voto, ſed illud admitto. Tertia, quòd iſti doctiſſimi Patres probarînt rationibus, & auctoritatibus Summorum Pontificum, & graviſſimorum Doctorum non minores, ſed æquales approbationes habere doctrinas Sancti Bonaventuræ, & Scoti, quàm Sancti Thomæ: ego verò aliâ incedo viâ, demonſtrando ex ipſorum citatis inſtrumentis elogia, ſeu approbationes adductas pro doctrina Sancti Thomæ ferè omnes eſſe fictas, & falſas; aliquas dubias, & incertas; nullam, vel rariſſimam veram, & illam in multis vitiatam, ut in unaquaque diſcurrendo per ſingulas dictum eſt. Et hæc de Cortice.

PRO

PRO VIRGA.

§. SECUNDUS.

ANno Domini 1717. die 14. Auguſti, lectâ quadam epiſtolâ Regis Catholici Philippi III. in pleno Clauſtro Univerſitatis Salmanticenſis, commiſſa cauſa fuit myſterij Conceptionis Virginis MARIÆ Magiſtris Theologiæ, ut in alio Clauſtro referrent quidquid in hac materia ſentirent. Quod factum eſt die 17. Septembris ejuſdem anni, ventilatioque, & examen duravit per plures menſes, quouſque Decretum, & ſtatutum fuit, ut tertiâ Dominicâ Octobris anni 1618. omnis Academia emitteret votum, ac juramentum defenſionis myſterij Immaculatæ Conceptionis; ac ita factum eſt, proceſſionaliter procedentibus omnibus Religionibus, Collegijs Majoribus & Minoribus, Confraternitatibus, Doctoribus, Magiſtris, & Scholaſticis, cum Epiſcopo D. D. Franciſco de Mendoza, ab Eccleſia Cathedrali ad Monaſterium S. Urſulæ tertij Ordinis Sancti Franciſci: ubi poſt ſermonem ac Miſſam Pontificalem factum fuit juramentum, & ſtatutum tenoris ſequentis: *Nos itaque* NNN. *totius noſtræ Almę Univerſitatis nomine, ac vice, Deo Optimo Maximo, tibiq; Sanctiſſimæ, glorioſiſſimæq; Virgini* MARIÆ *Matri ejus votum facimus, & ſanctè promittimus, ac juramus, te, quam ſemper Beatam, ſemperq; benedictam, & Immaculatam uno omnes ore prædicamus: Sanctam quoque à primo tuo Conceptionis inſtanti, ac per Jeſu Chriſti tui, Deiq; Filij unigenti merita ab æternitate præviſa, Divinâ te ſic gratiâ præſervante, ab originali peccato immunem fuiſſe, conſtanter tum privatim, tum publicè aſſerturos, defenſuros, prædicaturos, & nullo umquàm tempore, vel latum unguem ab ea ſententia receſſuros. Quo verò certiore, ac diuturniore hæc noſtra voluntas ſucceſſu confirmetur, æternùm valituro edito ſtatuto volumus, ut nullus umquàm, ſive ad Doctoratûs, & Magiſterij, ſive licentiæ, & Baccalaureatûs gradum, vel titulum in eximia hac noſtra Academia promoveatur, vel admittatur, niſi qui huic noſtro voto, eâdem mentis ſententiâ factoq; ſuffragabitur, & ſemper tàm publicè, quàm privatim ſuffragaturum ſeſe juramento adſtrinxerit. Hoc pariter omnes vovemus, ſpondemus, juramus: ſic nos Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Hoc fuit juramentum, & ſtatutum Univerſitatis Salmanticenſis. Deindè incipiendo à Rectore jurarunt ſinguli Doctores, Majores, atque Minores Collegiales, &c. ita ut horâ ſextâ ad ſeram redierit proceſſio per Conventum Sancti Patris Noſtri Franciſci; & factâ ibi oratione omnes reverſi ſunt ad propria, & cœperunt exſtrui ignes triumphales, & ludi Feſtivi à ſæcularibus agi.

Contra votum iſtud, & ſtatutum adeò maturâ deliberatione, ac ſolemnitate (& alia ſimilia in tota Hiſpania facta) inſurrexerunt non pauci ſcriptores libellantes unuſquiſque pro arbitrio ſuo; quorum cognomina, & aliqua ipſorum verba tranſcribam, ut extant in tribus informationibus juridicis apud nos exiſtentibus Hiſpanicè ſcriptis, & typis mandatis in folio. Illarum prima incipit: *Yo el Dotor Luis Alvarez, &c.* Secunda: *Muchos traſlados, &c.* Et tertia: *Por quanto la principal cauſa, &c.* Quidam Ram ſcripſit inter alia: *La quarto propoſicion es: que no haciendoſe en Roma ſemejantes votos, y juramento de tener la Concepcion no ay razon para que en Eſpaña ſe hagan, y que el hazerlos es querer que la fe vaia de Eſpaña à Roma, y que los Prelados de Eſpaña faltan mucho en eſta conſideracion. La quinta propoſicion es, que el hazer los juramentos, y votos que en Eſpaña ſe hazen de la Concepcion, es de tanto eſcandalo para las otras naciones, como el querer canonizar en Valencia à fuerza de armas, contra el orden de la Igleſia un Clerigo.* Caballerus, & Carrion fecerunt aliquas cantiones, inter quas quarta incipiebat: *Mienten, à Teatinos dos, dixo un Rufo Salmantino; quien dixere que el de Aquino, mintio en algo voto à Dios.* Añaſcus, & Lupus typis mandarunt hanc concluſionem: *Originalis culpa omnes viâ naturali, videlicet, per ſeminationem ab Adam genitos conſpurcat, ne Dei quidem Matre exceptâ.* Nota vocem *conſpurcare.* Vielmus fecit illam celebrem cantionem: *Santiſſimos Roperos, y Eſcrivanos.* Beltran. edidit libellum incipientem: *Que por tener à* MARIA *tan grandes obligaciones, &c.* Alter in quadam Concione dixit: *Que los que dicen que los Santos tienen la opinion de que la Virgen fue concebida ſin peccado, mienten, y que creer la opinion contraria à la pia, era ſer bien abenturados por ſer dotrina revelada por el Eſpiritu Santo, &c.* Caſtañeda, Garvanzo, & Colmenares dixerunt inter alia: *En Ginebra, y Berberia noſe hiziera tal Octavario de la Concepcion: teneos alla voſotros vueſtra opinion, ſalvaos en ella, que yo me ſalvare en la mia; que es la que tubo la Igleſia antigua: quexome que no ay juſticia ſino para niñerias, y no la ay contra los que ſiguen eſſa opinion de la Concepta, pues ſeguis à Lutero, y andais deramando heregias.* Iſte diſtinguit inter Eccleſiam antiquam & modernam, quaſi eſſent duæ Eccleſiæ diſtinctæ. Arcos dixit, loquendo de Domina N. MARIA, *que avia ſido concebida como todos los demas hombres, y que convino que cubiera peccado original, para que le ſirvieſe de freno, como al pavon que mirandoſe alos pies no ſe enſoberbeciſſe con la gentileza de la rueda: y para que ſupiera que era peccado, y la gravedad del, para que con mas veras fuera abogada de peccadores, &c.* Alter edidit cantionem illam, cujus interlocutores erant Lutherus & Calvinus, & incipit: *Que ſedicion Calvino es la que veo.* Coincidit hoc cum dicto Molinæ affirmantis: *Que la Virgen avia ſido concebida como Luthero, y como Calvino, &c.* Hæc, & alia majoris mo-

momenti dicebantur publicè illo tempore contra juramentum, & ſententiam piam de Immaculata Conceptione.

Sed ut hæc, & alia, quæ juſtis de cauſis omitto, non judicentur eſſe majora, quæ publicata fuerunt in hac materia; audite quid dixerit Reverendiſſimus Pater Thomas Turcus Generalis Magiſter, & caput totius ſuæ Religionis, in illo parvo opuſculo de Conceptione ſæpè repetito, elaborato anno 1648. folio 30. *Quòd verò magnificant multas Academias juramenta præſtare de ſententia Conceptionis Immaculatæ penitùs aſtruendâ, atque vendicandâ futile, ac vanum apparebit his, qui obſervarunt errorem Joannis XXII. ita ſuo tempore percreviſſe, ut multæ Academiæ Europæ juramenta indicerent his, qui in illas cooptari deſiderabant; & animo guſtaverunt illud, quod Divus Bernardus eâdem epiſtolâ ad Lugdunenſes appoſitivè inquit: Ego verò quod ab Eccleſia accepi ſecuriùs teneo, & trado, &c.* Qui ignorant hiſtoriam contentam in his verbis Patris Turci ſcire debent, quòd (ut dicitur, & eſt communiſſima opinio, & fama inter ſcriptores) Joannes XXII. inciderit in illum errorem, animas, ſcilicet, Sanctorum non videre Divinam eſſentiam uſque ad diem judicij, quando datâ ultimâ ſententiâ dicet Dominus juſtis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, &c.* Succeſſor Joannis XXII. Benedictus XII. anno ſecundo ſui Pontificatûs, quarto Kalendas Februarij, condemnavit iſtum errorem per ſuam Decretalem incipientem: *Benedictus, &c.* Hâc ſuppoſitâ luce, inquit Pater Turcus (contra omnem veritatem, & honorem Univerſitatum Catholicarum) quòd multæ Academiæ Europæ fecerint votum, & juramentum defendendi errorem illum ſtatim damnatum à ſucceſſore Joannis, ut indè deduceret ſic eſſe juramenta, & vota facta pro myſterio Immaculatę Conceptionis formalitèr, & objectivè, quia in ſe eſt error formalis in Fide: & licet hodiè fiant pro ea vota, & juretur ejus defenſio, cras determinabitur, diffinieturque ab Eccleſia eſſe hæreticam, ut contigit cum illa de viſione Beatorum. Non curemus de inepta, & præcipitata comparatione; quia fortè cum illa ſpe mortuus eſt Reverendiſſimus P. Turcus; ſed tantùm inquiramus veritatem iſtius aſſerti: Multæ Academiæ jurarunt defenſionem illius erroris. Nullam aſſignat Academiam in particulari, quæ tale fecerit votum, aut juramentum. Sed qualem poterat adducere in teſtem, cùm ab exordio mundi non ſit excogitata major chymera contra Virginis puritatem, & Academiarum honorem? quia omnes Academiæ Chriſtianitatis poſitivè ſe oppoſuerunt contra errorem illum, ut dicit Guilielmus de Okam in ſuis opuſculis, & alij quàmplurimi; & ego in archivo Univerſitatis Pariſienſis vidi de hoc rara, & non pauca teſtimonia. Hiſtoriographi etiam

ſunt multi, qui de hac re ſcripſerunt, ut Bzovius, Odoricus, & alij. Et quando oſtenderit in ſolo uno talem Academiam, quæ fecerit votum, aut juramentum ſuſtinendi, aut defendendi errorem, paratus ſum ad revocationem: & interim dico eſſe ab omni veritate alienum, ſicut ſunt omnia alia dicta ab iſto Patre. De quibus omnibus tamen ſit

---

PRO NODO

§. TERTIUS.

NODUS UNICUS.

PRo doctrinæ Sancti Thomæ ſequela, ac defenſione vota, juramenta, & ſtatuta Univerſitatum ſunt licita, rectiſſima, & Sancta: & ut talia ſalvantur tot replicatis libris, argumentis, atque rationibus: & vota, juramenta, & ſtatuta facta pro tuenda Virginis Dei Matris puritate, ſunt vana, frivola, iniqua, &c. Et adde omnia ſuperiùs poſita. Item omnia, quæ S. Thomas ſcripſit, fuerunt Quæſtiones novæ, Articuli novi, argumenta, & reſolutiones novæ; & quia novæ, venerantur ac laudantur à ſuis ſcriptoribus, & curant ut amplectantur ſub voto, ac ſtatuto: At ſententia de præſervatione Virginis MARIÆ vituperatur. Quare? Quia nova. Rejicitur: Quare? Quia nova. Impugnatur: Quare? Quia nova, &c. Sicque novitates ſine numero in doctrina Sancti Thomæ fuerunt, & ſunt ſubtilitates: & una ſubtilis novitas Sancta, pia, devota dicta à Scoto, pro Immaculata puritate Virginis Dei Matris illuditur, reſpuitur, condemnatur ac ſi eſſet error, blaſphemia, & hæreſis à Nicolao Eymerico, Anonymo, Bandello, Spinâ, Duimio, &c. Item dicere: Beata Chriſti Mater MARIA fuit ſine peccato originali, eſt derogare gloriæ Redemptoris ac Salvatoris noſtri: & dicere, Sanctus Thomas habuit eamdem ſcientiam, ipſam doctrinam, & ſapientiam Auguſtini, & doctrinas iſtas eſſe æquales ſub juramento, & voto non eſt derogare gloriæ Auguſtini. Denique Doctores illi, ac Patres doctiſſimi Salmanticenſes loquendo de doctrina Sancti Thomæ, inter alia quam-plura §. 13. num. 88. dicunt: *Secundo dicimus hoc juramentum nullam inferre cæteris Sanctis injuriam. Utinam omnes, qui Deo fruuntur in cælo, ſederent hujus cauſæ Judices! certa eſſet Academia omnes illos pronuntiaturos in ſui favorem ſententiam, &c. Sed qui fieri poteſt ut cæteri Sancti conquerantur quòd Academia elegerit Sanctum Thomam, cujus ſumma fuit modeſtia, & ſingularis erga Sanctos Patres venera-*

verentia, & pietas, quos tamquàm parentes, & Magiſtros ſemper coluit, eorumq́; ſententias, quamvis parùm ſibimet ipſis conſentientes viderentur interpretatus eſt? Quam eximij Doctoris Angelici moderationem, & pietatem ſchola Thomiſtica ab eo hæreditavit, &c. Et addu cunt exemplum de Sancto Franciſco. Ecce qualiter Sancti in cælo, ſi eſſent Judices, approbarent pro tribunali ſedendo, & juridicè ſententiando, juramenta facta pro defenſione doctrinæ Sancti Thomæ; & hoc facerent, quia Angelicus Doctor fuit pius, & pijſſimus, interpretans ſemper in bonam partem auctoritates ipſorum, licet in rei veritate ipſæ parùm inter ſe eſſent conſentientes; ſed pietas Sancti Thomæ omnia compoſuit, quam pietatem tota ſchola Thomiſtica cohæreditavit. Hæc de Cortice. De Virga verò: Sententia de pręſervatione Virginis à peccato originali eſt ſententia pia, ut fatetur tota ſchola Thomiſtica; tota doctrina Thomiſtica eſt pia; tota Virgo MARIA ſe expendit in pietate erga Thomiſtas, ut dicitur in libro de hac re edito à Patre Choquetio; tota ſchola Thomiſtica hæreditavit pietatem Sancti Thomæ. Et adhuc doctrina hæc Thomiſtica pia, cum tota ſua pietatis hæreditate, non ſententiavit pro pia ſententia, & Matre pietatis unam piam ſententiam. Qui intellexerit, in quo conſtet Nodus iſte, illum ſolvat, vel ALEXANDER, qui in terris habet poteſtatem ligandi atque ſolvendi: Quia ego hucuſque perveni.

SOLI DEO HONOR
ET GLORIA.

Digitized by Google

NODUS DECIMUS-SEXTUS
PRINCIPALIS

Inter approbationem expeditam à Joanne XXII. Pontifice Maximo in Bulla Canonizationis Angelici Doctoris: & ejuſdem Summi Pontificis declarationem factam pro Myſterio ac Feſtivitate Immaculatæ Conceptionis.

PRO CORTICE
§. PRIMUS.

HIc & ſequens Nodus non fuerunt poſiti in prima editione, non tamen ſine myſterio ex dictis colligendo. Verùm cùm illa prudens omiſſio notata ſit à Patribus Dominicanis Lovanienſibus, cogor de hac aliquid dicere, & ſequentem pro nunc expendere. In conſtitutione igitur Joannis XXII. quæ eſt in ordine 11. in Romana impreſſ. anni 1617. fol. 163. quæ incipit: *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, &c.* expeditâ pro Canonizatione Sancti Thomæ Aquinatis §. 2. ſic dicitur: *Nam & in primitus ſciendis, & diverſis Philoſophiæ partibus, ut non eſſet otioſus, & operaretur terram: nec non in Sacræ Scripturæ pagina tam ſemper novum quàm vetus Teſtamentum ſcripta, plurimaq; alia Dei opera in Dei laudem, Fideiq; dilatationem, eruditionemque ſtudentium clara (cùm ſciens eſſet famoſa, cùm cognitus) non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit.* Propter hęc ultima verba: *Non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit*, dicunt

Digitized by Google

cunt ejus diſcipuli omnia ſcripta Angelici Doctoris, tam Philoſophica, quàm Theologica, & Scripturalia, &c. fuiſſe à Deo, ac per ſpecialem Providentiam ita perfecta, ut impugnantes vel non ſequentes illa apertè, & formaliter contradicant, ac recedant à ſcientia ſpeciali Dei infuſione perfectâ, pergamus ultra, quia ſtatim reflectemur ad iſta.

Pater Didacus Nuño Cavezudo in illo reſcripto: *Comprobata doctrina Thomiſticæ firmitas, celſitudo, &c.* ſic inquit: *Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis Beati Thomæ: Quot articulos compoſuit Sanctus Doctor, tot miracula fecit.* Pater Favianus Vircovius in ſuis orationibus Miſcellaneis impreſſ. Coloniæ 1629. in 4. fol. 150. ſic inquit: *Dixerat olim Gregorius X. Quot articulos, tot miracula fecit Divus Thomas.* Denique Pater Henricus Caldenhaven in libro de Archi-confraternitate Sanctiſſimi Roſarij, impreſ. ſecundò Coloniæ 1627. ad finem cap. 3. fol. 253. ſic dicit de Sancto & Angelico Doctore: *Quem ex viſione Fratris Reginaldi, Sancto Auguſtino Virginali munditiâ prælatum, & ipſius teſtimonio Pontificis Ioannes XXII. tot miraculis clarum quot articulis copioſum maximâ cum ſolemnitate in Sanctorum numerum retulit.* Et ſic ferè omnes Auctores Dominicani elogium iſtud: *Sanctus Thomas tot miracula fecit, quot articulos compoſuit*, adſcribunt Joanni XXII. aliqui affirmantes ſic extare in Bulla Canonizationis, ut dicit P. Nuño Cavezudo. Sed hoc penitùs eſt à veritate alienum; quia talia verba non extant in Bulla. Et magis diſtat ab ea recurſus ille Patris Faviani Vircovij ad Gregorium X. Deindè illud Patris Henrici Caldenhaven pari pede currit. Nam propoſita revelatio de Sancti Thomæ & Auguſtini gloria circa munditiam Virginalem, &c. non fuit facta Reginaldo, ſed Alberto de Brixia, ut dicunt Sanctus Antoninus & omnes: ubi autem hoc dixerit Albertus de Brixia, vel dederit teſtimonium hujus revelationis, neſcio: vidi aliqua opera iſtius Auctoris, ſed in illis non invenitur: & fortè propter hoc Pater Henricus ab Alberto fugit ad Reginaldum. Quare ergò præſtanda erit fides iſtis ſcriptoribus in rebus ſingularibus & incognitis, quando in notis ac communibus ita apertè deflectunt ad ſiniſtram?

Revertendo igitur ad dexteram: Propoſita excellentia, ſeu elogium S. Thomæ originem duxit à Joanne Gerſone, qui tom. 2. ſuorum operum, in opuſculo, cujus titulus eſt: *Contra impugnantes Ordin. Carthuſienſium pauca in eis reperiuntur miracula, quaſi ex indè viliores cenſendi ſint.* Ad comprobandum quid miracula præſtent colum. mihi 512. ſic inquit: *Inter ipſos Confeſſores Sanctos hæc fuit differentia: nam qui ſcripſerunt multa ad Fidei illuminationem, & magnâ doctrinâ & ſententiâ pollebant, pauciora aut quaſi nulla fecerunt miracula, præcipuè in vita; quia habebant probationem Sanctitatis in eminentia doctrinæ,*

Digitized by Google

ctrinæ;ſic Auguſtinus,Gregorius,& ſimiles. Undè cùm in Canonizatione Sancti Thomæ de Aquino opponeretur, quòd non fecerat miracula in vita, vel non multa, dictum fuit per Papam non eſſe curandum, nam tot miracula fecit,quot quæſtiones determinavit. Ab hoc Auctore principium habuit prædictum elogium; ſed nota quòd non dicat Gerſon, tot miracula feciſſe, quot articulos compoſuit, ut omnes unanimiter dicunt Dominicani,ſed *quot quæſtiones determinavit:* voluerunt enim numerare miracula per articulos; quia in unaquaque quæſtione ſunt multi articuli: at de hucuſque dictis judicet pius ac ſenſatus Lector, quod ſibi juſtum, ac congruum videtur.

Fateor ergò millies, ac profiteor, quòd Angelicus Doctor tot miracula fecerit, quot opera, libros, tractatus,quæſtiones, articulos, ſententias, immò verba protulit; quia omnia *ſpeciali Dei infuſione perfecit*, ut dicit Summus Pontifex in propoſita approbatione.Sed ſtabiliendum eſt priùs,quæ ſint opera propria ac genuina Sancti Thomæ, in quibus facta ſunt iſta miracula. Nam anno 1659. quando in Hiſpania typis mandabatur Sol Veritatis prodijt Viennæ tertius tomus de Conceptione Illuſtriſſimi atque Reverendiſſimi D. D. Joannis Ludovici Schonleben, Carnioli Sacræ Theologiæ Doctoris, & Cathedralis Eccleſiæ Labaci Decani, ſub hoc titulo: Maria *Mater Dei & Virgo,ſine macula originali concepta agnoſcitur à Sacro Ordine Prædicatorum. Et ex eodem Ordine Divus Thomas de Aquino Theologorum Princeps, cum ſua ſchola Immaculatæ Conceptionis aſſertor oſtenditur.* Et ut hoc demonſtret cap. 3. ſub tali titulo: *Immaculatæ Conceptionis myſterium ſtabilitur ex doctrina Sancti Thomæ Doctoris Angelici*,proponit Certa aliqua de doctrina, & operibus Sancti Thomæ in communi, quæ non ſolùm poſitivè Certa, ſed & certiſſima in ſuperlativo gradu eſſe in præſenti comprobabimus.

Præcipuum Certum ſupra-dicti Auctoris eſt hoc: *Non conſtare de operibus Divi Thomæ, utrùm omnia verè ſint ipſius Sancti, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, vel alterius Auctoris.* Hoc certum ſic ad litteram probat: Quia du„ bitatur de commentarijs in *Geneſim*, „ cùm illa Sanctus Antoninus rejiciat; „ licet Antonius Senenſis alia ſubſti„ tuerit,quæ genuina putat. Dubita„ tur etiam de commentarijs ſuper „ libros *Machabeorum*, uti obſervavit „ Bellarminus, & ob id Frater Ste„ phanus de Sampaio adjecit ſuas „ conjecturas, quibus probare niti„ tur hæc commentaria eſſe Divi „ Thomæ partum.Tractatum de *Re*„ *gimine Principum* non eſſe Divi Tho„ mæ clarè oſtendit Bellarminus ci„ tatus. Dubitatur de commentarijs „ in *epiſtolas canonicas*, quos commen„ dat Frater Claudius Spineus; alij „ non agnoſcunt. Dubitatur de ipſa „ *Summa Theologica*,ſi non de tota, ſal„ tem de *ſecunda*, & *tertia* parte. Bel„ lar-

Digitized by Google

„ larminus citatus *mirum*, inquit, *eſt* „ *valdè quod magna pars primæ ſecundæ* „ & *ſecundæ ſecundæ inveniatur eiſdem* „ *verbis in primo & tertio libro Speculi* „ *Moralis Vincentij Bellovacenſis*. Addit „ deindè Vincentium non potuiſſe „ haurire doctrinam à Divo Thoma; „ quia Vincentius obijt anno 1256. „ at Sanctus Thomas anno 1274. ſed „ neque putat credibile, quòd Divus „ Thomas partem ſecundam Summæ „ ex alio Auctore auxerit. F. Franciſ„ cus Garzia Ordinis Prædicatorum „ in Univerſitate Tarraconenſi publi„ cus Profeſſor ait ad finem partium, „ *Apertiſſimum eſſe Sanctum Thomam* „ *mutuaſſe ex Vincentio fermè omnia, quæ* „ *in duobus codicibus de vitijs & virtuti*„ *bus ſcripta reliquit*. Undè hoc probat? „ Præceſſit enim Vincentius Divum „ Thomam 24. annis. Quid indè? „ An non potuit aliquis alius poſte„ rior Divo Thomâ totam Summam „ compilare partim ex operibus Di„ vi Thomæ, partim Bellovacenſis? „ Martanellus cum Peruzzino ſuſpi„ catur nonnulla in tertia parte Sum„ mę, quę videntur contrariari Imma„ culatæ Conceptioni, & nominatim „ quæſtion. 27. ſuppoſititiam eſſe, & „ *ab aliquo malevolo additam*. Movetur „ ex eo, quia antiqui Scotiſtæ cum „ Thomiſtis diſputantes non me„ minerunt hujus quæſtionis: Nec „ Thomiſtæ in materia Conceptio„ nis Beatæ Virginis aſſerebant quæ„ ſtionem 27. tertiæ partis, ſed ſo„ lùm in 3. ſent. diſt. 3. Hoc argu„ mentum Peruzzini, & Martanelli „ non videtur ſpernendum; quia ſine „ dubio Thomiſtæ locum illum ex „ Summa allegaſſent, utpote magis „ notum & (ut putant) favorabilem „ ſuæ opinioni, ſi tunc in Summa, pro„ ut nunc circumfertur, inventus fuiſ„ ſet. Et quia argumentum univerſale „ eſt, poteſt æquè probare totam „ Summam ſuppoſititiam eſſe. Uni„ verſim autem de operibus D. Tho„ mæ annotavit Frater Coſmas Mo„ relles in hæc verba: *In Romana edi*„ *tione inter opuſcula aliqua dubia, immò* „ *nonnulla, quæ plurimorum Doctorum* „ *conſenſu Sancti Thomæ doctrinam non* „ *referunt, extant excuſa*. Nihilominus „ eadem ipſe reimpreſſit in editione „ Antverpiana, quæ partim Mogun„ tinis typis excuſa eſt anno 1612. & „ plura, quæ in Romana non reperie„ bantur, adjunxit. Quòd ſi igitur ip„ ſimet Patres Prędicatores dubitant, „ an omnia, quæ ſub nomine Docto„ ris Angelici circumferuntur, opera „ genuina ſint Sancti Thomæ; quid „ alios de eiſdem ſentire par erit? „ Puto non malè concluſum iri cum „ Serrano Epiſcopo Azernenſi: *Non* „ *ſolùm erit dubium, quid Angelicus Do*„ *ctor de noſtra ſenſerit difficultate, ſed du*„ *bium etiam erit, quid de illa ſcripſerit*. „ Hæc de operibus Divi Thomæ du„ bijs benè obſervanda ſunt, ut faci„ liùs concludere poſſimus, quid Di„ vus Thomas de Conceptione Dei„ paræ ſive ſenſerit, ſive ſcripſerit. Hucuſque ſunt verba ad litteram

D. D. Joannis Ludovici Schonleben de primo Certo.

Quibus addimus, quòd non ſolùm dubitetur de commentarijs in *Geneſim*, & ſuper libros *Machabeorum*, quidquid dicat Pater Sampaius in ſuâ editione factâ anno 1596. Lutetiæ Pariſiorum in 8. ac de illo tractatu de *Regimine Principum*, & de expoſitione ſuper *epiſtolas Canonicas* (nam rationes adductæ à Patre Claudio Spineo Rothomagenſi, quando illam vel illas primò edidit in lucem, in editione factâ anno 1549. tàm futiles ſunt, & exigui momenti, ut tandem etiam ipſe dubitet de illis; ſed pariter de expoſitione ſuper *Iſaiam*, ſuper *Threnos*, & *Hieremiam*) Id palam fatetur Pater Joannes Michaël Pius Ordinis Prædicatorum in primo ſuo opere de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, parte 2. lib. 1. col. 80. Dubitat etiam ibidem de expoſitione in *Apocalypſim*, quæ typis mandata fuit per Laurentium Torrentinum Florentiæ anno 1549. in 8. Et benè dubitat, quia eſt Guilberti Porretani. Quòd expoſitio ſuper *Boëtium* non ſit Sancti Thomæ jam ſuprà tetigimus. De expoſitione *epiſtolarum Sancti Pauli* in vita antiqua, exiſtente apud Rubram-vallem prope Bruxellas; & Antverpiæ apud Patrem Joannem Bolandum pro ſua continuatione, quæ antiquior eſt omnibus alijs, capite 56. ſic dicitur: *Super epiſtolam ad Romanos, & Hebræos, ad Corinthios primam & ſecundam uſque ad undecimum capitulum, reliqua ſunt Reginaldi, quas poſtmodum correxit*. De expoſitione ſeu poſtilla ſuper primam quinquagenam *Pſalmorum* ſic dicitur in vita ſuprà allegata: *Frater verò Reginaldus ſocius ejus dicitur reportaſſe ſuper tres nocturnos, ipſo legente quod incipit: In omni opere dedit confeſſionem Sancto.* Hinc corrigenda eſt ratio poſita in libro macularum folio 329. quia inadvertenter fuit ibi introducta: cogitabatur enim de principio alterius operis. Et hîc annecte omnia, quæ diximus ſuperiùs Funiculo 2. à fol. 22.

Quibus omnibus adhuc adde ſequentia: In Bibliotheca manu-ſcriptorum Patrum Guilielmi Carnificis, & Joannis Bunderi Ordinis Prædicatorum, loquentibus de operibus Angelici Doctoris num. 42. affirmatur quòd tractatus editus à Sancto Thoma de *humanitate Chriſti*, inciperet ſic: *Chriſtus dictus videtur, &c.* & ſic extare manu-ſcriptum in Sancto Simeone Trevirenſi. Et tractatus iſte in operibus impreſſis incipit: *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, &c.* Ergò impreſſus non eſt Angelici Doctoris, vel fecit duos tractatus de humanitate Chriſti. Item ijdemmet Nomenclatores Dominicani numero 47. affirmant, quòd apud Prædicatores Moguntiæ extarent ſermones quadrageſimales Sancti Thomæ, & inciperent: *In multis eorum, &c.* Et num. 67. dicunt quòd apud Minores Bruxellenſes eſſent ſermones quadrageſimales S. Thomę incipientes: *Tria ſunt homini neceſſaria ad ſalutem, &c.*

Et

Digitized by Google

Et tandem impreſſi incipiunt ſic: *Dies autem appropinquavit Rom.* 13. *poteſt intelligi hoc verbum*, & iſti non correſpondent cum exiſtentibus in Monaſterio Floreſienſi apud Namurcum; ergò Sanctus Thomas fecit quatuor ſermonaria, vel nullum certò poſſumus admittere. Item numero 77. dicunt ipſi Patres tractatum de natura Verbi exiſtentem Nivellis incipere ſic: *Ad intellectum hujus, &c.* Et in operibus impreſſis ſunt duo tractatus, unus qui eſt in ordine 13. qui eſt de differentia Divini Verbi & humani, & incipit: *Ad intellectum hujus nominis, &c.* Et alter qui eſt in ordine 14. ſub titulo: De natura Verbi, & incipit: *Quoniam circa naturam Verbi, &c.* Igitur iſte ultimus non videtur eſſe Sancti Thomæ. Denique numero 86. dicunt ſupra-relati Patres Dominicani quòd expoſitio Sancti Thomæ ſuper Symbolum inciperet: *Funiculus triplex, funiculus iſte quo ad cælum à terra*, & ſic extare apud Prædicatores Mapurgenſes, & Thenis. Et impreſſa incipit longè aliter, ſcilicet: *Credo in unum Deum, &c. Primum quod eſt neceſſarium Chriſtiano, &c.* Hæc diſſonantia in operibus Angelici Doctoris conſtat ex duobus teſtibus oculatis Ordinis Prædicatorum.

Sed jam ſcrutemur hoc ipſum ex alio teſte antiquiore, ſcilicet, ex vita antiqua Sancti Thomæ manu-ſcripta in Monaſterio Rubræ-Vallis; ubi dicitur quòd tractatus de *Actionibus & Operationibus naturæ* inciperet ſic: *Quoniam omne quod movetur*. Et in operibus impreſſis ſunt duo opuſcula, unum de principijs naturæ in ord. 31. & incipit: *Quoniam quoddam poteſt eſſe, &c.* & alterum in ordine 34. de occultis operibus naturæ; & incipit: *Quoniam in quibuſdam naturalibus corporibus.* Videant igitur Diſcipuli Sancti Thomæ, an iſta tria *Quoniam* conveniant inter ſe. Item in eadem vita dicitur, quòd opuſculum de Æternitate mundi inciperet: *Quoniam quædam perfectionis*. Et impreſſum, quod eſt in ordine 27. incipit: *Suppoſito ſecundùm Fidem Catholicam mundum ab æterno non fuiſſe*. Ex his ergò veritatibus ſtabilitis an ex viginti opuſculis Sancti Thomę adductis in illa vita, major pars correſpondeat in ſuo principio cum impreſſis, & idem dico de alijs adductis à Patre Bundero; ergò quæ non correſpondent, ut notha & intruſa ſunt releganda, ſicut & alia ad præfixum numerum addita in impreſſionibus modernioribus.

Propoſitum Certum comprobatur etiam ex opuſculis adductis à correctoribus Romanis, impreſſis minutioribus characteribus, de quibus jam ipſi fatentur eſſe dubia & incerta; & ex illis excluſis à Patre Joanne Nazario, quorum Funiculo III. propoſuimus catalogum; nec non ex illis, ex quibus Pater Didaſcalus primus opuſculorum compilator totaliter dubitat; nam ex ſeptuaginta tribus à ſe adductis ſolùm quatuor affirmat eſſe, vel poſſe dici Angelici Docto-

ris. Ac tandem ſecluſis illis, de quibus Patres Antonius Senenſis, Joannes Michaël Pius, & Ferdinandus de Caſtillo, & alij dicunt fuiſſe cujuſdam Thomæ Anglici, & poſteà decurſu temporis per additionem unius litteræ adjudicata Thomæ Angelici; quia de omnibus in communi, ac de ſingulis in particulari non ſolùm opinativè dubitarunt; ſed etiam aſſertivè de multis negarunt non eſſe Angelici Doctoris, ſed alterius incogniti ſcriptoris. Ego itidem reperio in particulari expoſitionem ſuper *Salutationem Angelicam*, atque ſuper *Orationem Dominicam*, opuſculum ſimiliter de *Articulis Fidei*, ac alterum de *Eccleſiæ Sacramentis*, atque illud de expoſitione *Symboli Apoſtolorum*, quæ in tomo opuſculorum ſunt in principio tamquàm præcipua, non eſſe nec apparenter quidem Sancti Thomæ, ſed Innocentij Papæ III. Summi Pontificis, qui vixit ante Sanctum Thomam per aliquot annos, & mortuus fuit an. 1216. cùm Angelicus Doctor nondum natus eſſet, veluti conſtat ex quodam originali antiquiſſimo manu-ſcripto exiſtente in Monaſterio S. Martini Lovanien. litterâ O n.7. & ſi aliquid intereſſet illius pro noſtro *Scopo* principali poſſet comprobari ex alijs principijs. Do unicum exemplum. Nam expoſitiones orationis Dominicæ ſub nomine Sancti Thomæ extant quatuor totaliter diſtinctæ. Prima impreſſa in ſuis opuſculis quæ incipit: *Inter alias orationes oratio Dominica principaliter invenitur, &c.* Secunda manu-ſcripta in Bibliotheca Sancti Laurentij Scoriali, incipit: *Unuſquiſque homo qui Patrem clamat.* Tertia impreſſa Coloniæ, & etiam manu-ſcripta apud Canonicos Sancti Martini Lovanij, de quibus jam ſuprà diximus fol. 47. quomodò inciperet, & de alijs circumſtantijs. Nunc autem apparuit altera in Bibliotheca Corſendoncana cum opuſculis Sancti Thomæ ſub hoc titulo: *Collatio Sancti Thomæ de Aquino de oratione Dominica.* Et incipit ſic: *Quæritur de oratione Dominica, quare tàm pauca verba complectatur, &c.* Et concludit ſic: *Et ita intelligitur: Et ne nos inducas, id eſt, ne nos induci permittas in tentationem.* Quæ cùm ſit diverſa à tribus alijs, quis obſecro audiet dicere Sanctum Thomam feciſſe quatuor expoſitiones diſtinctas de Dominica oratione *Pater noſter*, quin ſtatim ipſe dicat intra ſe Ave MARIA?

Compendium Theologiæ eſt cujuſdam Ulrici de Argentina diſcipuli Sancti Thomæ, ut ex teſtimonio F. Henrici Kalteiſeni, & aliorum dicit Pater Philippus Lavé in libro de manu-ſcriptis Galliæ fol. 427. & 456. & concludit ſic: *Non eſſe S. Thomæ, ſed credi eſſe Ulrici de Argentina affirmat. Ipſe quoque Sanctus Antoninus rejicit quoddam compendium Theologiæ falsò adſcriptum Sancto Thomæ. Verùm Antonius Senenſis id de alio quopiam accipiendum eſſe ſatagit, non de hocce noſtro, quod Sancti Thomæ eſſe pro conſtante habetur. Quis verò Palæmon ſat idoneus tantas inter eos poterit componere lites.*

Quòd

Quòd ſcriptum illud in 4. libros ſententiarum exiſtens ad finem tomi 17. & incipiens: *Tranſite ad me omnes, &c.* dicatum Hannibaldo Hannibaldenſi Romano Epiſcopo Cardinali, non ſit Angelici Doctoris, eſt per ſe notum, ut alibi ſæpè demonſtravi, tum quia ipſimet correctores Romani illud regularunt à notis; tum quia Pater Bunderus dicit eſſe opus cujuſdam Hannibaldi Cardinalis Dominicani, ut videre eſt in originalibus manu-ſcriptis exiſtentibus in varijs Bibliothecis, quas nominatim aſſignat fol. 289. Carthuſianus ſuper ſententias paſſim citat Annibaldum tamquam Doctorem diſtinctum à Sancto Thoma. Joannes de Turrecremata in ſuo libro de Conceptione, part. 6. cap. 35. fol. 125. dicit eſſe quemdam Auctorem Ordinis Ciſtercienſis; & idem affirmat Antoninus Dominicanus Auctore 148. illum faciunt Dominicanum Bandellus, c. 23. f. 39. Ac tandem in magno Conventu Patrum Carmelitarum Pariſienſ. extat antiquiſſimum manu-ſcriptum ſub nomine cujuſdam Annibaldi Carmelitani Ordinis, & hoc judico eſſe verius; ſed inter tot opiniones ratio fortiſſima eſt, quia hoc reſcriptum eſt quoddam compendium, ſeu abbreviatio ipſius Sancti Thomæ, & Petri de Tarantaſia, qui mortuus fuit poſt S. Thomam; quomodò ergò opuſculum hoc poteſt eſſe Angelici Doctoris?

Addendum eſt ad omnia iſta, *Quæſtiones Quodlibetales* eſſe alicujus diſcipuli Sancti Thomæ, ut deducitur ex quadam auctoritate Patris Joannis de Tabiena in ſua Summa fol. 734. verbo, *Feria*, num. 13. Item iſtæ quæſtiones totaliter manent variatę, nam impreſſæ procedunt per quæſtiones, & articulos. Originale manu-ſcriptum Corſendoncanum non habet articulos, ſed ſolùm quæſtiones. Originale Matritenſe apud Patres Sancti Hieronymi, nec quæſtiones, nec articulos; quia procedit per alphabetum, & verba in omnibus ſunt eadem. Undè contigit cum quęſtionibus Quodlibetalibus S. Thomæ, quod cum Quodlibetalibus Henrici de Gandavo. Et hoc ſufficit; nam non ſunt omnia exprimenda. Circa *Catenam auream*, ſive continuum, ſcriptus eſt integer libellus latinè & hiſpanicè, in quo validiſſimis demonſtrationibus & argumentis inconvincibilibus probatur eſſe Pontij Carbonelli Ordinis Minorum, & pręceptoris Sancti Ludovici, ſub titulo *Judicium Salomonis*. Et ut unico exemplo comprobentur multa, præcipuè hoc ultimum de *Catena aurea*; nihil eſt ita receptum quàm quòd Sanctus Thomas præter expoſitionem auream catenæ in Evangeliſtas ſcripſerit alteram expoſitionem ſuper *Matthæum* quæ incipit: *Matthæus ex Judæa, &c. Evangelio Matthæi hîc Hieronymus præmittit prologum, &c.* & ſimiliter in *Sanctum Ioannem* quæ incipit: *Verba propoſita ſunt contemplantis, & ſi capiantur, &c.* ut videre eſt tomo 14. In Bibliotheca Corſendoncana prope

Digitized by Google

Turnhautum extat originale manuſcriptum ſatis antiquum Sancti Thomæ Aquinatis ſuper tres Evangeliſtas. Super Matthæum incipit: *Liber generationis, &c. Hieronymus in principio ſatis declarat ſe agere de humanitate Chriſti, cùm incipiat à carnali generatione, &c.* Et commentarium in Lucam incipit: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudæ. Iſte Herodes fuit Aſcalonita, qui fuit alienigena, &c.* Expoſitio in Evangelium Joannis incipit ſic: *In principio erat verbum. Auguſtinus lib. 83. quæſtion. quòd λογος dicitur latinè & rationem & verbum, &c.* & tantùm pervenit uſque ad caput 8. Vel ergò Angelicus Doctor ſcripſit tres expoſitiones latiſſimas ſuper Evangeliſtas, vel iſtæ manu-ſcriptæ ſunt genuinæ S. Thomæ non autem illæ typis mandatæ: præſertim cùm pro illa etiam ſtet ratio efficaciſſima omnium antiquorum ſcriptorum Ordinis Prædicatorum dicentium uno ore expoſitionem Angelici Doctoris ſuper Joannem ſolùm pervenire ad c. 8. ut eſt illa manu-ſcripta Corſendoncana. Quid in hac materia aliud poſſumus dicere, quàm hoc? Anno 1484. Pater Paulus Sonzinas Ordinis Prædicatorum, & ex primis Thomiſtis typis mandavit Mediolani apud Benignum, & Joannem Untonium fratres de Honate opuſcula S. Thomæ in folio, & ſolùm adduxit quadraginta novem opuſcula, & ad annum 1508. in editione Antonij Pizzamanni Venetijs jam erant ſeptuaginta tria, & ſic in ſpatio viginti quatuor annorum creverunt etiam totidem opuſcula, ſcilicet, alia viginti quatuor; ita ut quilibet annus pepererit unum opuſculum poſt ducentos triginta quatuor annos à morte Angelici Doctoris, qui hoc dicit, impugnatne doctrinam Sancti Thomæ? Abſit; ſed calamos ſuorum diſcipulorum deſiderat obſtricare.

Ad illud propoſitum in Certo, de prima ſecundæ, ſecunda ſecundæ, & tertia parte an ſint Sancti Thomę nec ne: quoad duas primas partes jam ſuprà in Funiculis diximus latè; & de tertia parte ſolùm propono ſequentia, ſcilicet: certiſſimum eſſe, quemdam Doctorem Colonienſem poſteà Monachum Benedictinum addidiſſe à quæſt. 90. uſque ad finem, & illas nonaginta priores quæſtiones compleviſſe Patrem Albertum de Brixia diſcipulum Sancti Thomæ, ut dicunt Patres Vincentius Bandellus, & Anonymus Dominicanus. Quibus nunc addimus nos habere Summam hujus Alberti de Brixia de officio Sacerdotis, quæ incipit: *Quoniam, ut ait Hieronymus, Sacerdotis officium, &c.* & in prologo inquit: *Et ad ſpiritualem profectum cum Dei auxilio hunc librum compilavi ex verbis, & quæſtionibus, & tractatibus Fratris Thomæ de Aquino de Ordine ſupra-dictorum Fratrum Prædicatorum, &c.* Et in toto illo nec affirmat, nec citat, nec ſaltem dat aliquod ſignum de illis tribus prima ſecundæ, ſecunda ſecundæ, & tertia parte. Et hoc majorem vim habet, cùm tractatu 46. cap. 6. ſcribat

co-

contra Feſtivitatem Conceptionis, ubi poterat adducere ſuum Doctorem, vel verba illius. Item Pater Nicolaus Eymericus Inquiſitor Arragonenſis in ſuo tractatu latiſſimo contra Immaculatam Virginis Conceptionem ſcripto anno 1395. & dicato Summo Pontifici incipiente: *Sanctiſſimo ac Beatiſſimo in Chriſto Patri, &c.* adducit omnia loca, quæ in ſuo Angelico Doctore invenire potuit contra Conceptionem, & ſolùm citat primam ſecundæ quæſt. 81. & ex quæſtione de Malo, & ex quarto ſententiarum nullam faciens mentionem de tertia parte. Item P. Gyrandus Renerius in ſuo latiſſimo tractatu contra Conceptionem incipiente: *Quia de epiſtola Bernardi, &c.* Et licet ſæpiſſimè citet Sanctum Thomam, nihil dicit de tertia parte. Vel ergò omnes iſti judicabant illam non eſſe Sancti Thomæ, vel in ea contenta non facere ad rem contra myſterium Conceptionis.

Concludit igitur prædictus Doctor, & circa Summam Theologiæ facit hoc judicium fol. 41. *Dicerem, niſi contra Torrentem viderer niti, Summam ab aliqua Ordinis Prædicatorum viro docto, & fortè diſcipulo Divi Thomæ, partim ex Divi Thomæ, partim ex Bellovacenſis ſcriptis collectam per modum compendij ſententiarum Theologicarum communium ſuo tempore, quæ poſteà nullius præfixo nomine in aliqua Bibliotheca repoſita, & à poſteris reperta: cùm potior pars operibus Divi Thomæ correſponderet, ipſiuſmet Sancti Doctoris opus exiſtimata eſt, & à poſteriori denominata. Hoc facilè contingere potuit illâ præſertim ætate, quâ virorum Doctorum lucubrationes magnis laboribus deſcribebantur, Typo nondum invento, & vix umquam adſcribebantur Auctorum nomina vel Collectorum: undè poſteri, qui per conjecturas nomina indagabant non potuerunt ſemper ſcopum attingere, & verum cuiuſque libri auctorem pronuntiare.* Hæc conjectura eſt, ſed ita rationabilis, ut ſi à paritate rationis & exemplorum ſimilitudine foret oſtendenda, ego non probabilem tantùm, ſed evidentem eſſe oſtenderem ex alijs operibus cum minori fundamento adſcriptis Angelico Doctori. At cùm de ſingularibus non detur ſcientia, & non valeat hæc conſequentia in diſparatis, & carentibus neceſſariâ ac eſſentiali connexione: Cecidiſti in hoc, ergò & in illud: quamvis dicatur proverbio Hiſpanico; *Quien haze un ceſto hara ciento*, nolo ſimilibus conjecturis inſiſtere. Hoc unum ſcio quòd Ægidius Romanus diſcipulus S. Thomæ in illo Correctorio corruptoris, ſeu Defenſorio doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis, adducat quadraginta ſeptem articulos corruptos (ut ipſe dicit) ex prima parte, & ex prima ſecundæ duodecim, & ex ſecunda ſecundæ, ſexdecim, ſed ex tertia parte nullam facit mentionem ex profeſſo aut incidenter; cùm in illa conſiſtat præcipua pars Theologiæ; ergò potuit eſſe quòd morte præventus, ſicut illam non potuit conſummare, ita neque incipere, vel ſaltem ante quæ-

ſtionem,

ſtionem, aut in ipſa quæſtione 27. in qua agendum erat de Conceptione, morte præventum fuiſſe,& indè proſecutus fuerit alius;ut formaliter contigit cum Patre Paulo Sonzinate, qui cùm perveniſſet ad 3.ſent. diſt.3. antequàm inciperet quæſtionem contra Immaculatam Conceptionem morte præventus eſt; & ab illa incluſivè continuavit Pater Iſidorus de Iſolanis, ut notatur in omnibus impreſſionibus, præcipuè in prima. Item Pater Bartholomæus de Spina morte præventus non conſummavit librum, quem typis mandabat contra Immaculatam Conceptionem, ut in prologo dicit ejus diſcipulus Duimus de Catharo. Et idem contigit Reverendiſſimo Patri Thomæ Turco: nam elaborando tractatum contra Conceptionem mortuus eſt, ut in principio ejuſdem opuſculi dicitur. De tribus conſtat, ſed de quarto, an contigerit, penitùs ignoratur.

Alterum Certum ſic proponitur à ſuprà relato Decano Joanne Ludovico: Certum eſt, *Sancti Thomæ Aquinatis opera de facto non haberi integra, & ſincera, prout ab ipſomet Sancto vel ſcripta, vel dictata fuerunt; ſed in multis locis depravata, variata, mutilata ſunt, quorumcumque tandem ſive injuriâ, ſive curâ mali-„ tiosâ.* Certi hujus aſſerti teſtes adhi-„ beo. Primò: Varias eorumdem ope-„ rum editiones, quæ ſibi ex integro „ non correſpondent. Secundò: Gra-„ viſſimorum virorum citationes, & „ textus Sancti Doctoris, qui jam in „ ipſius operibus non reperiuntur, ut „ infrà non ſemel conſtabit. Ter-„ tiò: Publica Notariorum teſtimonia „ de integris ſententijs Immaculatæ „ Conceptioni faventibus expunctis, „ quæ adhuc in vetuſtis manu-ſcrip-„ tis codicibus leguntur, in novis im-„ preſſis deſiderantur; prout infrà di-„ cam, cùm de commentarijs in Di-„ vum Paulum tractabo. Quartò: Ip-„ ſoſmet Patres Dominicanos, quo-„ rum alij aliter opera Divi Thomæ „ in lucem edunt. Anno 1566. pro-„ dijt Catena aurea Divi Thomæ cu-„ râ unius Patris Ordinis Prædicato-„ rum, cum duplici Indice, ut ſuprà „ retuli cap. 1. §. 2. anno verò 1612. „ prodijt eadem Catena aurea per „ Reverendum Patrem Fratrem Coſ-„ mam Morelles Prædicatorem Co-„ lonienſem Profeſſorem, qui utrum-„ que Indicem prætermiſit. Plura ſi-„ milia adducam infrà §. 26. n. 2. & „ alibi ſparſim. Quintò: Eoſdem PP. „ Prædicatores, qui fatentur non om-„ nes editiones operum Divi Thomæ „ ſimiles, integras, & ſinceras eſſe. „ Ideò prædictus Pater Frater Mo-„ relles in operum frontiſpicio præfi-„ git hæc verba: *Editio nova, integro „ tomo aucta; quam-plurimis quibus ſca-„ tebat mendis, correcta.* Si cum priori-„ bus editionibus correſpondiſſet, „ non fuiſſet opus corrigere. Theo-„ logi item Romani Prædicatores in „ editione Romana anno 1570. in „ Præfatione ad lectorem, inquiunt: „ *Reſtituimus locos quam-plurimos tam in „ tex-*

„ *textu, quàm in commentarijs, qui aliàs*
„ *aut inter imprimendum irrepſerant, aut*
„ *etiam impreſſi non fuerant, &c* Quæ
„ omnia arguunt de facto non haberi
„ facilè Divi Thomæ opera integra,
„ & ſincera, prout ab ipſo ſunt ſcripta. Hucuſque prudens ac doctus ille ſcriptor.

In prædicto Certo nihil invenio corrigendum, multa tamen pro confirmatione illius poterunt ſuperaddi ex ſuperiùs dictis in Funiculis, & Nodis VII. & XI. Nam omnia ibi poſita tendunt directè & formaliter ad comprobationem propoſiti aſſerti. In communi conſtat de correctionibus diverſis temporibus factis à ſexdecim Patribus Dominicanis: & tandem in ſola Summa Theologiæ invênit Pater Frater Franciſcus Garzia mille, & tot loca depravata, & corrupta, ut ipſe fatetur in recognitione factâ ex præcepto ſui Generalis anno 1578. Et non ſolùm in Catena relata à D. Decano Schonleben erat index Feſtivitatum, ſed etiam in alijs tribus, in quibus erat Feſtivitas Conceptionis ſub hoc titulo, quem poſteà mutarunt in ſuum *Sanctificationis*: & cum prædicto indice, & voce *Conceptionis* vidimus alias duas manu-ſcriptas antiquas, unam in Bibliotheca Corſendoncana, & aliam Pariſijs. Et ſi hoc obſervaſſem à principio, fortè inveniſſem plures alias. Quanta verò ſimilia ſint variata & alterata in libris & opuſculis, in antecedenti Certo demonſtravimus. Quanta in ſententijs & clauſulis, Thomiſtæ ipſi fatentur, & alij de hoc curent, quia meâ ſolùm intereſt examinare clauſulas pertinentes ad Conceptionem, ex quibus aliqua exempla hîc breviter proponemus.

Primum ſit illud ex opuſculo expoſitionis Salutationis Angelicæ circa finem: ubi Angelicus Doctor ſic dicit: *Tertiò quantùm ad puritatem; quia Beata Virgo non ſolùm fuit pura in ſe, ſed etiam procuravit puritatem alijs: ipſa enim puriſſima fuit, & quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Hæc auctoritas ſic extat in prima impreſſione opuſculorum Angelici Doctoris factâ in folio abſque anno & loco impreſſionis; quorum unum exemplar extat in Monaſterio B. MARIÆ ten Boom, id eſt, de Arbore in Ducatu Clivienſi, & aliud apud Patres Conventuales Colonienſes. Et in originalibus manuſcriptis ſic reperitur: in altero exiſtente in Bibliotheca Regia Pariſienſi numero 590. Et in altero exiſtente in Abbatia Parcenſi Patrum Præmonſtratenſium prope Lovanium; & in alio Monaſterij Sancti Martini Canonicorum Regularium ejuſdem civitatis. Item in altero in Monaſterio Aquicentino Patrum Benedictinorum. Alterum denique adhuc invêni in Bibliotheca Corſendoncana prope Turnhautum. Et ſic etiam extabat in alijs manu-ſcriptis anno 1436. ut dicit Joannes de Segovia Canonicus Toletanus in ſuis Allegationibus ad concilium Baſilëenſe; at in alijs impreſ-

Digitized by Google

preſſionibus expunxerunt illud verbum: *quia nec originale*, componentes ſic orationem: *Ipſa enim puriſſima fuit, quia ipſa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit* vitiantes textum, ut de ſe patet, & conſtituentes incongruam grammaticam in repetitione illa relativi *ipſa*. Ad denique denigrantes Dei Matrem, cùm loco *nec originale* poſuiſſent *ipſa Virgo*, quaſi illud foramen *nec originale* non poſſet replere niſi *ipſa Virgo*. Poterant enim dicere: *Ipſa enim puriſſima fuit, quia nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*, & ſic eſſet oratio perfecta, ſed noluerunt niſi *ipſa Virgo* ingrederetur loco *nec originale* propter &c. quia hîc non inquirimus de intentione, ſed de facto.

Secundum eſt illud ex cap. 3. lectione 6. expoſitionis epiſtolæ ad Galatas. Nam cùm in decem originalibus relatis Nodo VII. eſſent in Sancto Thoma verba ſic: *Mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omninò immunis eſſet ad minùs originali vel veniali: Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* Maria: in editionibus modernis expunxerunt iſtam exceptionem. Ubi notandum venit, quòd iſta exceptio vel cadit ſupra terminum immediatum, vel ſupra mediatum, vel ſupra remotum, vel ſupra tria, vel non niſi preciſè ſupra mediatum. Tene me, nam verba ſic extant: *Non invêni quæ à peccato omninò immunis eſſet*, id eſt, mortali, *ad minùs originali, vel veniali: Excipitur puriſſima, &c.* A quo ergò peccato excipitur Virgo ab immediato veniali, vel à mediato originali, vel à remoto mortali? Dicit enim Sanctus Thomas: nulla eſt mulier quæ non habuerit peccatum, id eſt, mortale, vel ad minùs originale, vel veniale; qui ergò abſtulerunt iſtam exceptionem, quid cogitabant? Secundùm regulam grammaticę, exceptio cadit ſupra terminum immediatum: & ſic ſalvabatur opinio Sancti Thomæ dicendo quòd loqueretur de peccato veniali, quia tunc non erat determinatum hoc ab Eccleſia. Reliqua in Nodo.

Tertium exemplum eſt de libro manu-ſcripto reperto in Bibliotheca Sfortiana ſuper epiſtolas Pauli, ſub nomine Sancti Thomæ, anno 1625. à D. Ferdinando de Gevarra Adorno Canonico Aſturicenſi, in quo capite 5. ad illa verba: *Omnes in Adam peccaverunt*, ſic dicebatur: *Unâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculam peccati originalis*; de quo extat teſtimonium authenticum apud Patrem Euſebium Nierembergium in libro Exceptionum cap. 21. & referuntur omnes circumſtantiæ de magnitudine libri, & qualiter contulerint illam clauſulam cum editionibus Romanâ, Mediolanenſi, & Neapolitanâ, & non inventâ ſuprà poſitâ clauſulâ exceptionis, acceſſit Cardinalis de Treno ad Summum Pontificem Urbanum VIII. & re luculenter perſpectâ & examinatâ, & qualiter Summus Pontifex demiratus de ablatione illorum verborum muniendo ſe.

ſa-

ſæpiùs ſigno Sanctæ Crucis dixit: *Rem eſſe magni momenti ac conſideratione dignam, ſibique magnam novitatem, ac admirationem attuliſſe*. Sciréque voluit ubinam fuiſſet inventus liber ille, &c. Sed hoc non eſt ita mirum: nam eodem tempore voluit idem Summus Pontifex videre originale manuſcriptum de Conceptione Franciſci Martini Carmelitani, in quo continebatur hiſtoria de libro Sancti Patris Dominici projecto in ignem, &c.

Quartum ſit illud, quod refert Pater Joannes Bromiardus Ordin. Prædicatorum in ſua Summa prædicantium, tom. 2. art. 2. num. 8. fol. 318. ubi loquendo latè de Sanctificatione Virginis MARIÆ in utero Matris ſuæ, dicit Sanctum Thomam in tertia parte poſuiſſe Sanctificationis excellentiam, quantùm ad temporis prioritatem, in hoc: *Quòd Sanctificata fuit in ſua animatione, id eſt, in conjunctione animæ cum corpore in utero Matris ſuæ, & non ante, quia Sanctificatio & mundatio fit per gratiam, cujus ſubjectum eſt anima: nihil enim eſt capax gratiæ, niſi anima rationalis.* Hæc verba quæ ut textualia adducuntur à Patre Bromiardo, hodiè non inveniuntur in tertia parte Sancti Thomæ, quia deſunt illa quòd Sanctificata fuit *in ſua animatione*, id eſt, *in conjunctione animæ cum corpore.* Stantibus enim iſtis S. Thomas expreſsè, ac formaliſſimè eſſet pro pia ſententia.

Quintum poteſt eſſe illud, quod refert Petrus de Valle-clauſa in ſuis Diatribis de immunitate Syriacorum, Diat. 6. fol. 170. ubi affirmat Patrem Coſmam Morelles vitiaſſe textum ex 1. ſentent. diſt. 44. dicens inter alia: *Coſmas Morelles textum Sancti Thomæ in editione Antverpienſi operum Sancti Thomæ, cui ipſe præerat emaculator, ſed perfidè munus ſuum geſſit, tantam maculam fœdiſſimè illiniens textui, & affigens Sancto Thomæ, quòd ibi tradiderit Conceptionem maculatam, cum diſertiſſimè in omnibus retrò editionibus etiam Romanâ Pij V. contrarium aſſerat. Teneo te, falſarie effrontiſſime, adulator impudentiſſime, ſic Sanctum Thomam dehoneſtas, ut puriſſimam Virginem violes?* Sed cùm iſtud modò non conſtet, quia editio Antverpienſis eſt integra, & conformis antiquis originalibus, ſive exemplaribus Pij V. & alijs: neſcio quid circa hoc tenendum ſit. Conſului prædictum Auctorem Petrum de Valle-clauſa, quia vivit, & eſt amicus noſter, & ſicut doctiſſimus, ita integerrimus, ut ſcirem quo fundamento hoc ſcripſiſſet, & reſpondit ſe hoc non ex proprio capite dixiſſe, ſed ſic delatum comprobatumque fuiſſe juridicè in Curia Romana. Quidquid ergò ſit de hoc quinto exemplo, de alijs quatuor nulla eſt dubitatio. Ex quibus maniſeſtè comprobatum manet, quod propoſitum fuit ut Certum, ſcilicet, opera Sancti Thomæ Aquinatis (in materia præcipuè Conceptionis) non haberi de facto integra & ſincera, prout ab ipſomet Sancto, vel ſcripta, vel dictata fuerunt; ſed in multis lo-

cis depravata, variata, & mutilata, &c.

Alterum denique Certum propoſitum à D. Decano eſt hoc: *Divum Thomam in operibus ſuis non omninò ſibi „ correſpondere*. Teſtantur hoc ipſimet „ ejus diſcipuli, & ſequaces. Catheri- „ nus: *Etiam, qui inſignes Thomiſtæ ha- „ bentur, Capreolus, & Cajetanus faten- „ tur ingenuè in nonnullis eum variè ſcrip- „ ſiſſe, & poſteriùs quæ anteà ſcripſerat re- „ tractaſſe.* Quod quidem de ſe ipſo fa- „ tetur Sanctus Doctor: ideò enim „ conſcripſit opuſculum ſeptuageſi- „ mum ſecundum: *De concordantijs in „ quo concordat ſe ipſum in paſſibus appa- „ renter contrarijs*, & rogat lectorem, „ ut ſi quis contraria invenerit, ſequa- „ tur id quod probabilius judicaverit. „ Obtemperarunt conſilio S. Præ- „ ceptoris Romani illi Theologi, „ quorum paulò ante meminimus, & „ quę ipſe Sanctus Doctor non emen- „ daverat, vel retractaverat, ea ipſi „ emendare, immutare, corrigere „ non dubitarunt: *Curavimus itaque ut „ quàm emendatiſſimè imprimerentur om- „ nia, amotis etiam ex eiſdem commen- „ tarijs, atque expunctis omnibus locis, „ juxta noſtri Ordinis ſanctiones, qui poſt „ Decreta Tridentini Synodi lectorem po- „ terant detinere dubium vel ſuſpenſum: „ quos, videlicet, vel ipſemet Commentator „ vivens emendaverat, & ſi viveret emen- „ daſſet; vel uti diximus, falſariorum & „ impiorum perfidia temeraverat.* Ex qui- „ bus iterum apertè colligi poteſt „ opera Divi Thomæ non haberi de „ facto impreſſa, prout ab ipſo con- „ fecta fuerunt. Patet ſecundò, aliqua „ expuncta eſſe, juxta Ordinis ſan- „ ctiones; quæ autem illa loca ſint „ non poſſum ego divinare, niſi anti- „ quos manu-ſcriptos codices cum „ recentibus impreſſis conferendo. „ Patet tertiò, à diſcipulis aliqua „ emendata, & immutata adeoque „ pro libito emendantium retentam „ ſententiam, quæ emendantibus „ probabilior viſa. Patet quartò, non „ omnia quæ debuiſſent emendari „ poſt Decreta Tridentini Synodi „ emendata eſſe in operibus Divi „ Thomæ, prout gloriantur prædicti „ emendatores Romani. Reperiuntur „ enim adhuc loca, *quæ lectorem poſſunt „ detinere dubium vel ſuſpenſum v. g. Di- „ cendum, quòd ſecundùm Fidem Catholi- „ cam firmiter eſt tenendum; quod omnes „ homines præter ſolùm Chriſtum ex Adam „ derivati, peccatum originale ex Adam „ contrahunt: aliqui non omnes indigerent „ redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod „ eſt erroneum.* Locus hic poteſt Lecto- „ rem detinere dubiũ poſt Concilium „ Tridentinum, in quo etiam Beatiſ- „ ſima Virgo excipitur ab illa univer- „ ſali: *Omnes homines*. Et licet in Sum- „ ma plerumque explicetur appoſitis „ Cajetani commentarijs, quia ta- „ men ſæpiùs alibi idem repetitur in „ libris ſententiarum, ſaltem ex his „ debuiſſet expungi, vel mutari, ubi „ non adſunt commentarij. Hoc ad litteram proponit ut Certum ſæpè repetitus Doctor.

Sed ego ultra progredior, affirmando non eſſe tantùm Certum, ſed certiſſimum, doctrinam, ſcilicet, Thomiſticam non in omnibus ſibi correſpondere. Et primum teſtem adduco Univerſitatem Pariſienſem in illo libro edito contra Patrem Joannem de Monteſono, de quo ſuprà latiſſima adduximus teſtimonia. Et inter alia ad propoſitum facit illud: *Secundò principaliter eadem concluſio probatur ſic, quia de illâ non oporteret credere doctrinâ, quòd ipſa in nulla ſui parte ſit in Fide erronea, vel hæretica, in qua quidem continentur multa contrarietates & repugnantiæ, etiam in materia ad Fidem pertinente; ſed multæ hujuſmodi repugnantiæ & contrarietates continentur in doctrina Sancti Thomæ: igitur.* Et probat Univerſitas Minorem adducendo quinque apertiſſimas repugnantias, & contradictiones. Secundus teſtis ſit Pater Vielmus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus, qui in defenſione doctrinæ Sancti Thomæ hæc fatetur: *Sed execrabilius eſt, quòd Nequam & ſceleſti homines quidam, vel ad Thomæ auctoritatem enervandam (quòd, videlicet, alibi docuiſſet aliter, & contrarium pateret) vel, ut ego quidem arbitror, ad ſuam eorum aliquam opinionem, quæ in controverſiam verti ſoleat, tanti viri teſtimonijs fulciendam & comprobandam egerunt. Nam ejus ſcriptis alicubi Pſudoquædam inſeruerunt, & publico ego judicio Venetijs Typographos olim conveni, & alibi rem totam pando, &c.* Et totum hoc novis additis fulcimentis confirmat Pater Nazarius Ordinis etiam Prædicatorum in ſuo opuſculo de doctrina Sancti Thomæ. Tertius teſtis eſt quidam antiquus ſcriptor Ordinis Prędicatorum, vocatus Hervęus de Landa, qui compoſuit magnum librum ſub hoc titulo: *Concluſiones, in quibus Sanctus Thomas videtur ſibi ipſi contradicere*: & extat in Monaſterio Sancti Victoris Pariſienſis in folio, & charta pellicea, num. 476. & incipit: *In primo ſententiarum dicit Divus Thomas, &c.* Quartus teſtis Pater Gerardus de Montibus Ordinis Prædicatorum, qui fecit tractatum magnum ſub hoc titulo: *Concordantiæ ſcriptorum & dictorum diſcordantium Sancti Thomæ*, quem PP. Guilielmus Carnificis, & Joannes Bunderus Ordinis Prædicatorum dicunt ſe vidiſſe in diverſis Bibliothecis Flandriæ, & ſignant loca in ſua Bibliotheca, Auctore 203. fol. 161. Quintus teſtis eſt Pater Thomas de Suetonia Ordinis Prædicatorum, qui edidit librum ſub hac inſcriptione: *De difficultatibus repertis in operibus Sancti Doctoris*; de quo loquuntur ſupra-dicti Nomenclatores Dominicani, folio 620. Sextus teſtis ſit Pater Petrus de Bergamo, qui in ſua tabula operum Sancti Thomæ habet tractatum ſub hoc titulo: *Additis etiam locis, in quibus ſibi Sanctus Doctor contradicere videatur, cum mirabili dictorum conſenſu.* Et cùm ſint tot contradictiones, diſcordantiæ, & difficultates in operibus Angelici Doctoris pro ſuis diſcipulis, qui non ſunt diſcipuli ipſius, debentne iſtas

contradictiones, diſcordantias, ac difficultates ut miracula clauſis oculis recipere?

Sed relictis hujuſmodi teſtibus, adduco ipſummet Angelicum Doctorem in ſuo libro *Retractationum*, de quo Joannes Schonleben in Certo quinto proponens, quòd ſi Sanctus Thomas nunc viveret multas ſententias ſuas mutaret, eo quòd ab obitu ejus in hanc diem multæ veritates Theologicæ aſſiduo diſputationum conflictu perpolitæ, & in lucem extractæ ſint, multa argumenta nova inventa, antiqua clariùs expoſita, &c. immò quędam, quę ejus tempore diſputabilia erant, jam per Sedem Apoſtolicam diffinita, &c. ſic inquit: *Quibus non ſolùm fatentur Patres Dominicani: quòd ſi de facto Sanctus Thomas viveret, aliqua in ſuis operibus emendaret; ſed etiam, quòd dum vixit actu aliqua emendaverit: ut proindè veroſimile ſit libellum Retractationum Divi Thomæ, de quo Joannes Vitalis mentionem facit, ſuppreſſum eſſe, in quo, ut ait Serranus ex citato Vitali, in particulari retractabat opinionem, quam docuerat contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Hoc ego ſic intelligendum putem, quòd ſe meliùs explicuerit, ubi videbatur contrarius eſſe piæ opinioni; licet nuſquam verè contrarius fuerit, ut deinceps oſtendam.* Hucuſque D. Decanus Schonleben. Adde de libro *Retractationum* non ſolùm Joannem Vitalem facere mentionem, ſed etiam Joannem Alanum Doctores Pariſienſes in ſuis tractatibus de Conceptione, quos apud me habeo, ſed inſuper primum, libro 5. capite ultimo, & ſecundum collatione 12. pro ponere in individuo, in quibus Sanctus Thomas ſibi ipſum contradicit, quæ hic non tranſcribo, quia Auctores ſunt jam parati ad prælium. PP. Guilielmus Carnificis, & Joannes Bunderus in ſua Bibliotheca manu-ſcriptorum Flandrię fol. 614. num. 88. affirmant unum extare in Conventu Gandenſi Ordinis Prædicatorum, ſub expreſſo titulo *Retractationum*: ſcio tamen hodiè non extare. Thomas James in ſua Bibliotheca manu-ſcriptorum Angliæ, dicit ſe vidiſſe alterum originale Cantabrigiæ in Bibliotheca Cay, numero 147. Interrogo, an præſtanda ſit Fides iſtis quinque teſtibus, quorum duo ſunt Ordin. Prædicatorum, unus Minorita, alter Sæcularis, & ultimus Hæreticus; vel dicendum nobis ſit nego totum?

Ad illam clauſulam quâ D. Decanus dicit: *Aliqua loca expuncta eſſe, juxta Ordinis ſanctiones, quæ autem illa loca ſint, non poſſum ego divinare, niſi antiquos manu-ſcriptos Codices cum recentibus impreſſis conferendo, &c.* prudentiſſimè loquitur; quia neque ego aliquid poſſem dicere, niſi priùs contuliſſem aliqua manu-ſcripta originalia cum exemplaribus impreſſis, in quibus ſuprà annotatam diverſitatem invênio in libris. Ut oſtenſum etiam manet, major reperitur in ſententijs, ſed maxima divagatur in verbis, de quibus hic non poſſumus facere demonſtrationem.

Digitized by Google

nem. Ex ſupra-dictis ergò hanc deducimus concluſionem in doctrina Sancti Thomæ aliqua eſſe certa, alia incerta. Illa quæ certa ſunt Angelici Doctoris opera, omnia & ſingula eſſe miracula, tam quoad quæſtiones, & articulos, ut dixit Joannes Gerſon, nomine & voce Joannes XXII. verùm etiam miracula eſſe ſingulas reſolutiones, ſententias, ac verba: at illa quæ incerta reperiuntur, & à ſuis diſcipulis intruſa, non eſſe dicenda miracula, ſed mirabilia.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

NUllum invenio inter omnes antiquos ſcriptores ab exordio controverſiæ uſque ad concilium Baſileënſe, numerando etiam illos qui fuerunt ex Ordine Prædicatorum, ita acrem ac vehementem impugnatorem myſterij Immaculatæ Conceptionis, ſicut Jacobum de Huſſa, vel de Oſa, qui poſteà aſſumptus ad Summam Petri Sedem, vocatus fuit Joannes XXII. anno 1316. coronatus die 7. Auguſti in domo Patrum Prædicatorum, qui canonizavit Sanctum Thomam de Aquino, & de cujus approbatione agimus in præſenti. Hic, inquam, cùm eſſet in minoribus conſtitutus, & Cardinalis Aquitanus habuit varias ac plures conciones de Beata Virgine, de quibus Reverendus Pater Jacobus à Sancto Carolo Ordinis Carmelitarum, ac amicus noſter, in ſua Bibliotheca fol. 139. dicit: *Scripſit inter alia ſermones de Beata Virgine, quos obſervat manu-ſcriptos Gabriel Nadaus,* quos ego inveni in Bibliotheca Domini Cardinalis Mazarini in charta pellicea in folio reportatos, ut ibidem dicitur à Fratre Raymundo Procuratore Ordinis Minorum, quos vidi & legi ſummâ attentione ob varias cauſas; præcipuè quid diceret de materia Conceptionis: nam cùm Bandellus, & ſui ſequaces adducant tredecim Summos Pontifices contra ipſam, nullus tamen de iſto mentionem facit, undè credebam iſtum ſine dubio invenire pro nobis; ſed ſpe fruſtratâ res aliter evênit, quia in omnibus ſermonibus expreſſis verbis affirmat Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali tam Aſſumptionis, quàm Nativitatis, Annuntiationis, ac Purificationis, quorum formalia verba damus in RADIIS SOLIS VERITATIS ſigno IV.

Ut alia omnia ex uno comprobentur, adduco verba illius ex ſermone 7. de Aſſumptione, qui incipit: *Tenuiſti ma-*

manum dextera meæ, &c. Chariſſimi ſi aliquis homo viator cecidiſſet in lutum, &c. in quo hæc habet: *Nam Beatam Virginem* MARIAM *levavit de luto, ſeu fovea originalis peccati, ductorq; ejus fuit, &c. Quantùm ad primum ſciendum, quòd Beata* MARIA *fuit in originali peccato concepta, quia ſecundùm Apoſtolum ad Romanos, &c. Undè cùm Beata* MARIA *ex virili ſemine concepta fuerit, patet quòd fuit in originali peccato concepta: mundavit tamen eam Dei Filius, immò etiam Pater & Spiritus Sanctus, & levavit eam de luto culpæ originalis antequàm naſceretur. Undè ſecundùm Bernardum antè fuit Sancta quàm nata. Et ideò dicit Beata* MARIA: *Tenuiſti manum dexteræ meæ, me, ſcilicet, levando de luto peccati originalis, &c. Tenuit ergò Filius Dei manum dexteram Beatæ* MARIÆ, *quia manum ejus liberavit à luto culpæ originalis, & ab ipſo ipſam levavit. Decens enim fuit, ut eam citò Sanctificaret, cùm deberet fieri domus & tabernaculum altiſſimi: & ideò dicit Propheta quòd Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus. Hoc petierat Sapiens Prover.* 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum; aufer rubiginem, id eſt, peccatum originale, quod tamquàm rubigo maculat animam, de argento, hoc eſt, de anima Beatæ* MARIÆ, *quæ propter ſuam nobilitatem argentum dicitur, & egredietur vas puriſſimum, quia antequàm egrederetur vel naſceretur, fuit mundata & purgata à peccato originali, &c.* Et adducto exemplo de puella à Chriſto Domino ſuſcitata proſequitur: *Sicut autem iſta puella fuit à Domino intra domum ſuſcitata, ſic Beata* MARIA *in utero Beatæ Annæ Matris ſuæ, quæ novem menſibus fuit domus ſua, fuit ſuſcitata à morte ſpirituali originalis peccati, &c. ſed Dominus tenuit manum Beatæ* MARIÆ *& citò fecit eam ſurgere ab illa ſpirituali morte. Tunc enim tenuit eam, & ſibi fuit unitus, quando animam ejus per gratiam vivificavit, &c.* Et eodem modo loquitur in alijs ſermonibus, ita ut nullus ex antiquis adhuc inter Patres Dominicanos ſic abſolutè, clarè, & acriter fuerit locutus, ut in citato libro, & loco videbitur.

Cernentes igitur Patres Prædicatores, quòd Doctor iſte tam propenſus in opinionem maculatæ Conceptionis, & ipſorum cordialis, ac intimus amicus anno 1316. fuiſſet electus in Summum Eccleſiæ Patrem, ac paſtorem, & quòd doctrina Joannnis Duns Scoti cœpiſſet ab octo annis radiare, & multos jam haberet aſſeclas, atque defenſores, decreverunt ipſam in aliquo articulo maculare: & nullum invenientes ita aptum ſicut iſtum de Conceptione; tum quia non erat ſpeculativus ut alij, ſed practicus, & habebat contrà, ut ipſi dicebant, omnes Sanctos Patres, & Scripturam: tum quia Sanctus Bernardus expreſsè condemnaverat Feſtivitatem, & tota Univerſitas Pariſienſis, teſte Alberto Magno, proſcripſiſſet ipſam tamquàm hæreticam; ac tandem, quia qui Judex cauſæ futurus erat Joannes XXII. in minoribus conſtitutus, ſemper & ubique contrarius fuerat piæ ſen-

ſententiæ,& parùm affectus erga ejus defenſores Fratres Minores: propter has & alias cauſas, quas ſub ſilentio relinquimus, decreverunt deferre ad Sedem Apoſtolicam ſententiam de præſervatione Virginis, quod executioni mandarunt circa annum 1322. Sed ventilatâ materiâ pro utraque parte, perventum eſt ad diffinitivam ſententiam, ut alibi latiùs oſtendo.

Rei exitum narrat quidam Pater Benedictinus,qui circa tempora ejuſdem Pontificis ſcripſit Cronodromum ſervatum in Monaſterio Sancti Petri Gandenſis, dicens inter alia ſic: *Horum verò poſteri duriori rixâ hanc cauſam ſuſtinentes,ſuaq; prudentiæ innitentes, minùs ſapientes proprios Patres vocavere, qui alioquin in hac cauſa puros laicos amiſerunt; contra cauſam contigit extrà arbitrijs allegantes arbitrium eſſe nullum,tum ratione perſonæ, quæ non erat authentica; tum etiam, quia nullâ pœnâ vallatum,contra legem primam de arbitris. Quare parte adversâ, poſteros, ſcilicet, filiorum Minoris poſteri filiorum Majoris citantes, coram ordinatione, ſcilicet, Papæ XXII ſupra-dicti pariter convenerunt, & lite conteſtatâ poſteri filiorum Majoris producunt in teſtem Apoſtolum ad Romanos* 3. *Omnes peccaverunt, & egent gratiâ. Alij producunt Evangelium Domini*: MARIAM *plenam gratiâ. Lucæ* 1. *& dicunt Apoſtolum non plùs dicere contra Reginam in illa auctoritate, quàm in iſta poſita ſuper eodem capite: Omnis homo mendax. Durat proceſſus litigij per dies multos: Tandem Papa Divinâ illuſtratus gratiâ omnes, inquit, fatemur cum Gabriële* MARIAM *plenam gratiâ; cùm ergò gratiæ ſint amplianda ſecundùm leges, & canones*, MARIAM *ſine originali peccato aſſero conceptam, & ejus Feſtum Conceptionis judico eſſe celebrandum. Undè & ab illo tempore, ut à maioribus traditur, Curia D.Papæ,ac per conſequens univerſalis Eccleſia Feſtum glorioſæ Conceptionis Virg. devotè celebrat. Si ergò his teſtimonijs in via ſtuporis adductis Virginem glorioſam* MARIAM *in peccato originali non fuiſſe conceptam, ut præmiſſa ponit concluſio, ſed ab omni tam originali, quàm actuali præſervatam fuiſſe, &c.* Hucuſque ille antiquus ſcriptor, qui non erat ex Ordine Minorum.

In quibus verbis duo ſunt præcipuè perpendenda.Unum illud quòd à tempore Joannis XXII. jam in ſua cauſa *omnes puros Laicos* Patres Dominicani totaliter amiſerant, & ſic ſolùm recurrebant ad ſuos Auctores: ergò tam communis erat pia ſententia illo tempore, ſicut eſt modò. Et penitùs erravit ille, qui in ſuis notitijs auſus fuit dicere tantùm à tempore Sixti IV. fuiſſe piam opinionem communem: nam ante illud tempus omnes, pauciſſimis exceptis, eam ſuſtinebant opinionem. Secundum eſt illud, quòd ratio iſta adducatur *in via ſtuporis*, quia in rei veritate obſtupeſcent omnes ſtupore magno,audientes quòd Fratres Majores ſuos Fratres Minores citaverint coram ordinatione Joannis XXII. quia dicebant Virginem Dei Matrem, & Angelorum Reginam fuiſſe à macula peccati origina-

Digitized by Google

ginalis præſervatam, atque ejus Feſtivitatem eſſe celebrandam; ſed qui ex iſto facto adhuc non obſtupuerunt, attendant ad illud, quod contigit eodemmet tempore, & illud tranſcribam ad litteram, ut narratur à Reverendo Patre Franciſco Martini Carmelitano Cathalano in ſuo inſigni tractatu de Conceptione elaborato anno 1390. circa medium ſub iſto titulo: *Septimus modus arguendi fuit arguere argumento Laicali, &c.* ubi ſic inquit.

„ Tertio arguitur ad idem; & pro „ materia argumenti notatur quædam narratio: Tempore quo in „ Eccleſia Dei præſidebat in Papatu „ Joannes XXII. fuerat diſcordia inter Soldanum Babyloniæ, ac Perſię, „ & Regem Bellemarinæ, ratione „ cujuſdam civitatis, quam prædictus „ Rex tenebat in præjudicium dicti „ Soldani; ut dictus Soldanus aſſerebat. Hæc diſcordia per plures hæ„ redes duravit. Rex prædictus cùm „ juvenis cœpiſſet regnare, poſt mortem patris ſui, habito ſano conſilio „ miſit ad Soldanum, & tractavit cum „ eo pacem ſub tali pacto; quòd idem „ Rex redderet civitatem Soldano, „ & Soldanus daret ſibi filiam ſuam „ in uxorem, & licentiam talem, „ quòd primus filius, quem ex ſua filia haberet, eſſet ita liber, quòd inſtrueretur in tribus legibus, ſcilicet: „ Sarracenorum, Judæorum, & Chriſtianorum, & quam vellet eligere, „ in ea poſſet permanere. Soldanus „ verò habito conſilio annuit, & receptâ civitate ſuâ filiam in uxorem „ Regi tradidit, ex qua filium genuit, „ quem primò in lege Mahumetica „ inſtrui fecit, ſecundo in lege Judęorum, tertiò in lege Chriſtianorum, „ in qua lege duodecim annis ad diſcendum ſtuduit. Unâ dierum, puer „ iſte vocavit Magiſtrum ſuum, & „ dixit ei: Magiſter, non clarè adhuc „ capio, quæ lex iſtarum eſt melior; „ verum quòd video, quòd lex Mahumeti promittit lac, & mel; lex „ Judæorum expectat Meſſiam; lex „ Chriſtianorum expectat vitam æternam: ideò pro majori clarificatione in lege iſta, vellem multùm „ videre caput Chriſtianorum in lege „ eorum. Et vocatis Mercatoribus „ Venetis procuravit per ipſos tranſitum, & venit Avenionem, in qua „ fuit tempore iſtius ſolemnitatis „ Conceptionis Beatæ MARIÆ, „ & ibidem fuit per-optimè receptus „ à Papa, & Cardinalibus, & fuit hoſpes cujuſdam Cardinalis intitulati „ Præneſtinus. Et eſt de more, quòd „ ubicumque ſit Papa, celebratur hoc „ Feſtum Conceptionis Virgin. MARIÆ, & tunc ceſſatur ab operibus „ ſervilibus, quamquàm hoc Feſtum „ non ponatur in Canone. Et ut magis publicetur devotio populi, in „ hac ſolemnitate Dominus Papa dat „ indulgentias; & facit pitantiam noſtris Fratribus, quoniam in Eccleſia „ noſtri Conventûs celebratur Miſſa, & fit ſermo de Feſto iſto; & poſt „ pran-

Digitized by Google

„ prandium fit ſermo ad populum in „ vulgari, quoniam de manè in La- „ tino ſermo fit in domo noſtra ad „ Clerum, dum Curia eſt Avenione, „ ad quem conveniunt omnes Car- „ dinales. Quare tali die convênit di- „ ctus juvenis filius Regis, & audivit „ prædicantem de manè, unà cum „ Cardinalibus; & qui ſermonem fe- „ cit, tenuit in ſermone Virginem „ MARIAM fuiſſe conceptam in pec- „ cato originali: & admirans juvenis „ dixit Cardinali, quòd ſi placeret, „ vellet in præſentia Domini Papæ, „ ubi erant commeſturi pro die illo, „ hæc materia diſputaretur: Cardi- „ nalis dixit Papæ. Et peracto prandio „ fuit propoſita quæſtio coram Papa, „ & Cardinalibus, & multis Magi- „ ſtris, & Doctoribus utriuſque Juris: „ Utrum Virgo MARIA fuerit Con- „ cepta in peccato originali? Ad „ quam quæſtionem reſpondit qui- „ dam Religioſus, & tenuit quòd „ Virgo MARIA fuit concepta in „ peccato originali. Et datus fuit lo- „ cus arguendi dicto filio Regis, & ar- „ guit quatuor, vel quinque medijs.

Hucuſque R. P. Franciſcus Martini Carmelitanus, qui (ut dixi) ſcripſit anno 1390. de ſua narratione. Quia tamen omnes curioſi deſiderabunt ſcire, quæ fuerint argumenta propoſita ab iſto juvene Filio Regis (nam totum hoc qualificatur ut fictio à parte contraria) legantur illa in Jacobo Chriſtopolitano Ordinis Sancti Auguſtini, in ſuo tractatu ſuper Magnificat, licet ibi contineantur ſatis breviter: & ego, ut ex materia argumentorum, ac diſpoſitione illorum comprobetur veritas principalis hiſtoriæ, decrevi etiam hîc ad litteram referre.

Primum igitur juvenis argumen- „ tum fuit hoc: Pater meus ſic me fe- „ cit liberum antequàm me genuiſſet, „ & antequàm matrem meam ſociam „ cognoviſſet (ut eſt ſuperiùs dictum) „ ſed non dubito, quin potior, poten- „ tior, & benignior fuerit reſpectu „ ſuæ Matris Dei Filius, quàm pater „ meus fuerit reſpectu mei; ſi tamen „ lex Chriſtianorum vera eſt: igitur „ ipſe Dei Filius eam liberam fecit, „ & præſervavit, ne in ſervitutem „ culpæ originalis caderet.

„ Secundum hoc: In lege Chriſtia- „ norum cantatur per Spiritum San- „ ctum, Cant 4. *Tota pulchra es amica* „ *mea, & macula non eſt in te*: ſi igitur „ ipſa fuit maculata maculâ culpæ „ originalis pro inſtanti Conceptio- „ nis, non fuit tota pulchra, & Spiri- „ tus Sanctus fuit mendax, nec ipſe eſt „ Deus, nec dixit verum: Igitur lex „ Chriſtianorum nulla eſt, ſi habet „ Deum mendacem.

„ Tertium: Illud quòd incipit à „ corruptione, & macula, non eſt „ mundum, neque gratiâ plenum: ſi „ igitur Mater Dei ſic incepit, quòd „ in originali fuit concepta: igitur „ non fuit gratiâ plena: igitur men- „ dax fuit Paranymphus Gabriël, qui „ dixit: *Ave gratiâ plena, Dominus te-* „ *cum*: igitur Spiritus Sanctus fuit

 „ men-

„ mendax,& ipſe eſt Deus, ut dicunt
„ Chriſtiani.

„ Quartum : Lex, quæ incipit à
„ corruptione, eſt modicæ efficaciæ,
„ & non durabilis: talis eſt veſtra,
„ datâ culpâ in Beatæ Virginis Con-
„ ceptione, à qua lex veſtra incepit.
„ Igitur, &c.

„ Quintum: In lege Mahumeti te-
„ nent Sarraceni, quòd mater Mahu-
„ meti eſt amica legis, & cujuſlibet
„ Sarraceni, eò quòd portavit talem
„ Prophetam,& nullus eſſet auſus di-
„ cere maculam in ipſa, quin ei den-
„ tes evellerentur cum martello: ſi
„ igitur non ponimus in matre Ma-
„ humeti maculam; quantò magis
„ vos, qui Matrem Dei Virginem
„ Mariam dicitis? Qualis ergò eſt
„ Religioſus inter vos, aut qualis
„ Chriſtianus, qui dicat Virginem
„ Mariam eſſe Matrem Dei,& ple-
„ nam gratiâ, & quòd in ſuo princi-
„ pio fuit maculata culpa? Quod vi-
„ detur abſurdum.

„ Sextò, ſic arguens dixit prædi-
„ ctus juvenis Prædicatori reſpon-
„ denti ad quæſtionem: Facio vobis
„ talem propoſitionem: Vos eſtis
„ amici B. Virginis, vel non? Reſ-
„ pondit Prædicator: Amicus ejus
„ ſum, & devotus: quia nihil magis
„ diligo præter Deum,quàm Beatam
„ Virginem Mariam. Cui Sarrace-
„ nus inquit: Si haberem ego unicam
„ amicam, & multùm ipſam dilige-
„ rem, & revolverem ſcripturas ad
„ defendendam eam de macula ſibi
„ impoſita; nónne videretur vobis,
„ quòd me oſtenderé amicum ejus?
„ Utique.Per oppoſitum arguendo:ſi
„ ego quærerem ſcripturas,& omnes
„ vias, & modos, ut gratis maculam
„ in ipſa reperirem, & cum alijs, qui
„ ipſam à macula excuſarent, con-
„ tenderem; falſus amicus eſſem me-
„ ritò reputandus. Modò vos, Do-
„ mine,cùm ſitis Religioſi, refrænare
„ debetis linguam veſtram ad ponen-
„ dum maculam in B. Virgine Ma-
„ ria,quam multùm precibus debe-
„ tis invocare. Et ſi gratis ponatis in
„ ea maculam,totam ſcripturam quę-
„ rendo,non vos oſtenditis dilectores
tantæ Virginis. Iſta fuerunt omnia
argumenta propoſita à juvene Sarra-
ceno.

Concludit tandem ſuam narratio-
nem Franciſcus Martini.His ergò di-
„ ctis, viſum fuit Papæ, & omnibus
„ Prælatis, Cardinalibus, ac Magi-
„ ſtris,qui ibidem aderant præſentes,
„ quòd Sarracenus multùm gratè ar-
„ guebat pro honore Virginis Ma-
„ riæ. Et quòd, ſi ipſe qui Sarrace-
„ nus erat,Virginem Mariam à ma-
„ cula culpæ originalis defendebat,
„ per amplius & nos. Quare non ſo-
„ lùm apud Chriſtianos devotos pro
„ veritate tenetur, quòd Virgo Ma-
„ ria non fuit Concepta in pecca-
„ to originali; immò apud Paganos.
„ Quare dictus D. Joannes Papa,
„ quamdam Proſam in reverentiam
„ munditiæ Virginis Mariæ com-
„ poſuit ſub octo dictaminibus, quæ
„ inci-

Digitized by Google

„ incipiunt: Ave præclara gratiâ, & „ dedit certos dies de indulgentijs „ cuilibet devoto dicenti in die,& in „ quolibet dictamine poſuit laudem „ ſuæ munditiæ.

„ Prima laus eſt: *Plena gratiâ*.Quo-„ modò plena gratiâ, ſi incepit à „ plenitudine culpæ?

„ Secunda laus eſt: *Incomparabilis* „ *flos*.Quomodò flos incomparabilis, „ ſi exivit plena ſpinis culpæ?

„ Tertia laus eſt: *Speculum decôris*, „ *& ſine macula*. Quomodò ſpeculum „ ſine macula,ſi fuit maculata pecca-„ to originali?

„ Quarta laus eſt: *Radix innocentiæ*. „ Quomodò radix innocentiæ, & „ munditiæ, ſi ejus Conceptio fuerit „ immunda,& culpa originali infecta?

„ Quinta laus eſt: *Rubus viſionis Mo-„ ſaicæ ardens, & non comburens*. Quo-„ modò Rubus ardens, & non com-„ burens, ſi igne libidinis culpæ po-„ natur combuſſiſſe in principio ſuæ „ originis?

„ Sexta laus eſt: *Nardus odorifera*. „ Quomodò fuit unguentum tanti „ odoris, ſi in ſe habuit fœtorem ori-„ ginalis culpæ?

„ Septima laus eſt: *Fulgens ſtella* „ *maris*. Quomodò in principio ſtella „ maris fulgens extitit, ſi erat obum-„ brata maculâ culpæ?

„ Octava laus eſt: *Remedium vitæ*. „ Quomodò remedium vitæ extitit,ſi „ in ſuo principio à macula mortis „ culpæ, & peccato incepit? Patet igitur, quòd Virgo Maria non fuit Concepta in peccato originali.

Tranſcripſi ad litteram omnia, quæ contigerunt tempore Joannis XXII. ex dictis Patris Martini Carmelitani,qui circiter à trecentis annis floruit. Et propoſui omnia alia,quæ à nobis inventa ſunt, tam pro doctrina Angelici Doctoris, quàm pro puritate Dei Matris. Ex quibus aliquos proponemus Nodos.

PRO NODO

§. TERTIUS.

Nodus primus.

TAmetſi Feſtum Conceptiônis cœperit in oriente circa tempora Apoſtolorum, ut conſtat ex Græcorum Kalendarijs; & in occidente ad annum octingéntefimum, ut patet ex opuſculis Sancti Anſelmi, Sancti Bernardi epiſtolâ, & aliorum teſtimonijs;hoc fuit in aliquibus Eccleſijs particularibus: nam in Eccleſia Romana Feſtum hoc cœpit à tempore Joannis XXII. ut ex Cronodromo Benedictino, & Franciſco Martini Carmelitano ſuprà manet demon-

ſtratum; & conſtat ex multis alijs teſtimonijs ſparſis in Sole Veritatis, atque in *Militia*. Hoc ergò principio ſtabilito, aliud eſt per ſe notum, ſcilicet, Feſtum Sancti Thomæ Aquinatis fuiſſe ſtabilitum in Romana Eccleſia eodem tempore Joannis XXII. qui Angelicum Doctorem canonizavit: Undè iſtæ duæ Feſtivitates ſunt quaſi fratres germani eodem tempore nati, & ab eodem patre, ex eademque matre progeniti: & ecce, habemus Phares & Zaram, Jacob & Eſau. Feſtum Sancti Thomæ (id eſt, Gemelli) eſt Major natu, & quia ſic fuit, & quia eſt Major Doctorum, & quia inter Majores nutritus, &c. Feſtum autem Conceptionis eſt Frater Minor in omnibus, tum quia numquàm Minor Virgo Maria quàm concepta, tum quia degit inter Minores, & à Minoribus nutrita, &c. Quid ergò mirum, ſi Frater Major proſequatur Minorem? Jam enim eſt conſuetudo in noſtra fragili natura, ut Major averſetur, execretur, & tamquàm malam peſtem fugiat Minorem, non ob aliam rationem aut cauſam, niſi quia Major eſt Major, & Minor Minor. *Quare parte adversâ poſteros, ſcilicet, filiorum Minoris poſteri filiorum Majoris citantes, coram ordinatione, ſcilicet, Papa XXII. ſupra-dicti pariter convenerunt, & lite conteſtatâ, &c.* ut dixit Cronodromus ſuprà. Quare Fratres Majores ita inſecuti ſunt ſuos Fratres Minores? Propter doctrinam Majoris Doctoris extollendam, puram ſententiam Fratris Minoris peſſumdandam atque exterminandam. Propter hoc fuit lis conteſtata, & erit, quia colebant ab utero: & en Nodus. Si Fratres Majores provocant, trahunt, ſeu rapiunt in jus ſuos Fratres Minores, quare etiam Minores non curabunt conſtituere in juſtitia ſuos Fratres Majores, ſeſe defendentes apud Judicem adversùm accuſatores expoſtulando de injuriâ illatâ? Non ita; ne quæſo ſit jurgium inter nos & vos, inter paſtores noſtros, & paſtores veſtros; fratres enim ſumus: ecce univerſa terra coram nobis eſt: recedite à nobis, ſicut per litteras patentes receſſiſtis; & ſi deflexeritis ad ſiniſtram, ſinite nos abire ad dexteram. Elegiſtis roſam Prati, ſinite nos cum noſtro lilio convallium. Aſſumpſiſtis teſtem Apoſtolum in epiſtola ad Roman. 5. *Omnes in Adam peccaverunt*, ſinite ut eligamus teſtem Lucam in Evangelio cap. 1. *Ave gratiâ plena. Dominus tecum. Benedicta tu.* Quia velle (ut Fratres Majores) violenter ferre poſt ſe omnia bona, propoſitiones univerſales *omnes*, & particulares, epiſtolam & Evangelium, non eſt juxta ordinationem Papæ; nec benè conveniunt, nec in una ſede morantur gratia & peccatum; ut dicitur hiſpanicè: *no caben en un ſaco, ni hande caver.*

Nodus secundus.

Quia retulit Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis verba illa. *Undè cùm in canonizatione Sancti Thomæ de Aquino opponeretur, quod non fecerat miracula in vita,*

vita, vel non multa, dictum fuit per Papam non eſſe curandum: nam tot miracula fecit quot quæſtiones determinavit, acclamantur in omnibus libris,& recipiuntur, quaſi eſſet oraculum Pontificium ab ipſomet ore ſupremi capitis depromptum. Et licet ipſemet Joannes Gerſon non incidenter in quadam epiſtola privata, ſed publicè in Concilio Conſtantienſi fecerit pulcherrimam concionem probando Virginem MARIAM fuiſſe conceptam ſine macula originali: & non ſolùm hoc, ſed etiam fecerit pro eodem myſterio tractatum contra F. Joannem de Monteſono, quem vidimus in Bibliotheca Sancti Victoris; & inſuper in ſuis operibus habeat illa, quæ referuntur in *Militia*, à colum. 767. tamen omnia iſta; quia ſunt pro Virginis Dei Matris puritate, nec recipiuntur, nec acclamantur, ſed rejiciuntur, & tamquam nugæ, & res nullius momenti, aut ponderis reputantur. Quòd unicum verbum pro Sancto Thoma habuerit tantam efficaciam, ut faceret non ſolùm mirabilia, ſed & miracula tot quæſtiones & articulos,& tot ſermones, tractatus, carmina;& tot non potuerint promovere unicum Dei Matris articulum, ut eſſet miraculoſus, mirabile certè eſt, & miraculoſum. Non eſt curandum (dicebat Summus Pontifex) de miraculis Sancti Thomæ; quia licet nulla, vel pauca fecerit miracula in vita ſua, tamen in ſcriptis, *quot quæſtiones determinavit, tot miracula fecit*. Undè omnes quæſtiones determinatæ à Sancto Thoma ſunt miracula. Quid determinavit circa iſtam quæſtionem: *Utrum Virgo* MARIA *fuerit concepta in peccato originali, in primo inſtanti infuſionis animæ?* Cajetanus inſignis illius commentator dicit, quòd nihil determinaverit, *quia tempore ſuo non erat adinventa*: igitur hìc, cùm nihil determinaverit, nullum fecit Sanctus Thomas miraculum. Diſcipuli ejus moderni dicunt, quòd determinaverit fuiſſe conceptam in peccato originali: & ecce altera quæſtio inter ipſos, an determinaverit, vel non determinaverit: ergò quouſque videamus determinatam à S. Thoma hanc quæſtionem, nullum eſt miraculum. Faciant diſcipuli ejus cum doctrina Thomiſtica quotquot voluerint miracula, tamen numquam efficient miraculum contra puritatem Dei Matris; quia ut credo eſſet magnum miraculum, quòd Angelicus Doctor vellet facere hoc miraculum contra ſuam, & omnium Matrem.

NODUS TERTIUS.

Cùm in canonizatione Sancti Thomæ *opponeretur quòd non fecerat miracula*, Summus Pontifex Joannes XXII. unico verbo ſopivit hanc oppoſitionem factam Angelico Doctori, dicendo, *non eſſe curandum de illa*, ſed quis fecerit hanc oppoſitionem, neſcimus. Et utinam fuiſſent Fratres Minores, ut Nodus iſte eſſet undique indiſſolubilis! Aliam oppoſitionem fecerunt coram eodem Summo Pontifice Patres Prædicatores contra puritatem

Sacra-

Digitized by Google

Sacratiſſimæ Dei Matris, ut ſuprà manet oſtenſum, & pro ipſa non ſolùm dixit Summus Pontifex *non eſt curandum*, ſed determinavit fuiſſe conceptam ſine peccato originali, & Feſtivitatem Conceptionis eſſe celebrandam; & tamen promulgatâ hac juridicâ ſententiâ, nec quæſtio fuit curata, nec ſopita oppoſitio: & quare hoc? Quia oppoſitores fuerunt Patres Dominicani, qui pro Fratre & contra Matrem ſemper fecerunt miracula, & facient ſine fine, quia ſua debent eſſe ſemper miracula: & relictis alijs, aſſumo illud pertinens ad propoſitam materiam. Ratio à priori præcipua, ac unica, quarè in Conceptione Virginis non potuit eſſe miraculum præſervationis à peccato originali fuit, quia adfuit commixtio ſeminum, ubi autem eſt hæc commixtio ſeminum impoſſibile eſt, quòd ſit innocentia, puritas, aut carentia peccati, &c. vel ſi non eſt impoſſibile, ſaltem de facto numquam fuit, ut in ſuo memoriali pro ratione peremptoria propoſuit R. Pater Frater Joannes Martinez del Prado Provincialis Hiſpaniæ Regi noſtro Philippo IV. At licet in quæſtionibus, & articulis Angelicę doctrinę ſit tanta ſeminis commixtio; ut ipſimet fatentur, quia Henricus Gotrichen habet centum quæſtiones ultimas tertiæ partis; & aliæ nonaginta fuerunt completæ per Patrem Fratrem Albertum de Brixia: prima ſecundæ, & ſecunda Secundæ ſunt Vincentij Burgundi: expoſitio in Matthæum eſt F. Petri de Andria: ſuper Pſalmos, ſuper Joannem, ſuper epiſtolas Pauli, & Canonicas, ſunt Fratris Reginaldi: quanta ſint in reliquis F. Thomæ Anglici, neſciunt explicare Pius, Senenſis, & Caſtillo. Quomodò Pontius Carbonellus contineatur in Catena aurea, jam oſtenſum eſt. Et ad iſta particularia addenda ſunt illa communia ſeminata à correctoribus, tam Venetijs, quàm Romanis, de quibus ſuprà latè dictum eſt, ſeminantibus pro libito, quidquid ipſis placuit, & tamen inter tantam diverſorum ſeminum aggregationem conceptus mentis, ſeu doctrina Angelici Doctoris eſt, vel dicitur pura, Sancta, & miraculoſa: & quia in Conceptu ventris MARIÆ fuit illa commixtio ſeminum S. Joachim, & Sanctiſſimæ Annæ, nullum potuit intervenire miraculum, ut eſſet pura & Sancta. Eſt ne iſte Nodus?

NODUS QUARTUS.

Pater Antonius Henegan Ordinis Prædicatorum, & Philoſophię Lector Lovanij anno 1659. in Theſibus ſub hoc titulo: *Philoſophia Rationalis ad mentem Angelici præceptoris Divi Thomæ Aquinatis* propoſuit iſta tria impertinentia. Primum erat: *Quis tam arrogans ut Divi Thomæ vel minimum aſſertum publicè cenſurare audeat, de quo Eccleſiæ caput Innocentius VI. cenſuit, qui eam impugnaverit, ſemper eſſe de veritate ſuſpectum*? Secundum: *Quis tam arduè inſanire poſſit, ut improbare præſumat doctrinam commendatam à Domino Jeſu Chriſto*

Chriſto ipſo exclamante: Benè ſcripſiſti de me Thoma? Tertium: *Quomodò Beatiſſima Virgo apparens D. Thomæ, juxta approbationem Julij Papæ III. ipſum de ſuæ ſcientiæ integritate certificavit, ſi vel quidpiam honori ejus derogans inſinuaret.* Iſta tria impertinentia ſuſtinuit ille Philoſophicus Lector, quibus Theſes ſuas mirificè exornavit, in gloriam ſui preceptoris ejuſmodi elogia portentoſa dicendo. Quia verò Reverendus Pater Petrus de Vrieſe Lector Sacræ Theologiæ primarius in Theſibus capitularibus de omnibus novæ Legis Sacramentis prædiſputatis Lovanij an. 1663. poſuit hoc unicum impertinens, tum in laudem puriſſimæ, ac ſemper Immaculatæ Conceptionis perſonalis Virginis MARIÆ: tum etiam in laudem ac gloriam ſempiternam Angelici Doctoris Divi Thomæ Aquinatis: In expoſitione Angelicæ Salutationis (quæ eſt apud Angelicum Doctorem Divum Thomam Aquinatem in opuſculis, opuſculo 8.) hæc pro Immaculata ſemperque pura Virginis MARIÆ Conceptione traditur ſententia. *Tertiò, quantùm ad puritatem; quia Beata Virgo non ſolùm fuit pura in ſe, ſed etiam procuravit puritatem aliis. Ipſa enim puriſſima fuit, & quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quot, Deus bone! non fuerunt excitatæ contentiones? Bis in eodem die manè ac veſperi contra ipſum tam præclarum ac certum dictum inſurrexerunt: Et his nondum contenti die ſequenti in Theſibus alterius P. Lectoris veſpertini P. Merſmans redierunt ad idem impertinens, ita ut quinquies fuerit impugnatum, ſed ne vel ſemel apparenter expugnatum. Ex his duobus Funiculis pro doctrina Angelica, & puritate Virginea iſtum compaginamus Nodum: Licitum eſt uni Lectori Philoſophiæ in Theſibus merè Philoſophicis proponere tria impertinentia, vocando arrogantes illos, qui vel minimum aſſertum Sancti Thomæ audent impugnare, & arduè eos inſanire, qui illam improbare præſumunt, adducendo in teſtes Innocentium Papam & Julium III. non obſtante quòd illa ſint falſa, & omnia gratis dicta: quia uſque ad finem mundi non oſtendent teſtimonia prędictorum Summorum Pontificum, & circa hoc nullus fuit locutus vel verbum. Interim Lector ille, ſeu Profeſſor Philoſophiæ ſimilia poſuit, & tolerata ſunt. Dum verò unus Pater primarius Sacræ Theologiæ Lector ponit pro Dei Matris puritate ſupra-poſitum elogium ex Divi Thomæ opuſculis recitatum, petierunt originalia genuina ſcripta Angelici Doctoris; & quamvis oſtenſa ſint exemplaria ex ipſamet Cathedra tam impreſſa, quàm manu-ſcripta ex Bibliothecis ſupra-relatis, quinquies tamen oppugnaverunt ipſum impertinens pro gloria Matris Dei poſitum, quaſi aliquod execrabile opprobrium fuiſſet dictum contra Angelicum Doctorem.

Digitized by Google

rem. Quid ergò dicemus ad hæc?

NODUS QUINTUS.

Quòd in modernioribus impreſſionibus ablata fuerit illa clauſula, *quia nec originale*, poſito ejus loco, *quia ipſa Virgo*, eſt per ſe notum, ut conſtat ex ſex originalibus impreſſis ac manu-ſcriptis antiquis. Et hoc ſic factum eſt, quia eſſet (ut ipſi dixerunt me præſente) aperta contradictio in Sancto Thoma; nam parùm anteà habet hæc verba: *Sed Chriſtus excellit Beatam Virginem in hoc, quod ſine originali conceptus & natus eſt: Beata autem Virgo in originali eſt concepta, ſed non nata*. Sed dato quòd eſſet contradictio, decetne (ut auferant unam contradictionem è ſuo Doctore) maculare ejus textum, Salutationem Angelicam, atque Dei Matrem? Immò quòd non ſit contradictio ſic oſtenditur: Chriſtus in hoc excellit Virginem, quia ſine originali conceptus eſt, ſcilicet, à Matre ſua; omnes enim matres concipiunt filios ſuos cum originali, id eſt, concupiſcentiâ, ideò Angelicus Doctor non dixit originali peccato, ſeu culpâ; & etiam ſine originali natus eſt, id eſt, in utero, juxta illud dictum Joſepho, *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, & tamen Chriſtus non erat tunc natus ex utero, ſed tantùm intra uterum: tum hoc etiam patet, quia verba iſta ſunt intelligenda juxta ſubjectam materiam, quando, ſcilicet, Salutatio Angelica fuit prolata. Et Chriſtus natus fuit in utero Virginis, dicente etiam Angelo, *Quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quod totum fuit perfectiſſimè completum in prima nativitate in utero. Undè Chriſtus (ut optimè dicit Angelicus Doctor) & conceptus fuit à Matre ſine originali, & natus ſine originali: attamen Virgo MARIA in originali concupiſcentia fuit concepta à Matre ſua Anna, ſed non nata in utero cum originali. Undè *ipſa puriſſima fuit quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*. Et ecce jam ſumus in Nodo. Omnes aſſertores contrariæ ſententiæ ubicumque in Sanctis Patribus, & Auctoribus antiquis inveniebant iſtam vocem *natus*, vel *nata*, ſumunt pro nativitate in utero, ut ex octodecim exemplis videbitur in RADIIS SOLIS VERITATIS; & ſemel reperta in Sancto Thoma, quia eſt contra puritatem Virginis, quòd *natus* ſumatur pro nativitate ex utero, pro viribus contenderunt, contendunt, & contendent, quòd ſic debeat ſumi, & non aliter, aliàs eſſet contradictio in Angelico Doctore: & una contradictio eſt delenda in Fratre, & non una macula in Matre.

NODUS SEXTUS.

Tetigimus incidenter auctoritatem illã ex epiſtola ad Galatas dicentem: *Mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omninò immunis eſſet ad minùs originali vel veniali: Excipitur puriſſima & omni laude digniſſima Virgo* MARIA, de qua latè egimus Nodo VII. principali; ſed quia ibi aliqua prætermiſimus, quia de novo fuerunt inven-

ta,

Digitized by Google

ta, hîc etiam incidenter illa damus. Nam ad ſextam editionem ibi relatam, in qua non extat exemptio illa: *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo* Maria, addenda eſt altera, quæ erit in ordine ſeptima, impreſſa Pariſijs apud Joannem David in via Divæ Genovefæ anno 1549. Octava poteſt eſſe Veneta apud hæredes Lucæ Antonij Juntæ anno 1562. quæ fol. 141. adducit notam marginalem Patris Remigij Florentini: & licet iſta non deberet facere numerum diſtinctum, quia jam ibi adduximus alteram impreſſionem Patris Remigij, cùm iſta fuerit promulgata ante annum 1570. debemus in omnibus ſervare legalitatem. De alijs duabus, ſcilicet, illâ impreſsâ Pariſijs anno 1518. per Andream Boucardum impenſis Joannis Petit, & alterâ editâ ibidem per Joannem Savetier ſub ſigno Britannico anno 1526. jam ibi dedimus exactam rationem. Conſtat ergò quòd prætermiſerimus unam impreſſionem, vel ad ſummum duas. Et propter hanc omiſſionem PP. Lovanienſes fecerunt talem rumorem per omnes Abbatias & Conventus Flandriæ, quaſi Auctor iſtius libri commiſiſſet in prima impreſſione aliquod crimen læſæ Majeſtatis. Et quando ipſi conqueruntur de hoc veniali defectu contra ſuam opinionem, debemus nos tacere, & ſepelire tot lethalia commiſſa crimina in originalibus ſui Angelici Doctoris contra noſtram ſententiam & Immaculatam Dei Matris puritatem. Et ſi iſte non fuerit Nodus, oſtendemus alium.

Nodus septimus.

Quia in octo vel novem editionibus non erat exceptio, expunxerunt illam corrigentes (ut ipſi dicunt) decem impreſſiones in quibus reperiebatur. At hæc non fuit correctio, ſed corruptio maxima; quia ſententia Angelici Doctoris ſic ſe habet: Nulla eſt mulier quæ non habeat *peccatum*, id eſt, *mortale*, vel ad minùs *originale*, vel *veniale*: Excipitur (dicebat S. Thomas) puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo. At diſcipuli ejus expunxerunt hanc exceptionem. Quare? Quia non erat in vero ac legitimo originali Angelici Doctoris. Et ubi eſt illud originale verum ac legitimum? Ad hoc nihil dicunt, nec dicent; quia de vero ac legitimo nihil ſciunt. Si ergò non invenitur, nec eſt originale proprium Sancti Thomæ, & pro utraque parte ſint teſtes, diſcurramus ſecundùm rationabilem conjecturam, an Sanctus Thomas poſuerit iſtam exceptionem, vel ſaltem deberet illam ponere. Sententia diffinitiva Sancti Thomæ hæc eſt: Omnis mulier peccavit *mortaliter*, aut *originaliter*, vel ſaltem *venialiter*. Ergò ſecundùm Angelicum Doctorem ex tribus veniale eſt minimum peccatum; vel proceſſit ſine ordine, ac diſpoſitione in ſua enumeratione. Quomodò ergò dicunt ejus diſcipuli originale eſſe minimum? Fuitne in hoc etiam vitiatus textus Sancti Thomæ? Sed ad rem

Digitized by Google

noſtram : Si Sanctus Thomas ab illa ſua regula generali : Omnis mulier peccavit mortaliter, originaliter, vel venialiter, non excluſerit Virginem; ergò in illa manſit comprehenſa, ſicut omnes aliæ mulieres. Si dicunt quòd non manſerit comprehenſa, habemus intentum; quia quæ non comprehenditur in regulis generalibus Thomæ, nec in regulis generalibus Pauli comprehendetur; & ſic non eſt neceſſe oſtendere exceptionem in uno, quando illam nobis dant in altero. Si autem manſit comprehenſa, ut ejus diſcipuli clamant, ecce habemus craſſiſſimum Nodum. Doctrina S. Thomę comprehendit Virginem Dei Matrem in hac univerſali: *Qualibet mulier habet peccatum mortale, originale, aut veniale*, quia nullam appoſuit exceptionem; ergò MARIA peccavit vel mortaliter, vel originaliter, vel venialiter. Iſta eſt conſequentia evidens. Sed dicunt, quòd verificetur de originali tantùm, quia in alijs duobus peccatis primo, & ultimo non eſt comprehenſa ſecundùm Fidem. Optimè. Solvamus ergò, non unum vel duos, ſed duodecim, vel plures Nodos. Ergò Sanctus Thomas non dixit omnia, quæ Eccleſia & Fides dicunt & fatentur. Ergò Sanctus Thomas indiget explicatione in rebus Fidei. Ergò Sanctus Thomas erraret contra Fidem, niſi piè interpretaretur de peccato originali. Ergò Sanctus Thomas debet à ſuis diſcipulis reduci ad medium, ut non videatur declinaſſe ad extrema vitioſa. Ergò Sanctus Thomas defecit non dicendo, à primo & ultimo peccato excipiatur puriſſima MARIA. Ergò Eccleſia fecit duplicatam exceptionem, ubi Sanctus Thomas nec unam juſtam fecerat, & ſic præparatur ad tertiam. Ergò qui de facto exemit Virginem à peccato minori veniali, ſi non contra mentem, ſaltem contra litteram Sancti Thomę, poteſt & debet illam eximere à majori originali; quia ſi ab Eccleſia eſt debellatum peccatum contra hæreticos, ſolùm reſtat ut tollatur è medio Thomiſtico. Ergò qui tranſit ab extremo ad extremum eximendo Virginem à mortali & veniali, & ita fortiter tangunt medium peccati originalis & perſiſtunt in eo, nec ſunt Angeli, neque ſequuntur Angelicam doctrinam. Ergò ſi, quando extrema ſunt vitioſa, in medio conſiſtat virtus; in ſua ſchola quando ſunt extrema Sancta, in medio conſtituent vitium. Ergò Sanctus Thomas penitùs erravit apponendo illam disjunctivam *ad minùs originali vel veniali*, cùm ab originali nulla mulier fuerit ſecundùm ipſum immunis. Ergò ubicumque dixit Sanctus Thomas abſolutè : Virgo MARIA fuit immunis à peccato, fuit locutus contra mentem; quia debebat dicere fuit immunis non omninò. Ergò, quidquid dicat Pater Antonius Henegan, ſcientia non fuit integra, quia non ſolùm aliquantulum vel quidpiam, ſed multum honori Virginis fuit derogatum. Denique, ergò San-

Sanctus Thomas nullam fecit in vita & doctrina ſua miraculum pro Dei Matre, quia in articulo peccati originalis, in quo claudicabat, non eſt illi data miraculorum gratia.

Nodus octavus.

Duo fecit Summus Pontifex Joannes XXII. pro Sancto Thoma, unum fuit canonizare ipſum, & alterum dicere de doctrina, quòd tot miracula feciſſet, quot quæſtiones ſcripſiſſet. Et teſtis hujus facti ſecundi non eſt alius quàm Joannes Gerſon. Alia duo fecit pro puritate Virginis Mariæ. Primum declarare eam fuiſſe conceptam ſine peccato originali; ſecundum, admittere in Curia Romana illius Feſtivitatem; & pro hoc habemus duos teſtes antiquiores Joanne Gerſone, unum Bendictinum in ſuo Cronodromo ſive Decurſu temporum, & alterum Carmelitanum citatum, & adde tertium Jacobum Perez de Valentia Epiſcopum Chriſtopolitanum, qui obijt anno 1491. His ergò, ut veris ſtabilitis, ſi ipſi nolunt credere pro puritate Dei Matris tribus teſtibus omni exceptione majoribus; quare debemus nos præſtare fidem uni pro laude Angelici Doctoris? Quòd Summus Pontifex declararet Virginem fuiſſe conceptam ſine peccato originali non erat miraculum, quia ſine miraculo omnes ferè Catholici ſic credunt; nec, quòd Feſtum Conceptionis celebraretur in Romana Curia erat miraculum, quia ſine miraculo hodiè celebratur: & iſta, quę non ſunt miracula & de facto videntur, relata à tribus teſtibus, dicunt eſſe mendacia ac fictiones; cùm tamen eodem tempore velint, quòd credamus ad unius teſtificationem pro S. Thoma non unum miraculum, ſed tot, quot ſunt quæſtiones & articuli in operibus Sancti Thomæ. Et qui dubitant an in una quęſtione circa articulum illius diei de Conceptione ventris Dei Matris fuerit unum miraculum; quomodò in conceptu mentis Angelici Doctoris ex infinitis quæſtionibus & articulis volunt à nobis, ut credamus infinita miracula? Iſte non tantùm mirabilis, ſed miraculoſus Nodus videtur; ideoq; etiam miraculosè ſolvendus. Nam quis erit tam arrogans, ut Divi Thomæ minimum aſſertum, vel Virginis Dei Matris minimam laudem publicè audeat cenſurare? Vel quis tam arduè inſanire poſſit, ut improbare præſumat doctrinam commendatam à Domino Jesu Chriſto, aut puritatem ſuæ Sacratiſſ. Matris Mariæ? Quis innocentiæ Virgineæ ita invidus, ut repulſam illius unicum ſuum triumphum ducat? Ut non, quæ digna & juſta ſunt, attribuat Matri Dei defendens pro poſſe, quòd in his, quæ tangunt laudem vel culpabilem maculam, non ſit comparanda filijs Adæ æquali menſurâ? Quis tam fœtidus ac fœtulentus erit aſſertor auſus de Virgine adſtruere, quòd primò fuerit Deo odioſa, quàm grata; exoſa, quàm dilecta; rea culpæ, quàm plena gratiæ; ignorans, quàm ſapiens; tur-

pis, quàm pulchra; fœtore horribilis, quàm odore ſuavis; maledicta, quàm benedicta; digniſſima omni vituperio, quàm laudis præconio; ſerva, quàm libera; ancilla, quàm Domina; ſubdita, quàm Regina; Dæmonis vernacula, quàm Angelorum Domina; & unico verbo, primò filia Diaboli, quàm Dei? De quo ſicut latiſſimè, ita pijſſimè diſcurrit ſingulariſſimus Virgineæ puritatis promotor Joannes de Segovia in ſuis Allegationibus, ac Aviſamentis per totum, ſpeciatim Allegatione 7. folio 372. & ſequentibus, Aviſamento 6. folio 516. & ſequentibus, ubi habet mirabilem ſuavitatem verborum obduratorum animos emollientium, & ad devotionem hujus myſterij excitantium ſtimulantiumque.

NO-

Digitized by Google

NODUS DECIMUS-SEPTIMUS

PRINCIPALIS

Concinnatus ex quodam Brevi, ſeu epiſtolâ Sanctiſsimi Domini Noſtri ALEXANDRI VII. directâ ad Univerſitatem Lovanienſem; ac ejuſdem Conſtitutione Apoſtolicâ modò expeditâ pro tota Eccleſia circa myſterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Dei Matris MARIÆ.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

REm ipſam à ſuis fundamentis aggredior enarrare. Cùm in Gallia & Belgio, ac præcipuè in Univerſitate Lovanienſi exorta fuiſſet magna illa, & ſatis nota contentio circa quinque propoſitiones Cornelij Janſenij Epiſc. Iprenſis, quæ tales erant

Prima : *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſsibilia fiant.*

Secunda: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquàm reſiſtitur.*

Tertia : *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in hominibus libertas à neceſsitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Quarta : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam*

Digitized by Google

tiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Quinta : *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Poſt exactiſſimam diſcuſſionem in Romana Curia Summus Pontifex Innocentius X. per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit : *Cùm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, Auguſtinus Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis, &c.* expeditam anno 1653. pridie Kalendas Junij ſui Pontificatûs anno 9. eas condemnavit. Poſteà Sanctiſſimus Pater ALEXANDER VII. prędictam articulorum condemnationem confirmavit, approbavit, innovavit, ac declaravit per alteram Conſtitutionem incipientem : *Ad Sacram Beati Petri Sedem, &c.* expeditam anno 1656. Pontificatûs ſui anno 2.

Defenſores harum quinque propoſitionum varia excogitarunt ſtratagemata, & cavillationes, ut ipſas liberarent à cenſura. Prima fuit, dicere eas eſſe expreſsè ſententias Sancti Auguſtini, & Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis. Et in hoc inſtiterunt per plures dies. Secunda cavillatio, ſeu potiùs audacia fuit, dicere hanc, quantùm ad Cornelij Janſenij cauſam, eſſe quęſtionem facti, & quòd non poſſet à Romano Pontifice determinari, aut condemnari. Videntes autem Sedem Apoſtolicam perſiſtere, & anathematizare omnes nolentes parêre ſuis juſtiſſimis præceptis, excogitarunt aliam diabolicam machinam : nam ſub prætextu præſtandi promptam, ac filialem obedientiam Summo Eccleſiæ Pontifici miſerunt ad Romanam Curiam quemdam Doctorem cum litteris recommendatitijs undequaque acquiſitis, ut nomine & voce omnium proponeret ſuę Sanctitati iſta duo :

Primum, ſe ſubmiſſo corde, ac cognitâ veritate, & juſtificatione Decretorum Sedis Apoſtolicæ, deteſtari, & abjurare illas quinque propoſitiones Janſenij : & ut ſubditi ac ſubjecti Sanctę Romanæ Eccleſiæ pedibus ſpondebant ſe illas publicè, & privatim ſemper & ubique impugnaturos, & contrarium tamquam Catholicum prędicaturos, atq; docturos. Secundò, petebant à ſua Sanctitate (ut cognoſceret eos nolle à recto tramite veritatis nec latum unguem recedere, ſed ſanam doctrinam à Sede Apoſtolica approbatam per omnia ſequi) ut doctrinam Sancti Auguſtini, & Angelici Doctoris Sancti Thomæ, iſta duo Eccleſiæ luminaria, & dogmata illorum ut veridica, ſana, & in quibus nihil contineretur ſuſpectum, dignaretur approbare, & confirmare, &c.

Quid in ſupplica continebatur, meliùs, quàm ego explicare poſſim, ex prudentiſſima, atque Sanctiſſima reſponſione Summi Pontificis dignoſcetur. Scripſit enim duas epiſtolas: Unam ad Rectorem & Univerſitatem Lovanienſem, quæ ſic ſe habet : *Dilectis Filijs Rectori & Univerſitati Lovanienſi.* ALEXANDER *Papa VII. Dilecti*

Eli Filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pacis inter ambos chariſsimos in Chriſto Filios noſtros Reges Divinâ miſericordiâ tandem compoſitæ commodis, & felicitate frui vos Domino concedente poſſe, quemadmodum litteris veſtris die vigeſimo Martij datis, oſtenditis, pro paternâ in vos chariate Noſtrâ profectò gaudemus. Cùm præſertim hoc otio vos ad incumbendum ardentiori ſtudio, litteris & virtutibus verè Catholico viro dignis, de more uſuros eſſe planè credamus. Porrò autem eximium illud Salvatoris Noſtri voce toties inculcatum præceptum de ſervandis Eccleſiæ mandatis, deq; audiendâ voce Paſtoris, quem Vicarium ſuum in terris univerſi gregis curâ demandatâ conſtituit, quàm ad ſalutem, & vitam, tam profectò eſt ad omne veræ ſcientiæ, doctrinæq; lumen ſuſcipiendum abſolutè neceſſarium: Niſi enim omnibus omninò determinationibus Apoſtolicis, & firmitati Petræ, ſupra quam Eccleſiæ ſuæ fundamenta ſtatuit Dominus, omnes hominum, & præcipuè litteris addictorum cogitationes, & conſilia immobiliter adhereant, incredibile prorsùs eſt in quot & quantas vanitates, & inſanias falſas humani curioſitas ingenij, quo magis etiam ejus vis, & perſpicacitas excellit, per invia tandem & abrupta feratur. Univerſitatem præclaram iſtam hujus Sanctæ Sedis auctoritate fundatam, & ampliſsimis donatam privilegijs, tum viris doctrinæ, meritorumq; luce fulgentibus locupletem, piè religioſeq; Matrem ſuam reſpicere, & ſummoperè venerari ſcimus, utq; nullorum hominum turbidi Spiritus in eâ planè remanſerint, totius conſolationis Deum ex corde rogamus. Sed nulla ſatis magna diligentia eſt, quæ in coërcenda & captivandâ in obſequium Chriſti vagâ per ſe illa ſenſuum, ingenijq; humani licentiâ & elatione ponatur, nullaq; in hâc eâdem re alia ratio efficax à ſummis etiam & Sanctiſsimis viris pro ſe ipſis quoque continendis adhiberi umquàm potuit, quàm hujus Petræ ſoliditati firmiſsima & perquàm abſolutiſsima in omnibus adhæſio & obedientia. Si quid enim in hâc parte nedum peccatum vel minimum ſit, ſed etiam non diligentiſſimè, & exactiſsimè ab initio cautum, & curatum, vix dici profectò poteſt, quò res paulatim delabatur. Speramus planè de pietate, & Catholicæ Religionis Zelo veſtro, omni curâ, ſtudioq;, vos in hujuſmodi rem cogitationes univerſas collaturos, neque paſſuros in poſterum, ut à debita Nobis obedientiâ turbulentis hominis alicujus flatibus retardemini; quin immò Religioſi obſequij veſtri tam in obſervantiâ peraccuratâ Conſtitutionum Apoſtolicarum adversùs errores Janſenij, quàm omnibus alijs in rebus Illuſtria documenta præſtare numquàm deſtituros, quo magis magisq; indies eximiam, vereq; paternam charitatem Noſtram, atque adeò ſummi Dei gratiam, & protectionem demereamini: A quo vobis dilecti Filij, totiq; Univerſitati Lovanienſi, benedictionem Apoſtolicam peramanter impertîmur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Auguſti 1660. Pontificatûs noſtri anno ſexto.

Alteram Decano, & alijs Theologiæ Facultatis Magiſtris, & Regentibus Lovanienſibus, tenoris ſequentis: *Dilectis Filijs Decano, & alijs Theologiæ*

gicæ Facultatis Magiſtris, Regentibus Lovanienſibus. ALEXANDER *Papa VII. Dilecti Filij Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Litteras veſtras die* 20. *Martij datas accepimus, & in eo ſanè, quod quinque propoſitiones illas, tam in Conſtitutione felicis recordationis* INNOCENTII X. *Prædeceſſoris noſtri, quàm in aliâ noſtrâ poſteà damnatas, tantoperè deteſtemini, ut neminem admittere ad gradus Academicos velitis, niſi priùs religioſam obſervantiam prædictarum Conſtitutionum promittat & juret, obedientiam & zelum veſtrum unicè commendamus; atque adeò ſperamus, vos nedum id egregiè perſanctèq; impleturos; verùm etiam omnibus alijs in hanc Sanctam Sedem obſervantiæ & obedientiæ documentis effecturos, ut omni rerum præteritarum, ex hominum animis evulsâ, & penitùs abolitâ memoriâ, priſtinum decus exiſtimationi, & laudi antiquæ veſtræ reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutaris obſequij gloriam verè conſtanterq; promerendam, quamvis, uti credimus, eximiè currentes vos, Dilecti Filij, etiam atque etiam, quantum poſſumus, hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiæ, pietatisq; ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adversùs Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis; nec non præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaq; dogmata ſequi ſemper, ut aſſeritis, ac impensè revereri velitis: quorum profectò Sanctiſſimorum Virorum penes Catholicos univerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, novi præconij commendatione planè non egent. Porrò bonorum omnium largitorem Deum rogamus, ut vobis, Dilecti Filij, cum pacis Divinâ tandem Clementiâ reſtitutæ proſperitate, cæleſtis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro miſericordiâ ſuâ velit. ad quod feliciter conſequendum, Apoſtolicam benedictionem vobis peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam* MARIAM *Majorem ſub annulo Piſcatoris die* 7. *Auguſti anno* 1660. *Pontificatûs Noſtri anno ſexto.*

Iſtæ duę litterę Apoſtolicæ detexerunt latitantem ſecundam intentionem Janſeniſtarum. Nam ſtatim prodijt rumor, quem typis mandatum invenio cum iſta approbatione: *Ut varij & ſcandaloſi rumores luce veritatis evaneſcant, expedit has litteras Apoſtolicas typis excudi. Datum Leodij* 17. *Decembris* 1660. *Joannes Erneſt de Surlet Vicarius Generalis Leodien.* Et in frontiſpicio litterarum extat tale reſcriptum: *Publicum & ingens Lovanij ante aliquot hebdomadas gaudium fuiſſe occaſione Litterarum Apoſtolicarum tum ad Univerſitatem, tum ad Facultatem Theologicam miſſarum, paſſim fama vulgavit: ſparſus etiam tum Leodij, tum alibi rumor fuit,* ALEXANDRUM VII. *in iiſdem retractaſſe ſententiam ante hâc contra Janſenij dogmata à Sede Apoſtolicâ latam. Quod poſtremum, licet Catholicis omnibus Sedis Apoſtolicæ infallibilitatem agnoſcentibus riſu potiùs quàm fide dignum viſum fuerit; multorum tamen animos inceſſit cupido cognoſcendi, quæ tandem tanti gaudij cauſa*

eſſe potuerit. Horum juſtis deſiderijs, ut inſervirem, ipſas Litteras Apoſtolicas fideli manu deſcriptas typis vulgandas putavi. Utere benigne Lector & vale. Sit vel non ſit verum, quod in relata Epigraphe proponitur, quia hoc nihil meâ intereſt, ſed tantùm illa, quæ ſequuntur.

Sicut occaſione litterarum Summi Pontificis exorti fuerunt rumores ſuprà relati falſi pro doctrina Janſenij, ita occaſione earumdem litterarum exorta eſt etiam alia recapitulatio omnium approbationum doctrinæ Sancti Thomæ. Nam Bruxellis typis Guilielmi Scheybels, in platea Scutorum ad inſigne Sancti Joannis Baptiſtæ prodierunt in charta expanſa ſub hoc titulo: *Elogia S. Thomæ Aquinatis edita occaſione Bullæ Sanctiſſimi Domini Noſtri* ALEXANDRI VII. Omnes auctoritates ſupra-relatæ Summorum Pontificum incipiendo à Joanne XXII. Innocentio VI. Urbano V. Pio V. Clemente VIII. Paulo V. concludendo cum ALEXANDRO VII. propter illam clauſulam: *Nec non præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaq; dogmata ſequi ſemper ut aſſeritis, ac impensè revereri velitis, quorum profectò Sanctiſſimorum virorum penes Catholicos univerſos ingentia & omnem laudem ſupergreſſa nomina novi præconij commendatione planè non egent.* Ex quibus verbis Summi Pontificis dicunt ſe jam habere alteram approbationem doctrinæ Sancti Thomæ. Quod etiam affirmarunt in oratione habitâ eodem die pro doctrina & laudibus Angelici Doctoris. Et cum hoc pervenimus ad deſideratum ſcopum propoſitum in Nodo.

Inter multa geſticula, dicta, & facta à geſticulatore illius diei unum fuit, nos ex perversâ malignitate in prima impreſſione noſtri Nodi Indiſſolubilis prætermiſiſſe hoc elogium ſeu noviſſimam approbationē ALEXANDRI VII. putans cum ſola illa retundi ac refutari, quidquid in Nodo dicitur de alijs approbationibus, &c. Cujus qualitatis ſit retunſio ac refutatio iſta, ſtatim videbimus. Ad objectionem verò dico, quòd ſi in prima editione non fuerit poſita, quia penitùs ignorabam illam; jam in hac ſecunda ipſam damus cum omnibus ſuis circumſtantijs. Et ſi adhuc ex hac ſpontanea ac veridica confeſſione non maneat ad plenum ſatisfactum, hâc unicâ computatione certitudinem oſtendo. Litteræ Summi Pontificis noſtri fuerunt expeditæ anno 1660. Nodus indiſſolubilis fuit excuſus Bruxellis anno 1661. & an. 1663. fuerunt impreſſa *Elogia Sancti Thomæ Aquinatis edita occaſione Bullæ Sanctiſſimi Domini* N. ALEXANDRI VII. Ubi in capite Bullæ extant hæc verba: ALEXANDER *VII. in Brevi ad facultatem S. Theologiæ Academiæ Lovanienſis dato Romæ 1660. die 7. Auguſti Sanctum Thomam Divo Auguſtino exæquat, utriuſque dogmata inconcuſſa certiſſimaq; aſſerens, cujus Brevis integrum tenorem (quia non paſſim notus) ſubjicimus:* Iſta

Digitized by Google

ſunt verba propoſita in ſua præconizatione Elogiorum, & publicatione Brevis: Si ergò anno 1663. non erat paſſim notum Breve hoc in Belgio, & in civitate Lovanienſi, ad quam fuerat directum,ut opus fuerit illud typis mandari cum hac ſubſcriptione, & in die Sancti Thomæ illud affigere valvis, portis,& angulis, ut ſic fieret paſſim notum; quid mirum quòd quidam Hiſpanus anno 1661. nihil ſciret de tali Brevi? Poſt duos annos ab impreſſione Nodi indiſſolubilis typis mandatur Breve, & illud ſubjiciunt omnium oculis Lovanij,ut notum fiat, quia erat ignotum ipſis Lovanienſibus: & fuit delictum & iniquitas inexpiabilis,quòd quidam Hiſpanus veniens poſt duos annos ex Matritenſi Curia non haberet notitiam illius, ut collocaret ipſum in ſuo libro.

Exoneratus ab impoſtura iſta de malitioſa prętermiſſione,ſolùm reſtat ut videamus quid habeat hoc Breve, & Elogium promulgatum à Sanctiſſimo Domino Noſtro ALEXANDRO VII.quod ſic confirmet omnium ſuorum prædeceſſorum dicta de doctrina Sancti Thomæ,& omnium ora obſtruat,&c. *Laudat præclariſſimorum Eccleſię Catholicę Doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaq; dogmata*: Et in hoc dicunt Patres Lovanienſes quòd Summus Pontifex: *Sanctum Thomam Divo Auguſtino exæquat, utriuſque dogmata inconſſa tutiſſimaq; aſſerens*: Ecce quo tendunt illorum conatus. Quid diceret Pater Joannes de Meppis Auguſtinianus audiens iſtam exęquationem,cujus auctoritatem ſuprà dedimus? Ego non curo,nec ſum ſolicitus de ęqualitate Sancti Thomę, & Beati Auguſtini.Sint profectò perfectiſſimè æquales;iſte Sanctus, & ille Beatus. Sed inquiro fundamentum hujus æqualitatis in verbis ALEXANDRI VII. Ipſe non dicit eſſe æquales Auguſtinum & Thomam; ubi ergò eſt æqualitas iſta? Reſpondent quòd inferatur neceſſariò, cùm affirmet utriuſque dogmata eſſe *inconcuſſa & tutiſſima*: ergò omnes ſcriptores Catholici, qui habent inconcuſſa & tutiſſima dogmata, ſuntne æquales Auguſtino & Thomæ?

Siſtamus hîc parumper. In Concilio Romano propoſuit Gelaſius Papa libros, qui in Eccleſia Catholica recipiebantur. Et incipiendo à Sacra Scriptura, & Oecumenicis Concilijs deſcendit ad Sanctos Patres, ut videre eſt ſuprà Funiculo I. Si inter iſtos fuiſſet nominatus Sanctus Thomas, etiam dicerent Summum Pontificem, & Concilium Romanum exæquaſſe Angelicum Doctorem omnibus Sanctis Concilijs,& Scripturæ Sacræ. Si in Litanijs,& precibus conſuetis Eccleſiæ,in quibus quotidiè, & æqualiter dicitur: *Sancta* MARIA *ora pro nobis*; *Sancte Petre, ora pro nobis*; *Sancte Paule,ora pro nobis,&c.* diceretur etiam *Sancte Thoma de Aquino, ora pro nobis*; deducerent eamdem conſequentiam de Eccleſia exæquante S. Thomam Paulo,Petro,& Virgini.Conſequentias

Digitized by Google

tias iſtas peſſimas demonſtramus, non autem quæ Summi Pontifices prudenter ac Sanctè dixerunt. Sit Sanctus Thomas æqualis Auguſtino; ſed non quia Summus Pontifex illos æquavit. Sed videamus jam quid in rei veritate dixerit Summus Pontifex, ut illud veneremur tamquàm omni venerationis reverentiâ dignum.

Propoſuerat Facultas Theologica Lovanienſis, quòd abjuratâ doctrinâ Janſenianâ vellent, eſſentque parati recipere Sedis Apoſtolicæ declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones, amplectentes adversùs orthodoxæ Religionis hoſtes præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata. Hoc laudabile propoſitum admiſit, & approbavit Summus Pontifex, dicens: *De reliquo non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiæ, pietatiſq; ſtudio ſanam, & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adversùs orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis. Nec non præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, ut aſſeritis, ac impensè revereri velitis.* Cujus ergò ſunt iſta verba incluſa in illa introductione: *De reliquo non dubitamus quin vos . . . . ſequi ſemper, ut aſſeritis, ac impensè revereri velitis*? Si ſunt relata à Summo Pontifice, prout propoſita à Facultate Theologica Lovanienſi; quare, vel quomodò adſcribuntur ſupremo Eccleſiæ Paſtori? Si voluiſſet oſtendere non eſſe verba ſua, ſed proponentium, Univerſitatis Lovanienſis, potuiſſetne clariùs, ac apertiùs mentem ſuam indicare quàm dicendo: *Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaq; dogmata ſequi ſemper, ut aſſeritis*?

Sed gratis admiſſo, quòd iſta verba non ſint tantùm Janſeniſtarum proponentium (hoc enim negari non poteſt niſi extorquendo violentè illa) ſed etiam Summi Pontificis aſſerentis, confirmantis, ac præcipientis, ut ſequerentur *inconcuſſa*, atque *tutiſſima* dogmata Auguſtini & Thomæ; cùm in iſtis Doctoribus, ſicut in alijs omnibus Catholicis, ſint dogmata, & problemata, ſeu in utramque partem proponibilia, & diſputabilia; dogmata tenemur ſequi, quia ſunt tutiſſima, & inconcuſſa, ſed problemata, & quæ ſunt opinabilia, & habent varias interpretationes ac ſenſus, nec ſunt, nec dicuntur dogmata inconcuſſa, & tutiſſima. Pono exemplum in S. Auguſtino, qui quidem multa retractavit in ſuis operibus, & tamen nullum retractavit dogma, quia dogmata ſunt tutiſſima, & inconcuſſa. Et in S. Thoma ferè omnia ſunt problemata; propoſitiones interrogationē habentes, quęſtiones diſputabiles, multa maximè dubia, & incertiſſima, quę certum eſt, nimis apertum, totiq; mundo manifeſtum, non eſſe, nec umquam futura dogmata inconcuſſa. Propono aliud

Digitized by Google

evidentius exemplum. Quando ex-orta fuit controverſia circa quinque ſuprà-poſitas propoſitiones me præſente Romæ,& teſte oculato,& fortè non ſemel conſulto circa illas, Patres Dominicani, & Janſeniſtæ dicebant omnes eſſe expreſſa dogmata SS. Auguſtini & Thomæ, propter quod magnum diſcrimen paſſus eſt quidam P. Dominicanus. Adducebant Janſeniſtæ non pauca loca, ex quibus deducere nitebantur ſuas propoſitiones: undè dictum fuit illis, quòd contenderent reducere Sanctos illos Doctores ad ſuum ſenſum,dum ipſi tenerentur ſequi dogmata & veſtigia Sanctorum. Poſt promulgationem ſententiæ damnationis cœperunt Janſeniſtę dicere occultè, & palam fuiſſe damnatas claras & expreſſas ſententias Auguſtini & Thomæ. Et hoc fuit,& eſt aliquorum commune proloquium: quibus reſpondit Summus Pontifex dicens dogmata Auguſtini & Thomę eſſe tutiſſima, & manſiſſe in hac parte ſemper inconcuſſa:& quòd caput Eccleſiæ dicit de dogmatibus pertinentibus ad prædictas quinque propoſitiones, volunt quòd univerſaliter intelligatur de omnibus.

Sed ad quid terimus tempus, cùm ipſemet Summus Pontifex ad petitionem ipſorum de approbatione & recommendatione doctrinarum Auguſtini & Thomæ reſpondeat ſic: *Quorum profectò Sanctiſſimorum virorum penes Catholicos univerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina novi præconij commendatione planè non egent.* Ex hac reſponſione duo evidenter colliguntur: Unum quòd ipſi peterent novam approbationem doctrinæ Sancti Auguſtini & Thomæ. Secundum, quòd Summus Pontifex illam negaverit, dicendo illa duo Eccleſia luminaria *non egere novâ commendatione*: & negare novam approbationem, vel ſaltem commendationem fuit exæquare S. Thomam Auguſtino, & dicere omnia Sancti Thomæ Aquinatis eſſe dogmata inconcuſſa, & tutiſſima. Sed admiſſis etiam iſtis ſicut omnibus alijs poſitis in antecedentibus Nodis, quia in iſto libro propoſitâ veritate nulli contradicimus, nec contradicemus umquàm. Et ſi quid poſitum in eo ſit, quod veritati non conſonaret, eâ non conſonantiâ demonſtratâ totum quod dictum eſt revocare parati. Sed notetur benè me non agere cùm nugivendulis, & juxta Minervam ſuam, & non aliorum loquentibus.

Aliqua ex deſtinato animo prætermiſimus in prima impreſſione, præcipuè ex illo libro P. Ignatij Galvan, à quo didicerunt omnes alij eludere ſi quid ſolidum, ſi quid certum, ſi quid pium divulgaretur pro Virginis puritate in primo animationis inſtanti, id eſt, pro Immaculata ejus Conceptione; omiſſa tamen in prima, in hac ſecunda breviter proponere decrevi. Tomo ergò 2. cap. 2. fol. 60. ſub hoc titulo: *De oratione ſeu collecta, quâ in ſolemni Miſſæ Sacrificio Eccleſia in die feſto*

Sancti

Digitized by Google

Sancti Thomæ Deum precatur, dicit Eccleſiæ orationem ſic ſe habere: *Deus qui Eccleſiam tuam Beati Thomæ Confeſſoris tui, atque Doctoris mirâ eruditione clarificas & Sanctâ operatione fœcundas, da nobis quæſumus, & quæ docuit intellectu conſpicere, & quæ egit imitatione complere.* Inprimis neſcio quâ præſumptionis audaciâ Pater iſte eò devenerit, ut auſus fuerit addere in oratione Eccleſiaſtica clauſulam illam, *atque Doctoris*, cùm hæc ibi non extet. Deindè ex illis verbis: *Da quæſumus, & quæ docuit intellectu conſpicere*, in principio annotationis dicit: *Eccleſia intellectum doctrinæ Divi Thomæ poſtulat*. Et in diſcurſu particulari in ordine 5. ex profeſſo nititur demonſtrare Eccleſiam in illa oratione petere intellectum, ut intelligat doctrinam Sancti Thomę. Quod aſſumptum incipit ſic: *Intelligit profectò Eccleſia intellectu opus eſſe ad ea, quæ Divus Thomas docuit, conſpicienda. Sed cùm intelligit, jam intellectu prædita eſt, & tamen adhuc intellectum poſtulat dicens: Da nobis quæſumus & quæ docuit intellectu conſpicere. Nam verba hæc hunc ſenſum reddunt: Da nobis quæſumus intellectum ad ea conſpicienda, quæ docuit Sanctus Thomas. Quæ petitio ſimilis eſt illi: Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua, &c.* Non ſatis video, nec mente comprehendere poſſum, qualiter iſta ſint componenda: nam ſi adhuc Eccleſia non intelligit doctrinam Sancti Thomæ, & effundit continuò preces, ut Deus infundat illi intellectum, ut poſſit illam conſpicere, id eſt, reſpicerę, vel aſpicere, ſcilicet, à longè; quomodò intellexerunt illam ejus diſcipuli Capreolus, Sonzinas, Cajetanus, &c? Tota Eccleſia clamat ad Deum, ut poſſit conſpicere doctrinam, nec adhuc poteſt reddere gratias quòd ipſam intellexerit, cùm tamen Cajetanus illam perfectiſſimè intellexerit, Sonzinas penetraverit, Capreolus explicaverit, reliqui omnes ejus interpretes illam doctiſſimè & ad mentem Auctoris interpretati fuerint. Hæc & alia, quæ latent in iſta vel iſto Cortice, conſpicio cum diſcipulis, ſed non intelligo cum Eccleſia.

Infrà fol. 420. numero 19. aſſerit quòd in doctrina Sancti Thomæ tamquàm in igne aliorum Doctorum doctrinæ comprobentur; cujus verba ſic ſe habent: *Quaſi ignis etiam Divus Thomas, quatenùs in eo, veluti in igne aurum, aliorum Doctorum dogmata probantur. Ibi an aurum argentumve, item an plumbum illa ſint agnoſcitur. Quin & Patres Concilij Tridentini (quod in aliis quoque Conciliis Generalibus expendi poteſt) ſiquid in dicendis, aut determinandis Sacris dogmatibus ambiguitatis, ſeu controverſiæ oriebatur, ad Divum Thomam ejuſque libros tamquam ad lydium lapidem, vel tamquam ad fulgentem ignem referendum exiſtimarunt ſicut 2. volumine ſupra-dictum eſt. Sanctorum quoque Patrum ſententiæ, quibus Sanctus Doctor in libris ſuis utitur, quemdam ibi veluti rigorem, novamque dignitatem ſortiri videntur, ac ſi in hoc igne vetuſtatem exuant, indeque puriores prodeant.* Et proſequendo eamdem Metapho-

phoram, fol. 436. inquit: *Deindè juſto non rubigo, non ærugo, non aliud ex ipſo, quod ejus bonitati noceat, ineſt. Neque enim vitium, affectus, paſſio, peccatum juſto nocet, & contra adverſa omnia conſtanter opponitur, eaque vincit, ac de eis glorioſè triumphat. Certè Divo Thomæ, auro, inquam, & probato, puriſſimoque nihil umquam nocuit: neque Iovis ira, nec ignes operibus, hoc eſt, libris ejus ſapientiæ ſalutaris copiâ refertis detrimentum attulerunt.* Et poſt plura, folio 516. concludit ſic: *Neque enim Doctor Angelicus alios ſenſit ignes: immò omnes illos ſuperavit; undè in medio ignis non eſt æſtuatus. Nocte etiam ſuam lucem ſparſit, qui in medio tenebrarum à tenebris non eſt comprehenſus: immò omnia non tantùm circa ſe poſita, ſed longè remota ſplendidiſſimis ſapientiæ ſua radijs illuſtravit.*

Pro nunc ex omnibus relatis verbis, duæ tantum clauſulæ notandæ ſunt. Reliqua enim pertinent ad Nodum. Prima eſt illa, veluti in igne aurum, ſic dogmata illa aliorum Doctorum in Sancto Thoma, aut doctrinâ ejus probantur ad dignoſcendum an argentum ſint, aut plumbum. Quid profectò dicent ad hoc Auguſtiani cum ſuo Auguſtino, Hieronymiani cum ſuo Hieronymo, Ambroſiani cum ſuo Ambroſio, & Franciſcani cum ſuo Bonaventura? Vel quid dicent Scotus, Henricus de Gandavo, Durandus de Sancto Portiano, qui ex diametro opponuntur doctrinæ Thomiſticæ, ac denique Patres Societatis, qui cum ſuo Suario ac Vazquez, cum Sanchez, & alijs, ferè ſemper idem faciunt? Secunda clauſula eſt illa, Sententię Sanctorum Patrum, quibus Angelicus Doctor in ſuis libris utitur exutâ vetuſtate novum vigorem, atque dignitatem ſortiuntur, ita ut puriores prodeant. Circa quam ſolùm interrogandum eſt ab illis, an ſententię Sanctorum Patrum ante ingreſſum iſtius ignis Purgatorij Thomiſtici eſſent purę, vel impuræ? Nam ſi ingreſſæ ſunt impuræ neceſſariò clamabunt totâ die, dicentes illud: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Si autem projectæ ſunt in conflatorium purè, ergò non omnis purificatio arguit impuritatem: & ſic ſolvunt noſtram controverſiam de Conceptione.

Ad finem libri, id eſt, à folio 857. inquit Pater Galvan: *Inter magnos hos primo loco recenſendus eſt Doctor Angelicus, cui inter Doctores digniorem locum tribuis Deus, juxta ea quæ ſuprà dicta ſunt: Exaltavit enim illum apud proximos ſuos, juxta varias horum verborum interpretationes ibidem à nobis traditas, ut hinc ſatis appareat illum magnum in Eccleſia appellandum, quem ipſe quoque Chriſtus ore proprio laudare dignatus eſt dicens: Benè ſcripſiſti de me Thoma. Sed illud non omittam in laudem totius Ordinis Prædicatorum (ex quo non unus tantùm Divus Thomas, quamvis is pro decem millibus computandus ſit, ſed infinita Doctorum præclariſſimorum prodijt, prodibitq; multitudo) Sanctiſſimo Patriarcha noſtro Dominico facta à Deo videri*

pro-

Digitized by Google

promiſſionem illam, quæ olim Abrahæ facta ſcribitur : Faciam te, inquit Deus, in gentem magnam. Omnes enim in Ordine Prædicatorum, juxta ſacras ejus ſanctiones, magni ſunt. Reflectite ſuper hanc ultimam clauſulam: *Omnes enim in Ordine Prædicatorum, juxta ſacras ejus ſanctiones, magni ſunt*; & interroga an illa univerſalis, *omnes*, habeat aliquam exceptionem? Nam ſi non habet, & *omnes* ſunt magni, magna magnitudo magnorum! Si autem univerſalis, *omnis*, admittit aliquam exceptionem, noſtram iterum de Conceptione probant concluſionem. Parùm infrà, ſcilicet, fol. 866. inquit: *Neque enim umquàm à beneficijs Angelico huic viro conferendis munificentiſſimus ceſſaſſe videtur Deus, ita ut erga illum Deus æternus, hoc eſt, non qui aliquando largitur, aliquando non, ſed ſemper & continuè, &c.*

Et ſi omnia iſta magna tibi videantur, attende ad concluſionem P. Galvan f. 890. *Sed etiam in Militante Eccleſia coronatur,* Sanctus Thomas, *tamquàm Princeps, Rex, ac Monarcha ſcholaſticorum Doctorum omnium. Quem propterea ipſi tamquàm Regem ac Principem ſuum venerari, ac colere tenentur, ne tamquàm læſæ Majeſtatis rei, ſuoq; Regi injurij, perduellionis crimine notentur.* Si alia plura hujuſmodi deſideras, conſule Patrem Galvan, à quo, ut ſæpè notavimus, ſui hæc & alia ſimilia elogia tranſcribunt. Omnia benè, ſi ſolùm pro laudibus Divi Thomæ, & non contra Virginis innocentiam ejuſmodi elogia depromerentur. Sed, ut ſæpè dixi, & iterum dico, & advertens quilibet fateri debet, omnia illa tam inſignia, ac magnifica præconia adduci, & promulgari de Sancto Thoma numquam ſatis laudando, ut deprimatur, & peſſumdetur puritas Virginea. Volvi & revolvi, volvite & vos, & revolvite, motivum aliud formale, & intrinſecum non invenietis.

Addo etiam dictum Patris Georgij de Frickenhauſen, in ultimo ſuo tractatu contra clypeum Immaculatæ Conceptionis, in quo circa finem ſic inquit: *Præterà cùm idem Dominus Doctor negat. doctrinam Beati Thomæ eſſe per Eccleſiam approbatam; remitto eumdem Dominum ad Bullam Urbani V. quam miſit Archiepiſcopo & ſtudio Toloſano, in qua ſic dicitur: Volumus inſuper & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam tamquàm veridicam & Catholicam ſectemini, eamq; ſtudeatis totis viribus ampliare; propter quod Innocentius Papa V. in ſermone: Ecce plùs quàm Salomon hic, de S. Doctore Thoma de Aquino dicit: Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (exceptâ Canonicâ) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquàm, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille. Nec valet uſquequaque argumentum ipſius Domini Doctoris ubi arguit; ſi doctrina Beati Thomæ in eo puncto foret per Eccleſiam approbata, tunc aliam partem tenere non liceret: hoc quidem verum eſſet, ſi ejus doctrina in eo puncto expreſsè & explicitè eſſet approbata: Stat enim*

enim aliquam veritatem implicitè eſſe approbatam per Eccleſiam, cujus oppoſitum tamen opinari licet, quando aliquis non novit illud eſſe contra Fidem. Hæc ſunt verba Patris Georgij; in quibus ſunt notanda ſequentia: Primò, quòd elogia ſæpè repetita tribuat Urbano V. & Innocentio V. in quibus erravit ſicut alij. Secundò videtur affirmare elogium Innocentij continêri in Bulla Urbani, ut denotant illa verba continuata: *Totis viribus ampliare, propter quod Innocentius Papa, &c.* & infrà dicendo: *Hæc ille*, acſi in uno continerentur ambo elogia; ſaltem ex ſtructura verborum ſimplices ſic crederent, præcipuè cùm Urbanus V. fuerit poſterior Innocentio V. & VI. Sed quidquid ſit de hoc, notandum eſt tertiò illud: Totam doctrinam Sancti Thomæ eſſe approbatam ab Eccleſia, & cùm alijs implicitè opinionem de Conceptione maculata: & ſolùm deeſt ut explicitè approbaretur, ne ullus Catholicus poſſet contrarium ſentire. Ecce quo tetendit à ſuo principio tota congeries & exercitus approbationum, qui ad annum 1489. quando Frickenhauſen ſcribebat, habebat ſolùm duos milites, & hodiè ſunt ſexdecim. Quartò, ſi poſſumus, juxta dicta à Patre Frickenhauſen, ſuſtinere contra doctrinam Sancti Thomæ ſententiam de Immaculata Conceptione, abſque eo, quòd ſimus ſuſpecti de veritate, ob defectum approbationis expreſſæ, ſic & omnes alias poſſumus impugnare, quia huc-uſque nulla eſt expreſsè approbata.

Item ſuppono, quòd Humbertus Generalis Ord. Prædicatorum ſcripſerit vitas Patrum ſuę Religionis, cujus opuſculum incipit: *Epiſtola Venerabilis Patris Fratris Humberti Magiſtri Ordinis Prædicatorum de libello, qui dicitur: Vitas Fratrum. Dilectis in dilecto Dei Filio Fratribus Prædicatoribus univerſis Frater Humbertus ſervus eorum inutilis, ſalutem in patria, & in via ſalutaribus exercitijs occupatis. Salvator mundi, cui cura eſt omnium ſæculorum, &c.* Et eſt diviſa in quinque partes, in quibus nullum verbum habet de Sancto Thoma; neque iſte potuit ita ſingulare quid de Angelico Doctore ſcribere, quia fuit ejus contemporaneus, immò mortuus eodem anno, quo Sanctus Thomas. Undè ille Humbertus, qui poſt canonizationem ſcripſit vitam Sancti Thomæ (de qua ſuprà latè egimus & plura tranſcripſimus, quàm invenimus in Monaſterio Patrum Cruciferorum Colonienſium) eſt diſtinctus ab iſto Humberto Generali.

Alia vita exiſtens in Monaſterio Sancti Salvatoris Ultrajecti, quæ incipit: *Sanctus Thomas de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum Doctor egregius*, poſt illam revelationem de Crucifixo, dicente: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, proſequitur ſic: *Cùm ibidem in quadam Capella Sancti Nicolai quotidiè celebraret, contigit ut in feſto Sancti Nicolai infra celebrationem revelationem à Deo reciperet, & mirâ mutatione moveretur, ita quòd poſt illam Miſſam poſteà num-*

quam

Digitized by Google

quam ſcripſit, immò ſcripturam ſuam in tertia parte Summæ in tractatu de Pœnitentia ſuſpenderit, nec eam complevit. Nam de Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonij, & de fine immortalitatis, ſecundum quod anteà propoſuerat, nihil ibi ſcripſit. Cumq; Frater Reginaldus de hac ſubita mutatione miraretur, & quæreret ab eo, cur opus tam grande dimitteret, quod ad Dei laudem, & Eccleſiæ utilitatem incepiſſet, ipſe ſemper reſpondebat: F. Reginalde non poſſum. Tandem Reginaldo cum multa importunitate diu multumq; roganti ſic reſpondit: Omnia quæ ſcripſi videntur mihi palea, reſpectu eorum quæ vidi, & revelata ſunt mihi. Et in titulo de ſcriptis ejus habentur hæc verba: *Audiens Albertus Magnus, quòd ſcripta S. Thomæ quidam vaniloqui impugnarent, licet jam ſenex & decrepitus venit Pariſios, ubi erat magnæ auctoritatis; & convocatâ Univerſitate Cathedram aſcendit, & hanc auctoritatem in laudem Sancti Thomę propoſuit: Quę laus vivo, ſi laudetur à mortuis? ſupponendo Sanctum Thomam verè vivere, & alios mortuos eſſe. Et poſt multas & glorioſas laudes ejus dictas, quòd paratus erat in examine peritorum ſcripta ejus defendere tamquàm veritate ſubnixa, & fulgentia ſanctitate. Et poſt multa dicta & facta in approbationem eorumdem ſcriptorum, Coloniam redijt, & ſæpè cum fletu dixit, quòd Sanctus Thomas fuerat decus, & flos mundi.*

In alia vita exiſtente in Monaſterio Sancti Hieronymi Trajecti inferioris, quæ incipit: *Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, &c.* circa principium ſic dicitur: *Simile, ſcilicet, magis ſtupendum vidit in Conventu Neapoli de prædicto Doctore Frater Dominicus Caſerta Sacriſta, vir oratione devotus, actione ſolicitus, & virtute probatus; qui aliquando habuit vigilias, orationes, viſiones mirabiles. Quoniam advertens Sanctum Thomam de camera ſtudij ſui ad Eccleſiam ante matutinas deſcendere, ne videretur ad ſuam cameram feſtinatò redire, ſemel ipſum curioſiùs obſervavit. Et accedens retrò in capella Sancti Nicolai, ubi fixus in oratione manebat, vidit ipſum quaſi duobus cubitis elevatum in aëre: de quo diu admirans ſubitò audivit de loco, ad quem Doctor converſus erat ad orandum, cum lacrymis hujuſmodi vocem ab imagine Crucifixi: Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam recipies à me pro tuo labore mercedem? Reſpondit: Domine non niſi te. Et tunc ſcripſit tertiam Summæ partem de Chriſti Paſſione, & Reſurrectione, &c.*

In iſtis duabus legendis unum & idem miraculum narratur diverſo modo. Nam in prima Sancti Salvatoris ſic dicitur: *Legitur etiam quod cùm rogatus feciſſet libellum de Sacramento ſecundùm decem prædicamenta, qui incipit: Memoriam fecit mirabilium ſuorum, poſuit eum ſuper altare orans, ut Deus oſtenderet ſi aliquis error eſſet in eo, & elevatus in ſpiritu audivit vocem dicentem ſibi: Thoma Deo dilecte, librum, quem de me feciſti ſecurè manifeſta, quia quidquid ibi dictum eſt, non à te, ſed à Spiritu Sancto, qui tecum eſt, dictum eſt; & non meliùs in hoc mundo dicere poſſet. Hæc vidit & audivit à longè ſtans quidam Frater Sanctus nomine Bideles.* Et in

in vita Rubræ-vallis referendo hanc vel aliam viſionem de quaterno Euchariſtiæ poſito ſuper altare, & ad orationem factam à Sancto Thoma, ſic dicitur in legenda. *Mira res! Mox Chriſtus viſibiliter ibidem apparens, à ſocio Doctoris, & aliquibus alijs Fratribus obſervantibus ſuper quaternum ſtans in altari conſpicitur, taliter alloquens Sanctum ſuum: Benè de hoc Sacramento Corporis mei Thoma ſcripſiſti, & benè determinaſti tibi propoſitam quæſtionem, ſicut ab homine in hac vita degente poteſt intelligi, & humanitùs diffiniri. Quo diutiùs in oratione perſiſtente, viſus eſt prædictus Doctor quaſi per unum cubitum à terra elevatus. Ad quod prodigium intuendum Prior Conventùs, & plures alij Fratres convocati venientes corporalibus oculis aſpexerunt, & poſtmodum alijs abſentibus retulerunt ad Dei gloriam & Sancti Doctoris teſtimonium veritatis. Igitur Sanctus Doctor certus effectus de veritate propoſitæ quæſtionis tam luculenter eam coram Univerſitate diſſeruit, quàm evidenter per eum, qui veritas eſt, edoctus fuit.* Si omnia iſta lector contulerit, inveniet Auctores ipſos ſecum pugnare, & modò non cohærentia inter ſe dicere, ſed etiam disjuncta ac contraria, quaſi duos parietes de eadem fidelia dealbare vellent. Et certè ſi in imperitâ multitudine vitioſiſſimum ſit varietas & inconſtantia; quàm vitioſum quid ac turpe ſit in ejuſmodi doctrinam Angelicam profitentibus crebra tamquàm tempeſtatum ſic narrationum commutatio, alijs judicandum relinquo. Ego refero quod invêni; ipſi prout in buccam venit retuliſſe videntur.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

QUid Sanctiſſimus Dominus Noſter ALEXANDER VII. qui hodie feliciter regit Eccleſiam Dei, egerit pro Immaculata Virginis Conceptione, ad plenum enarrare non poſſum. Quatuor verò præcipua ad notitiam meam pervenerunt. Et primum ſit; quòd, cùm Magiſter Sacri Palatij, & omnes illius miniſtri impedirent, ut in libris non diceretur *Immaculata Conceptio*, ſed *Conceptio Immaculatæ Virginis* MARIÆ; neſcio quo Decreto Sacræ congregationis S. Inquiſitionis Romanæ protectus, re maturè examinatâ præceperit Summus Pontifex fautor puritatis Virgineę ſingularis, ne ullo modo impediret prædictam loquendi formam ab immemoriali à fidelibus obſervatam. Rem latè enarrat Reverendus P. Hippolytus Marraccius in principio ſui libelli titulati *Cæſares Mariani*, & nos in *Militia* c. 32.

Se-

Secundum eſt illud, quòd in principio ſui Pontificatûs cudi fecerit Monetam cum imagine de Immaculata Conceptione ex una parte, in qua & ejus circumſtantijs ſui affectûs ac devotionis ſingularem ad myſterium hoc propenſionem aureis litteris ſcriptam religioſus ac pius oſtendit: de quo ſingulare opuſculum edidit Venerabilis Pater Joannes Euſebius Nierembergius in ſpeciali tractatulo edito Hiſpaniæ in 8. & poſteà Lugduni cum alijs in folio, de quo agimus latiſſimè in noſtra *Militia* columnâ 794.

Tertium ac pręcipuum, Conſtitutio nuperrimè edita, quæ ſic ſę habet: Innovatio Conſtitutionum, & Decretorum, in favorem ſententiæ aſſerentis animam Beatæ MARIÆ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione à peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum. ALEXANDER Papa VII. ad perpetuam rei memoriam. *Sollicitudo omnium Eccleſiarum, quam, licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentiâ gerimus, in id* Nos *anxiè tenet intentos & vigilantes, ut ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt, pauciſſima exoriantur, utq; exorta quàm celerrimè, & quàm diligentiſſimè amoveantur.* Nam *ijs, per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præſens afferunt labendi periculum; quorum* Nos *pro noſtri paſtoralis officij debito, & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſiduè urimur. Sanè,* vetus eſt *Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem* MARIAM *pietas, ſententium ejus animam* in primo inſtanti creationiş, atque infuſionis in corpus *fuiſſe ſpeciali Dei gratiâ & privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus Filij, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis* præſervatam, & immunem, *atque* in hoc ſenſu *ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ritu colentium; & celebrantium; crevitq; horum numerus, atque hujuſmodi cultus poſt editas à fel. rec. Sixto Papa V. prędeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas ſacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religioſum Ordinem; & Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academijs ad hanc ſententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur. Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd nempè eadem Beatiſſima Virgo* MARIA *fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia, & diſſentiones, rec. mem. Paulus Papa V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ memoriæ Gregorius Papa XV. ſimiliter prędeceſſor noſter ad privata etiam colloquia extendit; mandans inſuper in favorem ejuſ-*

 dem

dem ſententiæ, ut in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac Divino officio celebrandis tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicumque debeant. Nihilominus, *prout venerabiles FF. Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum, cum Eccleſiarum Capitulis, datis ad* Nos *litteris expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione* Chariſſimi in ChriſtoFilij noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum Regis *Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad* Nos *Oratorem,* Venerabilem F. Ludovicum Epiſcopum Placentinum, *per quem etiam delatæ fuerunt ad* Nos *ſupplicationes Regnorum earumdem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones, tum privatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & Feſto ſecundùm illam præſtitum ita interpretari, ut fruſtrentur; immò Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito, favere negant, pios Chriſti fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando. Unde offenſiones, ſcandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri prædeceſſores, perdurant adhuc, & ex occaſione eorumdem adverſantium majora his incommoda in poſterum prudentèr, & meritò timentur. Quapropter ſuper his, tam præfati Epiſcopi, cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, ejuſq; Regna Nobis pro opportuno remedio, inſtanter ſupplicari fecerunt.* Nos *conſiderantes, quòd Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperq; Virginis* MARIÆ *Conceptione Feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium olim ordinavit, juxta piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanavit; volenteſque laudabili huic pietati,* & devotioni, & Feſto, at cultui ſecundùm illam exhibito, *in Eccleſia Romana poſt ipſius cultûs inſtitutionem* numquam immutato, *Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo favere, nec'non tueri pietatem & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatiſſimam Virginem,* prę veniente, ſcilicet, Spiritûs Sancti gratiâ, à peccato originali præſervatam: *cupienteſque in Chriſti grege unitatem ſpiritûs in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus, & jurgiis, motiſq; ſcandalis, conſervare: ad præfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejuſque Regnorum oblatam Nobis inſtantiam ac preces, Conſtitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ* MARIÆ *Virginis* in ſui creatione, & in corpus infuſione, Spiritûs Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe, *nec non in favorem Feſti, & cultûs Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ* ſecundùm piam iſtam ſententiam, ut præfertur, *exhibiti, innovamus, & ſub cenſuris, & pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus. Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas* dictæ ſententiæ, & Feſto, ſeu

ſeu cultui ſecundùm illam exhibito *fruſtrentur, vel qui hanc eamdem ſententiam, Feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut quovis prætextu, etiam diffinibilitatis ejus examinandæ, ſive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi; denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacêre volumus, & per præſentes ſubjicimus; etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activâ, & paſſivâ in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatos eſſe volumus; nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque alia declaratione; à quibus pœnis non niſi à Nobis ipſis, vel à ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint: nec non eoſdem aliis pœnis noſtro, & eorumdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacêre volumus, prout ſubjicimus per præſentes, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. ſuperiùs memoratas Conſtitutiones, ſive Decreta.* Ac libros, *in quibus præfata ſententia, Feſtum, ſeu cultus ſecundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut ſupra, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſuprà laudatum Decretum edita, aut impoſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet, glorioſam Virginem* MARIAM *cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæreſis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV. aliiq; prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubiicimus, quas in contra facientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperiùs inflīximus. Volentes, quòd contra hujus noſtræ Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & Sæculares perſonas cujuſcumque ſtatûs, gradûs, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, ut præfertur, tam Epiſcopi & Prælati ſuperiores, aliiq; locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirânt, atque in eos ſtrictè animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores proce-*

procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iiſdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eoſq;, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire diſtrictè præcipimus, & mandamus. Non *obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſvis perſonis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali; & quâvis aliâ dignitate, & honore conſtitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de eis, ipſorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clauſulas, mentio habenda, aut alia exquiſita forma obſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque. Ut autem hæc noſtra Conſtitutio, & præmiſſa omnia ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentiùs pervenire poſſint, in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo incurrendâ præcipimus, & mandamus omnibus & ſingulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuſcumque, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pertinet, quatenùs hujuſmodi noſtram Conſtitutionem ſingulis ſuæ Diœceſis, vel diſtrictûs prædicatoribus, & aliis quibus expedire judicaverint, opportunè inſinuent, & publicent, ac inſinuari, & publicari faciant, ne quis impoſterum quoquo modo ignorantiam de prætermiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare. Volumus, & ſimiliter eâdem auctoritate decernimus, & mandamus, quòd præſentes litteræ per aliquos ex noſtris Curſoribus in Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de urbe de more publicentur, & affigantur, quæ affixio & publicatio ita omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, afficiat, & arctet, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent; & quòd illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus litteris adhiberetur, ſi oſtenſæ, vel exhibitæ forent. Datum Romæ apud Sanctam* MARIAM *Majorem ſub annulo Piſcatoris die* 8. *Decembris* 1661 *Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.*
S. Ugolinus.

Quid autem in præallegata Conſtitutione Apoſtolica contineatur, ſpecialiter exprimitur in Stellario de duodecim excellentiis ſeu prærogativis ſingularibus contentis in prœpoſita Bulla; quæ hiſpanicè priùs impreſſæ fuerunt Valentiæ, & poſteà latinè in Belgio, quas hîc ad litteram tranſcribimus, ut omnes videant moderni Pontificis expreſſiorem affectum ſuper omnes alios Pontifices, quos huic myſterio de tuendâ Virgine in poſſeſſio-

ſeſſione puritatis ſingulariter faviſſe non dubitamus. *Duodecim novæ ſtellæ, quibus Sanctiſſimus D. N. D.* ALEXANDER *Papa VII. illuſtrat coronam Immaculatæ Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis* MARIÆ, *exprimens in Bullâ, quæ incipit:* Solicitudo omnium Eccleſiarum, *duodecim differentias & prærogativas in favorem piæ ſententiæ, aſſerentis animam Beatæ* MARIÆ *Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione à peccato originali præſervatam fuiſſe; ſupra eas, quas illi adſcribunt Summi Pontifices prædeſſores ſui.*

Differentia I.

„ In primis ponderandum eſt, in „ nullâ aliâ Conſtitutione Pontificiâ, „ tam Sixti IV. quàm Pauli V. aut „ Gregorij XV. Summum Pontifi- „ cem loqui in terminis formalibus, „ ſcholaſticis, energicis, & velut cha- „ racteriſticis de ſententiâ piâ, affir- „ mante Conceptionem in gratiâ fa- „ ctam: ALEXANDRUM verò VII. in „ ſua Conſtitutione, quæ incipit; *So-* „ *licitudo omnium Eccleſiarum*, loqui in „ terminis proprijs de hac materiâ, „ & ſublatâ omni ambiguitate expri- „ mere in clauſulâ narrativâ, quidquid „ tenet ſententia pia. *Sanè*, inquit, „ *vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſ-* „ *ſimam Matrem Virginem* MARIAM „ *pietas, ſentientium ejus animam in pri-* „ *mo inſtanti creationis, atque infuſionis* „ *in corpus, fuiſſe ſpeciali Dei gratiâ &* „ *privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chri-* „ *ſti ejus Filij, humani generis Redempto-* „ *ris, à maculâ peccati originalis præſer-* „ *vatam immunem, atque in hoc ſenſu* „ *ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni* „ *ritu colentium, & celebrantium; crevitq́,* „ *horum numerus, atque hujuſmodi cultus* „ *poſt editas à fel. rec. Sixto Papâ IV. præ-* „ *deceſſore noſtro in ejus commendationem* „ *Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum* „ *Concilium Tridentinum innovavit, at-* „ *que obſervari mandavit. Aucta rursùs* „ *& propagata fuit pietas hæc, & cultus* „ *erga Deiparam poſt erecta hoc nomine,* „ *approbantibus Romanis Pontificibus, Re-* „ *ligioſum Ordinem, & Confraternitates,* „ *ac conceſſas ab iiſdem indulgentias, ita* „ *ut accedentibus quoque pleriſque cele-* „ *brioribus Academijs ad hanc ſententiam,* „ *jam ferè omnes Catholici eam comple-* „ *ctantur.* In quâ narrativâ clauſulâ „ refert Pontifex, Chriſti fideles „ etiam ante Sixtum IV. ſenſiſſe, ani- „ mam Sanctiſſimæ Virginis *in pri-* „ *mo inſtanti creationis, atque infuſionis* „ *in corpus, fuiſſe ſpeciali Dei gratiâ & pri-* „ *vilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti* „ *ejus Filij, humani generis Redemptoris, à* „ *maculâ peccati originalis præſervatam* „ *immunem.* Idipſum declarat idem „ Pontifex in prędictâ Bullâ aliquan- „ tò inferiùs, videlicet, *Animam Bea-* „ *tæ* MARIÆ *Virginis, in ſui creatione, &* „ *in corpus infuſione, Spiritûs Sancti gra-* „ *tiâ donatam, & à peccato originali præ-* „ *ſervatam fuiſſe.* Porrò nullam ſimi- „ lem clauſulam, immò ne veſtigium „ quidem reperire eſt in Decretis „ prædeceſſorum ejus. Ex quibus ap- „ paret, quanti momenti ſint iſtæ „ clauſulæ; quandoquidem comple- „ ctantur ſcholaſticè, & formaliter,

Digitized by Google

„ quidquid de Immaculatâ Virginis „ Conceptione ſententia pia aſſerit.

Differentia II.

„ Ponderandum eſt ſecundò, in „ nullâ aliâ ex antecedentibus Bullis „ Sixti, Pauli, & Gregorij, haberi atteſtationem Papæ; in quâ vel relativè affirmet ſtatum ſententiæ piæ: „ in Conſtitutione verò ALEXANDRI VII. quæ incipit: *Solicitudo omnium Eccleſiarum,* perquàm honorificè referri antiquitatem ſententiæ „ piæ; (quæ circumſtantia valdè notabilis eſt, eò quòd novitatis ab aliquibus inſimuletur.) Et verò jam „ ante Sixtum IV. ille ipſe erat ſenſus „ fidelium, quem refert ALEXANDER VII. Atque ille ſenſus, & conſenſus magis magiſque crevit, & radicatus fuit; *Poſt editas à Sixto IV. in* „ *ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari* „ *mandavit.* Ac rurſus auctus & propagatus fuit pius hic *ſenſus, poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis* „ *Pontificibus, Religioſum Ordinem, &* „ *Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem* „ *indulgentias* in honorem Immaculatæ Conceptionis: accedentibus ad „ omnia ſupra-dicta celebriorum orbis Academiarum votis; ita ut *jam* „ *ferè omnes Catholici* piam ſententiam „ *complectantur.* Numquid ergò honori & maximæ gloriæ ducere debemus, quòd hoc ipſum ore Romani Pontificis pronuntiari audimus; „ quandoquidem ex oraculo Eccleſię „ habeamus, quòd *jam ferè omnes Catholici* piam ſententiam *complectantur?*

Differentia III.

„ Tertia Differentia eſt materia „ principalis Bullæ ALEXANDRI „ VII. in quâ diffinitur & deciditur, „ laudabilem & legitimum eſſe cultum, quem pia ſententia MARIÆ „ Conceptioni exhibet. Continetur „ autem iſta diffinitio in hac clauſulâ: „ *Nos conſiderantes, quòd Sancta Romana* „ *Eccleſia de intemeratæ, ſemperq́; Virginis* „ MARIÆ *Conceptione Feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium olim ordinavit, juxta* „ *piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanavit; volentesq́; laudabili* „ *huic pietati, & devotioni, & Feſto, ac* „ *cultui ſecundùm illam exhibito in Eccleſiâ Romana poſt ipſius cultûs inſtitutionem numquàm immutato, Romanorum* „ *Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo favêre, nec non tueri pietatem &* „ *devotionem hanc colendi & celebrandi* „ *Beatiſſimam Virginem, præveniente, ſcilicet, Spiritûs Sancti gratiâ, à peccato* „ *originali præſervatam, &c.* Ubi Summus Pontifex ALEXANDER VII. „ declarat, ſuam, & totius Eccleſiæ „ Romanæ intentionem fuiſſe, & „ & etiamnùm eſſe, ut ipſi Conceptioni B. Virginis MARIÆ cultus „ exhibeatur, ſecundùm piam iſtam „ ſententiam, ut præfertur. Cumque „ retulerit, & approbaverit, piam „ ſententiam colere & celebrare San-

„ ctita-

Digitized by Google

„ ctitatem Conceptionis à primo in- „ ſtanti, & præſervationem Virginis „ à peccato originali; hoc ipſum eſt „ diffinitio formalis, quâ determina- „ tur objectum cultûs, & Feſti Con- „ ceptionis: quam diffinitionem do- „ cti quique tam avidè exoptarunt, „ probè ſcientes ex illâ diffinitione, „ quâ Pontifex declaravit objectum „ cultûs Conceptionis, legitimè in- „ ferri Conceptionem fuiſſe Sanctam „ à primo inſtanti, juxta doctrinam „ expreſſam Doctoris Angelici San- „ cti Thomæ, tractantis de Nativita- „ te Virginis.

„ Accedit ad hæc, quòd Pontifex „ concomitanter declaret, illum ip- „ ſum fuiſſe ſenſum Summorum Pon- „ tificum prædeceſſorum ſuorum; & „ conſequenter falſas eſſe interpreta- „ tiones & gloſſas, quas adverſarij „ hactenus adhibere voluerunt ſuper „ Decreto Gregorij XV. Videlicet, „ quòd quamvis mandaverit celebra- „ re ſub nomine Conceptionis; hoc „ tamen non deberet intelligi de pri- „ mo inſtanti phyſico, ſed de primo, „ vel ſecundo indiffinitè, & indeter- „ minatè. Quare, licet non aliud be- „ neficium, & favor in novâ Bullâ „ impenderetur, niſi quòd in eâ tam- „ quàm falſa declaretur interpretatio, „ quam ſuper Gregorij XV. Decre- „ to comminiſcebantur, eſſet nihilo- „ minus favor permagni momenti.

Differentia IV.

„ Quartò animadvertendum eſt, „ ſuam Sanctitatem in novâ Bullâ af- „ firmare, *Quòd Sancta Romana Eccleſia* „ *ſpeciale ac proprium* de Immaculatâ „ Conceptione *Officium olim ordinavit:* „ illud ipſum videlicet, quod Leo- „ nardus de Nogarôlis compoſuit, „ quo etiamnùm Ordo Seraphicus, „ aliæque Religiones utuntur. Quod „ Officium magnis laudibus extollit „ Pontifex, & à Sixto IV. emanaſſe „ teſtatur. Atque intuitu dicti Officij, „ ut cauſæ moventis, declarat ſua „ Sanctitas objectum præfati cultûs; „ & hoc pacto ſpecialiſſimè favet „ ſententiæ piæ; propterea quòd in „ oratione dicti Officij dicatur: *Ex* „ *morte filij ſui prævisâ eam ab omni labe* „ *præſervaſti.* Quæ verba totius ſenten- „ tiæ piæ fundamentum exprimunt. „ Quiſquis autem novit, quibus mo- „ dis hoc Officium ſuggillare & tra- „ ducere voluerunt contrariæ opinio- „ nis aſſertores, in tantùm, ut conten- „ derent Religionem Seraphicam eo „ uti non poſſe; cognoſcet profectò, „ operæ pretium fuiſſe, ut Officium „ iſtud de novo ac non vulgariter „ commendaretur, & in novâ iſtâ „ Bullâ approbaretur; præſertim cùm „ ex eo tam evidenter probetur Con- „ ceptio Immaculata.

Differentia V.

„ Non parvi æſtimandus eſt favor „ ſingularis, quem in ſuâ Bullâ Pon- „ tifex concedit, nec in alijs præde- „ ceſſorum Bullis extat; quòd nimi- „ rum prohibeat, ne quis Conſtitu- „ tiones & Decreta Pontificia ita in- „ terpretetur, ut ſuâ interpretatione „ fru-

,, fruſtretur cultum, quem ſententia ,, pia Conceptioni exhibet, & favo- ,, rem, quem ſua Sanctitas piæ ſen- ,, tentiæ præſtare intendit: Prohi- ,, bendo inſuper, ne quis hanc eam- ,, dem ſententiam piam, & cultum in ,, diſputationem revocare quoquo ,, modo, directè vel indirectè, aut ſub ,, quovis prætextu, aut alio quovis ,, excogitabili modo audeat. Unde, ,, quiſquis ſic interpretatus fuerit, aut ,, in diſputationem revocaverit, mor- ,, tale peccatum incurrit; utpote in ,, materiâ gravi, & prohibitâ ſub gra- ,, vibus cenſuris & pœnis, contrave- ,, niendo menti Pontificis.

,, Et advertendum eſt, quòd nec ,, occaſione inquirendi, ſitne diffini- ,, bilis, nec ne pia ſententia, liceat ,, tractare, aut etiam loqui in contra- ,, rium, argumenta contra eam affe- ,, rendo, & inſoluta relinquendo; ,, propterea quod quilibet actus ex- ,, ternus, ſeu loquendi, ſeu ſcribendi, ,, ſeu quivis alius contra piam ſenten- ,, tiam ſit prohibitus.

Differentia VI.

,, Quòd Pontifex imponat multò ,, majores pœnas, quàm ſui præ- ,, deceſſores; & ſuperaddat arbitra- ,, rias, reſervando inſuper abſolutio- ,, nem cenſurarum Sedi Apoſtolicæ. ,, Magni verò momenti eſt, quòd ,, Pontifex unius cenſuræ abſolutio- ,, nem reſervet, non reſervantibus ,, alijs Pontificibus, Paulo V. & Gre- ,, gorio XV. in ordine ad objectum ,, cultûs, & Feſti Conceptionis.

Differentia VII.

,, Quòd in illâ clauſulâ: *Ac libros,* ,, *in quibus præfata ſententia, Feſtum ſeu* ,, *cultus ſecundùm illam in dubium revo-* ,, *catur, &c.* prohibeat Pontifex om- ,, nes & ſingulos libros, poſt Pauli ,, V. Decretum editos, aut impoſte- ,, rum edendos, quibus in dubium re- ,, vocatur cultus Conceptionis, aut ,, in quibus aliquid reperitur quomo- ,, documque contrarium dicto cul- ,, tui Conceptionis, & ejus objecto; ,, adeò ut neceſſaria non ſit nova pro- ,, hibitio. Ac per hoc cognoſci poteſt, ,, quantopere deſideret favêre iſti ,, ſententiæ piæ, cùm proptereà ve- ,, tet quoſvis libros prædicta in du- ,, bium revocantes.

Differentia VIII.

,, Et eſt conſideratione digniſſima. ,, Senſum pium exprimit Pontifex in ,, totâ Bullâ hoc vocabulo, *Sententia*; ,, & opponit huic termino, *Opinio*, ,, quandoquidem loquens de contra- ,, ſentientibus, dicat: *Contrariæ illius* ,, *opinionis aſſertores*, & mox de ſenti- ,, mento pio loquens, ait: *Præfatam* ,, *ſententiam*, & illum ſtylum in totâ ,, Bullâ ſervat. Quaſi nos monêre ve- ,, lit, piam ſententiam jam in ſubli- ,, miori ſtatu exiſtere, quàm oppoſi- ,, tam opinionem; quandoquidem illa ,, vox, *Sententia*, ſit generica ad aſſen- ,, ſum certum, & opinativum; ille au- ,, tem terminus, *opinio*, eſt coarctatus ,, & limitatus ad aſſenſum opinati- ,, vum, qui eſt ſæpenumerò falſus: & ,, ex iſtâ differentiâ intelligimus no-

,, vum

„ vum ſtatum, quem per novam iſtam „ Conſtitutionem Apoſtolicam conſecuta eſt ſententia pia.

Differentia IX.

„ Eſt una è magis ſubſtantialibus, „ & ponderatione digniſſimis. Quòd „ videlicet Pontifex abſtulerit ex hâc „ Bullâ clauſulam, quâ prævalere volebant contrarium ſentientes. Nimirum, in Decreto Pauli V. ſicut „ & Gregorij XV. ponitur iſta clauſula: *Per hoc autem ſua Sanctitas non „ intendit contrariam opinionem reprobare, nec ei ullum præjudicium inferre, præterquàm quoad ſuprà diſpoſita, relinquens „ illam in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur.* De quâ gloriantes contrariæ opinionis aſſertores inferebant ſuam opinionem in eâdem ſuâ „ probabilitate permanere. Et quamvis illegitima eſſet illatio illa, quia „ non dicebat Pontifex, ſe illam relinquere in terminis antiquis, ſed „ in illis, *in quibus* de præſenti *reperitur*; accedentibus in favorem piæ „ ſententiæ ijs, quæ de novo diſpoſuerat in ſuis Decretis; ex quo intelligere debebant, quòd in multis „ ſibi præjudicaretur: Nihilominùs „ hæc clauſula illis velut præſidio „ erat, eâque uſi ſunt: & hoc fuit illis „ unicum motivum offerendi annis „ præteritis Congregationi Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Sanctæ Inquiſitionis libellos, „ pro defenſione ficti Decreti, de non „ tribuendo Conceptioni titulo *Immaculatæ*. Jam verò Sanctiſſimus „ D.N. ALEXANDER Papa VII. „ iſtam clauſulam non, cum qua non „ potuerunt ampliùs dicere, quòd „ noluit ipſis præjudicare. Immò fieri non poterat, quod illam poneret, „ quia fuiſſet conjungere extrema incompoſſibilia, & res inter ſe maximè repugnantes. Sciatur ergò, „ quòd virtute novæ hujus Conſtitutionis Apoſtolicæ, jam non remaneat contraria opinio in eodem „ ſtatu, in quo anteà erat, nec ſua „ Sanctitas intendit, ut in eodem ſtatu remaneat: aliàs hoc expreſſiſſet, „ ſicuti expreſſerunt ſui prædeceſſores. Hæc ſola differentia inter hanc „ & alias Conſtitutiones ſufficiebat, „ ad extollendam plurimùm novam „ Bullam.

Differentia X.

„ Decimò, Clauſula: *Vetamus autem, Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, &c.* ſolùm vetat, ne damnemus contrariam opinionem hæreſeos, aut peccati mortalis, aut impietatis; nec expreſsè prohibet, „ quin illam alijs cenſuris afficere „ poſſimus.

Differentia XI.

„ Quòd novum hoc Decretum „ cum clauſulis admodùm favorabilibus in ampliſſima forma emanavit, afficiens etiam Cardinales, & „ Regulares, cujuſvis Ordinis & inſtituti, *etiam Societatis* JESU, cujus „ ſpecialiter mentio fieri debet, ut „ comprehendi cenſeatur. Item quòd „ in clauſulis derogatorijs, ſua San-

,, ctitas addit clauſulam : *Etiamſi pro*
,, *ſufficienti illorum derogatione, &c. aut*
,, *alia exquiſita forma obſervanda fuerat.*
,, Quæ clauſula tam ſtricta eſt, ut ni-
,, hil ſuprà. Quare virtute illius non
,, poterunt ullo modo adverſarij uti
,, diſpenſatione Gregorij XV. ad lo-
,, quendum de hoc puncto, ne qui-
,, dem intra clauſtra.

Differentia XII.

,, Quòd in omnibus alijs Decretis,
,, ſua Sanctitas non mandavit loco-
,, rum ordinarijs in virtute Sanctæ
,, obedientiæ ut ea publicent ; uti
,, mandavit ſuam Bullam publicari
,, ALEXANDER VII. & quidem ſub
,, pœna privationis ab ingreſſu Ec-
,, cleſiæ eo ipſo incurrendâ. Ex qui-
,, bus cognoſci poteſt, quòd hoc
,, Breve contineat res diverſas ab ijs,
,, quæ ab alijs Summis Pontificibus
,, ſtabilitæ ſunt ; aliàs non mandaret
,, ſua Sanctitas in virtute Sanctę obe-
,, dientiæ illud publicari, quandoqui-
,, dem prædeceſſorum Decreta ſatis
,, nota ſint in Eccleſia. Et litteræ ſuæ
,, Sanctitatis ad Sereniſſimum Regem
,, & Dominum noſtrum (quem Deus
,, conſervet) gravibus & honorificis
,, verbis exaratæ, id ipſum ſatis evi-
,, denter manifeſtant. Juxta exem-
,, plar Hiſpanicum impreſſum Va-
,, lentiæ, cum licentiâ Martini Ar-
,, chiepiſcopi Valentini.

Quartum, eſt Bulla hoc anno expedita, ut in civitate Pariſienſi fundetur Monialium Conceptioniſtarum Religio, ut indè dilatetur per Galliam, cujus tenor talis eſt : *Sanctiſſimi D. N. D.* ALEXANDRI *Divinâ providentiâ Papæ VII. conceſſio Monialibus Recollectis civitatis Pariſienſis facta aſſumendi habitum Ordinis Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis* MARIÆ, *pro ſtabiliendo hoc Ordine in Galliarum Regno.* ALEXANDER *Papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam evecti, circa ea, quæ felicem, proſperumq́; Sacrarum Virginum, & devotarum mulierum ſtatum, & in via mandatorum Domini progreſſum concernunt, propensâ charitate intendimus, ac Paſtoralis officij noſtri partes deſuper interponimus, ſicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, ſpiritualemque excelſarum perſonarum non minùs pietatis laude, quàm Regij culminis ſplendore fulgentium conſolationem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ Maria à Sancto Bernardino Abbatiſſa, & omnes Moniales Monaſterij Recollectarum nuncupatarum civitatis Pariſienſis Ordinis Sanctę Claræ, quòd Moniales dicti Monaſterij ab illius erectione ſub inſtituto, ſive Ordine, ac regulâ ejuſdem Sanctæ Claræ profeſſionem regularem emiſerunt, ac abindè laudabiliter, & non ſine magna Chriſti fidelium ædificatione ſub juriſdictione, gubernio, & directione Fratrum Provinciæ Sancti Dionyſij in Gallia Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Recollectorum, ſeu Reformatorum nuncupatorum vixerunt ; nunc verò dictæ exponentes*

mentes pro ſingulari, quem erga Beatiſſimam MARIAM *Immaculatam gerunt, devotionis affectu, ſimulq; ut chariſsimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Thereſiæ, Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ, quæ Ordinem Monialium Conceptionis ejuſdem Beatæ* MARIÆ *Virginis Immaculatæ in Gallia introduci, quemadmodum ſub auſpicijs ejus majorum dudum in Hiſpania factum fuit, plurimùm deſiderat, ac ipſis exponentibus protectionem ſuam offert, ſi hujuſmodi Ordinis habitum aſſumere, illiuſque inſtitutum, & regulam obſervare voluerint, propenſæ voluntati obſequantur: Omnes unanimi conſenſu, & læto animo habitum hujuſmodi aſſumere, & ſub regula ejuſdem Ordinis dudum à felicis recordationis Julij Papæ II. prædeceſſore Noſtro, per quaſdam ſuas deſuper ſub plumbo expeditas litteras approbatâ de cætero vivere, & mori decreverunt. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Ordo Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis Immaculatæ in Eccleſia Dei jam pridem inſtitutus, ac à quibuſdam Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris, & præſertim à dicto Iulio receptus, & confirmatus multiſq; privilegijs, & gratijs inſignitus fuerit, ſicut in præfatis Iulij prædeceſſoris litteris ad inſtantiam tunc exiſtentium Monialium Monaſterij Toletani ſupra-dicti Ordinis Sanctæ Claræ emanatis videre eſt; dictæq; exponentes, memoratâ Mariâ Thereſiâ Reginâ id enixè cupiente, ac dilecto filio Miniſtro Generali dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum annuente; nec non dilectis etiam filijs Miniſtro Provinciali, & Diffinitorio prædictæ Provinciæ Sancti Dionyſij ad petitionem dictæ Mariæ Thereſiæ Reginæ conſentientibus licentiam aſſumendi habitum Monialium dicti Ordinis Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis Immaculatæ, ac modum vivendi in prædictis Iulij litteris præſcriptum de cætero perpetuis futuris temporibus ſervandi, ſibi à Nobis concedi ſummoperè deſiderent, ita tamen ut habitum hujuſmodi geſtantes, nec à rigore regulæ Sanctæ Claræ, nec à juriſdictione Fratrum prædictorum liberentur; cùm Moniales dicti Ordinis Conceptionis B.* MARIÆ *Virginis Immaculatæ per ſupra-dictas Iulij prædeceſſoris litteras dicto Ordini Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia ſubjiciantur, & in regula ipſius Ordinis Conceptionis Beatæ* MARIÆ *Virginis Immaculatæ rigor regulæ S. Claræ includatur, ac ſtrictiùs & eminentiùs obſervetur, ſeu præſcribatur. Nobis proptereà eædem exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providêre, & ut infrà indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pio & laudabili prædictæ Mariæ Thereſiæ Reginæ deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, dictaſq; exponentes ſpecialibus favoribus, & gratijs proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus*

incli-

Digitized by Google

inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum conſilio attentis narratis, & conſenſu Superiorum Regularium eiſdem exponentibus petitam licentiam amplectendi inſtitutum, habitum, & Regulam prædicti Ordinis Conceptionis Beatæ MARIÆ *Virginis Immaculatæ auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium benignè concedimus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac prædictis exponentibus, ac alijs, ad quas, ſeu quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, ſicq; in præmiſſis per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocumque quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus profeſſione ſub Regula Sanctæ Claræ per dictas exponentes emiſsâ, aliſq; præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit Monaſterij, & ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus privilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & ſingulis illorum tenore pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datis Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 18. Auguſt. 1663. Pontificatûs Noſtri anno nono.* S. Ugolinus.

Hæc ſunt, quæ pro nunc mihi innoteſcunt de Sanctiſſimi D. Noſtri ALEXANDRI VII. Pontificis Maximi actis in favorem myſterij Immaculatæ Conceptionis. An plura fecerit, an de facto faciat, penitùs ignoro. Magna ſunt quæ fecit, & talia, qualia ALEXANDRUM decent. Nullus tanta, quanta ipſe. Majora tamen horum ipſum facturum credo. Ex quibus (obſtrepant, & lacerentur intrinſecùs adverſarij) luce meridianâ clariùs cognoſcimus Eccleſiam ipſam totaliter inclinare in hujus myſterij propagationem, deque ejus dilatatione vehementiſſimè in Domino gaudere; dum inimpedibilem, ut ita loquar, Regum ac Principum pro eo zelantium videt pietatem, Eccleſiaſticorum tam Regularium, quàm Sæcularium illud promoventium ſingularem fervorem, Fidelium omnium erga idem inexplicabilem affectum ac devotionem. Verùm, quidni membra ad id accurrerent, in quod Caput ipſum totaliter propendere vident? De his tamen alibi. Jam ad Nodos.

PRO

PRO NODO

§. TERTIUS.

Nodus primus.

PRopoſitio Janſenij in ordine quinta, & ultima erat hæc: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe*. Hanc tam Janſeniſtæ, quàm illius fautores ac defenſores dicebant eſſe expreſſum dogma Sancti Auguſtini, & Angelici Doctoris. Iſtinet qui heri, vel hodiè pro viribus conabantur ſuſtinere hanc propoſitionem eſſe falſam, hodiè, & heri, & ſemper contra puritatem Dei Matris ſic argumentabantur: *Pro omnibus peccatoribus mortuus fuit Chriſtus; ſed mortuus fuit etiam pro Matre ſuâ; ergò illa fuit etiam peccatrix*. Hoc fuit per quadringentos annos primum, ac validiſſimum ipſorum argumentum. Et en Nodus Indiſſolubilis. Ut condemnarent puritatem Dei Matris, hæc: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, ita erat univerſalis, ut nullam omninò admitteret exceptionem; & hoc erat Sancti Thomæ inconcuſſum dogma, à quo per quadringentos annos noluerunt recedere pro Dei Matre quoad unicum inſtans; & pro Janſenio, aut doctrinæ illius defenſione contra veritatem, Eccleſiam, Sanguinem, ac Redemptoris mortem tot invenerunt exceptiones, quot ſunt homines damnati: inconcuſſus mihi aut tutiſſimus Nodus iſte videtur.

Nodus secundus.

Summus Pontifex Alexander VII. abſolutè ac indeterminatè non nomine ſuo, ſed nomine alterius, ſcilicet, Univerſitatis Lovanienſis proponendo SS. Auguſtini & Thomæ eſſe inconcuſſa tutiſſimaque dogmata, nomine ſuo, & proprio univerſam doctrinam S. Thomæ tam in communi, quàm in particulari dicitur approbaſſe: & quidem ita, ut hoc modicum verbum incidenter prolatum ejuſmodi habuerit vim efficaciamque, ut (mira potentia!) omnes libros umquàm ab Angelico Doctore conſcriptos, quæſtiones propoſitas, articulos diſtributos, reſolutiones quomodolibet datas, ſententias prolatas, verba compoſita, ſillabas denique atque ipſas litteras contentas in ſeptemdecim tomis inconcuſſas tutiſſimaſque effecerit. Mira, iterum dico, potentia verbi tam obiter prolati! Et idem Summus Pontifex Alexander VII. in quadam Conſtitutione Apoſtolicâ datâ pro tota univerſali Eccleſia Dei, poſt exactam ac maturam conſiderationem habitam per ſpatium trium annorum, cum examine ac conſultatione Sacræ congregationis Cardinalium, & poſt omnia iſta ſummum Eccleſię Patrem ac Re-

Digitized by Google

ctorem facere adhuc illud, quod tam hilari animo dixerat extraordinario Hiſpaniarum Legato excellentiſſimo D. D. Ludovico Creſpi à Borja Epiſcopo Placentino tradendo illi Bullam, ſcilicet: *Tandem pervenit plenitudo temporis; & in hac cauſa non fecimus officium Advocati, ſed adverſarij, ac impugnatoris refractarij. Conſultavimus totum hoc negotium ad intra & ad extra, ad dexteram atque ſiniſtram, quod multoties examinavimus, & frequentes ad Deum mittimus preces, ac tandem cum ſuâ Divinâ inſpiratione pervenimus ad expeditionem præſentis Conſtitutionis; quam cùm haberemus ad pedes cujuſdam imaginis Chriſti Domini Crucifixi, per quatuor menſes integros ei ſupplicationem fecimus, ut dignaretur nobis inſpirare, quod magis expediret ad utilitatem ſuæ Eccleſiæ. Denique ipſo die Sanctiſſimæ Conceptionis Miſſam celebravimus implorando Divinam gratiam ſubtus corporalia collocando eamdem Conſtitutionem; & ſacroſancto Miſſæ Sacrificio finito ſubſignavimus. Et teſtificari poſſum veſtræ dominationi, quòd ſi vel minima dubitatio nobis occurriſſet circa contenta in ea, non fuiſſet à nobis ſubſignata.* Quid quæſo illud ALEXANDRI Maximi dixiſſe & feciſſe totum eſt pro ſententia pia? Quid fecit? Sanè in illorum ſententia (opinione, inquam) valdè parum, immò nihil. Et hinc exurgit Nodus, ab ipſo ALEXANDRO, ut magnus ſolvendus. Cum iſtis duobus verbis poſitis in quadam epiſtola miſſa ad facultatem Theologicam Lovanienſem approbavit tamquàm tutiſſimam, & inconcuſſam omnem doctrinam Thomiſticam; & cum relata Conſtitutione tot circumſtantijs munitâ ſecundùm eoſdem Thomiſtas valdè parum, immò nihil omninò fecit; quia nec auxit, nec qualificavit piam ſententiam ad unicum indiviſibile dicendo palam & publicè hæc duo, quæ hiſpanicè emphatica ſunt: *Como nos eſtabamos nos eſtamos, porque nueſtra opinion aun ſe eſta en pie.* Et iſte ſecum affert alium inextricabilem Nodum.

NODUS TERTIUS.

Doctrina Thomiſtica non ſolùm ſimpliciter ſtat, ſed ſtat ut inconcuſſa & tutiſſima; quia ſic dicitur ab oraculo Pontificio, quod admittimus libentiſſimè. Sed debemus ſcire & inquirere, quæ vel qualia ſint iſta dogmata Sancti Thomæ, quia inter grana illa puriſſima aliqua reperiuntur lolia. Dicunt quòd non debeamus iſta inveſtigare, quia hoc facere eſt nefas deteſtabile, agere non Chriſtianum, ſed Jovinianum, Athilam Bibliothecarum, & Antechriſtum librorum, & alia ſimilia non pauca, quę noviſſimè dicunt in reſcripto hiſpanico ſub titulo: *Su oro al Ceſar y à Dios ſu gloria*, quod eſt quaſi reſponſio ad *Judicium Salomonis* nuperrimè hiſpanico, nunc demum latino idiomate impreſſum, de quo ſuo tempore mirabilia audientur. Et ecce habemus Nodum præ manibus. Si ipſi, ut ipſorum opinio ſtet tuta, & inconcuſſa, in unica Conſtitutione Apoſtolica inquirunt, ſi non libros, quæſtiones, & articulos, quia ibi non ſunt,

Digitized by Google

ſunt, tamen ſententias verba & apices; non eſſet licitum nobis in operibus Sancti Thomæ indagare veritatem pro noſtra ſententia? Athila contra Summum Pontificem Leonem dimicabat, quando apparuerunt illi Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus, & Antechriſtus contra eamdem Eccleſiam dimicabit, quando ſupremus Judex Eccleſiæ tincto calamo in ſanguine calicis ſubſcribet ultimam ſuæ damnationis ſententiam, ſicut ſuprà diximus factum à Theoro Papa contra Pyrrhum nolentem parêre præceptis Eccleſiæ: ſed in iſtis hiſtorijs licet pulcherrimis nolo ampliùs progredi, quia ſunt extra rem.

Nodus quartus.

Dogmata Sancti Thomæ ſunt tutiſſima & inconcuſſa. Relictis alijs interrogo: Ex his duobus dogmatibus: *Virgo* Maria *concepta eſt ſine peccato originali*, & illo immediatè oppoſito, *Virgo* Maria *concepta eſt cum peccato originali*, quod eſt Angelici Doctoris dogma tutiſſimum & inconcuſſum? Si nullum, habemus intentum: ſi primum, ſimiliter: ſi ſecundum, ut ipſi dicunt, ergò non eſt tutiſſimum, nec inconcuſſum, quia idemmet S. Thomas tenet contrarium expreſsè, & clarè in quinque ſuæ doctrinæ locis, ut in 1. ſent. diſt 44. ſuper epiſtolam ad Romanos, & ad Galatas, & ſuper Salutationem Angelicam, &c. ut ſuprà manet demonſtratum: inductivè verò, vel inſinuativè hoc etiam habet in centum locis, quos ſigillatim aſſignat D. Joannes Ludovicus Schonleben in ſuo tertio tomo de Conceptione, de quibus nos in *Militia* colum. 1509. Dicunt, ut ſe expediant ab hoc indiſſolubili Nodo, quòd illa centum loca ſint chymerica; quia in Angelici Doctoris operibus ſunt viginti clara & expreſſa, ubi tenet contrarium. Ergò jam habemus in una ſola quæſtione centum viginti dogmata Sancti Thomæ, quæ non ſunt inconcuſſa, nec tutiſſima; quia illi ex una parte negant, & negando concutiunt illa centum dogmata, & nos ex altera parte negamus illa ipſorum viginti. Et inſuper nos habemus ex noſtra parte inconcuſſum, & ſecuriſſimum judicium Summi Pontificis, qui pro cathedra ſedendo declarat noſtrum primum, ſcilicet, fuiſſe conceptam ſine peccato originali eſſe tutiſſimum, & ſecuriſſimum, & concutit contrarium taliter, ut jam ſolùm deſit, ut concutiat illud anathemate ultimo, declarando eſſe dogma erroneum, & hæreticum. Et ſic nihil eſt minùs tutum, & ſecurum, aut magis concuſſum, quàm illud, quod ut inconcuſſum, & tutiſſimum proponunt.

Nodus quintus.

Reſpondens Summus Pontifex ad Facultatis Theologicę petitionem, ut ſcilicet, approbaret illas doctrinas, ſicut fecerant ſui prædeceſſores, dixit ſic: *Illa duo luminaria Eccleſiæ novi præconij commendatione planè non egent:* ergò omnes aliæ antiquæ erant commendationes ſolùm, ad quas com-

Digitized by Google

mendationes noluit Summus Pontifex ſuam novam ſuperaddere. O ſerve Nequam P. Alva, quam rectè, & juxta Summorum Pontificum mentem dixiſti in tuo Sole Veritatis, illas eſſe quaſdam commendationes, vel recommendationes! O ſerve fidelis Pater Prado, quàm extra mentem Summi Pontificis loquebaris in illâ tuâ notitiâ, ſolùm quoad titulum veridicâ, onerando opprobrijs, & contumelijs, &c. Sed tranſeant iſta, quia jam tranſierunt. Et ex Complutenſibus tranſeamus ad Patres Lovanienſes clamantes ad cœlum ex publico ſuggeſtu ſemel, & iterùm quòd Pater Alva ex deteſtanda malitia, & iniquitate non feciſſet de hac ultima approbatione mentionem in prima ſui Nodi impreſſione, quia de ipſa habuerat notitiam, ſiquidem expeditâ ante unum, vel duos annos à ſuâ editione. Si hoc, inquam, eſſet verùm, interrogo: Pater Alva, cujus totus conatus eſt demonſtrare omnia ſuprapoſita Summorum Pontificum elogia eſſe commendationem quamdam ſimplicem doctrinæ Sancti Thomæ, & ad hoc quæſivit undique auctoritates ex Auctoribus Dominicanis, ut videre eſt ſuprà Nodo III. principali, relinqueretne hanc expreſſam, & irrefragabilem N. Summi Pontificis Alexandri VII. ubi ipſum opus eſſet ipſi dicatum, ut ſolveret, vel ſcinderet Nodum? Fateor, quòd ſi non ligaverim Nodum pro Conceptione, ſaltem ligaverim pro veritate, ut videant quòd in omnibus loquantur ex merâ phantaſiâ contra ipſam.

Nodus sextus.

Dicit P. Galvan, quòd Eccleſia habeat intellectum in eo, quòd cognoverit eſſe neceſſarium intellectum ad cognoſcendam, ſeu intelligendam doctrinam Angelici Doctoris; ſed nondum adhuc habere intellectum, ut illam intelligat, & ideò poſtulare in collecta intellectum, ut illam poſſit conſpicere. Non vidit iſta Petrus de Valle-clauſa pro ſua immunitate Cyriacorum. Sed ad rem noſtram quæritur: an in hac materia Conceptionis, & immunitatis Virginis, & omnibus ſuprà relatis, ac denique à Noſtro Sanctiſſimo Patre Alexandro VII. cognoverit Eccleſia, quid contineatur in doctrina Sancti Thomæ, vel non? Certum eſt, quòd non ſit dicturus hoc ſecundum; quia eſſet execrabilis blaſphemia. Cognovit igitur, & habet intellectum, & intellectionem omnium, ac ſingulorum dogmatum Sancti Thomæ. Vel ergò judicavit Eccleſia non eſſe dogma Angelici Doctoris Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, vel ſi cognovit hoc eſſe illius dogma, Eccleſia penitùs conceſſit hoc dogma, & ſic in tota illa doctrina tutiſſima, & inconcuſſa habemus ſaltem hanc exceptionem pro Immaculata Virginis Conceptione. *Et ſi, veluti in igne aurum, alterum Doctorum dogmata probantur* in doctrina Sancti Thomæ; quid nobis dicendum erit de alijs Sanctis, jam oſten-

Digitized by Google

oſtendit Eccleſia, dum in S. Thoma ſic ut in igne probaverit aurum illius dogmatis.

Nodus septimus.

De Angelico Doctore omnia iſta conſtanter dicuntur, ſcilicet; quòd Sanctorum Patrum ſententiæ in igne illius doctrinæ *vetuſtatem exuant, indeq; puriores prodeant*. Et ſi in hoc velint dicere Sanctorum Patrum ſententias, antequàm mitterentur in iſtum ignem, fuiſſe impuras, falluntur penitùs. Dicitur etiam, quòd Sanctus Thomas *in medio ignis non fuerit æſtuatus*, & quòd *in medio tenebrarum à tenebris non fuerit comprehenſus*, ac denique quòd illi auro puriſſimo *nihil umquàm nocuit*; quia nec ſapientia illius, ac libri *detrimentum aliquod* vel aliquam *Jovis iram* paſſi ſunt: & cùm omnia iſta privilegia habuerit conceptus mentis Sancti Thomæ, conceptui ventris Sacratiſſimæ Dei Matris ne vel minimum concedere volunt; ſed potiùs omnia vertunt contra, quia nec *vetuſtatem exuit* in ſua Conceptione, ab *igne peccati originalis* fuit in ſui animatione læſa, *non pura* ingreſſa eſt uterum matris, ut purior egrederetur, ſed impura & immunda, ut poſteà mundaretur. Sanctus Thomas neque in medio ignis fuit æſtuatus; & Dei Mater in ipſo *ignis principio æſtuata fuit*. Et ubi in medio tenebrarum Angelicus Doctor non fuit à tenebris comprehenſus, quòd ſolùm de Chriſto Domino dicitur; de ejus Matre non poteſt verificari, nec dici, quod *à tenebris non fuerit comprehenſa*; quia eſſet æquare creaturam Creatori. Denique auro puriſſimo Angelicæ mentis *nihil umquàm nocuit*, nec ſapientia aut libri illius aliquod ſenſerunt *detrimentum*, nec *Jovis minimam iram* paſſi ſunt; ubi interim hæc omnia collocant in anima Sanctiſſimæ Dei Matris, & ſolùm habent recurſum ad illud de variatione appellationis, dicentes quòd ipſi concedant omnia iſta privilegia conceptui mentis Angelici Doctoris, etſi negent eſſe de conceptu ventris Dei Matris, quæ res diſtinctæ ſunt; & ſic exiſtimant ſe ſolvere Nodum: *Omnes illi qui juxta ſacras ejus ſanctiones magni ſunt*. Et ſic ut magni Minora iſta deſpiciunt, non ſolvunt; quia non dignantur illa digito tangere.

Nodus octavus.

Quia Summus Pontifex Alexander VII. in una ſua epiſtola familiari, ac miſſivâ ad Facultatem Theologicam Lovanienſem, in qua dicebat dogmata Sancti Auguſtini & Thomæ Aquinatis eſſe inconcuſſa, & tutiſſima, omnium ſuorum prædeceſſorum confirmavit, ac ratificavit approbationes, expeditas pro doctrina Angelici Doctoris; iſtæ autem continentur in epiſtola Urbani V. & alterâ Clementis VIII. & Pauli V. Et idemmet Alexander ſcribens eodem tempore alteram epiſtolam, pro Immaculata Virginis Conceptione, ad Regem Noſtrum Philippum IV. approbavitne omnes litteras expeditas pro eadem immunitate à

Paulo V. Gregorio XV. & Innocentio X? Si approbavit, controverſia manet ſoluta; & ſi non approbavit, magnum ligant Nodum. Item Noſter ALEXANDER in iſta ſua epiſtola nullum ex ſuis anteceſſoribus refert; ſed cùm ibi nominetur Sanctus Thomas hoc ſufficit, ut teſtimonium præſentis recurrat uſque ad primum, & extendatur quouſque pervenire poſſit: at in Conſtitutione pro puritate Dei Matris, licet referantur nominatim omnes prædeceſſores Gregorius, Paulus, & Sixtus IV. controverſia manet; quia, ut dicebant hiſpanicè: *Como nos eſtabamos, mos eſtamos,* quia ipſi ſemper volunt ſtare, ſicut ſtabant.

NODUS NONUS.

Beneficia præſtita ab æterno Deo Angelico Doctori non fuerunt ad tempus, ut aliquando largiretur illa Deus, aliquando non, ſed *ſemper, & continuè.* Undè eſt Princeps, Rex, & Monarcha ſcholaſticorum, atque Doctorum omnium, quem debent omnes ut talem colere, ne tamquàm *læſæ Majeſtatis rei, ſuo Regi injurij perduellionis crimine notentur.* Et en Nodus. Quia ſecundùm ipſos non ſemper, nec continuè Deus æternus ſuæ Matri beneficia pręſtitit, ſed ad tempus, ſiquidem aliquando largitus eſt illi gratiam, aliquando non; & cùm ſit Regina omnium ſcholaſticorum, qui juxta ſacras ejus ſanctiones magni ſunt, dicentium ſemper, & continuè Regina Angelorum, Regina Patriarcharum, Regina Prophetarum, Regina Apoſtolorum, Regina Martyrum, Regina Confeſſorum, Regina Virginum, ac deniq; magnâ pauſâ, & ſingulari cantu, Regina FF. Prædicatorum, ſaltem timeant ſententiã à ſe promulgatam, ne tamquam læſæ Majeſtatis rei, ſuæque Reginæ *injurij, perduellionis crimine notentur,* cùm ſic in re ſtabilita, & judicata pro ſcholaſticorum, ac omnium Doctorum Rege, pro Dei Matre, Reginâ Angelorum, & omnium hominum aliter doceant, & faciant. Sed

Sicut fuerunt duodecim differentiæ in Virga, conſtituamus pro fine etiam duodecim in Nodo. Et ſit

Differentia I.

Differentia maxima eſt inter Sanctum Bernardum, & Sacratiſſimam Dei Matrem MARIAM: & tamen ſcriptores Ordinis Prædicatorum, ut Joannes de Turrecremata, Vincentius Bandellus, Anonymus, Wygandus, & alij pro viribus, & poſſe defendunt in ſuis ſcriptis nullam fuiſſe in pectore Bernardi maculam. Quomodò igitur in eiſdem libris tanto animi conatu contenditur fuiſſe macula culpæ in anima Virginis Matris?

Differentia II.

Differentia maxima eſt inter Sanctum Thomam Angelicum Doctorem, & Scotum Doctorem ſubtilem: Unus enim eſt Major, alius verò Minor: numquàm tamen legimus in Divinis litteris quòd in differentia ſeu contentione uteri major ſuppeditaverit minorem, ſed ſemper è contrà: ſequamur ergò victorem in Pſalmis.

Diffe-

Digitized by Google

Differentia III.

Differentia magna eſt inter menſuram & menſuratum; & ſi menſurâ, quâ menſi fuerimus, remetietur nobis, juxta Salvatoris oraculum, qui maculam ponit, maculabitur; qui malè dicit, maledictionem patietur: & è contrà qui benè dicit, benedictionibus replebitur. Mittat ergò unuſquiſque manum in ſinum ſuum, & videat, quâ menſurâ metiatur Virginis munditiam: quia ſi extracta apparuerit candens lepra, pectus non manebit Immaculatum. Undè qui manifeſtat alterius defectum, proprius non remanebit occultus.

Differentia IV.

Differentia maxima eſt, ubi totus populus Catholicus, à ſupremo Capite uſque ad infimum fidelem, eſt ex una parte, & ex altera ſtat una ſola familia; in re ergò dubia, & incerta tutius eſt cum multis pijs ſalvare dubium, quàm cum paucis non pijs condemnare incertum.

Differentia V.

Differentia infinita intereſt inter Deum, & Dæmonem, inter gratiam, & peccatum, inter puritatem, & maculam, &c. & relinquere dexteram Dei, gratiæ, & puritatis, & deflectere ad ſiniſtram Dęmonis, peccati, & maculæ, cùm non poſſit eſſe bonum, neceſſariò erit malum, præcipuè in illis, qui nullam in actibus admittunt indifferentiam.

Differentia VI.

Differentia maxima eſt inter deambulare ad lucem diei, & ad noctis tenebras, & oculis apertis pergere, atque ijſdem clauſis incedere: dies eſt Eccleſia, ſol Summus Pontifex, & lux populorum devotio: ad quid ergò quærimus cavernas obſcuras, & horrida antra, ubi non eſt horror & metus?

Differentia VII.

Differentia magna eſt inter oſtium vitę, & portam mortis. Qui uſque modò per quadringentos annos perſtiterunt ad unam, accedant ad alteram. *Petite & accipietis, pulſate, & aperietur vobis*, quia uſque modò nihil petiſtis in nomine Conceptionis, quæ vitæ porta eſt; nam nos jam vidimus & guſtavimus, quia bona eſt negotiatio ejus.

Differentia VIII.

Differentia magna eſt inter Dei judicia, & hominum cogitationes: periculoſum eſt ſcrutari occulta Dei, ſive in bonum, ſive in malum; quia non eſt hominum noſſe tempora vel momenta; ſed ſi ſim opprimendus à Majeſtate, magis tutum erit opprimi à gloria Filij propter gloriam Matris, quàm opprimi ignominiâ hominum propter gloriam hominis.

Differentia IX.

Differentia etiam eſt: omnes nos quaſi oves erravimus, quia unuſquiſque in viam ſuam abijt: & cùm via noſtra via iniquitatis fuerit, ut ſit aliqua differentia, ſinamus Dei Matrem ire per viam ſuam: nam Matris via Filius eſt.

Diffe-

Digitized by Google

Differentia X.

Differentia non modica reperitur inter grave & leve;& eſt hęc,quòd inter grave & leve, leve ſemper aſcendat ſurſum, grave verò continuò deorſum: inſtans,punctum, indiviſibile leve eſt,partes verò graves.Non agamus partes partium, ut ſimus graves; ſed ſurſum corda, habeamus ad Dominum, quia verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare.

Differentia XI.

Differentia magna eſt inter terram, & cœlum. Qui terreni ſunt terrena ſapiunt, & de terra loquuntur: qui ſunt Domini,& tales ſe appellant cœlum petant, quia ſcriptum eſt: ***Cœlum cœli Domino, terram autem dedit Filijs hominum.***

Differentia XII.

Differentia magna eſt inter ALEXANDRUM & PHILIPPUM; ſed ſine differentia ſentiamus cum ALEXANDRO, & loquamur cum PHILIPPO: & ecce in pace, & compoſita erunt omnia; quia unus dedit poteſtatem Filios Dei fieri, & alter ut fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. Dixi quod ſentio ſyncerè, clarè, ac modeſtè: judicet autem, & eligat Lector quod æquum, & rectum, & juſtum fuerit.

Omnia in hoc Libello dicta, & in quocumque dicenda, correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ; ſicut libenter, ita humiliter ſubjicimus.

IN-

Digitized by Google

INDEX
Locorum Scripturæ in hoc opere citatorum.

Primus numerus citat Caput, ſecundus Verſiculum, ultimus paginam.

Geneſis

1. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* pag 101
3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.* Introduct. pag.2.Operis. 489
19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* 169
12. 2. *Faciam te in gentem magnam.* 731
13. 8. *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, inter paſtores meos & paſtores tuos, fratres enim ſumus: ecce univerſa terra coram te eſt.* Poſt approbationes. 712

Exodus

10. 23. *Ubicumque habitabant filij Iſraël, lux erat.* 360

Leviticus.

12. 2. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit.* Ad Lectorem.
18. 7. *Ego Dominus: Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ ne diſcooperies, mater tua eſt, nec revelabis turpitudinem ejus.* 485

Liber ſecundus Regum

7. 14. *Ego ero ei in patrem.* In præfatione ad Lectorem.
20.16. *Omnis autem turba quæ erat cum Joab, moliebatur deſtruere muros, & excla-*
18. *mavit mulier ſapiens de civitate: Audite, audite ſermo dicebatur in veteri prover-*
19. *bio: Qui interrogant, interrogent in Abela, & ſic proficiebant. Nonne ego ſum quæ reſpondeo veritatem in Iſraël & tu quæris ſubvertere civitatem, & evertere matrem*
20. *in Iſraël? Quare præcipitas hereditatem Domini? Reſpondenſq; Joab ait: Abſit abſit hoc à me: non præcipito neque demolior.* Ex frontiſpicio.

Job

4. 18. *In Angelis ſuis reperit pravitatem.* 79
19. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, qui manus Domini tetigit me.* 730
27. 6. *Juſtificationem meam quam cœpi tenere non deſeram.* 133

Liber Pſalmorum

8. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* In approbatione.

Hhhhh 13.3.*Om-*

13. 3. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.* Ex introd. pag. 18. & 19. 155. 596. 603. 661. Præfat. ad Lectorem.
1. *Dixit inſipiens in corde ſuo ..... corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis.* Præfat. ad Lectorem.
27. 12. *Mentita eſt iniquitas ſibi.* 624
43. 6. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* 355
44. 3. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* 175
45. 5. *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus.* 706
50. 7. *In peccatis concepit me mater mea.* 395
52. 4. *Non eſt qui faciat bonum.* Præfat. ad Lectorem, & pag.497
57. 4. *Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa.* Præfat. ad Lectorem. Introd.18. & pag. operis 595. 596.
72. 24. *Tenuiſti manum dexteram meam.* 706
77. 14 *Deduxit eos in nube diei.* 412
13. 2. *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum* Præfat. ad Lectorem.
80. 11. *Aperi (vulgata) dilata os tuum & implebo illud.* 401
109. 4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Introd. 15.
4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.* 733
110. 9. *Redemptionem miſit populo ſuo.* 688
113. 16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* 754
115. 11. *Omnis homo mendax.* Ad Lectorem. Introd. 19. operis 155.175. 323.396 661.707.
118. 73. *Da mihi intellectum & diſcam mandata tua.* 729
140. 10. *Singulariter ſum ego.* 497

Proverbia

8. 7. *Veritatem meditabitur guttur meum & labia mea deteſtabuntur impium.* 136. 255
24. *Nondum erant abyſſi & ego iam concepta eram.* 233
14. 1. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam.* 44
17. 6. *Gloria filiorum patres eorum.* Introd. 24.
18 2. *Non recipit verba prudentiæ.* 84
23. 23. *Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam.* 350
25. 4. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* 706
30. 5. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt.* 607

Eccleſiaſtes

1. 16. *Præceſſi omnes ſapientiâ qui ante me fuerunt in Ieruſalem.* 349

3. 12. *Et ſi quis prævaluerit contra unum, duo reſiſtunt ei: Funiculus triplex difficile rumpitur.* 57. 693.

7. 29. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* 497. 700. 716.

12. 9. 10. *Cumq; eſſet ſapientiſſimus, docuit populum, exquiſivit verba utilia.* 347

Cantica

1. 2. *Oleum effuſum nomen tuum, adoleſcentulæ dilexerunt te.* 606

2. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* 401

3. 4. *Tenui eum, nec dimittam.* 350

4. 4. *Mille clypei pendent ex ea.* 607

7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Introd. 2. operis 24. 315. 398. 482. 489. 506. 548. 709.

6. 9. *Quaſi aurora conſurgens.* 486

Sapientia

1. 4. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Introd. 24. operis 28.

8. 19. *Sortitus ſum animam bonam.* 93

7. 12. *Lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia.* 641

Eccleſiaſticus

4. 30. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo.* 606

5. 14. *Si tibi eſt intellectus reſponde proximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris.* 182

15. 4. *Exaltabit illum apud proximos ſuos.* 730

24. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in libano.* 44

26. *Tranſite ad me omnes.* 695

31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* 104

43. 2. *Vas admirabile, opus excelſi.* In approb.

43. 9. *Vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cæli reſplendens glorioſè.* In approb.

51. 9. *In medio ignis non ſum æſtuatus.* 730. 751

Iſaias

45. 4. *Elegit eum ex omni carne.* 660

1. 5. *Omne caput languidum.* 344

6. *A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* 395

7. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Vigo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* In præfat ad Lectorem. Introd. 15

33. 2. *Omnes Funiculi eius non rumpentur.* 1

50. 4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam.* 359

53. 6. *Omnes nos quaſi oves erravimus.* Introd. 18.

54. 17. *Omne vas quod fictum eſt contra te, non dirigetur, & omnem linguam reſi-*

ſtentem tibi in judicio judicabis. 190
66. 9. *Numquid ego qui alias parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus: ſi ego qui generationem cæteris tribuo ſterilis ero? Ait Dominus Deus tuus.* Introd. 16.

Ieremias

1. 5. *Antequàm exires de vulva ſanctificavi te.* Introd. 22.

Ezechiel

28. 13. *Foramina tua in die, quâ conditus es, præparata ſunt.* 93

Daniel

2. 13. *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad inſtantiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* 104
4. *Plurimi pertranſibunt & multiplex erit ſcientia.* 14

Michæas

5. 2. *Et tu Betlhèem ephrata parvulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël.* In præfat ad Lectorem.

Zacharias

11. 7. *Aſſumpſi mihi duas Virgas, unam vocavi decorem & alteram vocavi Funiculum.* 22

Malachias.

2. 6. *Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labijs ejus.* 172

Matthæus

1. 1. *Liber generationis Jeſu Chriſti.* 696
20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* 716
23. *Ecce Virgo in utero habebit.* Præfat. ad Lectorem.
2. 5. 6. *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam, & tu Betlheem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Iſrael.*
5. 13. *Vos eſtis ſal terræ.* 187
9. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* 104
12. 42. *Ecce plùs quam Salomon hîc.* 331. 352. 363. 371. 375. 383. 348. 360. 369. 731.
17. 3. *Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias loquentes cum Jeſu.* 521
23. 3 *Omnia quæcumque dixerint vobis Scribæ & Phariſæi ſervate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.* 86

Lucas

1. 5. *Fuit in diebus Herodis Regis.* 696
15. *Spiritu Sancto replebitur ex utero matris ſuæ.* Introd. 22.
28. *Ave* MARIA *gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Introductio 2. 23. operis 82. 100. 168. 398. 482. 483. Job 506. 709. 712.

50. Ne

Digitized by Google

50. *Ne timeas* MARIA, *inveniſti enim gratiam apud Deum : Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Introd. 15. 24.
35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* 376
6. 36. *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt.* 45
11. 9. *Petite & accipietis, pulſate & aperietur vobis.* 753
12. 34. 1. *Ubi eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit.* 518
11. 21. 2. *Fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* 754
14. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* 45
21. 25. *Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis.* 347. 371. 373. 376. 383

Joannes

14. 6, *Ego ſum via, veritas & vita.* 477
1. 1. *In principio erat Verbum.* 686
12. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri.* 754
17. *Pater Sancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* 255
11. 17. *Sermo tuus veritas eſt.* 350
19. 36. *Os non comminuetis ex eo.* 401
20. 24. *Thomas non erat cum illis quando venit Ieſus.* 489
19. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti.* 489

Actus Apoſtolorum

2. 14. *Stans autem Petrus cum undecim.* 359
17. 21. *Athenienſes ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid novi.* 350

Ad Romanos

3. 12. *Non eſt qui faciat bonum.* Ad Lectorem 497.
23. *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei.* 707
5. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* In præfat. ad Lectorem. Introd. 17. operis 154. 176. 178. 395. 403. 406. 444. 501. 504. 540. 541. 542. 543. 597. 603. 661. 700. 702.
11. 32. *Concluſit enim omnia Deus in incredulitate ut omnium miſereatur.* 79
13. 12. *Dies autem appropinquavit.* 692

Prima ad Corinthios

1. 19. *Perdam ſapientiam ſapientum.* 182
4. 15. *Per Evangelium ego vos genui.* 104
10. 11. *Nos ſcimus in quos fines ſæculorum devenerunt.* 134

Secunda ad Corinthios

3. 6. *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti.* Introd. 24.
17. *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* 218
6. 15. *Quæ conventio Chriſti ad Belial.* Introd. 24.

Ad Galatas

3. 16. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini ejus.* 497
22. *Concluſit omnia Scriptura ſub peccato.* 596. 603
4. 19. *Filioli mei quos iterum parturio.* 140

Ad Hebræos

1. 4. *Ego ero illi in patrem.* In præfat. ad Lectorem

Prima ad Timotheum

1. 15. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* 692

Prima Petri Apoſtoli

2. 25. *Eratis enim ſicut oves errantes.* 394. 753

Prima Joannis

2. 18. *Filioli noviſſima hora eſt.* 134

Apocalypſis

21. 5. *Ecce nova facio omnia.* Introd. 12.

INDEX RERUM.

A

ACademia Lovanienſis recepit Breve Apoſtolicum ab ALEXANDRO VII. quod expenditur. pag. 721. & ſeqq.
Academia Salmanticenſis decepta eſt per Bullam Urbani V. fictam, ſicut & alij. 252
Adjectivum *Pius, pia, pium* explicatur: quando pro defenſione piæ ſententiæ tunc à pullis piatur; quando pro doctrina Divi Thomæ, tunc à tauris mugitur. 488
Adrianus VI. approbavit, & confirmavit inſignem Confraternitatem Immaculatæ Conceptionis Toletanæ. 122
Adverbia eadem pro doctrina Divi Thomæ ſine ulla exceptione accipiuntur: pro ſententia Immaculatæ Conceptionis eidem ſubjiciuntur. 392. 402. 664
Albertus Magnus laudat Divum Thomam. 733
Alexandri Alenſis opera approbata fuerunt per Bullam Alexandri IV. 6
Alexander Nekam negans Feſtum Conceptionis celebrandum, diris ipſo die cruciabatur tormentis per multos annos, canens palinodiam, & aſſerens liber evaſit. 118
Alexander VI. conceſſit indulgentias, altaria de Immaculata Conceptione, & confirmavit Extravagantes Sixti IV. 120
ALEXANDER VII. Bullas edidit plures, confirmavit Confraternitatem Capellæ Sanctæ Pariſijs, conceſſit indulgentias: præcepit ne Magiſtri Sacri Palatij impedirent quòd in libris diceretur *Immaculata Conceptio.* 131

Bulla

Digitized by Google

Bulla ejuſdem pro Immaculata Conceptione per differentias duodecim ab alijs Bullis Pontificum magis prægnans oſtenditur. 735.& ſeqq.
Conceſſit idem Monialibus Sanctæ Claræ civitatis Pariſienſis aſſumere ordinem, & habitum Immaculatæ Conceptionis. 774. & ſeqq.
Duobus verbis contentis in Brevi miſſo ad Facultatem Theologicam Lovanienſem approbat idem omnem doctrinam Divi Thomæ tamquam tutiſſimam, & inconcuſſam, & cum Bulla ſua pro Immaculata Conceptione nihil effecit. 748
Excudi fecit idem monetam cum Imagine Immaculatæ Conceptionis. 735
Idem inſtante Mariâ Thereſiâ Reginâ Chriſtianiſſimâ permiſit ordinem Immaculatæ Conceptionis fundari in Gallia. 745
Idem præcepit ut diceretur Immaculata Conceptio, non conceptio Immaculatæ Virginis. 734
Idem ſcripſit ad Univerſitatem unam epiſtolam, & alteram ad Facultatem Theologicam Lovanienſem. 721
Alphonſus à Caſtro Franciſcanus vapulat à P.Galvan Dominicano propter veritatem. 367
Angelis aliqua myſteria occulta per doctrinam D.Thomæ fuerunt revelata. 593.5;6.& ſeq.
Angeli (ſecundùm Divum Thomam) non potuerunt peccare in primo inſtanti creationis, & tamen fuerunt redempti Sanguine Chriſti: & non potuit Regina Angelorum? 457
Angelica ſalutatio à Divo expoſita Thomâ, præſervat Virginem MARIAM à peccato 501.715
Angelicum dictum probatum pro puritate Virginis Matris nullam habet vim, & Apoſtolicum habet, quia pro doctrina Divi Thomæ. 506
Anonymus dicit miracula per Immaculatam Conceptionem facta eſſe fortè à dæmone, ut diviſionem ponat inter ſervos Dei, & errorem nutriat in Eccleſia Sancta Dei. 478
S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis edidit epiſtolam, libellum, ſermonem, officium de Immaculata Conceptione. 218. & ſeqq.
Sed idem defendens Immaculatam Conceptionem rejicitur. 239
Apparitio Sancti Pauli Apoſtoli alloquentis Divum Thomam examinatur. 493.& ſeqq.
Approbatio doctrinæ Divi Thomæ ex Concilio Tridentino deducta eſt ficta. 529.& ſeqq.
Approbationes doctrinæ Divi Thomæ primitus nullæ, poſteà duæ, creverunt uſque ad quindecim, & quare? 58.& ſeqq.
Approbationum genera in S.R.E. ſunt varia, & diſtincta. 5
Approbatio omnis ſemper comitatur doctrinam Divi Thomæ licet ficta, & falſa: ſed puritatem Virginis ſemper reprobatio. 446
Archiconfraternitas Immaculatæ Conceptionis fundata in Eccleſia Sancti Laurentij in Damaſo de Urbe. Et innumerabilis ex toto orbe ad illam confluxus. 119
Archivum Papale ſervat opera D. Bonaventuræ pro Fide Catholicæ utilitate. 433.448
Argumenta poſſunt deſumi ex Officio expuncto, & noviſſimo reformato Divi Thomæ pro exaltatione doctrinæ ejuſdem: ſed nullum deſumi poteſt ex Officio Immaculatæ Conceptionis pro puritate Virginis. 693.& ſeq.
Auctoritas Innocentij Papæ edita à Dominicano circa annum 1480.prorsùs ficta, falſitatis convincitur.
Hæc fuit Petri Rogerij Doctoris Pariſienſis in ſermone: *Ecce plus quàm Salomon hic*, qui fuit poſteà Clemens VI. quæ adfertur, examinatur, & impoſtura detegitur. 349.& ſeq.
Auctor hujus operis miſerabiliter vapulat in præfat. ad Lectorem. 264. & 491 502.750
Reſpondet aliquibus objectionibus Dominicanorum Lovanienſium. [illegible]
Auctores aliquot impugnantes Immaculatam Conceptionem citantur & nominantur. 133
Aucto-

Auctores impugnantes Immaculatam Conceptionem ſolùm enumrantur quadringenti viginti octo, inter quos viginti octo ſolùm ſunt formales: propugnantes autem ſex mille omnes veraces. 129
Ave Maria gratiâ plena Dominus tecum explicatur. 587.& ſeq.

B

Bartholomæus de Spina Magiſter Sacri Palatij mittit à Sede Romana ad Epiſcopum Pariſienſem pro determinatione quæſtionis de Conceptione. 241
Bernardinus de Buſtis vocatus per opprobrium de Embuſtes. 477
S. Bernardus Abbas apparens cuidam Monacho dixit quòd in cælò celebretur Feſtum Conceptionis. 477
Biblia Sacra quòd à latere dextero Crucifixi in Concilio Tridentino poſita ſint, vera eſt hiſtoria: ſed quòd Summa D. Thomæ à ſiniſtro latere, fabula eſt.
Bibliotheca inſignis in Europa nulla eſt, quæ non contineat aliquos libros manu-ſcriptos Divi Thomæ. 42
S. Birgittæ Revelationes ſunt approbatæ à Summis Pontificibus. 518.& ſeq.
Ejuſdem Revelationes pro Immaculata Conceptione. 516.& ſeq.
Quæ impugnantur ſicut & aliæ. 519.& ſeq.
S. Bonaventuræ aliquod falſum imponitur. 97.445
Idem an æquandus ſit Divo Thoma in doctrina, non eſt minor Doctor ipſo. 449
Opera ejuſdem in tertia claſſe librorum à S.R.E. receptorum ſunt collocanda. 4
Servantur in Archivo Papæ. 433.448
Brevia Apoſtolica directa ab Alexandro VII. ad Univerſitatem & Facultatem Lovanienſem expenduntur. 721.& ſeq.
Bulla Canonizationis Angelici Doctoris à Ioanne XII. expedita examinatur. 688. Et hæc ſuperabundans eſt approbatio doctrinæ ejuſdem, & tot Bullæ Summorum Pontificum idem circa Immaculatam Conceptionem facere non poſſunt. 247
Bulla Pij V. pro celebratione Feſti S. Thomæ nihil de ejus doctrina canonizat. 550.& ſeq.
Bulla Sixti IV. authentica data eſt pro ſimplicibus, & quædam epiſtola incognita Urbani V. obligat doctiſſimos. 328
Bulla Urbani V. adfertur, examinatur; una vera admittitur, alia ficta rejicitur; quæ tamen à Dominicanis pro vera adducitur. 263.& ſeq.

C

Capitulum Generale Ordinis Prædicatorum celebratum Toloſæ in hac propoſitione: Feſtivitas Conceptionis debet celebrari die octavâ Decembris; quia Virgo Maria fuit Concepta ſine peccato originali invênit ſex errores magnos & maximos. 243.
Cardinalis Lugo in eodem dignitatis gradu conſtituit iſtas propoſitiones: Maria Concepta eſt ſine peccato originali, &: Benè ſcripſiſti de me Thoma: ſed illa rejicitur, hæc admittitur. 489
Certa quædam circa doctrinam Sancti Thomæ citantur. 690. & ſeq.
Certum eſt Divum Thomam in operibus ſuis non omninò ſibi correſpondere. 702.& ſeq.
Certum eſt multa loca operum Divi Thomæ præcipuè Immaculatam Conceptionem tangentia eſſe depravata, variata, mutilata. 698.& ſeq.
Certum eſt opera, quæ nomine D. Thomæ circumferuntur, non omnia ejus eſſe. 690.& ſeq.
Chriſtianitas univerſa à minimò uſque ad maximum, exceptis paucis, ſe impendit, & expendit pro defenſione veritatis Monaſterij Immaculatæ Conceptionis. 119
Civi-

Civitates ferè omnes, immò pagi, & populi ab anno 1254. aliquam ſaltem memoriam habuerunt pro myſterio Immaculatæ Conceptionis ejus. 119
Clauſula exceptiva Virginis Dei Matris à peccato originali intruſa fuit: & quæ eſt contra ejus puritatem non eſt ſuperaddita. 503
Clemens VIII. expedivit Bullas quinquaginta duas pro Immac. Conceptione. 573. & 592
Idem Brevi unico potuit dare exceptionem ab regulis Scripturæ pro doctrina D. Thomæ: & viginti Summi Pontifices in quadringentis Bullis non poſſunt declarare unicam ſolam exceptionem pro Virginis MARIÆ puritate. 592
Idem ſcripſit ad civitatem Neapolitanam pro S. Thoma in Patronum aſſumendo; quæ ſcripta examinantur. 578. & ſeq.
Clemens VII. varias expedivit Bullas pro Immac. Conc. & Indulgentias largitus eſt. 122
Clemens VI. adducitur contra Immaculatam Conceptionem, ſed perperàm. pag. 371. & ſeq. Verba illius adulterata ſunt. 384. & ſeq.
Compendia ſeptem Theologiæ inter ſe diſtincta attribuuntur D. Thomę, ſed falsò. 52. & ſeq.
Conceptio diſtinguitur varijs modis. 13. Introd. & ſeq.
Conceptio Immaculata Virg. Deiparæ cœpit oppugnari à Joanne de Monteſono in Gallijs, ſed contra eamdem inſurrexit Univerſit. Pariſien. quæ oppugnantem coëgit fugere. 148.
Conceptus activus mentis eſt ſapientia Divi Thomæ. Conceptus activus ventris eſt generatio S. Annæ. Conceptus paſſivus mentis eſt doctrina Thomiſtica. Conceptus paſſivus ventris eſt animatio B. MARIÆ. *Præf. ad Lect.*
Concilia Generalia & particularia ſecundum in S. R. E. inter libros poſſident locum. 13. Introd. & ſeq.
Concilia celebrata ab anno 1254. declaraverunt ſententiam piam eſſe probabiliorem, & magis comformem principijs S. Scripturæ. 119.
Corpus S. Thomæ non computreſcendo exemptum eſt à regula communi: *Pulvis es*, &c. & ab alia: *Omnes in Adam peccaverunt*, non poteſt excipi Virgo MARIA, cujus contrarium probatur. 99. 169. & ſeq.
Contradictio una delenda eſt in doctrina Angelici Doctoris; ſed non una macula in Matre Dei. 716

D

DEcretales Sixti IV. à tota Eccleſia orthodoxa receptæ, ut veræ, & legitimæ vocantur apocryphæ, &c. & epiſtola una Urbani V. ficta, Catholica eſt, & vera. 303.
Decretales Summorum Pontificum quartum inter libros à S. R. E. receptos, & approbatos poſſident locum. 4
Decretum factum à Concilio Baſilëenſi pro Immaculata Conceptione deſtruit doctrinam Sancti Thomæ, ut volunt Thomiſtæ. 484
Decretum factum eſt à Concilio Tridentino anno 1546. Julij 16. de peccato originali, à quo eximitur Virgo Deipara; quod expenditur. 539. & ſeq. Illud anno ſequenti aliqui Dominicani impugnarunt. 540. & ſeq.
Defenſores doctrinæ Sancti Thomæ dicunt ſententiam immunitatis Virginis MARIÆ eſſe falſam & rejiciendam ut hæreticam, &c. 236
Deus erravit in formatione MARIÆ Virginis: ſed non D. Thomas in formatione Theologiæ. 456
Dictum notabile ALEXANDRI VII. pro Immaculata Conceptione. 748
Dies octava Decembris habita fuit ſolemnis & feſtiva per Chriſtianitatem totam ſub titulo Conceptionis ab anno 1254. 119. 459

Digitized by Google

Differentiæ duodecim inter dicta oppugnantium Immaculatam Conceptionem, & defendentium eamdem. 752. & ſeq.
Differentiæ octo inter SS. Thomam & Bonaventuram, doctrinaſque eorum. 556. & ſeq.
Doctor Eccleſiæ verus ut quis ſit, quid opus ſit? Et an ſolus D. Thomas fuerit. 103. & ſeq.
Doctrinam aliquam eſſe per Eccleſiam approbatam intelligi poteſt tripliciter. 11
Doctrinam aliquam ab Eccleſia eſſe approbatam, quæ tamen erronea in Fide vel in aliqua ſui parte hæretica ſit, exemplis monſtratur. 16
Doctrina Divi Thomæ an originem duxerit ab Evangelio, an antidotum ſit contra omne malum imminens, & an contineat omnia in doctrinis aliorum contenta? 86. & ſeq.
Doctrina Divi Thomæ aſcendit à communi ad ſingulare, & puritas Virginis in communi cogitur permanere peccato. 454
Doctrina Divi Thomæ compreſſit omnes omninò hæreſes, & Verbum Divinum non potuit in Matre ſua comprimere peccatum originale. 669
Doctrinam Divi Thomæ damnatam conati ſunt defendere diſcipuli ejus aliqui; inter quos excellunt Ægidius Romanus Ordinis Sancti Auguſtini, Godefridus de Fontibus, & quidam Anonymus antiquus ſcriptor. 146 & ſeq.
Doctrina Divi Thomæ debet ab omnibus recipi, & ſententia Immaculatæ Conceptionis rejici: idque ob multas rationes. 311. & ſeq.
Doctrina Divi Thomæ dicenda eſt univerſalis & Catholica, ſed non pia ſententia Immaculatæ Conceptionis. 397
Doctrina Divi Thomæ eſt ab Eccleſia approbata tamquàm utilis & probabilis, ſicut aliorum Doctorum. 12. 160
Doctrina Divi Thomæ ex iſtis verbis, *Benè ſcripſiſti de me*, non ſolùm de Chriſto, ſed etiam de omnibus creaturis benè ſcripſiſſe intelligenda eſt, quare ergò ſi & benè de MARIA, non bonum ei adſcribit? 487
Doctrina Divi Thomæ igni comparatur. 729. Inſulæ 249
Doctrina Divi Thomæ interdicta ſub pœna excommunicationis & poſteà ſine ullo inſtrumento aut fundamento abſoluta manet approbata: & Feſtivitas Immaculatæ Conceptionis ab uno Epiſcopo prohibita, licet poſt annos 80. ab alio reſumpta, manet reprobata. 238
Doctrinæ D. Thomæ laudatores ſunt laudandi, licet fingant, & defenſores innocentiæ Virginis MARIÆ veraces ſunt mordaces. 237
Doctrina Divi Thomæ non eſt per Eccleſiam ſic approbata, ut oporteat credere quòd ipſa in omni ſui parte ſit vera. 12. 159
Doctrina D. Thomæ non eſt per Eccleſiam ſic approbata, ut oporteat credere ipſam in nulla ſui parte eſſe erroneam vel hæreticam. 13. 160
Doctrinam D. Thomæ non ſequens ſemper fuit de veritate ſuſpectus, &c. Hoc dictum excutitur & impugnatur. 81. & ſeq.
Doctrina D. Thomæ non ſolùm præſervat ab errore, ſed etiam errandi periculo: & in ſanguine Filij non invenitur pro Matre medicina. 395
Doctrinam Divi Thomæ non ſequens eſt prædamnatus à Summo Pontifice? & quid de eo, qui non piam ſententiam Immaculatæ Conceptionis? 411
Doctrinam D. Thomæ nullus impugnare poteſt, niſi Spiritui Sancto reſiſtat, & Immaculatam Virginis MARIÆ Conceptionem quiſque poteſt. 362. 406
Doctrina D. Thomæ numquam eſt oblivioni tradenda, ſed benè aliorum. 411
Doctrina D. Thomæ nuſquam reperitur publicata per certa & Sancta. 240
Doctrina D. Thomæ omnibus attulit bona, ſoli ne Virgini mala? 395
Doctrinam D. Thomæ oppugnans eſt maledictus, ſed non qui Immac. Virg. Conc. impugnat. 406
Do-

Digitized by Google

Doctrina D. Thomæ per hæc quinque verba : *Benè ſcripſiſti de me Thoma* manſit approbata, pura, ſine errore fæcis, & atomis : & cum decies reduplicatis : *Tota pulchra, &c. Ave* MARIA, *&c.* manſit Conceptio Virginis MARIÆ reprobata, impura, cum errore peccati originalis,&c. 482
Doctrina Divi Thomæ per iſta verba : *Benè ſcripſiſti, &c.* omnimodam accipit latitudinem : & Conceptio Virginis MARIÆ non poteſt per omnia verba ne quidem accipere unum inſtans. 483
Doctrinas Sanctorum relinquere poſſumus ſequendo doctrinam Divi Thomæ, ſed non ſequendo piam ſententiam Immaculatæ Conceptionis. 399
Doctrinam Divi Thomæ ſequens numquam à tramite veritatis deviavit. 331.339.349. 352. 353. 354. 362. 369. 370. 385. 412. 636.
Doctrinam Divi Thomæ ſingularis eſt, ſed non Conceptio MARIÆ. 407
Doctrina Divi Thomæ valdè bona eſt, laude, & veneratione digniſſima, ſed non Conceptio activa Virginis MARIÆ. 409
Dogma damnatum invênit exemptionem, ſed non puritas Virginis. 747
Dominicani contra Auctorem hujus libri ſcribentes, nullius Cenſoris approbationem invenire poſſunt. *Præfat. ad Lectorem.*
Dominicani duo doctiſſimi ſibi in eodem contradicunt. 307.
Dominicani fuerunt excluſi ab Univerſitate Pariſienſi, tam in communi, quàm in particulari anno 1389. & anno 1403. iterùm admiſſi ſub conditione. 259.
Dominicani pro uno Fratre ſequuntur veſtigia unius Matris, & pro Sanctiſſima Virgine aſpernantur, & contemnunt tres matres. 459
Dominicani quidam oblatrarunt Conſtitutionibus Sixti IV. 297.& ſeq.
Dominicani ſibi contradicunt de doctrina Sancti Thomæ. 323
S. Dominicus Patriarcha Prædicatorum eſt pro Immaculata Virginis Deiparæ Conceptione. 628.613.

E

Eccleſia S.R. recipit, & approbat libros ſecundùm gradus. 2.& ſeq.
Eccleſiæ S.R. ſoli convenit approbatio, & reprobatio doctrinarum. 241
Elogia varia D.Thomæ adſcribuntur, & expenduntur. 19.90.& 279
Elogium falſum Divo Thomæ adſcribitur. 327
Epiſtola ficta ſub nomine Univerſitatis Pariſienſis pro doctrina S. Thomæ, & ad conſtituendam maculam in Virgine MARIA falſitatis convincitur. 416.& ſeq.
Epiſtola Stephani de Borreto à nulla viſa vera admittitur : & epiſtolæ D. Anſelmi pro Conceptione Immaculata Virginis MARIÆ ut falſæ rejiciuntur. 197
Expoſitio Salutationis Angelicæ Divi Thomæ præſervat Virginem MARIAM à peccato originali. 501
Expoſitiones tres ſuper Pater noſter Divo Thomæ adſcriptæ. 47

F

Feſtivitas Conceptionis ante doctrinam Divi Thomæ celebrata eſt à ſex Regnis, & pro ejus defenſione ſex graviſſimi Doctores. 118
Feſtivitas Conceptionis cœpit celebrari in oriente circa tempora Apoſtolorum, in occidente à tempore Joannis XXII. 711
Feſtivitas Conceptionis cœpta eſt publicari in mundo duobus ferè ſæculis ante nativitatem Sancti Thomæ. 116

Idque tempore Guilielmi Normannor. Ducis ob revelationem factam Helſino Abbati. 218
Feſtivitas Conceptionis celebrata eſt in Gallia tempore Caroli Magni, & quando poſteà: notatur 228.& ſeq.
Feſtivitas Conceptionis celebratur ſolemniter in cœlo. 477.528
Feſtivitas Conceptionis fuit recepta ab Eccleſia Romana in Kalendario Romano, & Miſſali, ante annum 1254. pag. 119. Item ab Eccleſijs particularibus. *Ibidem.*
Feſtivitatem Conceptionis non octavâ Decembris, ſed Feſtum Sanctificationis in craſtino S. Mathiæ eſſe celebrandum ſtatuit Generale Capitulum Dominicanorum. 459
Feſtivitas nulla B. MARIÆ tot Officijs, Indulgentijs, gratijs, &c. eſt ornata, quàm Feſtivitas Immaculatæ Conceptionis. 119
Fides noſtra non nititur determinationibus Univerſitatum, Doctorum, ſed Sanctionibus Eccleſiaſticis, & Apoſtolicis. 441
Fortuna varia doctrinæ Divi Thomæ. 57
Fratres Franciſcani cum alijs centum extra ordinem, & non paucis ex Dominicanis, affirmant S. Dominicum ſcripſiſſe pro Immaculata Conceptione. 631

G

Gelaſius I. Pontifex Maximus in Concilio Romano decernit libros recipiendos à S. R. E. & aſſignat gradus eorum. 1.& ſeq.
Geſta SS. Martyrum inter libros à S. R. E. receptos & approbatos quintũ poſſident locum. 4
Gilberti de Tornaco ſermones ſunt approbati per Alexandrum Papam. 6
Gratia Dei tres effectus operatur in anima. 587
Gregorius XV. approbavit conſtitutionem Monaſterij Conceptionis, conceſſit indulgentias, confirmavit Confraternitates, approbavit Capellas, fecit Decretum ne in Divino Officio, alio nomine, excluſo Sanctificationis, quàm Conceptionis Dominicani uterentur. Scripſit diverſas ad varios epiſtolas. 127
Idem anno 1622. 24. Maij ſub ſtrictiſſimis pœnis revalidâvit Decretum factum à Paulo V. indulſit tamen eodem anno 28. Julij, ut Patres Prædicatores inter ſe tantùm in privatis colloquijs poſſent de materia Conceptionis diſſerere & tractare. 567.612
Gregorius XIII. Capellanias erexit de Immaculata Conceptione, & Indulgentias conceſſit, Confraternitates confirmavit. 124
Idem confirmavit vivæ vocis oraculo conceſſionem factam à Pio V. Fratribus Minoribus de recitatione Officij à Nogarôlo facta. 562
Guilielmus Epiſcopus Ebroicenſis, & Confeſſarius Caroli VI. Regis Francorum abjuravit ſententias Monteſoni, ſicut & alij. 435.& ſeq.

H

Helſinus Abbas habuit revelationem de celebrando Feſto Conceptionis. 116.477
Idem à Joanne de Pont Canonico regulari, vocatur Sanctus, & Gyrando Renerio ebrius de cereviſia, vel vino. 223
Idem propter revelationem ſupra-dictam ebrius vocatur, & Mauritius Epiſcopus ob prohibitionem ejuſdem Feſtivitatis Sanctus prædicatur. 239
Hæretici tamquam telo contra Eccleſiam utuntur hac propoſitione: MARIA *fuit concepta in peccato originali.* 612
Hiſtoria miranda de juvene Sarraceno coram Pontifice Maximo, & Cardinalibus diſputante pro Immaculata Conceptione. 708.& ſeq.
Humberti duo ex Ordine Prædicatorum. 732
Jaco-

I

Jacobi Carthuſiani ſermones ſunt approbati à Nicolao V. 67
Jacobus de Oſa poſteà Joannes XII. vehemens fuit oppugnator Immaculatæ Conceptionis. Idem tulit ſententiam pro FF. Minoribus circa Immacul. Conceptionem. 707
Idem compoſuit proſam in reverentiam munditiæ Virginis MARIÆ ſub octo dictaminibus. 711
Impreſſiones decem: priores expoſitiones in epiſtolas Pauli, quia ſunt pro Virginis MARIÆ puritate, non poſſunt prævalere contra ſex poſteriores, quæ omiſerunt clauſulam excipientem. 504
Immunitas Virginis ab originali ducentis ferè annis ante doctrinam Divi Thomæ fuit divulgata per tres revelationes. 116.& ſeq.
Impugnantes doctrinam Divi Thomæ ſemper ſunt de veritate ſuſpecti. 331. 337. 339. 349. 352. 353. 354. 356. 357. 360. 367. 369. 371. 385. 411. 422.
Infans quidam Belgicus ex femore Patris natus, & baptizatus (ſecundùm Thomiſtas) non contraxit peccatum originale, & tamen dicitur redemptus: & ſecundùm eoſdem MARIA Virgo non potuit ab originali præſervari, & dici redempta. 155.& ſeq.
Innocentius X. conceſſit jus patronatûs Monialibus Conceptionis loci de Viſiedo, beneficia varia, Capellanias approbavit, item ut Feſtum Conceptionis in Hiſpanijs eſſet dies feriatus, &c. 131
Innocentius VIII. confirmavit & approbavit Religionem Immaculatæ Conceptionis, Monialium Bullas edidit; & alia conceſſit. 121
Innocentius III. auctor fuit explicationis Salutationis Angelicæ, ſicut & Orationis Dominicæ, quæ Angelico Doctori attribuuntur. 501
Joannis à Capiſtrano ſermones approbavit Nicolaus V. 6
Joannes de Monteſono Ordinis Prædicatorum cum diſcipulis ſuis in Gallijs oppugnare cœperunt Immaculatam Conceptionem: ſed ab Univerſitate Pariſienſi victus & profligatus eſt. 149
Idem fugit Pariſijs Avenionem. 251. 149
Idem aufùgit à Curia Avenionenſi & excommunicatur. 149. 261
Joannes Duns Scotus laudatur. 280. 574. Defenditur 626
Joannes Gerſon concionatus eſt in Concilio Baſileënſi pro Immaculata Conceptione. 548
Interpres Divinæ voluntatis quis ſit? 590
Julius II. confirmavit Religionem Sanctimonialium Immaculatæ Conceptionis, & alia plura pro eadem conceſſit. 122
Julius III. varia conceſſit in favorem Immaculatæ Conceptionis. 123
Juramenta, vota, ſtatuta pro ſequela ac defenſione doctrinæ D. Thomæ ſunt licita, rectiſſima & Sancta: & facta pro tuenda Virg. Deiparæ puritate ſunt vana, frivola, iniqua. 686
Juramentum ſeu votum emiſſum ab Academia Salmanticenſi pro doctrina D. Thomæ eviſceratur, & annullatur. 674.& ſeq.
Juramentum & ſtatutum factum ab Academia Salmanticenſi pro Immaculata Conceptione divulgatur, impugnatur, ſed non expugnatum permanet. 683.& ſeq.

L

Lectori Philoſophiæ licitum eſt in theſibus merè Philoſophicis proponere tria impertinentia pro doctrina D. Thomæ: Lectoribus verò Theologiæ ex ipſis dictis S. Thomæ non licet unum proponere pro puritate Matris. 715

Legati Sedis Apoſtolicæ cum duodecim Epiſcopis facientes Decretum pro Immaculata Conceptione ſunt nefarij, ſcelerati, & temerarij : ſed fraterculi contradicentes ſuntne veraces? 486
Leo X. plurima conceſſit Sanctimonialibus Immaculatæ Conceptionis, & alia plura pro eadem edidit. 122
Leonis Papæ epiſtola ad Flavianum ſub anathemate uſque ad unicum *iota* non poteſt diſputari. 2.4
Librorum claſſes in Eccleſia ſunt quinque : Primum locum poſſidet Scriptura. Secundum Concilia generalia & particularia. Tertium opera Sanctorum Patrum & Doctorum Orthodoxorum. Quartum decretales Summorum Pontificum. Quintum geſta Sanctorum Martyrum. 4
Libri nomine Thomæ notati à Dominicanis fuerunt D. Thomæ adſcripti. Sed perperàm : quod notatur. 43.& ſeq.
Libri quos recipit & approbat S. R. Eccleſia,& gradus eorum. 2.& ſeq.
Libri quos recipit & approbat non ideò ſunt canonici, quia approbati, nec qui eos impugnat eſt de hæreſi ſuſpectus. 7
Librum retractationum ſcripſit D. Thomas. 15
Libri triginta octo ſunt adſcripti D. Thomæ cùm ſint Alberti Magni, qui etiam ſunt confuſi, ſicut & D.Thomæ. 40.& ſeq.
Litteræ Stephani de Borreto Epiſcopi Pariſienſis examinantur, & multæ impoſturæ deteguntur. 197.& ſeq.

M

MAria Thereſia Regina Chriſtianiſſima petijt ab ALEXANDRO VII. Religionem Immaculatæ Conceptionis in Gallijs fundari, & obtinuit. 745
MARIA Virgo caſtaneæ comparatur. 218. Libro 630
MARIA Virgo non fuit ſecundùm Thomiſtas ſine errore. 592.& ſeq.
MARIA Virgo ſine macula originali concepta à Sacro Ordine Prædic. agnoſcitur. 690
Matrimonium Joachim & Annæ quàm caſtum fuerit. 516.& ſeq.
Mathiæ Farinatoris librum Moralitatum approbavit Joannes Papa. 7
Mauritius Epiſcopus Pariſienſis, ut gratis aſſeritur, prohibuit celebrationem Feſti Conceptionis : quæ prohibitio examinatur. 220. & 238
Medulla quinque propoſitionum Joannis de Monteſono contra Immaculatam Conceptionem Deiparæ : quæ varijs innititur fulcris, ſed ijs per veritatem deſtituitur. 61
Memoriale exhibitum Philippo IV. Hiſpaniarum Monarchæ. 444
Miracula,& revelationes factæ pro approbatione doctrinæ Divi Thomæ ſunt ita veræ, ut eas tangere non liceat, ſed pro Immaculata Conceptione ſunt conficta, & facta virtute dæmonum. 480
Mulierem nullam eſſe ſine peccato ſi docuerit Divus Thomas, ergò erravit, dicendo MARIAM Virginem fuiſſe immunem à peccato. 718
Myſterium nullum tot miracula, & revelationes habuit, ac Conceptio. 119
Myſteria occulta Angelis, per doctrinam Divi Thomæ ſunt eis revelata, & articulus unus cognitus Angelis in, & extra Verbum receptus, & laudatus ab omnibus, non poteſt diffiniri. 547.& ſeq.

N

NEmo ſcripſit tractatum, ſeu edidit librum integrum contra Immaculatam Conceptionem, niſi ex Ordine Prædicatorum. 6:0

Nico-

Digitized by Google

Nicolaus Eymericus Inquiſitor ſevero ſupplicio affecit Fratres Minores propter defenſionem Immaculatæ Conceptionis. 135
Notanda quædam circa doctrinam Divi Thomæ. 579.& ſeq.

O

Objectum & ſubjectum hujus operis eſt conceptus mentis, & conceptus ventris. *Præfat. ad L. …m.*
Officia Eccleſiaſtica Leonardi de Nogarolis, & Bernardini de Buſtis per ſpeciales Bullas approbavit Sixtus IV. 7
Officia illa præſertim Nogaroli impugnantur, & defenduntur. 648.& ſeq.
Officia quatuor Eccleſiaſtica approbata à Summis Pontificibus pro myſterio Immaculatæ Conceptionis citantur, & examinantur. 643.& ſeq.
Officia quatuor Eccleſiaſtica Sancti Thomæ adferuntur, & expenduntur. 633.& ſeq.
Officium de Feſto Conceptionis à ſui Ordinis principio, uſque ad præſentem diem, quomodò recitaverint Patres Dominicani. 657.& ſeq.
Officium Monialium Conceptionis approbavit Julius II. 7
Opinio contra Immaculatam Conceptionem cœpit in Gallijs ſuſcitari anno 1387. ſed ab Academia, & civitate Pariſienſi profligata noctu aufûgit Avenionem, ubi à Clemente VIII. ad miſerum ſtatum redacta iterùm aufûgit, nec comparuit ampliùs, uſque ad Concilium Baſilëenſe: à cujus conſpectu fugit ad Romanam Curiam. Poſteà tempore Sixti IV. apparens in Lombardia fulmine Romano percuſſa fugiens in Germaniam gladio, & flammis Bernenſibus territa in fumum euanuit. Anno 1536. tempore Concilij Tridentini ibi apparens fœdiſſimè lacerata diſceſſit. Anno 1617. in Hiſpania ſcandala excitans eſt ejecta. Anno 1622. tempore Papæ Gregorij XV. ab ipſo Ordine Prædicatorum per ipſum eſt proſcripta in æternum. Anno 1660. ex America contra illam egreſſus eſt Sol Veritatis. 149.& ſeq.
Opera Divi Thomæ habuerunt diverſos ſtatus. 22.& ſeq.
Opuſcula Doctorum ſcholaſticorum in quarta claſſe librorum à S.R.E. receptorum, & approbatorum collocanda ſunt, niſi alio titulo ſubleventur, & exaltentur. 4
Opuſcula Sanctorum Petrum, & Doctorum orthodoxorum tertium inter libros à S. R. E. receptos, & approbatos poſſident locum. 4
Opuſcula D. Thomæ contra Immaculatam Conceptionem militantia recenſentur. 46
Oratio Eccleſiæ de Divo Thoma falſificatur. 729
Ordo Militaris erectus ſub titulo Immaculatæ Conceptionis cum ſpeciali regula, Officio, & Conſtitutionibus. 119

P

Pariſienſis Facultas Theologiæ inſtituit Proceſſum contra errores Joannis de Monteſono. 8.& ſeq.
Paulus IV. approbavit fundationem Monaſterij de Valdeigleſias, conceſſit indulgentias in die Conceptionis. 123
Paulus V. confirmavit conceſſionem factam Neapolitanis à Clemente VIII. pro D. Thoma aſſumendo in patronum. 605.& ſeq.
Idem confirmavit vivæ vocis oraculo anno 1609. Januarij 19. conceſſionem factam à Pio V. Fratribus Minoribus de recitatione Officij Conceptionis. 562. 612
Idem varias expedivit Bullas in diverſis rebus pro Immaculata Conceptione. 6[illegible]9.& ſeq.
Idem anno 1615. 10. Julij conceſſit indulgentiam dicentibus illam Anthiphonam: *Hæ… ſt Virga*, &c. 612.618.

Idem

Idem anno 1616. Pontificatûs 12. approbavit, & confirmavit Conſtitutiones Sixti IV. & Pij V. 610
Idem anno 1617. prohibuit, ne quis in publicis, aut privatis colloquijs poſſet dicere Virginem MARIAM fuiſſe conceptam in peccato originali. 567.612.
Ejuſdem ſeptem verba: *Scripta S. Thomæ ſunt clypei militantis Eccleſiæ*, approbant totam doctrinam D. Thomæ: & tot Bullæ Paulinæ non poſſunt approbare unicam ſententiam de Conceptione, & ideò Eccleſia caret clypeo contra tela hæreticorum. 615
Paulus III. approbavit Officium Conceptionis, conceſſit indulgentias, & alia edidit pro Immaculata Conceptione. 123
Perſecutio excitata in Gallia contra Dominicanos negantes Immac. Conceptionem. 228
Petri Lombardi liber Sententiarum approbatus fuit in Concilio Lateranenſi. 6
Petrus de Alva (Auctor hujus operis) miſerabiliter excipitur à Dominicanis. *Præfat. ad Lect.* pag. 264. & 491. 502. 750.
Petrus Rogerius pro ſapientia D. Thomæ aſſerit quinque privilegia, & pro Immaculata Conceptione ex D. Anſelmo quinque elogia, quæ expenduntur. 387.& ſeq.
Pius IV. varias conceſſit indulgentias pro Immaculata Conceptione. 124.
Pius V. Bullas varias, Brevia pœnè quingenta expedivit pro varijs rebus ad materiam Conceptionis pertinentibus. 559
Idem conceſſit vivæ vocis oraculo anno 1569. 25. Fratribus Minoribus recitationem Officij à Nogarôlo compoſiti pag. 301. 561. quod tamen juſſerat expungi ex Breviario Romano. 304.965.
Idem damnavit propoſitiones Michaëlis Bay, inter quas ſeptuageſima tertia militabat contra Immaculatam Conceptionem. 561.
Idem & Clemens VIII. dicentes quòd in hiſtoria contineatur approbatæ doctrinæ Divi Thomæ eſt vera, & irrefragabilis: ſed Decretales Sixti IV. à quinque Pontificibus, & Concilio Tridentino confirmatæ pro Immac. Conceptione ſunt falſæ, & apocryphæ. 481
Idem ordinationes Sixti IV. circa Immaculatam Conceptionem confirmavit. 560
Idem præcepit ut in tota Eccleſia celebraretur Feſtum Conceptionis, & Officium Nativitatis recitaretur, mutato nomine in Conceptionis. 561
Pontifices Maximi viginti ſtant pro Immaculata Conceptione, Bullis, Approbationibus, Conceſſionibus, Gratijs, Indulgentijs. 120.& ſeq.
Pontius Carbonellus Franciſcanus præceptor S. Ludovici Francorum Regis ſcripſit Catenam magnam; ex qua Catena aurea Divo Thomæ, adſcripta fuit exſcripta, quòd probatur. 46
Poſtilla D. Thomæ ſuper epiſtolas Pauli diſputatur an ſit ejus. 492. Eadem in decem editionibus eximit Virginem MARIAM à peccato originali, in ſex autem poſterioribus non invenitur. 497.& ſeq.
Præſul cadens in lutum meritis Divi Thomæ nullam maculam contraxit, & hoc non potuit meritis Chriſti MARIA obtinere. 665.& ſeq.
Privilegia S. Thomæ menſurantur per tempora, ſed Virginis MARIÆ nec per dimidium, immò inſtans temporis. 399
Privilegij oſtenſio petitur pro exemptione Virginis, & pro doctrina Divi Thomæ non poteſt peti, nec de eo dubitari. 395
Propoſitio temeraria quid ſit. 479
Propoſitiones in laudem & gloriam Divi Thomæ pronuntiatæ ſine ulla menſura diſperguntur: pro Matris Dei puritate coarctantur gratiæ. 660

Qui

Q

Qui adducunt S. Franciſcum pro approbatione doctrinæ D. Thomæ ſunt veraces : qui S. Dominicum pro Immaculata Conceptione mendaces. 631
Quidam Concionator dicens coram Patribus Concilij Tridentini, quòd dilata ſit quædam ſeſſio uſque ad diem alteram uſque dum de mente D. Thomæ conſtaret , ideò ejus doctrina generaliter eſt canonizata, ut nemini liceat contradicere : & Decretum factum ab eodem Concilio pro Immaculata Conceptione nullam habet vim, quia quilibet contradicere poſſit. 544
Qui dicunt quòd doctrina D. Thomæ nitatur certiſſimâ regulâ doctrinæ Chriſtianæ , immò ſit via tuta veritatis , dicunt quoque quòd hæc propoſitio Virgo Deipara non habuit peccatum originale ſit falſa & erronea. 569
Quidam Ordinis Prædicatorum dicit ſex approbationes factas fuiſſe à S. Franciſco de doctrina D. Thomæ. 632

R

Religio Dominicanorum facta fuit ſub tributo pecuniario, ut defenderet impugnantes Immaculatam Conceptionem.
Eadem voluit celebrare Feſtivitatem non ſub nomine Conceptionis, idque octavâ Decembris ; ſed ſub nomine Sanctificationis in craſtino S. Mathiæ. 253
Eadem in doctrina D. Thomæ anno 1436. tantùm tria invenerat loca contra Immaculatam Conceptionem : & anno 1475. ſunt reperta viginti. 505
Religio erecta ſub titulo Immaculatæ Conceptionis. 119
Religio Minorum vapulat propter errorem in numero inventum. 303. 566
Revelatio Deiparæ facta D. Thomæ examinatur. 511
Revelatio facta D. Thomæ. 732
Revelatio facta de celebrando Feſto Conceptionis. 477
Revelatio S. Catharinæ Senenſis contra Immaculatam Conceptionem eſt ficta. 521
Revelatio S. Thomæ facta cuidam Fratri Dominicano dormienti eſt indubitata. 527
Revelatio una facta pro doctrina D. Thomæ excrevit in quinque aut ſaltem tres : & quinque aut ſex factæ pro Immaculata Conceptione decreverunt in nullam. 489
Revelationes S. Brigittæ pro Immaculata Conceptione. pag. 516. ſunt approbatæ à Summis Pontificibus. pag. 518. impugnantur ſicut & aliæ. 519
Revelationes duæ S. Franciſci adferuntur pro doctrina D. Thomæ. pag. 621. ſed falſas & ſuppoſitas eſſe ex quinque capitibus oſtenditur. 626
Revelationes duæ S. Franciſci pro Immaculata Conceptione. 628
Revelationes factæ pro doctrina D. Thomæ ſunt veræ : pro Immaculata Conceptione falſæ: quare hæ rejiciendæ, illæ aſſumendæ ſunt. 522
Revelationes tres factæ pro immunitate Virginis. 116
Revelationes veræ pro Immaculata Conceptione ſunt ſomnia , &c. ſed epiſtola Stephani do Borreto à nullo viſa pro doctrina S. Thomæ eſt certa. 239
Revelationibus factis pro Immaculata Conceptione præſertim Eremitis in partibus Græciæ nulla eſt fides adhibenda. 528
Rituale Epiſcoporum pro die S. Thomæ continet benedictiones. 641
Item pro die Immaculatæ Conceptionis. 6,5
Robertus Bellarminus juſſu Clementis VIII. diſpoſuit catechiſmum Fidei Chriſtianæ. 587
Robertus de Kiluardbi Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia condemnavit 222. errores in doctrina, ut referebatur, D. Thomæ inventos. 192

S

SAlmanticenſes Doctores injuriam factam alijs Doctoribus refundunt in Urbanum V. 449
Sancti in cœlo,ſi judices eſſent,ſententiarent juramenta,vota,&c. facta pro defenſione Divi Thomæ eſſe legitima : & puritas Virginis in ſchola Thomiſtica ſententiam favorabilem non obtinet. 687
Sancti non ideò ſunt majores,quia faciunt miracula,ijs, qui fidem orthodoxam ſcriptis elucidant. 689.713
Sanctiones Ordinis Prædicatorum prævaluerunt contra doctrinam Divi Thomæ,Decretum Summi Pontificis,Matris puritatem,veritatis integritatem. 506
Scripta Divi Thomæ clypei Eccleſiæ appellantur. 607
S.Scriptura inter libros à S.R. Eccleſia receptos,& approbatas primum poſſidet locum. 4
Sixtus IV. edidit Bullas quatuor pro Immaculata Conceptione. 291 .& 120. Edidit tractatum,orationem , Bullas particulares , indulgentias , &c. erexit Capellam Romæ in Baſilica Sancti Petri. 296
Ejuſdem ordinationibns oblatrantes referuntur. 297
Idem poſuit in Breviario Romano Officium Immaculatæ Conceptionis , quod expunxit Pius V. 304
Idem Officium Immaculatæ Conceptionis à Nogarolo compoſitum approbavit. 301
Idem propter defenſionem Immaculatæ Conceptionis hæreſis inſimulatur, & Urbanus V. propter exaltationem doctrinæ D. Thomæ vindicatur. 310
Sixtus V. conceſſit quòd celebraretur Feſtivitas Immaculatæ Conceptionis cum octava , approbavit Capellas , erectionem Monaſteriorum , confraternitates : & indulgentias conceſſit. 126
Stephanus de Borreto Epiſcopus Pariſienſis revocavit cenſuras latas in doctrinam D. Thomæ : ſed harum litterarum nullibi teſtimonium aut memoria invenitur, cùm tamen condemnatoriæ inveniantur : ſed tempore Monteſoni excitatâ de Conceptione Virginis Mariæ adinventæ ſunt. 193.445
Idem potuit in una die cum ſuis examinare & approbare quingentas quæſtiones operum Divi Thomæ , & Eccleſia Romana cum ſuis Pontificibus non potuit ſpatio quingentorum annorum unam de Immaculata Conceptione. 243
Stephanus de Templier Epiſcopus Pariſienſis anno 1277. publicè damnavit 222. errores. 182
Ejuſdem litteræ ſimul & errores damnati incongruam diſpoſitionem habent ; ſed illos correxit & emendavit D. Philippus Buovot. 184
Summa Theologiæ D. Thomæ multis ſcatuit erroribus. 114
Summam D. Thomæ in Concilio Tridentino poſitam fuiſſe è Regione Bibliæ Sacræ Crucifixo intermedio fabula eſt. 534

T

TEſtimonia aliquot PP. Ordinis Prædicatorum de libris D. Thomæ examinantur. 28
Teſtimonium de libris D. Thomæ expenditur. 27
Thomæ Aquinatis opera in tertia claſſe librorum à S. R. E. receptorum & approbatorum ſunt collocanda. 4
Thomæ Aquinati dedit Deus quinque talenta, ſed non Matri ſuæ. 364.404
Thomæ Elogium quoddam examinatur. 19.90.239
Thomas de Aquino circa Immaculatam Conceptionem nihil determinavit. 713

Tho-

Thomas eſt cæli & terræ oraculum. pag. 427. candelabrum inſigne & lucens.
Idem dicitur os Sanctorum omnium Doctorum. 427
Lilium eſſe affirmatur, & de Virgine MARIA dubitatur. 400
Signaculum ſimilitudinis à Deo ſummo artifice perfectum. 401
Idem cum ſua ſchola Immaculatæ Conceptionis aſſertor à D. Joanne Ludovico Schonleben aſſeritur. 360
Idem fuit ſtupor in orbe, in quo infuſum eſt quidquid naturaliter eſt capax genus humanum & quare non Virgo MARIA. 690
Idem infans ex iſta manu tenuit chartulam continentem hæc verba : Ave MARIA gratiâ plena Dominus tecum, &c. & ut quidam dicunt, deglutivit & ideò animal mundum, 99 306. 382. 403. 425
Ipſe tamen, ut volunt Thomiſtæ, MARIÆ Virgini adſcripſit ſordidam immunditiam. 167
Idem natus & baptizatus nullius peccati mortalis ſenſit contagium à gratia præformatus : & MARIA originalis (quod eſt mortale) ſenſit contagium in Conceptione ut dicunt Thomiſtæ.
Idem laudatur ab Alberto Magno. 177
Idem in medio ignis non eſt æſtuatus, & MARIA Mater Dei in principio ignis æſtuata fuit. 733
Idem liberat orbem terrarum à peſtiferis erroribus, & Chriſtus non liberat Matrem à contagio erroris originalis. 751
Qualiter ſcripſerit ſine ullo errore. 570
Rex & Monarcha omnium ſcholaſticorum nominatur. 581. & 592
Scripſit librum Retractationum. 731. 752
Si viveret multa in operibus ſuis corrigeret, non tamen ſententiam contra Immaculatam Conceptionem, ut dicunt correctores Patres Romani Ordinis Prædicatorum à Pio V. & tota Religione electi. 15
Idem ut volunt Thomiſtæ, nec per unicum inſtans cœcutiit in omni ſua doctrina, & MARIA Virgo in primo inſtanti cœca fuit.
Thomas Turcus Generalis Ordinis Prædicatorum inſurgit in Franciſcanos dicentes recitationem Officij à Nogarôlo compoſiti de Immaculata Conceptione à Pio V. vivæ vocis oraculo conceſſam, ſed veritas manifeſtatur. 174
S. Tribunal Inquiſitionis tollens clauſulas condemnationis articulorum Divo Thomæ adſcriptorum à Patre Gravina allegatum non invenitur. 562 184

V

VAs decorum puritatis dicitur D. Thomas, & non poteſt dici Virgo MARIA. 664
Verba D. Thomæ ſuper Pater noſter, Libera nos à malo, peccato originali, & actuali expenduntur. 664
Viſio, ſeu apparitio Beati Pauli alloquentis Divum Thomam examinatur.
Vita D. Thomæ falsò adſcribitur Humberto de Romanis quinto Generali Ord. Prædic. 25
Univerſitas Pariſienſis, & omnes aliæ Academiæ Catholicæ patronatæ ſunt Immaculatæ Conceptioni, & Feſtivitati ejus ante annum 1254. 119
Eadem condemnavit inter alias propoſitiones Joannis de Monteſono quinque contra Immaculatam Conceptionem. 423
Eadem & in flore, & in fructu ſtetit pro doctrina Divi Thomæ ; ſed non ita pro ſententia Immaculatæ Conceptionis.
Eadem quinque contulit fructus piæ ſententiæ Immaculatæ Conceptionis. 431

Eamdem determinaſſe hæreticum eſſe tenère Beatam Virginem MARIAM fuiſſe ſine originali peccato conceptam falſam eſſe demonſtratur. 423
Vox illa : Benè ſcripſiſti de me Thoma , qualem vim habeat , & quoties à Chriſto prolata fuerit, inquiritur, detegitur, judicium relinquitur alijs. 462
Vox mira fabricat in doctrina Divi Thomæ approbationem , ſanctitatem, &c. & eadem in Officio Conceptionis deſtruit omnem immunitatem pro Virgine MARIA. 667
Urbanus VIII. erexit , confirmavit , & approbavit Ordinem militarem Immaculatæ Conceptionis , confraternitates, beneficia, Capellas, Eccleſias, indulgentias conceſſit, varias expedivit Bullas & epiſtolas. 127
Urbani V. clauſula brevis confirmat omnem doctrinam D. Thomæ & alij Summi Pontifices non poſſunt approbare propoſitionem unicam de Immaculata Conceptione. 305

MENDA SIC EMENDA.

Flavium	lege	Flavianum *pag.*3	partem	lege	patrem *pag.*626
Guilielmi	lege	Henrici *pag.*54	prælium	lege	prælum *pag.*764
juve	lege	juvet *pag.*114	14	lege	16 *pag.*146
veranda	lege	veneranda *pag.*228	mentis	lege	ventris *pag.*158
Thama	lege	Thoma *ibidem.*	*pagin.*133 *.colum.*2. *lin.*20.		adde 1395
cadens	lege	eadem *pag.*578.	1717	lege	1617 *pag* 683

Extractum Privilegij.

PHILPPUS *gratia Dei Rex Caſtellæ , Legionis , Arragoniæ , Archidux Auſtriæ , Dux Burgundiæ , & Brabantiæ , &c. dedit Privilegium* PHILIPPO VLEUGAERT , *Impreſſor , & Bibliopolæ Bruxellenſi , ut poſſit imprimere unum Librum intitulatum :* Nodus Indiſſolubilis , per Rdum. Admodum Patrem Fratrem Petrum de Alva & Aſtorga Ordinis Minorum , *pro ſpatio novem annorum, prohibens expreſſè omnibus Impreſſoribus aut Bibliopolis , & alijs quibuſcumque , ne imprimant , aut curent imprimi , ne vendant , neque diſtribuant ſub pœnâ confiſcationis Exemplarium,ut latius habetur in Litteris patentibus. Datum Bruxellis* 15. *Octobris* 1663.

Signatum

LOYENS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google